Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Joh. Frid. Schulten Vic. S. Gereonis.
liber carus.

A. D. G. Nro 59

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ÆNEÆ SILVII,
EPISCOPI SENENSIS
POSTEA PII PAPAE II.
HISTORIA RERUM
FRIDERICI TERTII
IMPERATORIS
EX MSCTO OPTIMÆ NOTÆ, NUNC
PRIMUM EDITA, CUM SPECIMINE
ANNOTATIONUM
JO. HENRICI BOECLERI, V. CL.
IN EANDEM.

Accesserunt
DIPLOMATA, ET DOCUMENTA
VARIA, REBUS FRIDERICI III. ILLUSTRANDIS:
UT ET FIGURÆ, IMAGINES, NUMMI,

Subjuncti sunt præterea alii ad Germanicam Historiam pertinentes Scriptores nonnulli rariores, quorum nomina paginis proxime sequentibus consignantur;
ita ut vicem
VOLUMINIS RERUM
GERMANICARUM NOVI
præstare hoc opus possit.

Cum Præfatione, de instituto hujus editionis: &
Indice duplici, Diplomatum altero, altero vero præcipuarum rerum & verborum.

ARGENTORATI,
Typis & Sumptibus JOSIÆ STÆDELII, &
JOH. FRIDERICI SPOOR.
M DC LXXXV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

21 A. D. G. 59 fol.
(2°)
Angeb. 1) : Druck 16. Jh.
Angeb. 2) : Druck 18. Jh.
KÖNIGL. BIBLIOTHEK ZU DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PRÆFATIO
AD LECTOREM,
DE INSTITVTO HVIVS EDITIONIS,

JO. GEORGII KVLPIS,
In Academia Argentoratensi Instit. Impp. &
Juris Publici Professoris Ordinarii.

QUanquam apud illos, qui in publicum aliquid emittere cupiunt, in morem fere communem abierit pridem, ut libris vel suis, vel aliorum operâ conscriptis, quando primum eos edunt, præfationes adornare soleant, ut plurimum totius rei argumentum, velut in compendio, exhibentes; propria tamen & specialior heic postulat ratio, in principio aliqua præfari, ne, quæ circa præsentis Operis editionem contigerunt fortuito casu, impedimenta plurima atque moræ, vel in præjudicium Eorum, qui curam suam huc aliquando intenderunt, ab his, qui rerum istarum non satis sunt gnari, explicentur, vel omnino etiam ignorentur ab istis, quorum ea scire forte ex aliis causis interesse poterat. Aliquot jam effluxerunt lustra, ex quo Johannes Henricus Bœclerus, Beatæ Memoriæ Vir, consilio in publica rei literariæ commoda expedito, Rerum Friderici Tertii Historiam, quam Æneas Silvius, Episcopus Senensis, scripserat, quæque inedita hactenus non nisi in Bibliothecis quibusdam inter monumenta rariora subinde asservabatur, publicæ luci dare, apud animum suum constituit. Nata Ipsi est ejus rei occasio ex Codice MSS. optimæ notæ, in membranis purissimis elegante & diligente manu descripto, qualis, Brisaci olim, Victori Duci Vinariensi, pro singulari monumento demonstratus oblatusque, Ejus munere ad Fridericum Reichardum Mockelium, Legatum Suedicum, ab hujus deinde hæredibus ad Bœclerum pervenit. Existimavit autem eo majorem gratiam apud cordatos & prudentes

rerum æſtimatores eâ editione ſe initurum eſſe, quo minor extaret gravioris hiſtoriæ in rebus hujus Imperatoris copia. Cui defectui ſupplendo, & præterea, ne ulla in re ſtudiis ſuis deeſſe videretur, annotationibus quoque hiſtoricis Silvium illuſtrare, deinde per annorum quinquaginta trium, quibus Fridericus imperavit, decurſum, à ſe contextam Hiſtoriam Univerſalem ſubjungere, denique etiam varia â Friderico Principibus ac Statibus Imperii conceſſa diplomata, documenta, & publica acta, colligere in unum, atque ita ſimul exhibere decrevit, additis inſuper figuris, imaginibus, nummis, in æs inciſis, per occaſionem explicandis, quibus res Friderici illuſtrarentur. Promovit inſigniter conatus hoſce concepta ſpes, ex apparatu & ſubſidiis Bibliothecæ Auguſtæ ineditis, qualia ex Aula Cæſarea eum in finem promittebantur. Nam non ſolum quod ipſam Æneæ Silvii Hiſtoriam attinet, cujus exemplum autographum, prout ab autore, uti volunt, ipſo, cogitante & genetrante conceptum eſt, in Cæſarea Bibliotheca Viennenſi cuſtoditur, lectiones, ſi qua à Codice, quem Bœclerus nactus erat, differentes haberet, communicare voluerat, Petrus Lambecius, tunc Hiſtoriographus & Bibliothecarius Cæſareus, ſed actorum etiam & monumentorum, ad illius temporis ſtatum pertinentium, quorum inſignem numerum contineret Cæſarea Bibliotheca, inſpectio propior, ut Bœclero concederetur, apud Cæſaream Majeſtatem, Fautorum Amicorumque Bœclerianorum operâ interveniente jam curatum obtentumque fuerat. Factum hinc eſt, ut primum omnium Hiſtoriæ textum, ex Codice ſuo deſcriptum, prælo ſubmiſerit Ille, & quale futurum eſſet opus integrum, in Indice etiam librorum Francofurtenſibus Nundinis anno ſexageſimo nono edito, publice ſignificare non dubitaverit. Inſcriptionem Ipſe adornavit talem. FRIDERICUS TERTIUS IMPERATOR. *Tribus partibus diſtinctum Opus. I. Æneæ Silvij Hiſtoria, ante inedita, cum Annotationibus Hiſtoricis & Indice. II. Annorum quinquaginta trium, quibus Fridericus imperavit, ab anno M CCCC XL. ad M CCCC XCIII. Hiſtoria Univerſalis. III. Diplomata & Documenta & Acta publica varia, quibus explicatur ſtatus ejus temporis.* Perrexit etiam quantum potuit, initium faciendo in annotationibus hiſtoricis ad Hiſtoriam Silvii, quemadmodum ex ſpecimine iſto, quod extat, videre licet, ad adornanda reliqua præſtolabatur miſſitationem ſubſidiorum promiſſorum. Sed cum mora longior fieret, interea Diplomata Friderici & Documenta

ta Varia, maximam partem antea inedita, & ex Publicis Tabulariis ſibi communicata, typis exſcribi curavit, figuras quoque illas Sigillorum aliquot, quæ Diplomatibus adpoſita fuerant, ut & Sepulchri Imperatorii, imagines & nummos, qui poſt diplomata reperiuntur, in æs incidi juſſit, ut Hiſtoriæ Fridericianæ illuſtrandæ, per explicationem ſuo loco inſtituendam, inſervirent. Cum vero, neſcio quibus ex cauſis, quæ Viennâ expectabantur, plane omitterentur, & ita fere ſpes omnis decollaret, in ipſo opere diu ceſſatum, & tandem Bœclerus Ipſe eidem imperfecto immortuus eſt. Poſt cujus obitum Vir Ampliſſimus Ulricus Obrechtus, à Bœclero cœpta perficere optavit, variis autem impedimentis iterum, & gravioribus denique negotiis ingruentibus, conſilium iſtud etiam intervertebatur. Suaſor tamen Editoribus exſtitit, ut Scriptores aliquot ad Hiſtoriam Germanicam pertinentes rariores, & qui non facile reperiuntur, huic Operi conjungerent, quod ita etiam factum eſt. Vides, Lector Benivole, fata, quibus Volumen hoc, quoad integrum prodiret in lucem, varie jactatum eſt. Quare nunc iſta ſunt, quæ Tibi exhibentur. Initio, Æneæ Silvii Hiſtoria Rerum Friderici Tertii Imperatoris, quemadmodum in Codice MSS. antea ſignato, legitur, liber, cui jam pridem ex meritis pretium inter Eruditos conciliatum eſt, ut noſtro demum præconio non indigeat. Deinde ſpecimen Annotationum Hiſtoricarum, quales in Hiſtoriam iſtam Bœclerus adornavit, quæ & ſua utilitate non carebunt, & de cætero Autoris conſilio propoſitoque teſtari aliquo modo poterunt. Præterea Diplomata Fridericiana & Documenta Varia, quæ & hiſtoriam & Curiæ ſtylum iſtius temporis docere valent, ne de cæteris eorum uſibus, quos plurimos utique præſtant, dicam, ſiquidem peritis rerum ſatis conſtat, quam non ſpernendus ſit eorum labor, qui ex publicis monumentis & Archivis, acta, ut appellant, formalia, & diplomata eruere, colligere, atque publicis typis notitiæ plurium inſinuare, poſteritatique tranſmittere ſatagunt, maxime circa ejuſmodi Reipublicæ periodos, ubi ſtatus publicus in alium formæ adminiſtrationisque politicæ habitum tranſitionem vel minatur, vel parat, quod de temporibus Friderici Tertii in Germania omnino dicendum eſt. Additæ ſunt Diplomatibus æneæ figuræ, de quibus diximus, quanquam explicatio earundem, una cum Hiſtoria Univerſali iſta annorum quinquaginta trium, de qua ſpem fecerat Bœclerus, deſideretur. Denique acceſſerunt Poëtæ Anonymi Annales de geſtis Caroli M. Theganus, Nithardus, Albertus Stadenſis,

Martinus Polonus, Andreæ Presbyteri Ratisbonenſis Chronicon, & alia nonnulla monumenta nobilia, quorum ſeriem ſequens pagina exhibet. De dignitate & utilitate iſtorum plura heic dicere ſuperfluum eſt, poſtquam apud Eruditos nemo reperitur, qui vel ignorat iſta, vel ullâ ratione de iisdem dubitat. Nobis potiſſimum propoſitum fuerat, eâ quoque republicæ utilitati, quam inde ſperamus, inſervire. Atque ob hanc etiam cauſam, & ut Lectores ſublevarentur, duplex index additus eſt, unus Diplomatum, ubi velut in Tabula ponuntur & argumentum cujuscunque documenti, & tempus & locus reſcripti, & perſonæ in quarum gratiam ea facta ſunt; alter vero rerum memorabilium in hoc Volumine obviarum, in quo tamen id obſervandum, quod propter diverſam paginarum ſignaturam, quæ ex diverſis ſcriptoribus, heic contentis, nata eſt, etiam generalis iſte Index, diverſis characteribus Auctorum nomina expreſſerit, eâ ratione, quæ in principio Indicis clarius eſt ſignificata. Vale Benivole Lector, & ſtudiis hiſce fave. Script. Argentorati d. xvi. April. M DC LXXXV.

SERIES

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SERIES SCRIPTORUM
ET MONUMENTORUM IN
HOC OPERE CONTENTORUM.

I. *Æneæ Silvij, Episcopi Senensis, qui postea Pius, Papa II. fuit, Historia Friderici III. Imperatoris.* S. *pag.* 1.

II. *Specimen Annotationum Jo. Henrici Bœcleri, in Æneæ Silvij Historiam Friderici III. Imp.* S. *p.* 121.

III. *Diplomata & Documenta varia Rebus Friderici III. illustrandis: ut & Figuræ, Imagines, Nummi.* D. *p.* 1.

IV. *Annales de Gestis Caroli M. poëtæ anonymi.* A. *p.* 3.

V. *Karoli M. Francorum Regis & Imp. Vita, descripta, ut videtur, magna parte à Monacho cœnobij Egolismensis S. Eparchij ex annalibus illis plebeio & rusticano sermone compositis, quos & Reghino Abbas Brumiensis ad annum* 1314. *sequutum se ait, nonnullis interpolatis, quibusdam etiam additis.* A. *p.* 45.

VI. *Thegani Chor Episcopi Treverensis Opus de gestis Domini Ludevvici Imp.* A. *p.* 67.

VII. *Nithardi, Angilberti filij, Karoli M. Imp. ex Bertha filia nepotis, de Dissensionibus Filiorum Lodhvvici Pij ad annum usq;* 843. *libri quatuor.* A. *p.* 83.

VIII. *Ludovici Germaniæ Regis, Pij Fil. Diploma Ratoldo Argentoratensi Episcopo datum.* A. *p.* 111.

IX. *For-*

IX. *Formulæ Fœderis Ludovici Germaniæ & Caroli Galliæ Regum, Pij Filiorum, Magni Nepotum, quod apud Argentoratum A.C. DCCC XLII. percussum est, utriusque linguæ monumentum, ut unum omnium quæ hodie supersunt ætate antiquissimum, ita obscurissimum hactenus habitum: in Archetypis restitutum & παραλλήλως Notis expositum, studio Marquardi Freheri.* A. *p.* 113.

X. *Erckenbaldi, Episcopi Argentinensis, sub Ottone M. de Antecessoribus suis in Episcopatu Carmen. ex Codice Augustanæ Bibliothecæ.* A. *p.* 120.

XI. *Alberti, Abbatis Stadensis Chronicon à condito orbe usque ad A.C.* 1256. St. *p.* 123.

XII. *Martini Poloni, Chronicon Romanorum Pontificum & Imperatorum.* P. *p.* 337.

XIII. *Andreæ, Presbyteri Ratisbonensis, Chronica de Principibus terræ Bavarorum.* R. *p.* 1.

XIV. *Index Diplomatum Friderici III. & Documentorum variorum eo pertinentium.*

XV. *Index præcipuarum rerum & verborum.*

ÆNEÆ



Planum hoc cui literæ incisæ declive est.



III



IV

V



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III.


FRIDERICVS: DEI GRA: ROMANORVM: IMP: AVG: SEMP: AVG: TS: AVSTRIE: STIRIE: KARINTHIE: ET RAEIO: V.
CARNIOLE DVX
COMES OR: TIROLIS

IV.


CARNIOLE COMITIS: TIOL: IC: S: FRIDERICI: DG: ROMORVM: REG
AEIOV.
AVSTRIE: STIRIE: KARINTHIE: X

V.


FRIDERICI: DEI GRA: ROMANORVM: REG
AVSTRIE: STIRIE
KARINTHIE: ET
CARNIOLE: COM
TIROLIS: DVX
SIGILLVM



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II.



II.





III.



IV.



V.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III

I

A.

II

A.

III

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I



R.

II



A.

III



A.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





Cera sigillo impressa, rubra est in scutula ceræ flauæ, cui à tergo, sive in Vmbone, impressus est annulus octangulus, ut in sigillo maiore sub Throno Cæs. visitur. Inscriptio tituli inter insignia in margine, vt in simili formâ infra visitur.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

AVREA MONETA FRIDERICI III
Imperatoris



VXOR FRIDERICI III.
Imperatoris



Fridericus III Rom: Imp: Rex Ger: Hung: Dal: Croa: Scla: etc Arc: Au:

Leonora Eduardi Regis Portuga: Filia Friderici III Imp: uxer.



Simplex H.




IMP: CAES: FRIDERICVS IIII AVG:


DIVI·FRIDRICHVS·3·PAT·ET·MAXIMILIANVS·FILI·IMPER:ROMANI


NOBILISS:AC·ILLVSTRISS:DOMVS·AVSTRIACAE·IN SIGNIA·ANNO·1·5·31




RICVS FRIDI


CESAR AVG IMP ROM


CESAR AVG IMP ROM


RICVS FRIDI


RICVS FRIDI



PARS POSTICA AD PEDES CANARTIS.



Hic pungitur latus Meridionale.

Hic lateri Septentrionali.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Hæc est pars Sepulcri Anterior, ad Caput Cæsaris, vergens in occidentem, dicitur hic Anterior, quia Templum versus insentibus primum obiicitur. Alioqui posset ita appellari Pars altera ad pedes Cæsaris.

Hic jungitur lateri Septentrionali.

Hic annectitur Latus Meridionale.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

LATVS. SEPTENTRIONALE.



Hic annexum est
parti anteriori.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

LATVS MERIDIONALE



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

etiam medio Salvator. In parte posteriore iterum Duo; in quoris scilicet angulo vnus Apostolus et in medio Gradus per quos ascend. in Peristylium

H C D

Minores sunt imagines aliorum Sanctorum, parimodo circum circa positarum. Reliquus ornatus vbiq; vniformis est.

Hoc est Peristylium siue Ambitus, in quouis latere sunt iv Apostoli vt hic sign. A. B. C. D. In anteriori parte siue ad Caput, Duo.



Hoc est fundamentum, cui imponitur Sepulcrum.

Pars Peristylii anterior et posterior habent quatuor Portalia, vt hic sign. E. F. G. H. et 3. Columnas siue Statuas, vt A. B. C. ☉. ☾. ♂. ♃

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ÆNEÆ SILUII EPISCOPI SENENSIS, QUI POSTEA PIUS PAPA II. FUIT,

HISTORIA RERUM FRIDERICI III. IMPERATORIS.

DIVO CÆSARI, FRIDERICO, ROMANORUM Imperatori Augusto, Æneas Episcopus Senensis veram fœlicitatem expetit.

Difertos ac veraces historiarum scriptores haud ornamento esse dumtaxat, sed adiumento quoque, reipublicæ, nemo qui sapiat inficias ibit. Quis enim non vtile decorumq; dixerit, rectores vrbium, maiorum exempla tenere, & quod multis ante seculis actum est, ante oculos veluti præsens habere? Quid est quod senum consilia probant, nisi quod eos multis experimentis adeptos esse prudentiam arbitramur: Cuius incapaces iuuenes æstimant. Ceterum cum vita mortalium breuis sit, atq; intra septuagesimum aut octuagesimum claudatur annum (nam vltra, regio propheta testante, labore atq; dolore tabescit) parum est quod vsu capiunt, parum est quod visu discunt, nisi memoriæ penu ditauerit auditus. Hunc autem historia prorsus instruit, quæ non paucorum annorum sed totius æui, quo mundus extat, res gestas edocet. Hinc veteris testamenti codices, ortum mundi, creationem hominis, aquarum diluuium, Patriarcharum vitam; seruientem Israelem, duritiem Pharaonis, Ægyptiorum plagas, siccatum fugientibus mare, datas legis diuinæ tabulas, euictas gentes, Judicum regumque gesta commemorant. Quid euangelium aliud quàm sacra historia dici potest? Hinc puellam virginem Spiritu Sancto plenam puerperam factam, Saluatorem natum, ieiunantem, baptizatum, prædicantem, signa facientem; post captum, irrisum, flagellatum, morti traditum, sepultum, inde surrexisse à mortuis, apparuisse discipulis, ascendisse in cælum discimus. En quantum lucis sacra nobis historia præbet? fidem ab ea recepimus, sine qua deo placere nulli concessum. Verum, ut secularia quoque attingamus, Assyriorum imperium, Troianum bellum, Atheniensium & Spartanorum conflictationes, Alexandri Macedonis adoreas, Karthaginensium prælia, triumphos Cæsarum, Romanis missum sub legibus orbem, quis nobis nisi labor historicus indicauit? Hinc belli artes, hinc pacis officia noscere licet, hinc vitia fugere, virtutes sectari monemur, cum malos male legimus perditos, iustum haudquaquam derelictum, aut semen eius quærens panem inuenimus. O veracem atque probatissimam Oratoris sententiam: *historia testis temporum, lux veritatis, magistra vitæ, nuntia vetustatis.* Laudandi ergo vetusti seculi reges, quibus id studii fuit, res suæ ut accurate conscriberentur ætatis, ex quibus fructum posteritas omnis haurit. Verum illi non tam minoribus vti prodessent, quàm memoriam sui vt quam maxime longam efficerent, historias amauere. At tua Cæsar incredibilis virtus vel cum tui nominis iactura posteritati consulere quærit. Quippe superioribus diebus, cum inter paucos eius belli meminisses, quod australes aduersus te gerere præsumserunt, conuersus ad me, bellum ipsum vnde ortum & quo pacto finitum esset, vt scriberem, iussisti: operæ pretium esse affirmans, ea tradi memoriæ, quamuis nulla te laus exinde sequeretur. Libera vox & Romano Principe digna. Maius hoc verbum est, quàm si victis hostibus opima spolia retulisses. Accipe, quod

ego tuis ex verbis intelligam: vis me scribere non fautum bellum, mutatum tibi fortunæ vultum. Quare hoc? sane vt intelligant nepotes mortalis vitæ conditionem, varias fortunæ vices, instabile solium gloriæ, nihil solidum credant nisi virtute subnixum, sequantur autem maxime probitatem. Cumque sæpius historici nimus cauti reperiantur, adulationi quàm vero seruientes, admonuisti me, ne quid falsum, & omne verum scriberem, neque timerem te lædere veri viam ingressus, quia non tuam gloriam hac narratione sed futuræ nationis vtilitatem sequereris. Ad hæc ego tuæ voluntati gesturus morem, etsi tecum sentio, vitream famam contemni quàm appeti fortius (nam populi judicio magis quàm veri existimatione collecta sæpe bonos obscurat, illustrat malos) non tamen in ea sententia moror, vt belli hujus narrationem tuo nomini grauem putem, in qua multa de tua prudentia & animi moderatione dicenda se offerent. Quod si non te armatum furibundumque dixerimus, in medias acies protuentem sternentemque corpora multa; At te moderantem frena Senatus, iræ atque superbiæ domitorem, sine contentione referre licebit. Inter hæc autem illud nos terret, quod apud Flaccum inuenimus: *Est operæ pretium cognoscere quales Æduos habeat belli spectata domique Virtus & indigno non committenda poëtæ.* Scimus hanc ei prouinciam conuenire, *ingentum cui sit, ossa mens divinior, atque os magna sonaturum.* Vetuit Alexander edicto, ne quis se præter Apellem pingeret, neue alius præter Lysippum æra duceret vultum imitantia. Sapiens, qui picturis atque statuis se optimis commendauit. Carpitur tamen idem, qui Choerilo neque tersa neque culto poëtæ res suas scribendas commisit, atq; in eo deceptus est, in quo maxime cautum esse oportuit, quando non magis picturis aut æneis signis expressi vultus, quàm scripto mores animiq; virorum apparent. Veremur, ne te similis rumor accusset, qui etsi nominis propagationem non expetis, eligere tamen scriptorem debueras, qui facta dictis exæquare posset. Nam quo pacto nos huic rei satisfaciemus, quibus & ingenii vena tenuis & aridior est, & otii minimum suppeditatur, apostolicæ legationis cura, & tui consiliariatus munere assidue occupatis, difficile est inter strepitus nocturnos atque diurnos, magnorum virorum sequi vestigia. *Scriptorum*, ut ille ait, *chorus omnis amat nemus, Rite colens Bacchi somno gaudentis & vmbra.* sed qui nos sumus, qui tuam voluntatem corrigamus? Rex es, Imperator es: nil vltra quæram: parebimus, & quoniam transgredi libet nimiumq; præsumere, non solum hoc bellum Australicum, sed alia quoque de tua vita quamplurima, simulq; tuæ domus originem, & quæ nostris gesta temporibus in Europa didicimus memoratu digna, in vnam historiam congregemus. Tua ex his pietas, quæ maluerit, accipiet boniq; consulet. Vale.

FRIDERICI TERTII ROMANORUM IMPERATORIS, qui fuit Arnesti ducis Austriæ filius, scripturo mihi res gestas, haut ab re visum est, de situ Austriæ, de gentis moribus, de nobilitate maiorum, pauca præmittere, quibus historia magis ac magis aperta reddatur. Austria, non, vt plerique arbitrantur, ideo dicta est, quia Bohemis atque Morauis in Australi parte sita existat; sed ducitur ex vocabulo teutonico nomen, quod orientalem regionem significat. Namque cum Franci ex Scythia progressi Germaniam subegissent, deinde Galliam occupassent, duplicem Franciam à sese dixerunt; alteram orientalem, occidentalem alteram: duplexque regnum constituêre, quod Rheni flumine disterminabant.

Et orientale quidem à Rheno in Pannoniam vsq; protensum est. Occidentale vero ab eodem flumine ad montes Pyrenæos, & à Rhodano in Oceanum continuabatur. Verum cum Franci in plures familias diuiderentur, & alii Galliam, alii Germaniam possiderent; qui theotoniam tenuerunt, in Sueuia Baioariaq; considentes, terram quæ fuit eis ad orientem extrema, suo more Austriam vocauere. Sed primæ sententiæ, lingua gentis & regionis alludit vocabulum; secundam opinionem astruere videretur mos patrius, qui Pannonibus conformior est. Limes deinde inter Hungaros & Australes parum notus, non flumine infigni, neq; montibus altis, neq; siluis prouinciæ dirimuntur. Ex quo fit, vt mihi non à vero remotum videatur, Pannoniam aliquando vsque ad siluam Viennensium fuisse protensam. Sed de hoc, vt cuique libitum fuerit, ita sentiat. Austria hoc tempore ab orienti habet Vngariam; ab occidenti, Baioa-

Baioariam; ad ſeptentrionem, Bohemiæ, Morauiæq; coniungitur: in auſtro finem ei montes Stiriæ faciunt, qui longo tractu ab Alpibus deriuantur, Italiamq; Germania diſterminant. Latitudo ejus itinere dierum trium finitur; longitudo duplo maior habetur. Terra nobilis aquis, irrigua, conſita vitibus, ligni copioſa, agro feraci fructus omnes colligit, quorum Germania alitrix: argenti atq; auri venas non habet: ſale partim proprio, partim vtitur importato: piſcium copioſa. Oleum, ficum, amygdalum, paſſum ex Venetiis accipit. Vinum ipſa Bauaris, Bohemis, Morauis, Sleſitis præbet: atque hinc magnæ auſtralium diuitiæ. carnes ei Vngaria miniſtrat. Danubius regionem mediam perlabitur, fluuius omnium Europæ maximus: qui natus apud Sueuos ex monte Rautaco, Bauariam, Auſtriam, Hungariam ſecans per Raſciam atque Bulgariam cum ſexaginta nauigabilibus in Euxinum deſcendit, multaſq; & memorabiles alluit vrbes. inter quas mea ſententia nulla ditior, nulla populoſior, nulla venuſtior eſt quàm *Vienna*; auſtralium ciuitatum regioniſq; caput, hæc alio nomine *Flauianum* appellata eſt: ſicut nos in vetuſtis Ducum priuilegiis competum habemus. Exiſtimo autem aliquem Romanorum, nomine Flauium, qui & regioni præfuerit, vrbem inchoaſſe atque ex ſe nomen indidiſſe loco. Sunt qui aras illic Flauianas fuiſſe aſſerunt, quod aliquis Imperatorum, cognomine Flauius; ad Danubium vſq; profectus, Romani imperii metas illic, aras collocauerit; ex ſuo nomine *Flavianas*: atq; ibi condita demum ciuitas ex aris vocabulum ſit ſortita. Cumq; Flauianum Theutonici *flabien* pronuncient, non eſt ab re, longo temporis tractu prima vocabuli ſyllaba remota, ut plerumque fieri comperimus, *Vien* remanſiſſe, indeque dictam *Viennam*. Nam quod aliqui noſtri temporis hiſtorici parum conſiderati, *Viennam* quaſi *biennam dictam* aſſerunt (quoniam oppugnanti eam Iulio Cæſari biennio reſtiterit) non modo falſum ſed ſtultum, cuiq; dictum videri poteſt, qui geſta Cæſarum legerit. Nunquam enim Julium Cæſarem hanc terram cum exercitu conſtat ingreſſum. Sed ſimile hoc ei eſt, quod *holomunc*, Morauiæ, ex vicinitate vocabuli, *Iulij montem* appellant, quod illam vrbem Iulii opus affirmant. laxa nimis cuiq; dicendi licentia eſt quæ velint. Verum apud Viennam paruum flumen eſt, quod inter ſuburbia fluit, nomine *Vienna*; ab eoq; dictum opidum putant. At ſiue flumen à ciuitate, ſiue ciuitas à flumine vocabulum mutuet, id mihi non eſt exploratum. vero tamen ſimilius id videtur; quæ digniora ſunt, vilioribus dare nomina: quippe Vienna, de qua ſermo eſt, non tam fluuius eſt, quàm torrens, indignus à quo nomen inſignis vrbs aſſumeret. ſed eſt omnis de nomine vana quæſtio, cum res ipſa conſtet. Vienna igitur ambitu murorum cingitur duorum millium paſſuum; ſed habet ſuburbia magna & ambitioſa foſſa & vallo cincta. Vrbs autem foſſatum magnum habet, inde aggerem prærltum. Mœnia deinde ſpiſſa & ſublimia, frequentes turres, & propugnacula ad bellum prompta. ædes ciuium amplæ & ornatæ, ſtructura ſolida & firma. vbiq; fornices aulæ latæ. Verum his æſtuaria ſunt loco triclinlorum, quæ ab his *Stubæ* vocitantur. Nam hiemis aſperitatem hoc domitant modo. feneſtræ vndiq; vitreæ perlucent. & oſtia plerunq; ferrea. In his plurimæ aues cantant. In domibus multa & munda ſupellex. Equorum jumentorumq; omnis generis capacia ſtabula; altæ domorum facies magnificæq; viſuntur. Vnum id dedecori eſt, quod tecta plerunq; ligno contegunt, pauca latere. Cætera ædificia muro lapideo conſiſtunt. pictæ domus & interius & exterius ſplendent. Ingreſſus cujuſq, domum, in ædes te Principis veniſſe putabis. Nobilium Prælatorumq; domus liberæ ſunt neque ciuitatis magiſtratus in his ius habent. Cellæ vinariæ adeo profundæ & ſpatioſæ ſunt, ut ſub terra non minus quàm ſupra terram ædificiorum apud Viennam eſſe feratur. Platearum ſolum ſtratum lapide duro, vt neque plauſtrorum rotis facile conteratur. Sanctis cælum tenentibus, ipſiq; maximo Deo, templa dicata & ampla & ſplendida, ſecto lapide conſtructa, perlucida, & columnarum ordinibus admiranda. Sanctorum plurimæ & pretioſæ reliquiæ, argento, auro, gemmis veſtitæ: templorum ingens ornatus diueſq; ſupellex. Sacerdotes abundantes bonis pluribus. Qui clero præeſt apud Sanctum Stephanum, ſoli Romano Principi ſubeſt. Ciuitas in parochia Patauienſi eſt; maior filia, matre. Plures in ciuitate domus conſecratas Eccleſias habent & proprios Sacerdotes. Quatuor ordines mendicantium procul à mendicitate abſunt:

Scoti,& Canonici regulares ſancti Auguſtini,admodum diuites habentur: M nialeſq; Sacræ & Sanctæ Virgines. Ibi quoq; monaſterium eſt ad Sanctum Hieronymum nuncupatum, in quo meretrices conuerſæ recipiuntur; quæ die ac nocte hymnos lingua theotonica decantant: quarum ſi qua redire ad peccatum comprehenſa fuerit, in Danubium præcipitatur. ſed agunt ibi pudicam ſanctamq; vitam: rarus de his ſermonibus auditur. Scholá quoq; hic eſt liberalium artium ac Theologiæ & iuris Pontificij: nouatamen & ab Papa conceſſa. Magnus ſtudentium numerus eo confluit ex Hungaria & Alamaniæ partibus ſuperioribus. Duos hic claruiſſe compertum habeo præſtantes Theologos,Hainricum de Haſſia,qui Pariſiis edoctus huc in primordio vniuerſitatis aduolauit, primuſq; cathedram rexit, ac plurima volumina notatu digná conſcripſit. Alter fuit Nicolaus Dinckelsbuhel Sueuus, vita bona, doctrina multa clarus, cujus ſermones hodie auide à doctis leguntur. Eſt & illic hodiè Thomas Haſſelbach non incelebratus Theologus, quem ſcribere hiſtorias non inutiles aiunt. cuius ego doctrinam laudarem,niſi duos & viginti annos Iſaiæ primum capitulum legiſſet,neque adhuc ad calcem veniſſet. Maximum autem huius gymnaſii vitium eſt,quod nimis diutinam operam in dialectica, nimiumq; temporis in re non ni agni fructus terunt. Qui Magiſterii attium titulo decorantur, hac vna in arte maximè examinantur. Cæterum neque Muſicæ, neq; Rethoricæ, neq; artis illetricæ curam gerunt: quàmuis metra quædam & epiſtolas ab aliis editas * imperite, magiſtrandum compellunt. Oratoria & Poetica apud eos penitus incognita, quibus omne ſtudium in elenchis eſt vaniſq; cauillationibus,ſolidi haudquaquam multum. Qui libros Ariſtotelis aliorumq; Philoſophorum habeant, raros inuenies, commentariis plerumq; vtuntur. Cæterum ſtudentes ipſi voluptati operam præbent,vini cibiq; auidi: pauci emergunt docti, neq; ſub cenſura tenentur: die noctuq; vagantur,magnas ciuibus moleſtias inferunt;ad hęc mulierum procacitas mentes eorum alienat. Ciuitatis populus quinquaginta millium communicantium creditur. Conſulatus octo & decem virorum eligitur. Tum Judex qui iuri reddundo præeſt; deinde Magiſter ciuium qui curam Ciuitatis gerit. hos Princeps aſſumit, quos in ciuitate fideliores arbitratur, atque ab eis iuſurandum exigit. Magiſtratus alii nulli ſunt; ſtili qui vini exigunt vectigal. ad illos omnia referuntur, quorum poteſtas annua eſt. incredibile videri poteſt, quot per dies ſingulos in ciuitatem victualia ingeruntur. ouorum atq; cancrorum multæ quadrigæ adueniunt, piſtus panis, carnes, pilces, volatilia ſine numero afferuntur; vbi adueſperaſcit, nihil venale ex his inuenies. Vindemia his ad quadraginta dies protenditur, nullo non die trecenti currus onuſti vino bis terque inferuntur, ducentos & mille equos indies ad opus vindemiarum exercent. Ex villis præterea ad feſtum vſq; Martini libertas omnibus eſt,vinum in vrbem redigere. incredibile dictu eſt,quanta vis indicatur vini,quod vel Viennæ bibitur,vel ad extraneos per Danubium contra curſum aquæ magno labore mittitur. Vino quod Viennæ venditur minutim, decimus denarius Principi cedit: ea res auri duodecim millia quotannis ad cameram defert. in reliquum parum oneris ciuibus ineſt. Cæterum in tanta & tam nobili ciuitate,multa enormia ſunt:diq; noctuq; rixæ ad modum prælii geruntur: nunc artifices aduerſus ſtudentes,nunc curiales in artifices; nunc iſti opifices aduerſus alios arma ſumunt. rara celebritas abſque homicidio peragitur, frequentes cædes committuntur; vbi rixa eſt, non ſunt qui diuidant contendentes, neque Magiſtratus neq; Principes cuſtodiam, vt par eſſet, ad tanta mala adhibent. Vinum domi vendere,nihil exiſtimationi officit,omnes ferè ciues vinarias tabernas colunt,ſtubas calefaciunt,coquinam inſtruunt,bibulos & meretrices accerſunt, hiſque cibi aliquid cocti gratis præbent, vt amplius bibant: ſed minorem mènſuram his dant. Plebs ventri dedita, vorax, quicquid hebdomadâ manu quæſiuit, ad feſto die totum abſumit. lacerum & incompoſitum vulgus: Meretricum maximus numerus. Rato mulier eſt vno contenta viro. Nobiles, vbi ad ciues veniunt, vxores eorum ad colloquium ſecretum trahunt; viri allato vino domo abeunt cedunt que Nobilibus; plurimæque puellæ patribus inſciis viros ſibi deligunt. Viduæ intra tempora luctus ex arbitrio ſuo nubunt. pauci in ciuitate ſunt, quorum proauos vicinia norit: raræ familiæ veruſtæ,aduenæ aut inquilini ferè

omnes

omnes. Mercatores diuites senio confecti, puellas in matrimonium ducunt, eásque breui dimittunt viduas; illæ inter familiares domesticos, cum quibus sæpè consuetudinem adulterii habuerunt, iuuenes viros accipiunt. ita qui heri pauper, hodiè diues inuenitur. contra quoque hi superuiuentes vxoribus alias accipiunt, resque per circulum ducitur. raro filius patri succedit. Lex apud eos est, quæ superuiuenti coniugi partem defuncti bonorum mediam tribuit. Testamenta libera sunt; ità & viri vxoribus, & vxores viris bona testantur. captatores hæreditatum multi, qui senibus blandientes scribi heredes sese curant. aiunt & mulieres esse admodum multas, quæ viros graues vxoribus, veneno auferunt. constat sæpè à nobilibus cæsos esse ciues, qui vxores suas verbo terruerunt, quibus amatores in curia fuerunt. Viuunt præterea sine vlla scripta lege: mores aiunt se tenere vetustos, quos sæpè ad suum sensum vel adducunt vel interpretantur. Ius admodum venale est: qui possunt sine pœnâ peccant, pauperes atque amicis nudos iudicia plectunt. Iuramenta, quæ publica sunt, tenaciter obseruant: quod negari iuratum potest, nullam vim habet. Mutuum dantes ad tempus, si quid detrimenti tulerint, elapso termino iureiurando quam summam volunt extimant, maximoque damno debitores afficiunt; pignora, quæ mutui causa dantur, si quid afferunt, non extimant vsuras. Excommunicationes tantum timent, quantum infamant, aut damno temporali sunt. Furta, quæ apud furem inueniuntur, iudici cedunt. Adhæc festa parum religiosè colunt; carnes omni festo venduntur. Aurigæ nullo vacant die. In Austria reliqua multa opida sunt, nullum autem magni nominis. Barones multi potentes & nobiles: inter quos primum dignitatis locum obtinent Schaumburgenses & Magdeburgenses Comites; opibus autem superare creduntur Valsenses, de Liechtenstein; de Buchaim. nec paruum habent nomen Pottendorffii; Starhimbergenses, Ebersdorffi, Egkersau, Hohenbergii, Folkenstorffi, & alii quamplures. Eizingerii licet nouissimi sint, potentia tamen hodiè & auctoritate inter primos habentur. Monasteria quam plurima sunt & magna & ditia. Ecclesiæ præterea cathedrales Saltzburgensis, Patauiensis, Ratisponensis, Frisingensis latissimas possessiones in Austria, castellaque plura possident, ac domos egregias, quas inhabitant, cùm Principes Austriæ ad curiam accersuntur. Sunt enim omnes Consiliarii Ducum Austriæ, hosq; veluti maiores honorant, siue bellum gerere siue curiam lætabundi habere velint Austriæ Duces; & Prælatos & Proceres veluti Reges in comitatu habent.

TERRAM AUSTRIÆ qui primò coluerint, quærenti mihi nihil certi constare potuit. Venit autem in manus meas historia quædam, quam australicam vocant, sermone theotonico conscripta, sed inepta, mendax, & ab homine composita; in quo malignitatis aut stultitiæ plus inuenias, non facilè iudices; cum res legeris nulla ratione cohærentes, dices hominem nihil habuisse pensi, qui tam manifesta mendacia credi sibi putauerit. Cum rursus ex historiis approbatis Imperatorum & Pontificum nonnulla inserta compereris, rusticanam quandam malignitatem hominis comprehendes, qui veris ante oculos nonnullis iniectis legentium tenere animos arbitratus est, ne de soliditate ceterorum inquirerent: neque deceptus est apud australes, qui hanc veluti sacram historiam venerantur; qua se laudatos de generis vetustate censent. Sed minimè ille commendare voluit australes; quorum maiores primo gentiles, deinde Judæos fuisse confirmat; perfidæ gentis sobolem; neque illustre vllum opus illius vetustatis refert; turpia vero quædam & scelesta facta tradit: vt, qui gentem australem, suo tempore fortasse deditam vitiis similem suis maioribus ostendere voluit. sed nesciuit homo; quia mendaci maiori officio quàm verum dicenti opus est. Neque tempora neque loca suo contexuit ordine; finxit nescius fingere. nimis imperitum esse oportet, quem sua mendacia fallunt. Narrat autem homo insulsus, fuisse trans mare in terra admirationis comitem Alighemorum, nomine Sathan; sub eoque militaris ordinis virum Abraham de Theomanaria, qui vxorem habuerit & cum ea filios, Susannam filiam Domini de Terremantia ex Regno Samamorum,

rum, qui post cataclysmum decem & octingentis annis inter se præliati sunt. Victum autem Abraham, fortunisque omnibus exutum, patria fugatum extorremque diu vagatum, denique in eam regionem venisse, quæ nunc Austria dicitur, tunc autem Iudæa sapta nomen habuit: sic enim quidam Iudæus terram appellauerat, quamuis eam neq; introisset vnquam neque vidisset. captumq; loci amœnitate Abraam, domumq; ibi ædificasse, vbi postea constructum est oppidum Stocharaum, seq; Marchionem vocasse de Iudæa sapta; cui proximiores habitatores ad trecenta & quinquaginta millia passuum fuissent; post tempus vero transisse mare in suam patriam, atq; ibi recepta vxore & maiori filio Athaim rediisse, dominatumq; terræ Austriæ annis triginta: &, quoniam gentilis fuerat, idola coluisse; eiq; mortuo fillum successisse, & illi Raban generum ex Bohemia Baronem: deinde per successiones varias contractis matrimoniis, nunc in Bohemia, nunc in Hungaria, per annos mille centum & amplius vsq; ad Peimau Ducem, dominium in eorum posteris fuisse, qui omnes idola more gentium coluerunt. Primum autem Peimau relicto cultu gentilium, cum terrigenis vniuersis Iudaicam fidem accepisse. Regionem autem diuersis nominibus appellatam: & nunc Saurim, nunc Fannas, modo Pannas, interdum Tantamo, vt Principibus placuit, nuncupatam. Ducatum vero ex marchionatu Vintherum primo erexisse, qui sextus ab Abraam, vt historiæ mendacissimæ placet, Australem terram possedit. Quibus ex rebus quanti sceleant errores, quàm breuiter licet inspicere. Quid est, quod hic bipes asellus terram admirationis, Aligemorum & Sanianiorum regna commemorat? vbi Theomanariam & Terramantiam piscatus est, nomina insueta, ignota, & quæ ipsi sibi stultè confinxit? Quæ cosmographia, quiue Scriptores alii de his regionibus faciunt mentionem? vltra mare, inquit. at vltra mare secundum communem sermonem omnis Asia est, omnis Africa: quamuis & in Asiam & in Africam, si permittant barbatæ nationes, absq; transitu maris iter pateat. pulcra ergo designatio locorum. vltra mare, inquit, Terram admirationis, an in Asia, an in Libya, vltra vel citra Nilum, qui montes, quæ flumina hanc terram determinant? Timuit scribere ne comprehenderetur: sed tunc maximè capitur cum timet capi. Dicit homines fuisse gentiles, cum nomina tradat hebraica. Quis extra hebraicam Christianamque gentem aut Sathan nominari audiuit, aut Abraam aut Susannam? Quid, quod Sathan comitem Abraam, Marchionem fuisse confirmat: hisque propria signa tradidit, siue, vt nos hodie dicimus, arma; quæ prisca gens mortalium neq; in vsu habuit neque nouit. Constat insuper, Comitatus atq; Marchionatus dignitates, vetusto illo tempore, quo hic stultissimus auctor vixisse Abraam scribit, nondum fuisse repertas. Comites enim, tempore Romanorum Cæsarum instituti sunt; & postquam imperium transiit in Græciam. Tunc enim & Orientis Comites, ac Africæ sunt instituti. Marchiones autem ab Imperatoribus Germanis initium habuere, sicut vocabulum ipsum manifestat, ex vulgari theotonico tractum. vetustam nullam historiam reperies, quæ Marchionis nomen contineat: & hic post diluuium annis octingentis quadraginta nomen Marchionis in Austria cœpisse, vult persuadere, quam Iudæisaptam asserit tuncuptam: idque nomen ab homine Iudæo inditum refert, qui regionem nunquam viderit. Quare nescio quid stultius dici possit. Adde quod incultas per circuitum regiones ad trecenta quinquaginta passuum millia tradit, moxque subiunxit, neptem Abrahæ virum ex Bohemia suscepisse, Raban Baronem potentem. significans, Bohemiam illo tempore habitatam fuisse, quæ terræ Austriæ proxima: neque angulus est in tota Bohemia, qui ab oppido Stocarau, vbi primum consedisse Abraam commemorat, septuaginta theotonicis milliariis distet. sed sunt omnia mendacia & anilia deliramenta. neque enim illa ætas, quam denotat, Baronis nomen habuit; neque tunc Bohemiæ vel Vngariæ vocabulum fuit in vsu, de quibus hæc stupida bestia sæpius efficit mentionem. Neq; ante Iulium Cæsarem, neq; multis post eum annis, Bohemos quisquam vel Vngaros nominari accepit. Nam quæ nunc Vngaria dicitur, ea quondam Pannonia dicta est: Cum scriptor ineptus non tam Vngariæ & aliarum Regionum illius temporis, quàm Austriæ nomen inuenit. Illud omnem stultitiam superat manifestissimamq; dementiam scriptoris ostendit, quod Ducatus erectionem eo tem-

eo tempore factam commemorat, quo nemo vnquam Ducatum, eo modo quo nunc accipimus, & ipse sentit, Dominatum Principatumq; nouerat. Discutiamus vlterius historiam. Quatuor & triginta Principatus in Austria fuisse dicit, ab Abraam vsq; ad Peimau Ducem, per annos mille circiter & ducentos aut eo amplius: qui omnes, dempris paucis, qui infra triennium vel biennium sunt extincti, supra triginta annos imperauere, magna pars quinquagesimum annum ascendit. quod quàm verisimile sit, lectoris acuti iudicio relinquimus. Ait præterea: huius temporis Duces aut ex Bohemia aut ex Vngaria vxores duxisse, nullam ex alia gente, præterquam vnam ex Carinthia, cuius prouinciæ nomen nondum fuisse exploratissimum est. Quasi lex esset, ex Bauaria, Franconia, Moratia, Slesia, Polonia, Stiria, Saxonia, Australes Principes vxorem ne ducerent. Nam & si hæc nomina, prçter Saxoniam, noua sint, licebat tamen in Bohemia atq; Vngaria mentitum in his quoq; mentiri: quamvis has regiones inhabitatas eo tempore velit astruere. sed non debuit cultam ostendisse Bohemiam, si Bauariam voluit incultam, cuius ciuitates longe vetustiores habentur quàm Bohemiæ. Scribit igitur, Peimau priusquam vita defungeretur, cum liberis & vxore totoque Principatu, relictis Idolis & cultu gentilium ad Judaismum se conuertisse, ac post eum per duos & vigiati Principatus, vsque ad Monthan, annis circiter octingentis, seruatam in terra circumcisionem: quod quantum veritatis habeat, qui vetustas historias lectitarunt, iudicare possunt. Nos quidem Judæos habuisse Principatus regionum, extra terram promissionis, non legimus. neq; Prouincias vniuersaliter Judaicam fidem tenuisse, comperimus in Europa: neque imaginari possumus, vnde hic nugator sibi fundamenta sui mendacii sumpserit: quamuis stultorum sit, non quæ dicant, sed quàm multa dicant, existimare: visum est tamen, & sibi alienum, Judaicum Principatum in Europa diu manere, idcirco subiungit, venisse populos gentiles in Ungariam & Austriam, quam tunc Corrodantiam appellatam commemorat, qui cultum Hebraicum extinxerint, ac Monthan gentis Ducem relinquere sectam Judaicam compulerint, abominationem idolorum pristinam reducentes. Abnepotem vero Monthan, nomine Rathan, sine liberis decessisse confirmat: Tuncq; Romanos Ducem quendam ex Uungaria, nomine Rolandum Australibus præfecisse, qui dominatus sit annis vno & quinquaginta, habens vxorem ex Bohemia, de qua filium sustulerit nomine Sathan, quem sine liberis afferit vita functum. Ac tum primum Australicam gentem salutiferam Jesu Christi religionem suscepisse. Ait enim, Romanos in Corrodantia, sic enim tunc vocatam Austriam tradit, nobilem quendam Comitem, nomine Anniam præfecisse ex cognatione sancti Alexii, qui propter miracula cognati ad Christi fidem occulte conuersus fuisset: & hunc, cum venisset in Prouinciam, conjugemque suam Helenam, Christianam & sanctam fœminam, adduxisset, terram ex Corrodantia Auaram vocitasse, majoremque populi partem ad salutarem Christi religionem cultumque commouisse. Quibus ex rebus irritati Romani, morti cum tradiderunt, qui deinde, cum sua conjuge, Romæ apud Sanctum Petrum, sepultus sit: cum dominatus fuisset in Austria, annis tribus & quinquaginta: relictis tribus filiis, Johanne, Alberto & Theodorico, qui deinde succedentes patri, Ducatum regionis in tres partes diuiserint, ac ex Avara, terram orientalem appellauerint. Quibus in rebus occurrit considerare, an Romani suis ciuibus Prouincias perpetuo jure possidendas tradere consueuerint: an verisimile sit, vitrum natu majorem, tribus & quinquaginta annis dominatum possidere, ac damnato Patre ob neglectam religionem, successionem patere filiis. Sed pergimus in historia. Johannes, ut ille putat, is est, qui cum ex Roma duxisset vxorem, Ecclesiam Sancti Stephani apud Viennam erexit, vetustum & nobile Templum: quamuis hodiè maxima ex parte diruptum, in augustiorem præcellentioremq; formam redigatur. Sed cum Johannes & Theodericus sine liberis decessissent, Albertus totius Austriæ Dominatum potitus est. Huic autem Eberhardus filius successit, qui coniugem ex Baioaria duxit, Osannam nomine; atq; tum primum inter Australes & Baioarios matrimoniis locus esse cœpit. Neque prosperitas hic fuit: nam filii ex hoc connubio nati, Albertus & Jacobus, immatura morte perierunt. Quibus ex rebus mœrore confecti conjuges, vocari Duces amplius nolucrunt, Ducatumque terræ in Marchionatum conuerterunt.

Res

Res prorsus inaudita, ex orbitate filiorum mutati titulum regionis. sed est quod magis ridendum videatur. Scribit autem stultissimus auctor, cum socer Eberhardi sine prole masculà vitam obiisset, Ducatum Baioariæ ad eum deuenisse iure coniugis, qui tum se Marchionem Austriæ & Ducem Bauariæ vocitauerit, nec iam amplius Austriæ terram, sed Austriæ regnum dici voluerit. Quæ omnia quantum cohæreant, quantumque verisimilitudinis præ se ferant, cum nos pudeat manifestas inepti as refellere, sensati legentis iudicio relinquimus. Cum verò Marchionatus ex obitu Eberhardi ad imperium deuolutus esset, Henricus Bohemorum Dux ad eum promotus est, quod Imperio prius non nihil obsequii * Sed neque is liberos habuit, qui Marchionatum retinerent; quapropter Imperator, qui tunc fuit (neq; enim cautus historicus nomina ponit) Ottoni cuidam in Ungaria Duci Marchionatum concessit. Ex quo natus est Conradus, qui postmodum ad Regnum Romanorum prouectus est. Hic rursus ex Marchionatu Ducatum erexit, quem posteritas eius per ducentos annos & amplius tenuit vsq; ad Elizabeth nobilem fœminam, quæ post Petrum fratrem tribus mensibus dominata, cum sine viro & liberis decessisset, Principatum denuo misit ad Imperium. Facta est autem hæc deuolutio sub Henrico Imperatore secundo, quem Bombergenses sanctum habent, summaque post deum veneratione colunt. fuit enim vir temperans, & iustitiæ cultor; qui nobilem & prædiuitem Ecclesiam apud Bombergam erexit. Is Ducatum Austriæ sub nomine Marchionatus Alberto dedit: de cuius vel sanguine vel gente nil traditur. Sed illi filius fuit nomine Ernestus, cordatus homo: qui cum militares actus sectaretur, nimisq; bellandi flagraret ardore, apud Saxones interfectus, duobus post se relictis Leopoldo atque Alberto; qui cum Marchionatum inter se diuisissent, alter in Pernegk, alter in Gars sedisse fertur: anno post Christi Saluatoris natiuitatem millesimo & secundo quinquagesimo. De his nostet historicus huiusmodi fabulam refert. Ait enim, Leopoldum statura eminenti & forma egregia virum, fuisse forti & liberali animo. qui cum inter prandendum cytharœdum quendam cum voluptate audisset, non parua donaria homini contulit. ille, vt est consuetudo cunctæ artis, cum diuersas curias citharizando circuisset, Romam demum venit; ingressusque palatium Cæsaris, ad mensam nunc voce nunc cithara Principem demulcens, multa de virtute Leopoldi tecinit. cum Cæsar attente animaduertisset, magna cum visendi Leopoldi cupido incessit. ob quam rem concilium Romæ magnis de rebus indicit, iubetq; Principes Imperii omnes ad se venire. eumque paruissent omnes, Leopoldus in palatium receptus est ac supra omnes honoratus: in quo Cæsar non solum corporis maiestatem, sed & animi singularem prudentiam, quam miraretur, inuenit. Cæsari fortè filia virgo fuit, admirandæ pulchritudinis: quam cum teneritime diligeret, certam fecerat, nisi quem ipsa vellet, non se virum ei daturum. ac cum Leopoldum & morum venustate & corporis elegantia præstantem cerneret, ratus id, quod res suadebat, talem virum filiæ placiturum, eam ad se accersit: diuq; secum patemo more iocatus, cum Leopoldum eidem, ac plura sibi de tanti hospitis virtute prædicasset, tandem rogauit, an talem virum ductura esset, si ei desponderetur? Cui cum virgo magis annuisset, quàm respondisset, facturam se quæ pater imperaret (nam fari quæ animus cupiebat, pudor virgineus impediebat) Leopoldus absq; mora gener Imperatoris efficitur, fiuntque nuptiæ Romæ ingenti apparatu. Deinde Leopoldus nobili matrimonio auctus & auro magno donatus, domum cum noua nupta reuertitur. Quod cum Albertus accepisset, dicit, se certa die ad eum iturum, ut sponsum visitet. Leopoldus quo fratrem honorificentius excipiat, venatum cum tota familia proficiscitur, paucis domi relictis, qui coniugi solatio essent. Albertus interim, cum venisset Garsium, neque Leopoldum comperisset, vbi coniugem eius forma præstantem contemplatus est, accensus libidine inter suos consilium captat, quonam pacto mulliere potiri queat: nam ni id agat victurum se negat. tantum cæca libido vexare hominem coeperat. Ad quem vnus ex Senibus, quid est, quod ais, Marchio, mentem ne amisisti, inquit, ut quantum facinus mediteris, non animo pensès? ut momentaneæ voluptati satisfacias, perpetuæ te infamiæ molestiæque subiicies. At iuuenes, qui aderant, propositum laudantes, nihil esse periculi, dicebant: tantum animo suo ut morem gereret, suade-

suadebant. Ille tum passione victus, tum consilio ductus, vim mulieri intulit; Eamq; mœrore confectam mox deserens, cum suis domum se contulit. Leopoldus ex venatione capto ceruo regressus, cum fratrem, ex his qui domi manserant, aduenisse, & breui facta mora recessisse, cognouisset; vxorem adiens, molestam ac lectulo cubantem reperit. Quod cum Leopoldus comperisset, implacabili aduersus fratrem odio exarsit: qui flagitium flagitio vindicans, paulo post tempore interiecto, sponsam Alberti ex Polonia venientem, dum per Morauiam transit, cum robusta militum manu adortus, trucidatis eius comitibus, intercipit, ac diu ludibrio habitam vix tandem viro reddit. Inde acerbum exortum bellum: abactum quicquid armentorum in Austria fuit: vastati agri, incensæ villæ, ipsaq; opida, non sine sanguine multo incolarum, diruptaq; verumque illud experti sunt Australes, quod Propheta canit: dum superbit impius, incenditur pauper: & rursus illud Græcorum proverbium: *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi*. neque enim arma deposita sunt, nisi, postquam exhaustis vtrinq; viribus, Imperialis iudicii censuræ sese partes ambæ submiserunt.

Hanc autem Leopoldi coniugem eam esse arbitror, cui nomen Jutha fuit, quæ, teste Ottone, cum Thenone Juuauiense Archiepiscopo, qui deinde martyr Christi fuit, ac Guelfone Noricorum Duce, & aliis compluribus Baronibus, pro tuenda Christiana religione Hierosolymam petitura, dum Græciæ fines permeat, Alexii Constantinopolitani fraude intercepta, cum omni comitatu periit. Leopoldo vero filius fuit tertius Leopoldus, pietate & libertate insignis: qui duo præclara monasteria in Austria construxit: Alterum Sancti Augustini Canonicorum, supra ripam Danubii in loco, cui nomen est nouum Clausttriburgium, octauo ab vrbe Vienna milliario: Alterum Sancti Bernardi Ordinum in honore salutiferæ Crucis Christi, in valle nemorosa reductaque, à Vienna passuum duodecim millibus distanti. In vtroque monasterio multi Monachi degunt, qui dies noctesque Deo vero laudes canunt: & Augustinenses Canonici, Præposito subsunt; Bernarditæ, Abbati, quibus annuos redditus haud tenues constituit. nam supra quinquaginta Monachos alterutrum Cœnobium alere consueuit. Principes Austriæ quamplures ibi sepulti sunt. Cæterum huic Leopoldo coniunx fuit Agnes Henrici quarti Romanorum Imperatoris filia, Soror quinti; mulier fœcundissima. quæ cum prius Friderico Sueuorum Duci nupsisset, Fridericum illi Conradumque peperit; deinde Leopoldo nupta post obitum primi viri duos de viginti liberos edidit: è quibus ad maturam ætatem viri quatuor, tres fœminæ superuixere; Leopoldus quartus, Henricus, Conradus, Otto; Gerdrudis, Bertha, Iutha. quorum quæ fortuna fuerit, paucis absoluemus; Henricum natu maiorem vltimo loco seruantes.

Leopoldus ad Bauariæ Ducatum hoc modo peruenit. Cum accepisset Conradus frater eius vterinus imperium, Henricus Baioariæ & Saxoniæ Dux, qui Lotharii Cæsaris gener fuerat, detractans imperium, hostis reipubl. declaratus debellatusque ac Baioaria pulsus est; tumque Ducatus ipse Leopoldo commissus. quæ res multorum bellorum causa fuit. Namque cum Leopoldus, subacta Ratisponensium audacia, & omni penè Baioaria in potestatem redacta, contra duos fratres, qui soli ex amicis Henrici profugi in fide perstiterant, apud opidum Phalaia castra teneret; à Guelfone Henrici fratre ex improuiso inuasus, compluribus suorum desideratis vix fugæ beneficio saluari potuit. Ex Ratispona quoque, seditione excitata, igne in plerisque vrbis locis supposito, turpiter fugere coactus est. Quibus ex rebus iracundia incensus, congregatis ingentibus copiis in Ratisponenses duxit; vastatisque circum agris non parua pecunia mulctatos ciues in deditionem accepit. Exin contra Guelfonem traiiciens, vsque ad Lycum flumen progressus cunctis vicis villisque per circuitum direptis atque incensis; munitiones hostium late disiecit, victorque & onustus prædâ rediens; paucis post diebus in agro Patauiensi mortem obiit. cuius corpus in Austriam delatum, in Monasterio Sanctæ Crucis, quod à Patre constructum diximus, tumulatum est. Conradus autem Patauiensis Ecclesiæ Pontificatum adeptus, clero & populo carus, apud sponsam suam consenuit. Verum Ottoni, cuius sæpè mentio à nobis hactenus facta est, & deinceps fiet, à puerti-

tia religionis ſtudia placuerunt: qui vt primum Latinas edidicit literas, ad Ciſtertienſes Monachos ſeſe contulit, atque in monaſterio Morimundi ordinem profeſſus, regularem indait diſciplinam: mox vero in Pariſios miſſus, apud celebrem illam Scholam & orbe toto famoſam, liberales artes ipſamque totius vitæ magiſtram ſectatus Philoſophiam, denique altiſſimæ Theologiæ ediſcendis arcanis, totum ſe tradidit. quibus in rebus, cum reliquis ſui æui doctiſſimis viris præſtare videretur, eorum Monachorum ſequi magiſterium meruit, quorum fuerat ante diſcipulus; in Monaſterio Morimundenſi Abbas ordinatus, in quo multa laudatiſſimæ conuerſationis ſuæ documenta relinquens, ad Eccleſiam deniq; Friſingenſem vocatus, Pontificem clariſſimum geſſit: detracta prædia vendicauit; collapſa ædificia reſtituit; religionem, quæ penè interierat, in priorem etexit formam: tantaque illi Eccleſiæ bona contulit, ut fundator eius magis quàm inſtaurator eſſe putaretur. Fuit autem Otto duorum Cæſarum, qui ſuo tempore imperarunt, vnius quidem frater, alterius vero patruus. & cum fratre quidem Conrado in Græciam Syriamque profectus bellis omnibus interfuit, quæ cum Turcis Sarraceniſque ſeu ſecunda ſeu aduerſa geſta ſunt, conſilioque & armis rem Chriſtianam iuuit: vidit Hieroſolymam, & ſacram Dominici corporis tumbam, ipſeque in Iordano lauari meruit. neque in tot curis atque laboribus ſtudia literarum neglexit; in otio negotium, & in negotio otium ſectatus. Hiſtoriam enim, ab ortu mundi vſque in ſua tempora non inutilem deduxit, atque in octo digeſſit libros: quorum ſeptem geſta mortalium referunt, magnamque nobis Germanicarum rerum notitiam reddunt; Octauus ſupernam Chriſti ciuitatem pulchre peritèque figurat. In Dialectica quoque ac Philoſophia opuſcula nonnulla edidit; primuſque diſputandi ſubtilitatem ex Ariſtotelis doctrina receptam, ad Baioarios Auſtraleſque detulit. Orauit Eccleſiarum cauſas: Pupillos, viduaſque, & omne oppreſſorum genus hominum, apud Imperiale tribunal indefeſſè tutatus eſt. Ad poſtremum Friderici Cæſaris res geſtas ſcribere adorſus, haud abſoluere opus valuit. Radeuicus eius diſcipulus, & Eccleſiæ Friſingenſis Præpoſitus ſummam operi manum adhibere conatus, & ipſe ante Fridericum è vitâ migrauit. Illud in Ottone dignum laude: qui licet fratris nepotiſque geſta memoriæ traderet, qui Romanorum Pontificum hoſtes fuere, ita tamen hiſtoriæ legem ſeruauit, vt neque cognatio veritati, neque cognationi officeret veritas. Is, cum ſecundo Fridericus Imperator Italiam peteret, vocatus ab eo conſilii cauſâ, ob ſenium ſe excuſauit. Qui ſi ſecutus nepotem fuiſſet, haud dubiè inter illum & ſummum Sacerdotem, quod poſtea interuenit, diſſidio obuiaſſet. Contulit autem ſe Otto ad Concilium Ciſtercienſis ordinis, quod Morimundæ agebatur: vbi morbo preſſus, vocatis ad ſe in cubiculum Monachis, plura de bono religionis, de immortalitate animæ, de pœna damnatorum, & gloria ſaluandorum, grauiter ſapienterq; locutus, ad extremum opera, quæ ipſe ſcripſiſſet, emendationi Patrum commiſit: ac ſuſcepto Euchariſtiæ Sacramento, & oleo ſancto delibutus, animam creatori reddidit. corpori eius apud altare maius ſepulchrum erectum eſt. fratribus eius ordinis apprimè venerandus.

Ex Sororibus Ottonis Leopoldi Tertii filiabus Gerdrudim Dux Bohemorum duxit, Bertha Principi Poloniæ nupſit. Jutha Marchioni Montisferrati matrimonio iuncta eſt. Henricus verò qui patri ſucceſſerat in Auſtria, hunc fortunæ curſum habuit. cum obiiſſet in Saxonia Henricus Baioarius, quondam Lotharii Gener, filiumque ſui nominis puerum reliquiſſet, cum Saxonibus magnopere commendatum reliquit. qui commiſerantes puero ex Imperatoris filia nato, & ſuo naturali Domino, aduerſus Conradum Imperatorem, qui Baioariam Henrico abſtulerat Auſtralibuſque dederat, arma mouerunt. cum quibus multa prælia vario euentu geſta ſunt. denique ita de pace conuenit: Gerdrudis filia Lotharii & Mater Henrici pueri, filio ſuadet, ut Ducatum potius Baioariæ à ſeſe abdicet, quàm Cæſaris iram experiri velit. quo facto, ipſa Henrico Auſtriæ Marchioni nubit. quæ res viro ſuo Ducatum Baioariæ confirmauit. Non quieuit tamen Guelfo, qui defuncto Henrico fratri ſe in Baioaria legitimum arbitratus heredem, eam terram cum armis ingreſſus, vitos & oppida non parua ferro & igne conſumpſit. Henricus

vero

vero ea contumelia inflammatus, cum accepisset, in Frisinga nonnullos ciues esse Guelfoni amicos, eo propere cum exercitu accurrit; direptisque veterum & sanctæ Ecclesiæ prædiis, ipsius etiam vrbis Frisingensis munimenta destruxit. nec moratus, oppidum Conradi Comitis, qui partium Guelfonum erat, adortus, auxiliis ab Imperatore susceptis, cepit atque incendit. Post hæc cum adoleuisset Henricus Lotharii ex filia nepos, atque hujus Henrici priuignus, Conradum iam de bello in Turchos Sarracenosq; gerendo in Conuentu Principum apud Francofordiam agentem adiens, neque Patrem Ducatu Baioariæ ritè priuatum, neque cessionem de illo à se factam valere, ait; qui per ætatem quid ageret ignorauerit, puer admodum & maternis delusus blanditiis. Paternam igitur hæreditatem magno animo reposcit. Conradus autem expeditionem in Asiam prætendens, Adolescentem hortatur, ne tam necessario negotio impedimento sit, neque grauetur paululum differre, qui diutius expectauerit: in reditu nihil futurum quod causæ cognitionem remoretur; spemq; bonam concordiæ præbet. Ceterum rediens ex Asia Conradus, breui diem obiit; neque finem huic liti imponere potuit. Composuit autem eam Successor eius Fridericus primus eius nominis Imperator. Is cum rediisset ex Italia coronatus, pluribus diuersis in locis ea de causa conuentionibus frustra habitis, tandem apud Ratisponam, primariam Baioariæ vrbem, concilium Principum conuocat. fit frequens conuentus: assunt ambo Henrici, de Principatu Baioariæ contendentes: causa Duci Bohemiæ Boleslao audienda committitur: interueniunt aduocati scientia iurisperitissimi; trahunt causidici, vt consueuerunt, litem. Alii, puero ius competere in Baioaria, astruunt; alii negant: neque desunt aut his aut illis argumenta, iura, & responsa prudentum. nam legum ea natura est, vt per se mutæ interpretis arbitrio loquantur: tumque potissimum sensus accipiunt varios, cum lis est de diuite regno. Raro potentium iurgiis modum fecere iudicia, aut amicorum interuentus, aut gladius, Principum lites dirimit. Fridericus igitur, vbi negotia aduocatorum artibus trahi diutius animaduertit, ipse vocatis ad se litigatoribus, ex bono & æquo in hunc modum causæ finem dedit. Baioaria eo tempore à Lyco flumine vsque ad Anasum protendebatur: Anasus autem fluuius est, qui ex alpibus Stiriæ profluens, iuxta Laureacum desertam vrbem Danubio miscetur, duorum ferme dierum ab Eno flumine, quod Norici quondam limes fuit, itinere distans. Eam ergo terram, quæ intra Enum atque Anasum fuit, Fridericus Imperator à Baioaria direptam Austriæ adiunxit, Henricoque Marchioni perpetuo iure possidendam tradidit: reliquam vero Baioariam ab Eno ad Lycum porrectam, Henrico Lotharii nepoti restituit. & ne maior alter altero ex litigatoribus videretur, suppresso Marchionatu prouinciam Austriæ ad Ducatus eminentiam erexit: terramque ipsam magnis & singularibus honestauit priuilegiis; quæ hoc loco inseruisse, non erit absurdum. Ea quidem huiusmodi sunt: *Expeditionem si quando Romanus Princeps in Vngaros edixerit, Dux Austriæ equites duodecim, qui mense vno in castris militent, ad eum mittito; ab reliquis oneribus liber esto. Extra terram Austriæ, nisi volens feudi recipiendi causa haut ito. Imperator vbi ternis rogatus litteris feudum negarit, iustus Princeps habetor. vocatus ad tribunal Imperatorium quacunque ex causa, minime pareto. In Austria nulla Imperatori feuda finito. Si quis alius feuda ibi possederit, ab Duce terræ ea recognoscito: secus agens priuatus his esto, eaque Duci, nisi Ecclesiarum fuerint, pertinento. Actionum quas in Ducem Austriæ intentari contigerit, alius ex Vasallis suis electus iudex esto. Ad duellum prouocatus Austriæ Princeps, quem velit, haud tamen infamem, in locum suum subrogato. Quod ille in sua ditione constituerit ordinaueritque; neque Rex neque Imperator mutato. eo sine masculis decedente, Senior filia Ducatum habeto. Si plures filii superstites fuerint, natu maiori reliqui parento, illiusque Senior natus hæreditatem suscipito. Dum sanguis Henrici superat, in alium Principatus nequaquam transito, neque diuisionem aliquam patitor. Insidias si quis Duci parauerit, maiestatis pœnas dato. Qui damna ei intulerint, Imperatores aduersus eos, donec satisfaciant, arma mouento. Feudum ab Imperatore Dux Austriæ recipiens, quod decet Principes paludamentum, induito: pileum corona punica circumductum deferto: atque insidens equo baculum manu gestato. Ab eo damnatis nulla refugia sunto. Iudæi vsurarique in Au-*

Vide diploma n°. 1°

ſtria pro Ducis arbitrio habitanto. Ad curiam Cæſaris cum acceſſerit Princeps Auſtriæ, quaſi vnus ex Palatinis Archiducibus ſedeto. At poſt Electores Imperii ad dextram Cæſaris primum locum accipito. Si abſque liberis legitimiſue heredibus deceſſerit, ex teſtamento eius deſcriptus heres Principatum habeto. Hæc Fridericus Imperator eius nominis primus, in Auſtriæ Duces priuilegia contulit: quæ poſtea nepos eius Fridericus ſecundus confirmauit auxitque. Ante hos quoque Henricus quartus Imperator Henrici tertii filius, Arneſto Auſtriæ Marchgrauio, quem apud Saxones interiſſe retulimus, literas dedit: in quibus Iulii Cæſaris Claudiique Neronis priuilegia in hanc fermè ſententiam referuntur. Iulius quidem auunculo ſuo, quem non nominat, terram orientalem in feudum concedit: eumque ſucceſſoreſq; ita in conſilio Cæſaris eſſe iubet, vt ſine his nihil explicari queat, quod quidem graue arduumque videatur. Nero autem orientalem terram perpetua libertate donat, bannoq; Romani Imperii ſubiicit, quiſquis ei moleſtus fuerit. Verum conficta hæc falſaque eſſe comprobantur, & ab ingenio non tam erudito quàm maligno excogitata: quæ reprobare in promptu eſt. Nam quis vel *feudum* vel *bannum* apud vetuſtiſſimos illos Cæſares nominari audiuit? quis Romanorum *orientalem terram* appellauit, quæ nunc *Auſtria* vocatur? Romanis ea regio ſeptentrionalis eſt; & apud veteres non Auſtria dicta, ſed vel Pannoniæ fuit vel Norici portio, vt ante relatum eſt. Ait inſuper Henricus, priuilegia Cæſarum lingua paganorum fuiſſe conſcripta, quæ ipſe in Latinum ſermonem verti iuſſerit. Bella procul dubio & credenda res: Romanorum Cæſarum epiſtolas, Theotones Imperatores Latinas feciſſe. tanquam Latini barbare, Barbari vero Latinè loquantur. Quid quod Regni ſui anno primo Iulius id ſe priuilegium conceſſiſſe affirmat? cum palam ſit, Iulium Cæſarem nunquam regio nomine vſum fuiſſe; quod erat inuiſum Romanis. Quibus ex rebus vel confectas eſſe literas Henrici crediderim, vel eum Principem Cancellarii ſui leuitate deceptum. Friderici vero, & ceteri, qui poſt eum imperauere, cum Auſtriæ libertatem tradunt, nullam prorſus harum literarum mentionem efficiunt. Henricus autem, qui hæc priuilegia conſecutus eſt, cum pace frueretur, nobile Monaſterium apud Viennam erexit, quod vocant Scotorum; multaque ibi bona conceſſit: in quo regularis obſeruantia diu exacte ſeruata eſt; complures ibi Monachi vitæ ſanctimonia & doctrina ſingulari claruerunt. At ſicut cæterarum rerum, ita & religioſi feruoris, ſatietas quædam, homines aliquando capit; nec religionem inuenias, quæ primæuæ fundationis inſtituta abſque mutatione cuſtodiat. Cum tepuiſſet igitur apud Scotos bene viuendi Zelus, reſolutis in luxum Monachis, breui opes Monaſterii abſumptæ ſunt; tantaque ibi ſuccreuit inopia, vt vix octo cum Abbate Monachi in eo ſuſtentari poſſent, in quo ſexaginta prius copioſè alebantur: eoque deducta res eſt, vt traditis pignori reliquis bonis, tandem quoque campana, quæ maxima eis fuit, in turri appenſa, ea lege Iudæo pecunias mutuanti obligaretur; vt ſi quando pulſare eam Abbas feſtiuo tempore vellet, argenteum nummum, quem groſſum Bohemiæ vocant, pro quauis pulſatione creditori traderet. Defuit autem & hic nummus luxurioſe viuentibus: ob quam rem contigit in ſolennitate paſchali campanam ex more non tangi, Monaſteriumque veluti mutum videri. ſciſcitantibus ciuibus, quid ſibi hoc ſilentium vellet, reperta eſt demum Iudæi atque Abbatis conuentio. res ad ſuperiores delata: amotus Abbas, & alius introductus: paulatimq; Monaſterium ipſum reformatum: deniq; ſub Alberto Ladislai Patre, de quo ſuo loco ſcribendum eſt, ad priſtinum ſtatum rediit. Henricus vero, relicto Leupoldo filio, eius nominis apud Auſtriæ Principes quinto, annis plenus ad vitam aliam migrauit.

At cum Fridericorum ſermo inciderit, quorum apud omnes pene gentes illuſtris fama, & clarum nomen habetur; non eſt alienum, quæ fuerit eorum origo, hoc loco referre; cum Auſtriæ Ducum ſcribamus geſta, qui ab his materno ſanguine prodiere. Neque enim Latini autores, qui de Fridericis ſcribunt, originem eorum attingunt. Nobis autem operæ pretium viſum eſt, tantæ familiæ principium memoriæ tradere. Imperante igitur Henrico tertio, Fridericus ex opido Stouphe, quod in Suevia ſitum eſt, vir prouidus & in armis exercitatus, primus in ea gente illuſtris euaſit: quam-

quamuis māiores eius, Comitatus honore fungerentur Is ad Curiam Imperatoris se contulit, iam maturus ætate & fama notus. vbi cum plurima rei militaris egregia facinora edidisset, acceptus inprimis Henrico esse cœpit, seu belli negotia seu pacis agerentur. Per idem tempus inter Gregorium VII. Romanorum Pontificem, & ipsum Henricum, graues inimicitiæ vigebant. Nam Gregorius priuatum communione fidelium Henricum quoque Imperii honore dejicere conabatur. Henricus vero conuocatis ex Italia, Germania, Galliaque, pluribus Episcopis ac Principibus, reiecta Gregorii electione, quę iniussu Cæsaris facta fuisset, Guibertum Rauennatem Archi-Episcopum ad Romanum Pontificatum temere euehi, Clementemq; appellari curauerat. Rudolfus autem Dux Sueuorum, qui ex auctoritate Gregorii susceperat Imperium, cum amicis Henrici commisso prælio iam ceciderat; Sueuiamque gener eius Bertoldus, & ipse inter Optimates Alamaniæ clarissimus, obtinuerat: qui Soceri vel mortui partes aduersus Henricum forti animo tuebatur. Hunc igitur qui compescere posset, Fridericus inter omnes vnus Imperatori visus est, qui & rei militaris peritiam singularem, & in Sueuia potentes habebat amicos. Huic igitur ad se inter paucos vocato expeditionem in Sueuiam suadet. quam vt animosius libentiusque suscipiat, vnicam ei natam suam Agnetem nomine despondit, & dotis nomine Ducatum Sueuiæ, ad Imperium iure feudi deuolutum, concedit. qui mox cum exercitu in hostem profectus, Bertoldum pluribus præliis profligatum, paucos intra dies pacem petere compulit. Quam eâ lege accepit, vt retento sibi Thurego insigni opido reliquam Sueuiam Friderico dimitteret. Thuregum nonnulli quasi duregum dictum volunt, quod olim duorum regnorum limes à duobus regibus gubernaretur, Arelatensi altero, & Theotonico altero: vrbs insignis lacum amœnum habet, ex quo fluuium exeuntem hodie Limachum vocant, nonnulli veterum Lemannum appellant, atque ab eo vocatam Alemaniam volunt. quibus Otto Frisingensis consentit, versus *Lucani* huc trahens: *Deseruere cauo tentoria fixa Lemanno.* Alii lacum Gebennensem, quem Rhodanus præterfluit, dictum esse Lemannum putant. Quos sequitur Iohannes Boccatius, cui vt & nos auscultemus, commentaria *Iulii Cæsaris* faciunt, in quibus Heluetiorum fines ita describuntur: *vna ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium à Germanis diuidit; altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos & Heluetios; tertia lacu Lemanno & flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Helvetiis diuidit.* Verum Fridericus Sueuiæ latissimum atque opulentissimum adeptus Principatum pacatis vndiq; finitimis gentibus, gratum tutumque suis gentibus subditis parauit otium. Ac duobus filiis ex Agnete susceptis, Friderico & Conrado, rebus excessit humanis.

Agnes autem vidua relicta, Leopoldo, Austriæ Marchioni nupsit, numerosamque illi, vt commemoratum est, & nobilissimam prolem peperit. Fridericus filius, cum sepeliretur Pater, quintum & decimum agebat annum: Conradus duobus annis iunior fuit. Hac tempestate defuncto apud Leodium Belgicæ vrbem Henrico tertio, Filius eius Henricus quartus suscepit imperium, qui regnandi cupiditate incensus, etiam cum Patre de Imperio certauerat. Is quanquam viuente patre cum Ecclesia sensit religionique paruit, eo tamen è medio sublato, postquam solus imperio præfuit, paterna vestigia non reliquit. neque enim consequens est, vt Principatus malis artibus acquisitus, bonis moribus gubernetur. rebellauit enim Ecclesiæ, nec bonus erga matrem videri voluit, qui fuerat in Patre pessimus. Quibus ex rebus excommunicatus à Romano Pontifice, deficientibus ab eo Regni Optimatibus, in contemptum venit: nec prius integrare imperium potuit, quàm congregato apud Wormatiam concilio procerum, reconciliatus Ecclesiæ, inuestituram Episcoporum, de qua contentio fuit, Calixto secundo Pontifici Romano resignaret. Legatus ad eam missus fuit Lampertus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui Calixto deinde succedens Honorius vocatus est. at priusquam de concordia Pontifex Imperatorque conuenisset, relinquentibus Imperatorem cæteris, Fridericus apud Auunculum inconcussa fide permansit: qui cum esset bellicæ rei peritus, & opinionem prudentis viri præ se ferret, neque amare pecunias videretur, totius Theotonicæ militiæ robur sibi conciliauit

atque

atque aduersus Imperatoris hostes pluribus præliis feliciter confectis, omnem illam regionem, quæ inter Maguntiam Basileamq; iacet citra & vltra Rhenum, in qua maxima vis Theotonici regni consistit, ad obedientiam Anunculi redegit: totque locis opportunis ad firmandum Imperium castella exædificauit, ut commune apud eas gentes prouerbium fieret: *Fridericum quocunque iret, in cauda equi castellum portare.*

Bellum deinde Alberto intulit Archiepiscopo Maguntino. nam & is, vt par fuit, versus Imperatorem cum Romana Ecclesia sentiebat. Vastatis igitur per circuitum agris, vrbem denique ipsam Maguntiorum obsidione cinxit. Archiepiscopus autem vir callido ingenio & fallendi magister, vbi se premi arctius animaduertit, nec satis populo se credit, inducias ad componendas lites expetit, diem locumque dicit, in quo sese Imperatori exhibeat. placent conditiones: soluitur obsidio. Fridericus, dimisso exercitu, cum paucis, nil mali veritus, domum versus iter ingreditur. Sed quis hosti fidem habeat? Archiepiscopus collecta militum manu prosiliens, improuisum Fridericum hostiliter adoritur. At ille in sola audacia sitam salutem suam cernens, pauca pro tempore hortatus comites, magna vi, maiore iracundia, in hostes obuius fertur. pugnatum est diu atrociter: cecidere vtrinque robustissimi: inter quos non ignobilis comes Emicho mortem oppetiit. Ad extremum inclinata Maguntinorum acies terga verterunt: quos ad vrbis vsque portas, vltimos cædendo, fugientes insecutus, captis atque occisis quàm plurimis ad propria rediit. Maguntini ægre ab nece Alberti Præsulis absiinuere, cuius perfidia periclitati fuissent. Interiecto deinde non multo tempore, rursus Pontifex Maguntinus, accersito Lothario Saxonum Duce, qui postmodum imperauit, multisque aliis Principibus opem ferentibus, Limpurgum oppidum in agro Spirensi, quod partium Hentici Cæsaris fuit, expugnare aggressus est. Erat intra opidum insigne diuesque Monasterium, & in eo subterraneæ specus abditissimæq; latebræ, in quibus Monachi magnam vim cibariorum occlusere, veriti, ne tractà diutius obsidione, absumptis opidanorum commeatibus, ad se veniretur. Sed euenit illis quem timebant timor. Quippe Udalricus Horningensis, acri vir ingenio, qui opido cum præsidio præerat, postquam vrgeri fame opidanos intelligit, Monachos, ut cibos præbeant, multis hortatus precibus, cum se negligi vidisset, quod illi mentientes, nihil sibi quod edi posset supersesse, dicerent: at nobis, inquit, neque fame neque hostili manu perire consilium est, donec vos adestis Monachi, quos edere possumus. pinguiorem igitur prius tradite: sic enim & vos cælum martyrio lucrabimini, & nos carne vestra pasti, auxilium facile expectabimus. Quibus verbis attonitus territusq; Monachorum cœtus, cibaria recluserunt. quibus dies non paucos sustentatus miles, opidum defendit. Interea Fridericus contracto valido exercitu, ad locum veniens, atque obsessores inuadens, captis necatisque quam pluribus hostium, castris potitus, obsessos liberauit. quæ res & Henrico Imperatori faciliorem cum Romana Ecclesia concordiam præbuit, & reintegrandi imperii potentissima causa fuit. Ipse tamen Henricus, haud multo post tempore apud Traiectum vrbem Frisiæ morbo correptus vita decessit. Qua re cognita, conuenientes apud Maguntiam Germani Principes, Lotharium Saxonum Ducem, suadente Alberto Præsule, Imperatorem elegerunt: Virum quidem magnanimum & Imperio dignum, verum nimis Alberti consiliis auscultantem: cuius suasu, Fridericum Conradumq; fratres impacato odio persecutus, decennale cum eis bellum varia fortuna gessit. Noricorum opidum, cui hodie Norimberga est nomen, diues opum & populo plenum, in potestate Friderici, Fratrisq; fuit. hoc Lotharius magnis copiis circumdedit, vastatisque ferro & igne vicinis agris, cum armis expugnare non posset, firmata obsidione opidanos fame ad deditionem cogere statuit. Fuit in eius exercitu Henricus Baioariæ Dux, Vlricus Bohemorum Princeps, multique præterea Comites & optimates Regni. At cum Bohemiæ Ducem magna Barbarorum manus secuta fuisset, Christianæ Religionis ignara, quæ Sacrosanctas incendens Ecclesias, ipsas etiam Sanctorum reliquias conculcaret, Bohemorum auxilia remissa sunt. Id cum accepissent Fridericus & Conradus Fratres, scripto mox milite, commotisque per literas Norimbergensibus, Lothario nil tale timente, suppetias obsessis laturi ciuibus, festino cursu eo se conferunt; datoque signo,

hunc

hinc ipsi, inde Norimbergenses, erumpentes castra hostium inuadunt. quibus breui direptis, fugientem Imperatorem, ad Herbipolim vsque consecuti, pro mœnibus vrbis non parua certamina cum Lotharianis commiserunt, deinde transmisso Rheno in vrbe Spirensi amice recepti sunt. Nam ea ciuitas, Imperatorum, qui apud se iacent, cultrix, in omnes semper benigna fuit, qui Cæsaribus Henricis inconcussam fidem seruauere. In hoc loco rursus ab Archiepiscopo Maguntino Fridericus Conraduscque molestiam haud modicam passi, ad extremum etiam obsessi fuere. qui sæpius egressi, nunquam sine præda redeuntes, hostem denique relicta castrorum suppellectile turpi fuga ab obsidione recedere compulerunt.

Henrico autem Duci Baioariæ, quem cum Lothario apud Norimbergam fugatum retulimus, duo filii fuere; alter masculus de nomine suo Henricus appellatus, altera fœmina nomine Juditha. Et Henricus quidem Gerdrudim Imperatoris Lotharii filiam duxit vxorem. Juditha vero Friderico Sueuiæ Duci, de quo sermo est, nupsit. At Henricus, siue Imperatoris affinitate superbus, siue quod paternam ignominiam in agro Norimbergensi receptam vlcisci cupiebat, delectu per omnem Boiariam habito, auxiliisq; vndecunq; accitis, cum exercitu haud mediocri in Sueuos traiecit, iamq; Verenzam fluuium, qua miscetur Danubio, transiuerat; cum occurrere Fridericum non dispari exercitu didicit. expediebant vtrimque milites arma, prælioq; sese auide accingebant. Sed ferox antequam hostem cerneret Henrici animus, vbi vexilla Friderici extenta cognouit, territus fractusq; nihil antiquius fuga iudicauit. festinus igitur ad fluuium rediens, cum longum duceret per pontem transmittere copias, tranare equites jussit; quos Verenza nouis auctus imbribus, rapidis inuolutos vndis magna ex parte absorpsit. Fridericus hostem fugasse contentus, exercitum reduxit. At Henricus vbi nil armis & aperta vi procedere animaduertit, ad insidias dolosq; conuertitur. Origo illi Alemanica, ex antiqua & nobilissima Guelforum familia, ob quam remopida nonnulla eis in locis possidebat, in quibus sublimes Italiæ alpes Alemaniæ coniunguntur. Eo igitur profectus Henricus, multis verbis Fridericum monet, ne Cæsari amplius aduersetur: difficile ciuiis Principi esse quamuis potentissimo, dicit, Imperii vires in se prouocare, tantamque belli molem subire: inuitum se cernere eius viri ruinam, cui sua soror nupta sit, qui nobili natus sanguine rebus gestis nobiliorem se fecerit: impetraturum ei Lotharii gratiam, si ad colloquium veniat, in monasterio quod Ztuiuelren appellant. Credit Fridericus vxoris suæ fratri & iurisiurandi religioni, nihilque veritus insidiarum, ad præscriptum locum primus cum paucis pergit, iussis aliis in posteram diem sequi. nocte intempesta, illo iam dormiente, Henricus cum electorum militum manu eo se confert, & ingressus hostiliter Monasterium, Friderici cubiculum propere petit. consurgunt trepidantes Monachi, excitatisque Friderici comitibus, vt Domino consulant, pallidi attonitiq; hortantur. fit tumultus ingens, obtruncantur qui primi ex Friderici sociis in manus Henrici veniunt. Fridericus ex somno experrectus, cognita periculi magnitudine (iam enim hostis cubiculi tenebat hostium) dum quid agat quoue se vertat dubius inquirit, occultissimum denique aditum reperit, quo in Ecclesiam transit, ac deinde in campanariam turrim excelsam ascendit: confidens, eo se loco vsque ad exortum lucis salutem posse tueri, cum esset ascensus arduus, & vnius tantum hominis capax. Henricus autem ingressus cubiculum, cum non inuenisset Fridericum, habitacula quæque & officinas Monachorum irrumpit, flentibusque Monachis stricto ferro mortem minatur, nisi hospitem tradant. Equitatus interea Friderici qui sequi iussus fuerat, orto iam die Monasterio appropinquat. hunc cum Fridericus è turri conspicatus esset, Henricum è fenestra vocatum in hunc modum alloquitur: Ego tuam, Henrice, secutus fidem huc veni. tu mihi ex affine hostem te obiecisti, neque fas neque bonum sectatus, indignus es, qui claris Parentibus nascereris. hæc te dies honore exuit; periurum deinceps omnis Germania deuitabit. digna tuis sceleribus reddere præmia poteram, si voluissem: adest enim miles meus, qui proditionis ex te pœnas exigat. Sed potius ab eo seruatum te scito, quem dolis captum necare putauisti. Quibus auditis Henricus, nil amplius morandum ratus, trepidus à Monasterio fugit; inglorius deinde

apud

apud theotones habitus, quamuis nonnulli eum defendere conati sunt, quibus Imperii Maiestas etiam dolis ac fraude retinenda videtur; Virgilianumque illud apprime placet, *dolus an virtus quis in hoste requirat?* Sed verius dixerimus, etiam hosti seruandam fidem. Ceterum Fridericus & Conradus, qui iam Rex Alamaniæ à nonnullis Principibus designatus fuerat, & ingressus Italiam ab Archiepiscopo Anshelmo, qui eius rei causa depositus fuit, coronatus, paucis rebus gestis inde redierat, cum ab Honorio, quoniam Lothario Imperatori rebellassent, excommunicati fuissent, magnisque modo acceptis modò illatis cladibus Romanum Imperium afflixissent, interuentu denique sancti & doctissimi Viri Bernardi Abbatis Monasterii Claræuallis, qui tunc Christianos Reges aduersus Turchorum Saracenorumque gentes pro liberatione terræ Sanctæ armare conabatur, Imperatori reconciliati, & à Summo Pontifice absoluti sunt. Quo facto Lotharius, qui ab Italia non diu ante redierat, eo iterum profectus est, Conradumq; secum adduxit, & Generum Henricum Baioariæ Ducem; quorum opera & Longobardos sibi subegit, & rogatu Papæ, Rogerio Siculo pugna victo fugatoq;, plures Campaniæ atque Apuliæ Ciuitates ademit. Et in eo itinere, quamuis Henricus præclara belli facinora ediderit, qui Beneuentum vi captum Romano Pontifici restituit; nimia tamen superbia insolescere visus, vetus odium Germanorum in se Principum abolere non potuit. Lotharius vero cum domum repeteret, apud Tridentum iam senior morbo correptus interiit. cuius corpus in Saxoniam translatum, in Monasterio quod ipse construxerat, homine Luther, magnificè sepultus est, ibique res eius gestæ plumbeis laminis annotatæ sunt. At cum liberi ei masculi non essent, quibus mandari Imperii gubernatio posset, Conuentus Principum apud Maguntiam indicitur, in quo de futuro Imperatore ageretur. Quod cum Fridericus accepisset, veritus, ne eo in loco Henricus Baioarius largitione minisue Principes corrumperet, (erat enim diues ac potentissimus) cum plerisque Regni Magnatibus, quos sibi asciuerat, ante diffinitum conuentionis tempus, Francofordiam venit: ibique, præsidente Theodemuno Episcopo Cardinali Apostolicæ sedis legato, qui Romani populi vrbiumque Italiæ pollicebatur assensum, ad imperiale fastigium, Conradum fratrem suum natu minorem eligi procurauit: quem mox idem Legatus in Aquisgrano inunxit & in Regem coronauit: cum Archi-Episcopus Colonensis, cui id muneris competit, per id temporis recenter ordinatus, adhuc pallio careret. Obierat iam Albertus, Maguntiæ præsul. ob quam rem, profectus eo Conradus, Albertum defuncti Alberti ex fratre nepotem, postulante clero & populo, Pontificem ibi constituit. Frater hic fuit vxoris Friderici, quam ille secundo loco duxerat. qui huius beneficii prorsus immemor, in Fridericos haud minus quam patruus odiosus extitit. Calumniati sunt autem Saxones Conradi electionem; potissimè verò Henricus Lotharii Gener; qui mortuo Socero Saxoniam obtinebat. his igitur apud Bambergam dicta est dies, ad quam cum Imperatrix Richiza vidua, & optimates Saxoniæ, venissent, vtroque Conrado sese dedissent, Henricus cum Regalibus ornamentis, quæ in Tridento moriente Lothario subripuerat, comparere recusans, in Boiariam profugit. Vocatus autem iterum ad Ratisponam, regalia quidem ornamenta reddidit, sed ad conspectum Imperatoris haudquaquam venit. Cum enim gratiam impetrare non posset; apud Herbipolim in consessu Principum hostis declaratus est, eiusque bona proscripta. qua re publicata, omnes qui Henrico videbantur amici, mutati sunt; & ab eo deficientes Imperatori sese permisere. ipse vero, venientem cum exercitu Conradum non ausus expectare, cum quatuor tantum comitibus, patrio electus imperio, trepidus in Saxoniam abiit; nec diu post, ab infelici relictus anima, apud Soccrum sepultus est: magnum rerum humanarum exemplum. nam qui mari Adriatico in Daniam vsque & Baltheum pelagus, mediis regionibus imperabat, Cæsareusque vocari Gener, & tanquam fœlix monstrari digito gaudebat, vnico fortunæ reflatu ita è culmine cecidit, ita despectus esse cœpit, ut cœtus hominum sponte figeret, vnicumque miseriarum suarum remedium duceret, à nullo, qui se antea nosset, videri posse. Conradus vero, Baioariam subactam Leopoldo Austriæ Marchioni, ut antea diximus, fratri suo vterino dono dedit: cui successit Henricus

frater

Marchio Austriæ, qui cum Henrico priuigno eam, quæ præscripta est, concordiam iniuit. Sed à Friderico Imperatore Dux Austriæ creari meruit. Verum Fridericus Conradi germanus natu maior, ex Juditha vxore eius Henrici, qui sibi apud Zuiuolten insidias parauerat, duos liberos suscepit; Fridericum, qui post Conradum rerum potitus est, & Juditham, quæ Lotharingorum Duci nupsit. Hac autem coniuge fatis functa secundum cum Agnete, filia Comitis de Sarbrucha fratris Alberti Archiepiscopi Moguntini, cuius ante mentio facta est, matrimonium contraxit: ex qua natus ei est Conradus, qui deinde in virum euadens illustrem, Comes Palatinus Rheni creatus est. Claritiam Ludouici Thoringiæ Comitis accepit vxorem. At Fridericus iunior, mox vbi pubertatis attigit annos, ferox animi & belli cupidus, militiæ cingulum more patrio accepit: nec moratus, Henrico de domo boni consilii, magno & potenti inter Baioarios Comiti, quod is Friderico Patri aliquando fuisset infestus, bellum denunciat, copiasq; propere ante opidum eius in aciem deducit. Contraxerat iam hostis non pauca auxilia: cum quibus in prælium egressus, postquam diu acerrime contendit, vim denique Friderici haud ferre valens, intra mœnia victus victoris manus effugit. Conradus ea pugna Dachoneus, nobilissimus Comes, qui postea Dalmatiæ Croatiæq; Ducatum adeptus est, dum fortius quàm cautius pugnat, in Friderici potestatem deuenit. Erant Conrado multæ opes: nec dubium quin auri magnum pondus pro libertate daturus esset. Quod cum plerique petendum extorquendumq; suaderent, At mihi, Fridericus inquit, non erit honore potius pecunia, neque me hodie impellitis, vt quem virum fortiter cœpi, ignaue dimittam: liberumq; Comitem jussit abire.

Post hæc Conrado, Bertoldi quondam Ducis filio, bellum intulit; Thuregumq; opidum, quod Patri eius pactione dimissum retulimus, illi ademit; præsidioq; ibi posito, reliqua hostis castella arcesque natura & arte munitissimas, & quæ nulla vi, nullo ingenio capi posse viderentur, in potestatem breui redegit. quibus ex rebus fractus animo Conradus, supplex ad Imperatorem veniens, vix paucis retentis maiorum suorum opidulis, pacem obtinuit. Interiecto deinde non multo temporis spatio, cum perdita Edissa, Mesopotamiæ Ciuitate, quam Christiani iampridem incoluerant, Conradus Imperator & Ludouicus Francorum Rex, hortatu Romani Præsulis Eugenii tertii, adnitente Bernardo Abbate, quem paulo ante nominauimus, in Asiam traiicere statuissent, conciliumque ea de causa Theotoniæ Principes in Spirensi Ciuitate tenerent; Fridericus iunior, cum patruo Cæsare, aliisque quampluribus, bellum pro Christi religione suscipere professus, Salutiferæ crucis signum, veluti datæ fidei pignus, accepit. quæ res patri nunciata, grauissimæ ægritudinis illi & intempestiuæ mortis causa fuit, aduersus fratrem acerbius indignanti, qui nobilissimum adolescentem in spem Regni atque Imperii natum, transmarinam militiam ante annos profiteri permisisset. Nec defuerunt, qui eo modo Conradum filio suo Henrico consulere voluisse, affirmauerint, quem adhuc puerum, mox in Concilio Principum apud Francofordiam Regni consortem delegit, atque in Aquisgrani pro vetusta consuetudine coronam recipere iussit. Sed hunc morbo correptum, in ipso Patris ex Asia reditu, acerbus atque immaturus eripuit obitus. Conradus ergo, paratis quæ ad profectionem necessaria videbantur, ex Ratispona soluens nauibus, in Vngariam venit, atque deinde per Bulgariam, ac transiuit in Asiam. Comites eius fuere, Henricus tunc Dux Baioariæ, frater eius vterinus, qui postea Ducatum ex Concordia priuigno reliquit: Fridericus adolescens nepos, Guelfo Sueuus, & cum his Episcopi quamplures, Optimatesque Regni. Ludouicus autem Rex Franciæ per Italiam iter habuit: vbi mare ingressus, ad portum Sancti Simonis Asiam attigit. Fuit horum parum fortunata expeditio. Nam Conradus, Manuelis Imperatoris fraude deceptus, apud Iconium primam Lycaoniæ vrbem munitissimam, & vbi commeatus haud facile inuenire posset, castra metatus, cum diu tenuisset obsidionem, tandem cum dedecore ab eo loco recedere compulsus est. nec dissimili modo Damascenam expugnationem reliquit. Fuit tamen eius aduentus in Asiam non inutilis. Siquidem Balduino Hierosolymorum quarto Regi, magnarum Conradi copiarum & ingentis eius virtutis fama, ut animum auxit, ita hostibus audaciam minuit. Cepit enim Balduinus Ascalonam, diutina obsi-

dione vexatam: Turchorum, qui Iericontinos opprimebant, quinque millia trucidauit, datis in fugam reliquis: Noradinum Damascenorum Ducem, qui Hierosolymorum fines ingressus vastabat agros, armis adorsus profligauit, & vsque in Damasci portas fugientem consectatus, extremos quoq; trucidauit.

Verum Conrado neq; animus adres bene gerendas, neq; rei militaries peritia defuit. Sed arcana Dei iudicia, quorum causas nulli mortalium pertingere licet, inglorium eum ex Asia remisere. qui cum nauigasset in Achaiam, nonnullos ibi dies, cum Manuele Græcorum Imperatore & affine suo, ad refouendos milites, commotatus, Fridericum, qui res Germaniæ procuraret, ante se misit. quem paulo post secutus, dum Regni negotia disponit, ac de transitu in Italiam pro corona suscipienda, vocatis apud Bambergam Principibus, agit; non sine opinione fuscepti veneni naturæ satisfecit. cuius cadauer, cum amici, vltimam eius voluntatem sequentes, ad Laureacense monasterium iussa patrem sepeliendum deferre vellent; Bambergensis Ecclesia id probri ducens, impediuit; & apud Henricum secundum, qui circa idem tempus auctoritate Romanæ sedis inter sanctos relatus est, ei sepulchrum decreuit. Secutus est autem mortem Conradi publicus mœror, qui etsi bellicis rebus parum prosperè vsus est, in reliquo tamen regimine modestè iustèq; se gerens, non subditorum modo Procerum sed Regum sibi animos attraxerat. Ipsè quoque Pontifex Eugenius Conradum miro amore colebat: quem vbi ex Asia rediisse comperit, veritus ne sinistra fortuna vsus magnanimus Princeps mœstitiæ succumberet, consolationis in hunc modum literas ad eum reddit: *Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei carissimo in Christo filio Conrado Dei gratia Romanorum Regi illustri salutem & apostolicam benedictionem. Quæ pramittit hic mundus, mutabilitati corruptioniq. omnia subiacent; nihil certum in terra consequi possumus. non est igitur, cur vel prosperis rebus eleuemur, vel frangamur aduersis. Sed cum premimur, cum angimur, tum potissime de miseratione diuina confidendum est, quia Dei & hominum mediator Christus Iesus, mirabili dispensatione vsus, tanto quem certius ad æterna & immutabilia bona hominem inuitat, quanto crebrioribus eum cælit flagellis. Quod nobis & tibi, fili carissime, vsu euenisse non dubitamus. Nam quamuis tuis in Asia conatibus dextra Dei non affuit, quæ Barbaros tibi subiiceret; neque nobis id datum est, ut te victorem ex Oriente redeuntem, in Basilica Sancti Petri Apostolorum Principis coronantes, sperati tecum triumphi participes esse possemus: non tamen tua pia voluntas, neq; nostrum laudabile desiderium, suo præmio fraudabitur.* Et cætera in hunc modum plura, quibus constat summo Pontifici Conradum Imperatorem carum acceptumq; fuisse.

Is cum suprema ordinaret, Friderico nepoti Cæsarea ornamenta relinquens, filium suum simili nomine Fridericum, qui vnicus ei superstes erat, summis precibus commendauit, haud ignarus qu'n summa rerum ad nepotem deuoluteretur. Nec diu post, concilium Regni Theotonici apud Francofordiam habitum est, in quo de successione Conradi cum ageretur, incredibili concordia electio celebrata est. Duæ per idem tempus familiæ fuerunt apud Germanos, genere opibus & potentiâ clarissimæ; Altera Henricorum & Ghibelingæ, altera Guelforum de antiqua villa. hæc maximos Duces, illa Reges atq; Imperatores genuit. Hæc Romanam Ecclesiam in magnis sæpè calamitatibus iuuit; illa imperium penè collapsum magnificè reparauit. Hanc Baioaria Saxoniaq; veluti suum decus venerata est: Illi Suecia & Franconia indelebili amore iuncta fuit. vtrique tamen Suecia fuit origo: vtraq; bellicis artibus claritudinem comparauit. vtraque liberalitatis opinione nomen adepta est. At cum potentia genuiq; penè par vtriusq; familiæ videretur, æqualitas ipsa, inter viros magnos & gloriæ auidos, æmulationem haud modicam, contentiones, & odia, & aperta demum bella peperit, quibus omnis Germania quassaretur. Cumq; Optimates Reguliq; Theotonicę, alii hanc alii illam gentem sectarentur, in duas partes omnis Alamania scissa est; quarum altera Ghibelingorum vocata est, ex nomine loci, vnde ortum habuit Henricorum genus; alteri Guelfæ nomen fuit; non ex loco originis (nam is antiqua villa, vt diximus, nomen obtinuit) sed quoniam plerumq; Guelfones appellati sunt, qui eius gentis Principatum tenuere, quorum creditus est Guelfo, qui aduersus Henricum Imperatorem eius nominis quartum, hostem Ecclesiæ declaratum, gerens bellum, Frisingam in Baioaria, &

Angu-

Augustam in Vindelicis, præclaras vrbes, solo æquauit. Facta sunt autem inter has familias per plurimos annos ingenti contentione bella; multisq; calamitatibus afflicta Germania est, dum alteram gentem altera conatur opprimere. Quoties vero inuicem contrarias acies occurrere accidit, manusque conserere; in ipso pugnæ initio, hi Guelfos, illi Gebelingos sese vocitantes, ac more militum cohortantes, prælium commisere. Hinc illa pestifera & execrabilia *Guelforum & Gebelingorum* nomina ortum habent; quibus infelix Italia, in ætatem vsque nostram, crudelibus lacerat-tur modis. Nam cum Henrici Fridericique cum exercitibus sæpenumero Italiam intrassent, & aliquando suscepto bello, quæ cupiebant, perficere non potuissent, omnes qui vel Ecclesiæ Romanæ causa, vel alia ratione eorum sese conatibus oppo-suerunt, ab his, cum quibus in Germania dissidebant, Guelfos appellauere. Qui vero sua signa secuti in fide manserunt, Ghibelingos, quasi eiusdem cum eis patriæ consortes nominauere. sequens ætas decurtato, vt fit, vocabulo, Ghibelinos dixit. Quæ insania etsi vniuersas quodammodo Italiæ Ciuitates infecerit, magnisq; calami-tatibus afflictauerit, præcipue tamen Longobardos & in eis Brixianos Bergamensesque conturbauit. Apud quos plurimum interest, quomodo vestiaris, quo colore vtaris, quem digitum, pollicem an indicem, affirmaturus quippiam erigas; quibus vescaris fructibus, &, quod singulare deliramentum est, ouum quo pacto edas, quo scindas allium modo. Constat, sæpè hospites violatos, qui Guelfos aut Gibelinos adeuntes, aliter quàm illis vsus esset, allium scindere vel cepe sunt visi. Tantus quoque furor huiusce viros æ pestis fuit, vt nec filius Patri, nec Pater filio pepercerit, quoties pars parti insidiata est. armauit inter se fratres hæc vesania, & sæpè mulierum prægnantium vteros aperuit ense, vt alterius partis sobolem prius extingueret quàm nasceretur.

At Germani, quos par dementia diutius conquassauerat, apud Francofordiam, vt diximus, electionem Imperatoris celebrantes, id potissimè curauerunt, vt ei rempublicam committerent, qui Guelfonum Gibelinorumque sanguine prognatus pacem Germaniæ daret. Posthabito igitur Friderico Conradi filio, quoniam puer erat, alter Fridericus nepos, summa omnium concordia & alacritate Imperator designatus est; cui Fridericus pater Henriorum, mater ex gente Guelforum fuit Iuditha, vt ante relatum est. Hic est Fidericus, primus huius nominis Imperator, cognomento Barbarussa, vir suo tempore omnium qui arma induerint clarissimus, & qui suis in Imperio præcessoribus vel præstantissimis, haud iniuria videatur æquandus; siue animi dotes, siue corporis ornamenta metiaris. Vna duntaxat culpa notatus, quod Ecclesiæ Romanæ matri suæ parum auscultauit. resipuit tamen, vt infra subiiciemus, & Christiani more Principis Ecclesiæ collum submisit. Huius res gestas, non referre quidem sed indicare, hoc loco propositum est. Nam tanti Imperatoris vel belli vel pacis egregia facinora, si quis scribere instituerit, ingens volumen impleuerit. Hunc electum Arnoldus Colonienſis Antistes Aquisgrani pro vetusta obseruatione coronauit. ad quam solennitatem Germaniæ Galliæq; potentissimi quique Principes conuenere. Quo in loco futuræ primum seueritatis eius rigor apparuit: qui prostrato ante pedes viro cuidam nobili, ac per celebritatem diei coronationisque pœnam sibi remitti petenti, quam Fridericus ei ob crimen prius inflixerat; Ego te, inquit, non odii causa sed amore Iustitiæ condemnaui: quod si, antequam coronarer, iusti tenax fui, stultus est, qui me nunc iustitiæ partes neglecturum putat, quando eam dignitatem sum consecutus, cuius præcipuum munus est ius suum cuique tribuere. hominemque prorsus amoueri iussit, & pœnam dare: quamuis illius preces quamplurimi adiuuare niterentur. In Traiecto deinde Frisiæ Ciuitate Hermannum Episcopum confirmauit, grandi pecunia multatis qui resistebant ciuibus. In Martinopoli Saxonum vrbe, Petrum, Guidonem & Valdamarum de Regno Danorum contendentes composuit: Guidoni & Valdamaro quibusdam Prouinciis assignatis; Petro, qui natione Sueuus esset, & vasallum sese Regni Romani affirmaret, Regni titulo & honore seruato. In Ecclesia Magdeburgensi, quam Virginipolitanam vocare possumus, defuncto Præsule, duobus in discordia electis, tertium Pontificem introduxit Guithmannum, genere illustrem,

ſtrem, ſed Eccleſiæ obligatum. vnde primum, inter Eugenium tertium Romanum Pontificem & ipſum, grauis diſſenſio nata eſt. Et quanquam Eugenium iureiurando affirmaſſe proditum ſit, nunquam ſe Guithmanno daturum pallium, qui relicta Ciſtercenſi Eccleſia iniuſſu Romani Præſulis ad Magdeburgenſem migrauerit; Anaſtaſius tamen Succeſſor eius, quæ fecerat Imperator, confirmauit. quæ res quantum Imperatori auctoritatis addidit, tantum dignitatis Apoſtolicæ ſedi detraxit. nam quo pertinacius pugnant homines, eo victi grauius pœnas luunt. In eo tamen Eccleſiæ Fridericus paruit, quod vxorem ſanguine iunctam, quamuis amatam, à ſe diuelli paſſus eſt.

Poſthæc per Brixinonem, quæ modo Brixina vocatur, & Tridentum, in Italiam cum copiis penetrauit. in agro Veronenſi apud lacum Benacum caſtra metatus, exactis per capita militum nummis, non paruam pecuniæ ſummam Epiſcopo Tridentino & Brixinenſi miſit, in eas Eccleſias diſtribuendam, quas neceſſitate compulſi milites inter tranſeundum expilaſſent: pie ſcilicet ac religioſè cogitans, haudquaquam illi fauturum Deum, qui ſacris locis intuliſſet iniurias. Expiato ſacrilegio, in campo Ronchaliæ ad fluminis Padi ripam, caſtra poſuit; Scutumq; regium, pro vetere conſuetudine, in alta ſuſpendit arbore. quo facto, eis feuda ſunt adempta, qui vocati ad comitatum, domi remanſerunt. inter quos Hartuicus Bremenſis & Vldaricus Halberſtadenſis Epiſcopi regalia perdiderunt; Eccleſiis, apud alios, qui ſequerentur, Præſules, ſuo iure ſeruato. Ibi & Genuenſium dona ſuſcepit: Leones inuſitatos, ſtruthiones, & animalia pleraque noſtro incognita cœlo; quæ illi ex Almaria & Vlyſſipona Ciuitatibus, per idem tempus, è manu Sarracenorum ereptis, & in Chriſtianorum poteſtatem redactis, attulerant. Ad eundem locum Legationes omnium fermè Ciuitatum Italiæ conuenere, & nonnulli Principes. quorum nobiliſſimus fuit Guilhelmus Marchio Montiſferrati: qui ſolus quodammodo regulorum, euadere minas Ciuitatum potuerat. Quibus auditis, in Mediolanenſes duxit Exercitum. qui neque abdicatis de more veteribus magiſtratibus, nouos ab Imperatore flagitarent; neque tranſeunti ſibi cum copiis rerum neceſſariarum forum fecerant; neque Cumanis Laudenſibuſque, vt erant iuſſi, damna reſarciuerant. Ingreſſus agrum, caſtella & opida non pauca vi capta diſrupit atque incendit. inter quæ Roſatum quingentis militibus defenſum, primo impetu expugnatum ſolo æquauit, duces hoſtium acie victos in vrbem fugere compulit, pontes ſuper Ticinum fluuium ab hoſte munitos forti manu captos, tranſmiſſo milite, igne combuſſit. In agro Nouarienſi Mummiam, Gailardam, Tricamque, munitiſſima loca, armis recepta deleuit. Apud Thaurinum ſuperato Pado, in Aſtenſes Cherienſesq, duxit, qui Guilhelmo Marchioni Montiſferrati moleſti fuerant. Sed Ciuitates vacuas inueniens, quod illi ſuis diffiſi viribus ad montana confugiſſent, incendio cuncta vaſtauit. Terdonam, quæ cum Mediolanenſibus ſenſerat, pluribus diebus artiſſima obſidione vexatam, tradentibus ſeſe opidanis, in poteſtatem acceptam diripuit atque incendit; captiuis, præter vitam & quibus tegerentur indumenta, nihil reliquit. In vrbe Ticinenſi, Regni Longobardorum coronam, Italorum in Modoetia, paulo poſt ſolemnia Dominicæ Reſurrectionis, accepit. Tuſciam profectus Piſanos contra Guilhelmum Siciliæ Tyrannum claſſem armare iuſſit. Romam petens in Sutrinis Pontificem maximum obuium habuit. quocum veneranter excepto ad vrbem properans, Legatos Romanorum, qui inter equitandum occurrerunt Senatoriæ poteſtatis confirmationem petentes, vacuos ſpretoſque remiſit. In Baſilica Sancti Petri quartodecimo Kal. Julii Regni ſui Anno quarto, ab eodem Romano Præſule, honore ingenti coronatus eſt. Cum Romanis eadem die ad molem Adriani pugna conſerta; mille eorum trucidatis, captis ſexcentis, reliquis in fugam actis, Chriſti vicarium ſacrumque Cardinalium ordinem populari periculo liberauit. negantibus Romanis commeatum, ad montem cui Soracte nomen eſt, inſigne Silueſtri latebra, tranſmiſſo Tiberi per Sabinos in Latium migrauit; occupatis circum vicinis Opidis, nihil Romanis extra mœnia reliqui fecit. In Spoletanos, qui Comitem Guidonem, cognomine Guerram, inter Etruſcos Proceres nobiliſſimum, ex Apulia redeuntem Cæſaree Legatione functum, interceperant, nec iuſſi dimiſerant, arma con-

lienit;

uertit; eosque audaci mente ad pugnam egressos, audaciori animo ferociorique manu victos, dare terga coëgit; insecutusq; fugientes, cum illis pariter vrbem ingressus, per vicos plateasque horribili cæde peracta, intra horas circiter duas & prælio vicit & direptam ciuitatem incendio absumsit. In Apulia plurima opida per Legatos in deditionem accepit, omnemque illam Italiæ oram, quam prisci *magnam* dixere *Graciam*, icto fœdere cum Manuele Imperatore Constantinopolitano, procul dubio subegisset; nisi rogatus à Sociis Theutonibus, æstum Italiæ impatienter ferentibus, Germaniam versus flexisset iter. In agro Veronensi quingentos Latrones, qui ex altissimis rupibus saxa iaculaq; mittentes transitum præcludebant, summo labore & arte interceptos laqueo suspendit.

Inuenio in hac Friderici expeditione hos Principes illi fuisse comites: Peregrinum Patriarcham Aquilegiensem, Eberhardum Episcopum Bambergensem, Conradum, ipsius Imperatoris germanum, Ottonem Comitem Palatinum, Bertholffum Burgundionum, & Henricum Carinthianorum, Duces; nec non Odoacrum Stiriæ Marchionem. Verum ex Italia multæ illi vires accessere eorum Principum, qui partes Imperii tutabantur; quorum præstantissimum fuisse constat Wilhelmum Montisferrati Marchionem; inter Ciuitates, omnium fidelissimi Papienses habiti. Glorio-
sius vero in Germaniam Friderici reditus fuit, quem fama rerum gestarum clara admi-
rabilisque præcesserat. ea, magnos illi occurrere Principes compulit: inter quos excellentissimi fuerunt, Labeslaus Bohemiæ Dux; Albertus Marchio Saxoniæ, & Henricus Comes Palatinus Rheni, qui ad ipsas alpium radices redeuntem Imperatorem salutauere; haud satis discernentes, viri virtus commendanda an fœlicitas magis admiranda fuerit, qui tanta octo circiter mensibus peregerit; eas vincens gentes, quæ omnes olim vicerint In Baioariam profectus, lites, ut ante diximus, Henricorum composuit. apud Herbipolim cum Beatrice Rainaldi Burgundiæ Comitis filia, quæ vnica ex sanguine Burgundionum Regum virgo supererat; matrimonium contraxit; Burgundiamque exinde & Arelatensem Prouinciam dotales accepit: cum vetus illarum prouinciarum mos esset, deficientibus masculis ad fœminas dominatum pertinere. In Colonienſi Ecclesia discordes super Pontificis Electione Canonicos, in concordiam reduxit. Fridericum Adolfi Comitis filium, traditis ei Regalibus, ad Romanum Pontificem, consecrationis causa dimisit.

Quiescentibus Germaniæ rebus, Albim atq; Oderam & Viscellam fluuios prætergressus, in agro Sarmatarum, Polonos, Pomeranos, Ruthenosque, solo aduentus sui nomine fugam arripere compulit; Regionem vsque Posnaniam longè lateque populatus, Boleslaum Casimirumque Fratres, qui alterum Boleslaum natu maiorem Regno pepulerant, supplices & ad genua sua prostratos petere pacem compulit; tributum eis, quod iam pridem præstare desierant, quingentarum quotannis auri marcharum, & in expeditionem Mediolanensium auxilia, imperauit; de lite fraterna iudicium sibi retinuit: iuramenta fidelitatis, & ad eas res iustos accepit obsides; inter quos iuniorem fratrem Casimirum. Ad Herbipolim reuersus, Legatos Imperatoris Constantinopolitani obiuos habuit, Matrimonium regiæ virginis, sibi iam obligatæ, offerentes. Quibus instantibus, Fridericum Conradi filium nepotem suum, Sueuiæ Ducem, equestri baltheo more patrio cinxit; Amita iuuenis Imperatrice Græcorum id postulante. Henrici Anglorum Regis Legatos audiuit, purpureum tentorium incredibilis amplitudinis auro gemmisque contextum dono ferentes. In Bizontio, Burgundionum metropoli, duos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Adriani maximi Præsulis Oratores; Romanorum, Apulorum, Thuscorum, Venetorum, Hispanorumque Legationes, se expectantes inuenit. A Stephano Viennensi Archiepiscopo, Regni Burgundiæ Cancellario, Heraclio Archiepiscopo & Primate Lugdunensi, Odone Valentino, Gamfredo Auinionensi Episcopis; Siluione Principe Clarensi, iuramentum fidelitatis exegit. Ab Arelatensi metropolitano, & aliis Prouinciæ Prælatis ac regulis, qui aduentare illuc nequiuerant, per literas & nuntios hominium susceptit, paucisque diebus vniuersam prouinciam in potestatem redegit. In Saxoniam profectus, nouos, qui exoriri videbantur, motus compressit. in Boiariam transiens,

apud

apud Ratisponam Labeslaum Bohemiæ Ducem, quod in bello Polonico egregia suæ virtutis experimenta præbuisset,& in Mediolanenses iturum sè promisisset,Regio diademate honestauit. Tumque primum Bohemia Regibus parere cœpit; lapsis post Christi Saluatoris ortum mille centum & quinquaginta tribus annis. Henricum Austriæ Ducem, qui Ottoni Frisingensi Episcopo molestus erat,Ecclesiæq; non parua occupauerat prædia, reconciliauit; & ablata restituere iussit. Apud Augustam supra Lichum fluuium,dum copias in Italiam traducendas instruit,rursus Adriani Legatos primæ sedis Cardinales audiuit: Henricumque Danorum Regem electum, recepto per procuratorem hominii iuramento, confirmauit. Vt iter in Italiam felix faustumque Deus daret, dona Ecclesiis ac Monasteriis ampliſſima dedit,sacraque diuinæ Maiestati magnifica peregit. Henricos Austriæ & Carentanæ Duces, & Sagittarios Vngaros, Stirienses; manus,per montes Carnorum & viam,cui canale nomen est,in forum Julii descendere iussit.Bertholdo Duci Burgundiæ,Lotharingiis quoque,& qui ex occidentali Francia auxilia venerant, montem Iouis superandum imperauit. Heluetiis, Ripariolis Rhenanisq;,per Clauennam & lacum Comanum iter ostendit;ipse per Tridentinum & Veronensem agrum viam fecit. In comitatu suo Bolislaum Regem Bohemiæ, Fridericum Ducem Sueuiæ Conradi Cæsaris filium,Conradum Comitem Palatinum Rheni, Germanum suum, Fridericum Colonienſem, Arnoldum Maguntinum, Helinum Treuerensem, Archiepiscopos;Gerardum Eystetensem,Danielem Pragensem, Hermannum Verdensem, & Gerhardum Herbipolensem, Episcopos; multos præterea Regalium Monasteriorum Abbates, Marchiones, Comites, Optimates ex Germanis in Italiam duxit. Occurrentes ex Italia Proceres, & arma iungentes, & cum his Conradum Dalmatiæ Ducem, de quo supra memininus, auxilia non parua ferentem, benignè complexus est. Primos Italorum sese opponentes Brixianos,manu Bohemorum expugnauit; magnoque auri pondere mulctauit. In Mediolanenses, qui Terdonam reædificauerant,imperataq; omnia contempserant,indignabundus duxit:equites mille, ripam Abduæ custodientes, tranato fluuio vertit in fugam. Castellum Tritium natura & humana ope munitissimum, in deditionem accepit. Mediolanum ipsam, cuius ambitus ea tempestate haud minus centum stadiis fuisse memoratur, VIII. Kal. Augusti centum millibus armatorum obsedit: prælia pro mœnibus vrbis quamplurima feliciter gessit: contritumq; tandem ferro & fame populum VI. Idus Septembris deditionem facere compulit. Memorabilis illo æuo visa est Mediolanensium oppugnatio, & tantæ vrbis deditio, quam vix mensem ac dimidium obsidionis mala ferentem, Theotonicus furor obtinuit.ob quam remmon erit, vt nostra fert opinio,vanum,leges hoc loco recensere,quibus Mediolanenses sese dedidere. quæ huiusœmodi fuerunt. *Quicunque intra septuagesimum & decimum quartum annum ex Mediolanensibus agunt vitam, in verba Friderici veri Domini iurent. Palatium eidem in media vrbe amplum ac magnificum construant. ob rebellionem nouem millia marcharum argenti puri, intra menses quatuor, imperiali fisco dissoluant. Comum Laudamque rursus ædificari sinant, libertateque frui permittant. Consulibus, qui vrbi præsunt, ad Kal. vsque Februarias Imperatoria manſuetudine prorogatum gerant Magistratum: Exinde Successores populus eligat, Imperator confirmet: Designati Consules noui fidelitatem iureiurando Imperatori promittant: Si fuerit Imperator in Italia, media pars Consulum ad eum se conferat, ac suo & alterius partis nomine iuret; sin alibi agat, duo tantum ad eum proficiscentes id iuramenti subeant. Legatis Imperatoris, si quando Mediolanum petierint, in Palatio Cæsareo recipiantur; ibique placita ad se delata disſoluant. Papienses, Cremenses, Nouarienses, Comanos, Laudenses, Verzelenses, qui capti apud Mediolanenses, hac lege in manum Regis Bohemiæ tradantur, vt si pax Mediolanensibus, Cremonensibus, & Insulanis, intra præscriptam diem cum Ciuitatibus eorum conueniat, liberi sint; alioquin in pristinam captiuitatem redeant. Reliqui captiui, vtrinque relaxentur. Mediolanenses deinceps monetam ne cudant, pedagia, telonia, portoriaque ne exigant; quin hæc & alia, quæ vocant regalia, Imperatori dimittant: qui ea occuparit, Mediolanenses in eum vindictam statuant. Ob pecuniam soluendam erigendumque palatium, trecentos obsides Imperatori tradant, quorum non amplius quinquaginta in Alemanniam educi*

educi queant, alii in Italia seruentur: Rex Bohemiæ & tres cum eo Principes manus dent, satisfacientibus promisso Mediolanensibus bona fide reddendos. Fridericus Imperator, acceptis obsidibus, tertiâ die obsidionem soluet. Quibus conditionibus publicâ fide hinc atque inde firmatis, ad VI. Idus Septembris Clerus Vrbis & Pontifex maximus, humili habitu, prælatis Sanctorum imaginibus ac reliquiis, in quibus plurimum confidebant; tum Consules & Primores Ciuium, pullis vestibus ac nudis pedibus, exertos supra ceruicem gladios ferens; postremo ingens populi turba, flens & pectora tundens, ad Imperatorem in castra venere. quibus in tribunali prostratis, misericordiamque supplici voce precantibus, Fridericus, non tam prælio quàm obsequio se vinci posse, præfatus, hortatusque, vt posthac rebellionis contumaciam fidelitatis obedientia compensare contendant, veniam præbuit. Hac pace firmata, impetratis etiam atque obtentis per reliquas vrbes obsidibus, partem exercitus in Alemaniam remisit, rursusque Ronchalias petens, bina castra Germanorum Italorumque, ad ripas fluminis Padi, vltra citraque fixit, eaque ponte coniunxit. In quibus præter seculares Principes, ex vltramontanis, XII Episcopi, ex citramontanis, Cardinalis vnus Guido Cremensis, Apostolicæ sedis Legatus, Patriarcha vnus Peregrinus Aquilegiensis, ac vnus & viginti Episcopi. In eo Conuentu, Fridericus promulgatis ex communi consensu legibus iura Feudorum declarauit ampliauitq;: pœnas in eos decreuit, qui pacem violarent: binos Iudices per singulas diœceses constituit: iura fisci admodum multa vendicauit. Placentinos, qui Cremensibus inimrii fuissent, turres deiicere, fossasque circa mœnia nouissimè factas humo complere iussit. ad quas res iudicandas sanciendasq;, quatuor ex Bononiensi scola Iuris Interpretes accersiuit, doctrina famaque insignes, Iacobum, *Martinum*, Hugonem, & qui nomen ad nostrum quoque tempus transmisit, Bulgarum.

Dimisso Conuentu, in Genuenses, qui Corsicam, atque Sardunam nobiles Insulas ad Imperii deuotionem redire volentes, malis artibus auertissent, arma promouit, breuiq; superatis Appennini iugis, petere pacem coëgit; quam non nisi deposito muro, quem nouiter erexerant, & auri pondere mulctatis non paruo, concessit. In hibernis, apud Albam Liguriæ vrbem, ab Legatis Imperatoris Constantinopolitani, itemque Regis Vngariæ, & duorum inter se contendentium Ludouici Franciæ & Henrici Angliæ Regum, haud indigna tanto Principe dona susceptit. Ea enim Friderici existimatio fuit, vt quocunque diuerteret, potentissimorum Regum populorumque legationes eum quærerent. Rebellarunt per idem tempus Mediolanenses; qui missos ad reformandum vrbis statum Imperatoris Oratores, tumultuante populo violarunt, probrosa in eos verba saxaque iacientes. Ob quam rem profectus in agrum Bononiensem Fridericus, eos tertio citatos, neque satisfacientes, hostes Imperii declarauit; bona ipsorum direptioni, corpora seruituti adiudicans. In quo iudicio confederunt ei, præter Duces & Principes seculares, ac Romanorum multarumque Ciuitatum Legatos, Ecclesiastici viri: ex Germania, Bombergensis, Frisingensis, Verdensis, Eystetensis, & Pragensis; ex Italia, Papiensis, Verzelensis, Astensis, Terdonensis, Placentinus, Cremonensis & Nouariensis Ecclesiarum pontifices. Sciens autem Imperator, quantam belli molem aggressurus esset (nam Mediolanensibus multæ Ciuitates auxilio erant) Coniugem nouas in Germania militum delectus habere, & ad se in Italiam properare iussit: in agrumque mox Mediolanensem traiiciens, quadraginta diebus in eo populationes egit; castella omnia, duobus demptis, Mediolanensibus ademit; egressos ad pugnam conflixit. In Cremenses, qui Mediolanensium arma iuuabant, exercitum agens, Opidum illud non minoribus copiis quàm prius Mediolanum obsedit; durissima pro muris & atrocissima bella confecit; vrbemque demum diutina oppugnatione fatigatam in potestatem obtinuit; miseris Ciuibus, præter corpora & quæ suis ferre humeris possent, nil reliqui faciens; opidum incendio absumpsit, XX millibus hominum in exilium actis. Quartum in Mediolanenses profectus, egressis ad pugnam ciuibus, sexcentos ex eis intercepit; centum & quinquaginta ferro extinxit: in paludes, quæ proximæ fuerunt, quomplures demersit. Terdonam rursus ædificatam, & Mediolanensium arma sequentem, secundo adorsus

eaque

eamque potitus diripuit. Postremo cum Mediolanum sua fata manerent, omnes in eam vrbem vires eduxit. quam licet populo innumerabili defensam, & multarum ciuitatum auxiliis adiutam, armis tamen captam atque direptam funditus euertit: eiusque populum in sex portarum tribus diuisum, sex agri sui loca, ab eo solo, vbi prius vrbs fuit, decimo distantia milliario, habitare coëgit. Eamque pietatæ fidei pœnam contumax populus dedit. Nec Veronenses, Patauiniq;, ac Vicentini, qui auctore Senatu Veneto ab Imperatore defecerant, vltionem periutii effugissent; nisi noui quidam motus Fridericum in Germaniam reuocassent. Sapuerunt autem Veronenses, qui ei cum maximis copiis ex Alemania redeunti, adiunctis sibi Brixianis & Cremonensibus, occurrentes, adulati veniam meruere. Ipse missa in Etruria parte militum, in agrum Picenum transiuit, Anconamq; eo tempore Græcis parentes damnis haud mediocribus affecit. In agro Romano multis illatis cladibus, cum peste laboraret Exercitus, in Germaniam sese recepit. nec diu motatus, per montem Cinisium rediens, Secutam imperata facere recusantem, impetu captam diripuit, incendioq; consumpsit. Hastam timore perterritam, dedentibus se ciuibus, in potestatem arripuit. Alexandriam infestis adorsus signis, quatuor mensibus arctissima obsidione pressit. Venetis pacem petentibus dedit. Cum ciuitas Mediolanensis in odium & contemptum eius iterum muris cincta fuisset, armaq; simul iunxissent Mediolanenses, Veronenses, Brixienses, Nouarienses, Verzelenses, vbi ad Barilianum vltimo cum eis pugnatum est, nunc Ducis nunc militis officio functus, eam hostium stragem edidit, cui parem raro alium Imperatorem fecisse, memoriæ proditum est. nam cum periclitanti signifero ferret opem, totumque prælii pondus in se conuertisset, vnus aduersus plurimos stetisset, & modo istum modo illum confodiens sternensque & cædem incredibilem faciens, cum viri virtus superari nequiret, equus sub eo confossus est; neque tamen eo modo vel occidi potuit; sed instaurans pedes pugnam, inter cadauera, quæ ipse strauerat dextra leuaque complurima, hostiles manus euasit, Mediolanensibus tamen victoriam reliquit, cum equo lapsus occubuisse crederetur.

Memoria hæc & digna laude, quæ de Friderico hactenus relata sunt. Illa indigna tanto Imperatore, & odio prosequenda, quæ subiiciemus. Adiuerunt eum Bizuntii morantem Rolandus tit. Sancti Marci, & Bernardus tit. S. Clementis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinales, Apostolicæ sedis legati, de captura Lundensis Archiepiscopi querelam facientes. illum enim à Romana sede dimissum, cum domum repeteret, in Theotonia quidem Nobiles interceperant, vinctumque iam pridem obseruauerant, nec vindicauerat in eos Imperator. quod cum accepisset Adrianus Pontifex, Legatosque misisset, inter cætera, quæ scripsit Imperatori, hæc interposuit verba: *Debes enim, glorioſissime fili, ante oculos reducere, quàm gratanter, quamque iocunde superiori anno mater tua Sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione prosecuta sit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter imperialis insigne coronæ libentissime conferens, benignissimo gremio sua tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere.* Quibus verbis, id rancidum, id amarum atque intolerabile visum est, *quod Italicum Regnum atque ipsum Imperium ex donatione Pontificum Germani Cæsares tenere viderentur.* Rediit igitur è vestigio in mentem, quod anno ante acto Romæ acciderat. In palatio Lateranensi, imaginem Lotharii Cæsaris eximius pinxerat artifex. ad cuius caput huiusce modi scriptura fuit: *Rex Theutoniæ cum venerit ante vrbis fores, homo Pontificis iureiurando efficitur, Insulas exinde Cæsareas illo donante accipit.* Quam imaginem cum Amici Imperatoris indignabundi deleuissent, idque molestè plerique ferrent, Adrianus factum probauit, affirmans, *eam picturam scripturamque iure deletam, quum summis in orbe viris litium fomenta ministraret.* At cum epistola eius idipsum, quod ante damnatum erat, continere videretur, Legati quoque constantissimè asseuerarent, Romanum Imperium in Germanos Apostolicæ sedis auctoritate translatum, Imperatorem autem summo Pontifici omnia debere; impatiens veri Fridericus, tum primum tyrannum induit, legatosque non inhonoratos modo, verum etiam contumeliis affectos, abire iussit; patumque abfuit, quin Palatinus Comes alterum illorum liberius loquentem exerto gladio

gladio obtruncauerit. Atque hoc initium discordiarum, inter Romanum Pontificem & ipsum Fridericum fuisse, comperio.

At cum iterum Fridericus in Italiam reuerti statuisset, ingentesq; copias iam comparasset, veritus Adrianus, ne tantus in se conatus prorueret, Henricum Sanctorum Nerei & Achillei Presbyterum, & Iacinctum Sanctæ Mariæ in Schola Græca Diaconum, Cardinales, qui eum placarent, in Germaniam properare iussit. Illi Fridericum apud Lichum fluuium nō longè ab Augusta Vindelica in tentoriis offendentes, ad colloquium intromissi, hac prefatione vsi feruntur: *Adrianus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul, Excellentiæ Tuæ deuotissimus in Christo Pater, te salutat sicut carissimum & spiritualem beati Petri filium. Salutant & Tuam Serenitatem Venerabiles Fratres nostri, Clerici tui, vniuersi Cardinales, tanquam Dominum & Imperatorem vrbis & orbis.* Nouerant enim viri Sapientes, aduersus armatam potentissimi hostis superbiam nihil tam validum esse, quàm vultum humilitatis, speciemq; submissionis præferre: neque arguendum esse, qui pro temporis varietate verbis vtitur variis, & nunc extollit titulosq; præfert magnificos, nunc suam extenuans dignitatem sermone præfatur abiecto. Ad quas artes Legati recurrentes, ab Imperatore gratanter auditi & liberaliter donati, ad vrbem Romanumq; Præsulem læti rediere.

Verum temporis exigui, vt Poeta inquit, mansit concordia discors. inter supremas enim potestates, aut amicitia nascitur nulla, aut nata difficile retinetur. Inimicitiæ igitur his de causis iterum Adrianum inter & Fridericum ortæ sunt, quæ magno Italiæ malo regnum à Sacerdotio diuisere. Cogebat Imperator Episcopus & Abbates Italiæ, pro regalibus, quę ab Imperio Ecclesiæ monasteriaq; tenebant, homagium sibi prestare; cosq; pariter cum cæteris seculi Principibus in expeditiones euocabat. Id ægrè Adriano fuit, neque tolerabile visum. quam ob causam litteras querelis plenas ad Fridericum scripsit, qui tum apud Albam Ligurum hibernabat. Tabellarius autem qui Epistolam detulit, câ redditâ repente disparuit. multa in eis scriptis fuere, quæ Friderici animum alioquin tumidum conturbarent. poterat tamen hoc forasse sanari vulnus, nisi mox aliud noua inflixisset controuersia. Mortuo namq; in obsidione Mediolanensi Anshelmo Rauennate Archiepiscopo, cum Clerus populusq; Guidonem Guidonis, comitis Blanderatensis filium, Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, sibi Pontificem elegissent, eumq; Fridericus summopere ad regendam illam plebem postularet (nam Patrem eius inter paucos amabat, qui sibi Mediolanenses conciliauerat) Adrianus id prorsus negauit. Quibus rebus commotus Fridericus, modestiæ leges prorsus abrupit; *multaq; de summo Pontifice indigna relatu profatus*, vocato Cancellario litteras admodum duras rescribi Papæ mandauit, *in quibus suum nomen præferri Adrianiq; subnecti, & se numero plurali, illum vero singulari compellari præcepit.* cuius erroris ea potissimum causa fuit, quod Imperatori suasum esset, Mediolanenses Adriani litteris ad defectionem sollicitari. neque hic res quieuere. In agro Bononiensi cum ageret Imperator, vt dictum est, quatuor Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ad eum venere, Octauianus tit. Sanctæ Cæciliæ; Henricus Sanctorum Nerei & Achillei, Presbyteri, Wilhelmus Papiensis, & Guido Cremensis, Diaconi, quos in hanc sententiam locutos ferunt: *Regalia vrbis Romæ Pontifices decent; ab Episcopis Italiæ hominium haud iure exigis: nuntios tuos in Palatiis Episcoporum indigne recipi iubes: Ferrariam, terramq; Comitissæ Mathildis, & Ducatum Spoletanum, itemq; Corsicæ atq; Sardiniæ Insulas, tributa quæ Romanæ debentur Ecclesiæ, impiè tibi pendere cogis. hæc iubet Adrianus vti corrigas: si secus feceris, senties, Apostolicam sedem ius suum ac beati Petri minime neglexisse.* Ad hæc Fridericum hoc modo respondisse traditum inuenio: *Si Romæ nihil est nostri iuris, miramur Pontificis vestri sapientiam, qui nos Romanorum regno donatos dicere solet. Episcoporum domino non inuiti carebimus, si & ipsi nostris regalibus carere voluerint. In Palatiis eorum nuntios nostros haudquaquam habitare sinemus, si ea in solo nostro constructa non fuerint. Quod si dicit Episcopo Romanus Præsul, quid tibi & Regi? dicemus & nos, quid tibi & possessioni? De tributis autem, quæ nos extorquere immerito dicitis, quin etiam de omni controuersia, quæ inter Nos Pontificemq; vertitur, placet arbitrium subire: si modo Pontifex ipse Cardinales sex elegerit, qui cum sex Episcopis à nobis nominatis, discordiæ nostræ modum faciant.* Recusauit

arbitrium Adrianus, qui Octauiani Cardinalis ſuſpectam haberet fidem, & potentiam eius timeret. Fuiſſet tamen & huic morbo inuentum forſitan remedium, niſi Adriano apud Anagniam defuncto, eiuſq; cadauere Romam delato atq; ſepulto, Electio ſucceſſoribus diſcordiam peperiſſet. Etenim quamuis Rolandus tit. Sancti Marci Presbyter Cardinalis, ex Sena Etruſca natus, doctrina & prouidentia iuxta inſignis, Cardinalium maioris partis ſortitus electionem, Alexandri tertii nomen accepiſſet; Octauianus tamen ei ſeſe obiecit, qui à minori parte nominatus, mantum Apoſtolicum induit, Victorq; dici voluit. Imperator autem ab vtraq; parte compellatus, non, quod erat officii ſui, Alexandro rite aſſumpto aſtitit, ſed Victoris potius partem ſecutus eſt. cui aſſiſtere cum abſq; cleri conſenſu turpe duceret, concilium Epiſcoporum apud Papiam indixit; eoq; contendentes de ſummo Pontificio accerſiuit: aſſerens, ſibi id eſſe permiſſum, cum de ſupremo Eccleſiæ capite lis verteretur. Comparuit Octauianus, amicitia Imperatoris tumens. Alexander autem, qui ſe Pontificem verumq; Chriſti vicarium eſſe duceret, ſuſpectum ſubire iudicium recuſauit, neq; enim occulta erant Octauiani & Fridetici conſilia, quibus iam in Adrianum ambo conſpirauerant. In Papienſi ergo conuentu, refutato Alexandro, Victor Romanæ Eccleſiæ Pontifex declaratus eſt, qui eo fauore auctus, Alexandrum ex vrbe pepulit. Ille vero, & Fridericum & Octauianum, apud Anagniam, excommunicationis gladio pupugit. Deinde in Galliam migrauit ad Philippum Franciæ Regem, qui tyrannidem Imperatoris deteſtatus, extortem Pontificem benignè ſuſcepit. Fridericus autem nihil cunctatus, ipſum etiam Philippum in ſuam ſententiam adortus trahere, concilium in diuiſione habendum, ibiq; pacem Eccleſiæ dandam, ſuadere conatur. Veniensq; ad diem dictam, Bohemię & Angliæ Reges, ipſumque Octauianum, abduxit. Philippus verò Alexandrum in Monaſterio dimittens, cum Rege Scotiæ Diuionem petit. Sed cum de pace Eccleſiæ non conueniſſet, conuentus fruſtra dimiſſus eſt. Octauianus in Italiam, Fridericus in Germaniam rediit. Nec obeunte apud Piſas Octauiano, pertinaciam ſuam ferocemq; illum rigorem Fridericus remiſit. Qui Guidonem illi Cremenſem ſuſcitari, & Paſcalem vocari iuſſit: cui & copias militum non partuas addidit, quarum auxilio partes Alexandri & in Etruria & Romæ magnis attritas cladibus fuiſſe conſtat; ipſumq; Guidonem beati Petri Baſilicam atque Palatium obtinuiſſe. vbi morte præoccupatus, temeritatis & dementiæ ſuæ Succeſſorem habuit Johannem Sirmienſem, Calixtum tertium appellatum. Nec priori vita, nec ea, quæ ſecuta eſt, laudabilem, in his verſatum facinoribus, Fridericum comperimus. quorum maximum & deteſtabiliſſimum illud eſt, quod de ſciſſura Eccleſiæ retulimus, & optimi Præſulis Alexandri perſecutione. Eſt tamen quod factum leniat, auctoritas Prælatorum, qui eum in ea conſilia traxere. Conſtat enim, in Papienſi Concilio Peregrinum Patriarcham Aquilegienſem, Arnoldum Maguntinum, Artuigum Bremenſem, Rainaldum Colonienſem, Vithimannum Magdeburgenſem Archiepiſcopos, conſedisſe, ſimulq; Rauennatem electum & alios circiter quinquaginta Epiſcopos, vt verum illud haud infitiari liceat, quod aiunt, *nullum in Eccleſia excellens fieri malum, cuius origo à Sacerdotibus non prodierit*. Cæterum Fridericus, quanquam iniquo hæc, opinor, vſus conſilio perpetrauerit; commendanda eſt tamen eius conuerſio, & quæ ſecuta eſt deinceps vita: vt non ab re dicere poſſimus, quæ malè operatus, alieno ſuaſu; quæ bene, ſuo ductus, ingenio fecerit. Venit enim Venetias magnus Imperator tot Regnorum, tot Prouinciarum Dominus, tot diuitiarum Poſſeſſor, tot Gentium ductor, & profugi ex vrbe Pontificis, oſculari pedes, erratiq; veniam petere, haudquaquam dedignatus eſt. Dicat fortaſſe aliquis, victum bello Mediolanenſi Fridericum, auxilio deſtitutum, animo fractum, neceſſitate compulſum, ad Pontificis miſericordiam confugiſſe. Fallitur in ea quidem ſententia, qui ita ſentit: neq; enim ea mens Friderici fuit, quę vno ſuccumbens prælio frangeretur. Incolumis Papiam ex pugna redierat: magnæ adhuc illi copiæ ſuperabant: adhuc Alemania, & Prouincia Arelatenſis, & Burgundia, & quicquid Germani nominis eſſe creditur, ei parebat. In Italia quoque ob eam cladem nulla Ciuitas ab eo defecerat. poterat inſtaurare prælium, & fortior ad pugnam reuerſus acceptum contumeliæ reſarcire damnum. Sed animaduertit, non ſe cum mortalibus, ſed cum ipſo pugnare Deo, quem ſuperare non poſſet, cum Chriſti vicarium inſequeretur. Retraxit igitur ab iniuſto bello pedem, ac Romano Pontifici reconci-

reconciliatus, quantum demeruerat, Christianorum effundendo sanguinem; tantum mereri statuit aduersus Christi hostes pugnaturus. Compositis in Italia rebus, pace Ecclesiæ data, in Germaniam rediens, amplissimum exercitum coëgit: in Austriamque profectus vndecimis castris per Vngariam Bulgariamque & Thraciam continuato itinere, apud Constantinopolim primum desedit. nec diu moratus, transacto Bosforo, Philomelum Turchorum vrbem vi cepit. Iconium delatus, eius agrum & adiacentem regionem magnis populationibus incendiisque vastauit. Armeniam deinde minorem ingressus, quæ quondam Cilicia, nunc vero Caramania dicitur, omnia quæ adiit loca in suam compulit potestatem, tantumque rebus Christianis fauorem, tantum Sarracenis metum intulit, vt tunc primum remisisse suis rebus Saladinum Ægypti ac Syriæ dominum, memoriæ proditum sit. Sed tantam Christianorum spem infœlix hora succidit. nam rapidum Fridericus amnem dum sudoris lauandi caumatisq; mitigandi causa temerè & inexplorato ingreditur, tantorum exercituum Imperator enectus est: Henrico ac Philippo filiis post se relictis. Non tradunt auctores, quo in fluuio id acciderit. fortasse id Cydnus fuit, qui necem Alexandro Macedoni præparatam ad Fridericum vsque seruauit.

Fuit autem Fridericus Barbarussa, forma corporis decenti, statura inter longiorem & mediocrem procera; flaua cæsarie à vertice frontis paululum crispa; auribus, supernè actis crinibus plerumque opertis; venusto naso, illustribus oculis; barba, quæ cognomini conueniret, subrussa: labiis subtilibus corallo similibus; dentibus albis & æqualibus; malis ad gratiam rubescentibus; facie læta & hilari; gutture colloq; non obeso neque macro; humeris paululum prominentibus, lato pectore, ventre paruo, cruribus surisq; masculis; voce clara, incessu graui & constanti, gestuq; omni modesto: valetudine prospera, febri, quam vocant ephemeram, tantum obnoxius: in consilio perspicax, in bello fortis, manuque promptus, & ad cauendas insidias idoneus: vini, cibique, ac somni temperans: equorum domitor & amator: currere, saltare, ioculari, sagittare egregiè callens. Ecclesiam non ideo persecutus est, quod religioni esset infensus (quippe qui nullo non die rebus diuinis interfuit, & qui despicientes Sacerdotium Longobardos honorare Pontifices & Sacerdotibus cedere docuit) sed arbitratus est, Octauianum, Victorem appellatum, verum fuisse Pontificem: cui & Stratoris officium apud Papiam publicè exhibuit. Rebellibus, & qui grauius deliquere, haud facile pepercit; propitius in fidem receptis; in adeundo facilis, in sermone blandus; in donando liberalis, pecuniarum suarum decimas, Ecclesiis Monasteriisq; quotannis distribuit. Veterum gesta Regum cupide lectitauit: in patria lingua admodum facundus, latinum sermonem facile intellexit, difficile pronunciauit. vestitu vsus est minus sumptuoso, quàm tantæ maiestati conuenire putarent, armorum quàm vestium splendorem dilexit: ædificandi cupidus sacras ædes, palatiaque regalia, seu construxit à fundamentis noua; seu vetusta & iam collapsa restituit. Denique ea morum Friderici formæque maiestas extitit, vt ab ignotis vel solus inter venandum repertus, Imperator, sæpè iudicatus appellatusq; sit. Auctoritate autem tanta vsus est, vt Reges Hispaniæ, Franciæ, Angliæ, Vngariæ, Bohemiæ, Datiæ, Scotiæ, quotiens Friderico scripsere, *penes eum imperandi potestatem, se penes obsequendi voluntatem esse*, professi sint. Manuel vero, qui se prius Romanorum Imperatorem appellabat, eo deflexus est Friderici monitis, vt deinceps nouæ Romæ contentus titulo, Romanorum & regnum & imperium Germanico sanguini & genti reliquerit. Atque tantum de Friderico primo commemorasse, sat fuerit.

Nunc ad reliquos eius familiæ Principes transeamus. Electores Imperii, ut primum Friderci obitum cognouere, filium eius Henricum Sextum Imperatorem designauere. Quem in Italiam venientem, ea conditione Celestinus tertius Romanæ Pontifex Ecclesiæ confirmauit, vt regnum ipse Siciliæ citra & vltra Pharum suo sumptu recuperaret, & censum deinde Ecclesiæ pendens opida terramque omnem iuris Ecclesiastici sibi restitueret. Regno Siciliæ ea tempestate præsidebat Tancredus, origine Gallus, ex genere Guiscardi Normandi, insulamq; potenti manu tenebat. Constantia vero Roggerio Rege nata, in monasterio Panhormi clausa detinebatur. Hanc

Celestinus Pontifex astu surtripi curauit, Henricoque tradi vxorem iam natu grandiorem quàm parere posse crederetur. Henricus vt Pontifici maximo morem gereret, Tusculanam vrbem ei tradidit; & profectus cum exercitu Neapolim obsedit. sed pestilentia coactus, obsidionem dissoluens, cum Constantia in Alemaniam rediit: filiumque ex ea præter spem omnium Ericeticum sustulit, qui postea rerum potitus, Ecclesiam persecutus est, ex religiosis parentibus impius filius. Nec diu post reuocatus à Celestino Henricus, in Italiam cum magnis copiis reuertitur: Constantiam adducens, & Fridericum filium quadrimum. breuique Regnum Siciliæ, & in continenti & insula, consecutus est; cum iam Tancredus & filius eius Roggerius mortem obiissent. Exin Romam petens, cum Pontifice de classe in Orientem ex Sicilia mittenda agere cœpit: Maguntino vero Episcopo & Duci Saxoniæ, vt Germanicas manus in Asiam traiicerent, imperauit. Sed dum Messanæ expeditioni nauat operam, morbo correptus, moriens magnis ausis cursum abstulit: vxore & filio Romam missis, & Innocentio tertio, qui Celestino successerat, summa prece commendatis.

Erat Etruriæ Dux, cui suprema voluntate mandauit, vt Regnum Siciliæ cum Imperio, quousque Fridericus filius adolesceret, pro Tutore administraret. Sed cassa eius voluntas fuit. Nam regnum, Constantia gubernauit. Imperium scissum est. Maguntinus Præsul & Henricus Saxoniæ Dux, vbi mortem Henrici audiuere, mox ex Asia redière; &, cum de Successore Henrici ageretur, alii ex Electoribus, Ottonem Saxoniæ Ducem, Henrici fratrem; alii Philippum elegere. Ottoni Rex Angliæ affuit, Philippo Rex Franciæ auxilia misit. Innocentius tertius Ottonem confirmauit, qui Aquisgrani coronatus, magnam Alamaniæ partem adeptus est. Philippo Etruria in Italia, & Sueuia in Germania parum fauit. Cumque rursus Guelfi Ghibelinique, inter sese desæuientes, Imperii Prouincias magnis cladibus afflixere. Cumque veniisset Philippus in Alamaniam, Ottonem pluribus præliis vicit fugauitque: exin Coloniæ Aggrippinæ clausum durissima obsidione oppressit, coactumque à Colonienfibus pugnare iterum profligauit, Coloniaq; potitus est. Sed non fuit ei in acquisito per arma Imperio quies. Landgrauius Hassiæ & Comes Palatinus Rheni, insidiis appetitum captumque necauerunt. Suffectus Imperio alter Otto, ex familia Saxoniæ, & ab Innocentio coronatus Romæ, immemor beneficii accepti iuramentiq; fractor, quicquid agri est inter Radicofanum & montem Flasconis, Romanæ Ecclesiæ ademit: Romandiolam quoque, & Regnum Neapolitanum inuadere adoriebatur. Quibus ex rebus indignatus Innocentius, eum, cum monitus non resiperet, excommunicatione percussit, regnoq; & Imperio priuauit. Quod vbi Rex Bohemiæ, & Dux Austriæ, & Landgrauius Thuringiæ, simulq; Maguntinus Præsul, accepere; ab eo defciuerunt. Electores autem, suadente Philippo Rege Franciæ, Fridericum Henrici Sexti filium primique Friderici nepotem, XX annos natum, Imperatorem designauere. Cuius indoles magnum virum & fortissimum promittebat Imperatorem, hunc Innocentius tertius Romæ coronauit, priusquam Regnum Alamaniæ accepisset. Profecto autem in Germaniam, Maguntinus Pontifex Theutoniæ coronam dedit. Otto, relictis quæ in Italia occupauerat, in Alemania bellum gerere cum Friderico statuit. Iuuabant cum Saxones fermè omnes, & Johannes Rex Angliæ, cuius ex Sorore nepos erat. Friderico suppetias attulit Rex Franciæ Philippus. nam ex his Regibus, qui vno amico est vsus, ei alterius odium expectandum fuit. Conuenêre ambo exercitus in agro Tornacensi, ibiq; prælio magna contentione commisso superatus Otto, duobus millibus suorum militum desideratis, & amissis aquilarum signis, turpi se fugæ credidit; nec diu post in Saxonia, mœstus languensque inglorius exuit hominem. Fridericus victoria potitus, caput Theutonici regni Ciuitatem Aquensem, cum sibi portas clausissset, obsidione durissima fessam, denique per deditionem accepit: ibiq; rursus coronatus est, & religiosum Principem simulans, Comitatum Fundorum, cum antea pars regni Neapolitani censeretur, beato Petro Apostolo ac Romanæ Ecclesiæ dono dedit. Expeditionem quoque in Asiam pro Christi nomine promittens, signum salutiferæ Crucis accepit. Sed cum ex Alemania reuersus, Romam petiuisset; Constantiamq; matrem, sanctissimam fœminam, fatis functam inuenisset; in alterum virum mutatus est, ex defensore Ecclesiæ per-

siæ persecutor effectus. Nam quod antea excellentem Principem egerat; materna reuerentia, non vis propriæ mentis effecerat. Rapere igitur Ecclesiarum bona, Sacerdotes contemnere, diuina & humana pari impietate peruertere. Quibus ex rebus indignatus Innocentius tertius, Romanæ vrbis Antistes, qui Honorio successerat, anathema in eum promulgauit. Sed parum ille Romani Præsulis sententiam pensitauit, qui nec Dei iudicium formidare videbatur. Ad cum quamuis fidelium communione priuatum, cum Pisis ageret, Johannes Hierusalem & Tiri ac Ptolomaidæ Rex sese contulit: eique filiam vnicam, quam habebat ex Iole coniuge sua, matrimonio coniunxit: Dotis autem nomine id iuris dedit, quod filiæ ex hæreditate materna in Regno Hierosolymorum competebat. Hinc Hierosolymitanus titulus Siciliæ Regibus additus. Ex hac coniuge natus est ei filius, cui suum indidit nomen. Sed hunc Regem Tusciæ destinatum, præmatura mors extinxit. Fuerunt etiam ei ex alia coniuge filii; Henricus, quem decennem, Alemaniæ Regem dedit; & Conradus, quem Sueuiæ Ducem designauit. Blancha vero, Marchionissa Lucensis ex nobilissima Montisferrati familia prognata, Entium ei extra matrimonium peperit. Ex alia concubina Manfredum suscepit.

At Innocentio rebus humanis exempto, Gregorius nonus, vt primum beati Petri cathedram sortitus est, litteras ad Fridericum dedit; qui se Præcessoris sui anathema innouaturum affirmauit, nisi iuratam exequeretur expeditionem in Asiam. Quo timore perculsus Imperator, pariturum se, ait; diemque profectionis ad Kal. Aprilis dixit: portum, vnde solueret, apud Brundusium elegit. Lætus eo nuntio Pontifex, cruce signatos ex orbe Christiano ad præscriptum tempus euocat. Venerunt quamplures ex Theutonia, cæterisque trans montes Prouinciis, viri potentes: inter quos & Landgrauius Thuringiæ, coniunx sanctæ Elizabeth Regis Vngariæ filiæ, cui tunc Hassia quoque paruit, splendidum comitatum adduxit. Sed adueniente tempore, Fridericus, qui cum Soldano Ægyptio pernicioſos tractatus habere ferebatur, dum internuntios præstolatur, ægritudinem simulans in Sicilia quietem agit. Ob quam rem cruce signatorum ingens numerus, Brundusii Principem expectans, morbo periere. cum quibus & Landgrauius dies obiit; vir optimus & sancta coniuge dignus. cuius pretiosam supellectilem missi à Friderico quæstores diripuere. Sed venit tandem Imperator, cum amplius dissimulare non auderet, & frequentibus Apostolicæ sedis iussionibus vrgeretur: & III. Idus Augusti è Brundusio soluit. Verum cæteris versus Acconem nauigantibus, intempesta nocte cum trireme sua dilapsus Brundusium rediit; suis, vt sequerentur, admonitis. reliqui sine Duce Acconem peruenere. Quibus Papæ renunciatis, excommunicationem & imprecationem denuo in Fridericum promulgare placuit. Cum vero Christiani, qui Ptolomaidam attigerant, hoc est Accon (vtroque enim nomine dicitur) sese deceptos ab Imperatore quererentur, eiusque opem iterum atque iterum implorarent, veritus tantæ infamiæ notam Fridericus, spem illis sui aduentus fecit. Quos cum annum frustratus esset, tandem in Cyprum nauigauit, & præmisso militiæ Magistro, quem Marescallum vocant, vt Soldani potentiam & Christianorum vires specularetur, Rainaldum Theotonem Regni Siciliæ gubernatorem, Romanum Pontificem Ecclesiasq; omnes quibus posset contumeliis afficere iussit. is mandata exequens in Marchiam profectus, Montem Vlmi vi cœpit; Maceratam occupauit; Perusinos magnis attriuit cladibus; nec Fulginates intactos reliquit. Interea Marescallus Soldanum clam allocutus, pestifera cum eo fœdera percussisse creditus est. Ob quam rem cum venisset Ptolomaidam Fridericus, absolutionemque à Romano Pontifice petiuisset, neque impetrare veniam potuit, neque illis tam fructum aliquem suspectus facere: itaque indignatus in Italiam rediit, multa in Pontificem atque in Romanam Ecclesiam minabundus euomens. Sed cum iam Duces suos, &, quos illi ex Aphrica in auxilium acciuerant, Sarracenos vbique profligatos inuenisset (nam Pontifici ex Gallia auxilia venerant, & Socer ipse Friderici Johannes Rex Hierosolymitanus, non paruis instructus copiis, partes Ecclesiæ indignatus genero tuebatur) pacem petere compulsus est, quam ita obtinuit vt centum viginti millibus auri vncijs in ærarium Ecclesiæ collatis, Rex atque Imperator apud Italos atque

Germa-

Germanos appellaretur ; quæ in Regno Neapolitano amiserat, noua infeudatione susciperet. Quibus legibus dictis, Anagniam ad Pontificem venit, ibique benignè acceptus cum eo cœnauit. Duxit autem Fridericus secum ex Asia fratres beatæ Mariæ Theutonicorum : quibus terram Pomeraniæ atque Prussiæ, ex manibus infidelium vendicandam, ne otiosam agerent vitam, dono dedit. Quam vbi conquisissent, ita ab eis teneri voluit, quemadmodum Imperii sacri meliores Principes sua imperia possident: deque ea re litteras eis tradidit aurea bulla munitas; quas nos coram Friderico tertio Cæsare productas vidimus, in eo iudicio, quod inter eos Fratres & Ciuitates Prussiæ agitatum est, de quo posterius suo loco dicemus.

Inter hæc Romani aduersus Gregorium rebellantes, in Viterbienses copias eduxere. Quod Fridericus intelligens, ad Pontificem in Reatino manentem venit, auxiliaque contra Romanos & Entium filium obsidem obtulit. Gregorius, vt se legato coniungeret, imperauit, apud montem Flasconem tunc agenti; quo & suas ex Tuscia copias Fridericus accersiuerat. sed nihil ibi magnifice actum. Nam cum Romani Theutonesq; colloquia simul miscerent, Imperator in suspicionem adductus, Pisas se contulit; deinde Alamaniam petiit: vbi cum reperisset Henricum filium aduersus se coniurasse, fœdere cum Ciuitatibus Lombardiæ percusso, quæ Patri erant infestæ; literas à Pontifice petiit, quibus Alemaniæ Principes parere sibi contra filium iuberentur. nec negauit Apostolica benignitas, quanquam perfidam Imperatoris mentem perspectam haberet. Henricus autem à Patre vocatus, obtenta fide publica ad eum venit. apud quem proditionis damnatus, interuentu Principum, vt vita sibi relinqueretur, obtinuit. Sed in Apuliam missus, dum in custodia retineretur, iussu Patris strangulatur. Joles dum forte obierat prior Friderici coniunx, itaque Constantiam Regis Castellæ sororem sibi coniungere statuit. quod cum perficere nequiret, affinitatis vinculo prohibente, ex dispensatione Apostolica voti compos est factus; moxque in Italiam rediens Patauinos in suam potestatem recepit. Cuius rei auctor fuit Accelinus, qui ex Germaniâ ducens originem, per idem tempus in Gallia transpadana plurimum poterat. Quatuor Cardinales ad se missos, qui, pacem ab Avo Ciuitatibus Longobardiæ redditam vt custodiret, magnis orabant precibus, contemtos vacuosque remisit. In agro Brixiano castella quædam vi capta diripuit atque incendit. Mediolanenses exteraſque Ciuitates contra se coniuratas, in armis occurrentes, magno prælio excepit, strauit, profligauitque: victoriâ potitus ingenti, & spoliis ditatus. Petrum Teupolum Ducis Venetorum filium, qui tum Prætor Mediolanensium fuit, in eo prælio captum in Apuliam misit, necarique in vinculis iussit. Azonem Estensem, proditionis insimulatum, domo pepulit. Quibus ex rebus iterum à Romano Pontifice excommunicatus est, & qui iuramento ei erant astricti, religione soluti sunt. Quod cum ei apud Patauium nunciatum esset, vocatis in concionem Proceribus, Petrum de Vineis Cancellarium suum orationem habere imperauit, qua Gregorium inique agere ostenderet, qui se nihil tale merentem excommunicasset. Exin Mantuanos Parmensesq; petens, in Tusciam transiuit, & Lucanis visitatis Pisas rediit.

Interea Eccelinus Marchiam Tersisanam armis occupauit; Ferrariamque Friderico subegit. breui tamen in potestate Imperatoris mansit. Nam Legatus Apostolicus, Venetorum, aliarumq; Ciuitatum, quas fœderatas appellabant, accitis auxiliis, cum obsidionem ante muros haberet, vocatum ad colloquium Salinguerram Eccelini sororium, qui cum præsidio inerat, abrupta fide publica intercepit; eaque re destitutam auxilii spe Ciuitatem in deditionem recepit, atque Azoni Estensi Romanæ Ecclesiæ nomine gubernandam commisit. Fridericus autem apud Pisas immoratus, in omnibus ferme Tusciæ Ciuitatibus factiones induxit. Tumq; potissime *Guelforum & Gibelinorum* inter se odia tota Italia exarserunt. Florentini Nobiles, qui Friderico fauere videbantur, à populo electi sunt. Ex Pistorio Cancellarii accepto Friderici præsidio Panziaticos expulerunt. Senenses autem & Aretini, Perusinorum odio imperata Friderici sine controuersia faciebant. Entius interea Sardiniæ Rex Tiffernates, Eugubinos, Nucerinos deditionem facere compulit. Perusinum, Asisinatem, Tremanum, Tudertinum, Spoletanum agrum ferro atque igne vastauit. Post hæc incensus in

sus in Pontificem Gregorium atque in Ecclesiam Fridericus, exercitum in vrbem duxit. aduersus quem cum Romani cruce signati pro Ecclesia pugnantes exiuissent, quotcunque ex eis Imperator cepit, aut quaternis in crucis formam confodi vulneribus, aut eorum capita quadritariam instar crucis rescindi iussit. Campaniam depopulatus, Cassinense monasterium diripuit. Beneuentum cepit, direptumque moenibus priuauit. In Picentes ducens Aesulanum agrum vastauit. Rauennam, quae sibi antea diu restiterat, improuiso adiens occupauit. Soram Samnitum quondam vrbem, ad fontes Liris fluuii sitam, incendio deleuit. Luceriam Apuliae ciuitatem, ciectis populariter Christianis, habitandam Sarracenis tradidit: his magistratus in Christianos concessit. Templariorum & Johannitarum bona per Italiam diripuit. Siciliae Pontifices in vincula coniecit, plures neci dedit. Tunicii Regis fratrem, qui Baptismi cupidus Panhormum venerat, ne baptisaretur inhibuit. Sarracenos lege tutos fecit, si forte Christianum laesissent: quod si Christianus Sarraceno contumeliam irrogasset, id capitale sanciuit: foeminas forma praestantes, virgines, nuptas eripuit: vtque sui commilitones id admitterent, palam permisit. Concilium, quod apud Lateranum Gregorius indixerat, summo conatu impedire adorsus est, terra marique aditus obstruens. Cardinales è Genua Rommam tendentes per Pisanos & Entium filium intercepit, atque in carcere amarissimo retrusit. Fauentiam annua obsessione vexatam per deditionem obtinuit. Agrum Bononiensem, Mutinensem, Reginumque latè vastauit. Bononiam etiam generali studio priuauit: id Patauium transtulit. In Parma receptus aduersam sibi factionem ciecit; qui populariter Placentiam migrauerunt. quibus cladibus Italiam afflictantibus, etiam illi comes adiuncta est horrenda & miserabilis fames, quae multos mortales extinxit.

Dum haec aguntur, defuncto Gregorio nono Celestinus quartus suffectus est. qui cum septem & decem dies in Pontificatu vixisset, Innocentio quarto, natione Genuensi, gente Flisca, & Imperatoris ante Praesulatum amico, locum fecit. Vacauit tamen Apostolica sedes octo & decem mensibus. Quod cum Friderico renunciatum esset, idque gratum sibi cuncti arbitrarentur, reique nouitate gestirent; Atqui ego, inquit Fridericus, nihil intelligo, cur laetari possim: cum Cardinalis nobis amicissimus eam sit dignitatem adeptus, quae illum hostem acerrimum reddet. Tractata est pax inter eos quatuor mensibus, quae cum minime conuenisset, neque iam tutum Pontifici videretur, Romae manere; Genuam abiit, indeque Lugdunum petiit, cum Philippi Regis Franciae amicitiâ vteretur: indictaq; apud Lugdunum generali Synodo Fridericum eo vocauit, his responsurum, quae illi obiiciebantur; cum de Religione Christiana malè sentire videretur. Is Thadeum Sinuessanum iureconsultum eo misit, qui venturum Imperatorem suamque causam coram acturum asserens, moras necteret. Sed non successit dolus. Nam cum auditum esset, medio tempore Fridericum ad inuasionem Brixianorum properare, sententiâ depositionis in Concilio aduersus eum latâ iussi sunt Electores Successorem eligere. Quod vbi Fridericus resciuit, diruptis aedibus amicorum Innocentii, qui Parma effugerant, petere concilium statuit. auxilio Ducis Burgundiae fretus, & suasionibus eius inductus, è Parma mouens armatorum togatorumq; comitatum secum duxit, qualem quantumq;, postquam declinare coepit Romana potestas, nullus aut iter agens aut domi manens Imperator habuisse visus est. Parmae vero Entium dimisit, qui & illam vrbem tutaretur, & rebus Italiae consuleret. ille, vt Pater abiit, Quintianum Opidum Brixianorum oppugnare statuit. quo cum perrexisset, mox extorres agrum Parmensem inuasere, egressosque fideles Imperatoris ad pugnam conflixere, patriaq; sine mora potiti sunt. Qua re cognita, Fridericus, qui iam Thaurinum transgressus erat, mutato consilio ad obsidionem Parmae reuersus, aliis vndique collectis, armatorum sexiginta millia aduersus rebellem vrbem adduxit; castra, quae omnes copias continerent, latissime metatus: eaque fossâ valloque cinxit: statuit, eo loco, Parma, si superi darent, victa atque dirupta, vrbem erigere, quae *Victoria* vocaretur. Nec moratus belli exitum, castra ipsa *Victoriam* appellauit, designauitque Cathedrali Ecclesiae campum in quo fundaretur: Cuius Patronum de more Christiano Sanctum Victorem elegit: nummos quoque ibi percussos Victo-

sos Victorinos appellauit Tracta est autem obsidio duobus annis; bellum atrox variumque, vniuersæ Italiæ perniciosissimum; cum obsessis ex tota Italia Guelfi, obsidentibus Gibellini auxilia mitterent. Fuit autem vrbs Victoria, vario gentium & rerum inusitatarum commercio ac multitudine frequentata: cum ex Asia, Ægypto & Africa noui indies homines aduentarent, noua veste, nouis vtentes moribus. animalia etiam vidit vrbs Victoria, post florentes Romanas opes & theatrales non visa ludos: Elephantes, Dromedarios, Pantheras, Leones, Pardos, Linces, & vrsos albos, Canes horribili aspectu, hinc magnitudine incredibili, inde extrema pusillitate; aues quoque rapaces incognitas, bubones barbatos, Girifalcos albos, speciosissimas captivas dono missas, & concubinas, & Spadonum greges: quibus viridaria, vineas, hortos, consitiones lautissimè patuerunt.

Dum hæc aguntur, Electores Imperii Landgrauium Thuringiæ Alemanorum Romanorumque Regem creant. quem Conradus, Friderici filius rebus Germaniæ præpositus, à possessione Theutonici regni armis deturbat. Accreuerunt tamen illi fauores non pauci, cum Innocentius aduersus Conradum eiusque Patrem prædicari crucem præcepisset. Sed homo annis plenus & iam belli laboribus ineptus, moriens eam prouinciam Wilhelmo Comiti Hollandiæ, qui sibi suffectus est, breui reliquit. Vrgentur interea Parmenses, durior atque asperior indies obsidio ducitur. Legatus Innocentii vrbem summa vi defendit. Fridericus quos ad pugnam exeuntes intercipit Regienses, Mutinenses, Placentinos, Bononienses, ac etiam Etruscos, ante vrbis portas obtruncari laniariq, iubet: aliquos vero ballistis maioribus, quas vocant Briccolas, semiuiuos in vrbem proiici, supplicioque simili etiam mulieres affici, si quæ in manus veniant. At cum iam Parmenses nulli essent metui, obsidentesque negligentius sese haberent, Fridericus autem per amœna vireta siluasque scortaretur; iubente Legato eruptio facta est, & trucidatis, qui primo occurrerant, vsque ad portas Victoriæ peruentum: neque ibi tetenti Parmenses, dum hostes ad sua quique tuguria arma capturi festinant, Castrorum portas ingressi cuncta diripiunt atque incendunt. Corona ibi Cæsaris, magni pretii ornamenta aurea & argentea maiora quàm Imperatoria capta: vrbs Victoria haud bonis cœpta auspiciis, prius fermè deleta quàm fundata. Fridericus fugâ saluatus in Cremensem abiit; neque inuitatus intrauit vrbem: veritus, ne populus pœnas exposceret, quod Iuuentus Cremonensis apud Parmam cæsa sua culpa Carrotium amisisset, paulo post in Placentinos duxit: Monasteriumq; sanctæ Columbæ secus Donimum Opidum destruxit. & in Etruriam transiens, duxit in Florentinos; in eos iram euomiturus, qui soli pene ex tota Tuscia eius imperium detrectabant. vbi cum ad portas vrbis deuenisset, denegato ingressu, id sibi cessum est, vt Gibellina factio rerum in Florentia potiretur, Guelfis eiectis: quorum pars dum in exilium pergit, in Friderici manus incidens crudelissimè laniata est; pars ad Comitem Rudolfum Vrsinum confugit, Rainerum secuta, ex ea familia natum quos vocant bonos montis. sed neque ibi tutum refugium inuenere. Nam Fridericus eos insectatus castello Vrsaria vi expugnato Rudolfum aqua necauit: Rainerum & qui cum eo erant potiores excœcauit. Interim Entius Fauentiæ dimissus, dum Bononienses bello infestat, ab eis capitur, & in vincula coniectus diu maceratus interiit.

De Obitu Friderici duplex opinio est. eum Panhormi decessisse tradunt; cum imperasset duos & XXX annos: alii apud Ferensulam seu Florentinum in Apulia gravi & periculosa ægritudine diu laborauisse affirmant; à Mamfredo adolescente, ex Concubina filio, cum iam conualesceret, suffocatum: qui os iacentis strato compressit. quod credere arduum est. nisi quod parricidio perire haud alienum est, qui parricidium ipse perpetrauit. Vtcunque sit, constat, Fridericum, paulo antequam moreretur, Mamfredum instituisse Tarentinorum Principem, eumque principatum longè maiorem feciisse, quàm prius fuerat: anno primo & quinquagesimo supra mille ducentos post Christi Dei nostri & Saluatoris ortum. Fuit autem Fridericus vir magnorum operum: armorum gloria clarus; & liberalitate insignis, facundia & animi magnitudine excellens: honesto corpore, sed moribus occulte lubricis, neque religionis amator; quippe qui Ecclesiam persecutus est, & Tartaros Vngaros aduocasse credi-

1251

creditus ; quoniam Bela Rex Vngariæ parere ſibi recuſaret. Nam eo Imperante Tartari, qui & Scythæ dici poſſunt, Vngariam ingreſſi fratrem Regis Colomanum occiderunt, & in Poloniam tranſeuntes Henricum Ducem Sleſiæ trucidarunt; ambaſque prouincias ita attriuerunt, ut in hanc vſque diem eius calamitatis veſtigia extent. Paulo poſt huiuſcemodi cladem, Auſtriæ Ducatus, vt poſtea ſuo loco dicetur, ad Imperium deuolutus eſt. quem Fridericus annos circiter quinque per Legatos ſuos adminiſtrauit.

Cum obiiſſet Fridericus, ex filiis eius tantum ſuperſtites erant Conradus, ex Iole Regina Hieruſalem coniuge primâ ſuſceptus, qui patrum in Germania tuebatur; & Mamfredus ex Concubina natus, acris ingenii adoleſcens, non ſpecie ſolum corporis ſed animi dotibus & litteris exornatus; qui mox ſepulto patre in Neapolitanos duxit, coſque inſensè perſecutus eſt, cum portas aduenienti ſibi clauſiſſent; illis verò conſilium erat, legitimo hæredi conſeruare Regnum. haud dubium exiſtimantes, quin Mamfredus Neapoli potitus, fratrem excluderet. Cui nec populorum fauor, nec animus ad inuadendum regnum deeſſet. quod beneficium imparem poſtea gratiam reperit. Nam Conradus in Italiam veniens, Accelini Romanenſis, cuius tunc opes in Tranſpadanis Italiæ Regionibus florentes erant, auxilio fretus, ingentibus copiis Adriatico mari aduectis, & demum per Apuliam & Campaniam, quam terram nunc laboris appellant, traductis, Neapolim obſedit. neque vllis flecti precibus potuit, quin ciues tanquam reos Maieſtatis plectendos duceret. Octauo itaq; menſe, fatigatam bello, & fame laborantem vrbem obtinuit: muros magna ex parte diruit, nobilium ædes euertit: decem primarios ciues laqueo appendit; alios graui ære mulctauit. Capua, quæ Neapolitanis conſenſerat, muris pari modo. Aquinum vi captum diripuit atq; incendit. Quę res nobile illud ingenium, & diuinam quodammodo mentem ſanctiſſimi Viri Thomæ Aquinatis, in lucem prodire fecit: cuius vis alioquin in opibus atque deliciis emarcuiſſet. Nam Parentes eius nobili loco nati, primarii Ciues & Opulenti, cum bonis excuſſi patriam amiſiſſent, hunc puerum apud Caſſinenſe monaſterium commendarunt: in quo ille dum pueritiæ rudimenta deponit, religionis Zelum induit; & ordinem tandem Dominici profeſſus, ea edidit opera, quæ Philoſophi noſtri temporis Theologiq; fermè omnes & admirantur, & inprimis diſcere curant. atque ita bonitas magni Dei, ex magno ſæpè malo maximum elicit bonum. & Aquinum Chriſtianæ quidem religioni nunquam tantum vigens vtilitatis contuliſſet, quantum profuit exciſum.

Fuit autem Conrado, vt ad eum redeamus, inclementia atq; ambitio non minor, quàm Patri; temeritas vero multo maior, & tamen ſecundo, poſtquam venerat, anno, potitus eſt omni Trinacria & toto Siciliæ citra Pharum regno, mirabili fortunæ afflatu & ſuperum fauore. Sed quam facile ad ſummum peruenit, tam ſubito cecidit. extinctus enim mox è vita ſubtractus eſt, non ſine Mamfredi infamia, quem corrupiſſe auro Medicos, vt venenum fratri propinarent, creditum eſt. Improba regnandi cupiditas, quæ nec fraterno nec paterno cedens affectui ſceleris loco pietatem ducit. Condidit tamen Teſtamentum Conradus, antequam vita excederet: Conradinumq; fratris filium hæredem inſtituit. Conradini Pater Henricus fuit, ex Conſtantia Regis Caſtellæ ſorore natus, quem Fridericus, vt ante diximus, in Apulia necari iuſſit. Mamfredus autem æmulo regni altero ſublato in alterum fraudes nectit. nam tabulas inſtitutionis ſuppreſſit, & conſcios omnes veneno extinxit. Sed cum Innocentius Quartus ex Lugduno reuerſus, Neapolim, quę iam mœnia reparauerat, ſeſe contuliſſet, ad eumq; ſalutandum Optimates Regni conueniſſent, Mamfredus quoque cum his affuit; Pontificem tanquam Regni dominum veneratus: obtinuiſſetq; procul dubio Pontifex totius Siciliæ Imperium, niſi mors fælicibus eius ſucceſſibus inuidiſſet. Neq; enim diu apud Neapolitanos dimoratus Innocentius finem viuendi fecit: clariſſimus Pontifex, qui Fridericum, tantum Imperatorem, dignitate deiicere non timuit; & qui Cardinalibus rubei pilei geſtamen primus indulſit: litterarum cultor, & iuris conſultiſſimus. Huic dum Cardinales Alexandrum quartum ſufficerent, Mamfredus, quam iam pridem meditatus erat rebellionem, in lucem efferens, accerſitis Sarracenis, qui Luceriam obtinebant,

copias Pontificis, quæ apud Fogiam in ſtatiuis erant, primo impetu deleuit, & Conradini Tutorem gerens, ut fauorem populorum eo nomine venetur, in alia Apulorum opida incurrit. Alexander Neapoli abiens, relicto ibi Octauiano Vbaldino Cardinali Legato, Anagniam petit, primaq; publici conſiſtorii concione Mamfredum hoſtem Eccleſiæ declarat, eiq; communionem fidelium interdicit. At ille Patris veſtigia ſecutus, Eccleſiam contemnens in Neapolitanum ſtatim duxit; Legatum, qui vrbem tenebat, obſidione claudit; nuncios in Tuſciam Longobardiamq; mittit, qui partes Gibelinas in ſpem erigant. Nam Guelfi, vt primum Friderici mortem cognouerant, ſublatis animis in Gibelinos deſæuierant. Et Florentini quidem, Guelfos iam pridem extorres, conſentientibus Gibellinis, in vrbem reduxerant; vnumq, Reipublicæ corpus ex ambabus partibus conſtituerant; Antianoſque, qui poſtea magiſtratus diu manſit, tum primum creauerant. Sed breui concordia vſi, Vbertos factionis Gibellinæ Principes, & qui cum eis ſentiebant, vrbe pepulerant; Vbaldinos vallis Mugelli nobiles magnis damnis affecerant; in Piſtorium, Lucam, atque Aretium, Guelfos reduxerant: Piſanos apud Heram fluuium ingenti ſtrage conflixerant: Volaterranos armis victos ſubegerant. aduerſus Senenſes, qui exſules ſuos benignè ſuſceperant, arma mouentes, pro muris vrbis caſtra locauerunt. Iam Mamfredus rebus ſecundis elatus, ſubornatis aliquibus, qui ex Germania venientes Conradinum immatura morte defunctum dicerent, & de falſis litteris fidem nigris veſtibus exigerent, Regem Siciliæ appellari ſe iuſſerat: ac Legati copias, auro corruptas, ab eo recedere ſuaſerat. Cum Senenſes à Florentinis oppreſſi miſſo Farinata Legato, vno ex Florentinis extorribus, ab eo auxilium petiuere. Miſit autem Mamfredus cum Farinata vnam tantum cohortem equitum Romanorum, quæ manus militum vt ad pugnam egreſſa eſt, mox ante portas Senenſes obtruncata à Florentinis & crudeliter lacerata eſt; vexillumque Regis raptum & luto inuolutum. nil tamen Florentini vlterius auſi ſunt. Nam ſatis damnorum illatum eſſe Senenſibus arbitrati domum rediere. At Mamfredus ea contumelia motus, Iohannem ingentis animi magniq; conſilii ducem cum quinq; millibus equitum.... Quo cognito, & Florentini collectis vndiq; Guelfis, ingentes iterum copias in agrum Senenſem duxere: atque ad Arbiam fluuium, quarto ab vrbe milliario, collatis ſignis depugnatum eſt: Florentini horribili ſtrage debellati ſunt: ex quibus tria millia cæſa, quatuor millia capta, cum Carrotio, ſignis militaribus, in vrbem delata. Cuius rei gloria Prouintiano Saluano, nobili loco apud Senenſes nato, maxime attributa eſt: qui vaframento ſuo Florentinos in bellum traxit, miſſis Florentiam mercatoribus, qui properandum ſuaderent; ne ciues longo bello afflicti vrbem traderent. Quod niſi ita feciſſet, Iordani, qui quinque tantummodo menſibus morari iuſſus erat, in regnum rediens, deſtitutos auxilio Senenſes in Florentinorum arbitrio reliquiſſet. Sed victis prælio Florentinis, Guelfi populariter vrbe relicta Bononiam migrauere. Iordanis Mamfredi nomine gubernanda Florentia potitus eſt. Dies pugnæ ſextus & decimus Septembris fuit; annus vero poſt Chriſti Saluatoris ortum ſexageſimus & ducenteſimus ſupra milleſimum.

1260

Inter hæc Wilhelmus Imperator, dum Friſonum contumaciam domare pergit, ab eis in prælio cæſus eſt. Electores de Succeſſore diſcordes, alii Alfonſum Caſtellæ Regem; alii Richardum Cornubiæ Comitem Regis Angliæ fratrem eligunt. Alexander, dum Genuenſes reconciliare Venetis nititur, apud Viterbium vita excedit. Vrbanus quartus ei ſucceſſor datus, natione Gallus ex vrbe Trecenſi: is, qui ſolennia quotannis præcipua ſacratiſſimo Chriſti corpori celebranda inſtituit. Quo ſedente in beati Petri throno, cum Iordanis ad Mamfredum è Florentia rediiſſet, Guido nouellus eius locum tenuit. qui non contentus terminis ſibi commiſſis, Aretium, Piſtorium, Lucamque deturbatis Guelfis, in poteſtatem accepit, atq; ita omnis ferme Etruria aut ſubdita Mamfredo fuit; aut adeo amica, ut ab eius voluntate nullo pacto diſcederet. Eccelinus quoque & Obertus Pelauicinus Mamfredi partes ſecuti, Italiam quæ inter alpes & Appenninum iacet, magna ex parte armis ſibi ſubiecerant. Quibus rebus anxius animi Vrbanus Pontifex, cum aliter Eccleſiæ conſulere nequiret, Legatum in Galliam tranſalpinam miſit, qui ſalutiferæ crucis præmia his promitteret, qui aduerſus Mamfredum & partes eius arma ſumerent. Carolo quoque Regis Franciæ conſobrino & Genero ac Prouinciæ Comiti ſpem Regni Siciliæ fecit, ſi cum copiis in Italiam veniret

veniret. Sed cum Carolus ad rem tantam non paruo tempore indigeret, Guido Antisidorensis Episcopus, & Robertus Comitis Franciæ filius, Richarduſque Vindociæ Comes raptim exercitu coacto in Italiam penetrarunt. Et cum iam Eccelinus in bello Mediolanensi apud Adduam vulneratus, Soncini mortem obiisset; Oberti copiis in Gallia cisalpina prostratis, ad Pontificem tunc Viterbii morantem, signati Cruce peruenerunt. à quo in Campaniam missi, Sarracenos inde, quos Mamfredus immiserat, paruo negotio fugauere. Sed non erant hæ copiæ, quæ Mamfredum Regno deturbare possent. Et Guido nouellus interea patrimonium beati Petri in Tuscia, veluti tempestas quædam validissima, populabatur. itaque vocare iterum atque iterum magnis pollicitationibus Carolum placuit. qui dum se itineri accingit, Vrbani morte audita, in Patria retinetur. Successor deinde Vrbano Clemens quartus suffectus est: cui prius Guido Fulcodii, nomen fuit. Is Iureconsultus excellens & in Parlamento Regio primarius Aduocatus est habitus: vxorem duxit & liberos ex ea sustulit, sed cælebs factus ad Ecclesiam se contulit, Podiensemque consecutus Episcopatum, cum Pontificem egregium ageret, ad Narbonensem transferri metropolim meruit. Exin Cardinalis creatus, in Angliam missus est ab Vrbano Apostolicæ sedis Legatus, vt Henricum Angliæ Regem Simoni Comiti Montisfortis conciliaret. ex qua Legatione summus cum Pontificatus extraxit. Is Mamfredi potentiam ac sententiam veritus, habitu dissimulato tanquam Monachus cum paucis Comitibus Perusium venit, ibiq; se primum manifestauit. ad quem Cardinales venientes, cum solenni Pompa susceptum Viterbium deduxere. Quod cum Carolus accepisset, mox Massilia soluens cum XXX triremibus fœlici vento in Tyberim delatus est; & Senator vrbis creatus eum magistratum per Annum gessit, suas moratus copias quas terrestri itinere sequi iusserat. Interea apud Lateranum, Regni Hierosolymitani ac Siciliæ è mann Clementis corona sublimatus est, & vna coniunx Beatrix Regis Franciæ filia. Regnum verò ea conditione datum, vt neque ipse, neque.... Romanorum Imperium aut quærerent aut oblatum reciperent; census nomine duo de quinquaginta millibus aureorum quotannis Apostolicæ Cameræ penderent.

Quibus sic constitutis, exercitus Karoli iam paratus atque magnificè instructus superatis Alpibus in Italiam descendit; & apud Mutinam Florentinos extorres sese offerentes inter suas turmas conscripsit: & citato itinere, vt Carolus mandauit, per Sabinos in Campaniam penetrauit. vbi compertis cruce signatis in vnis castris commorati sunt, ad quos paucis post diebus Karolus cum iuuentute Romana, quæ sponte militiæ nomina dedit, spe plenus profectus est. Mamfredus his cognitis ad sanctum Germanum se contulerat, eos ne saltus penetraret hostis, armis defensurus. Sed mutato consilio retrocedens in patentibus campis apud Beneuentum belli fortunam experiri decreuit. Secutus est Carolus & transacto Liri fluuio, quem nunc Garelianum appellant, in Beneuentanum duxit. Substiterunt ambo exercitus, vt se primum viderunt: & in manifesto rerum discrimine anxii Duces, alter alterius arma, signa, ordines conspicati, frigidum circa præcordia sanguinem traxere. exin militum contumeliis & tubarum clangore calefacti pugnandi copiam fecere. Commissum est atrox prælium summa contentione, qua Ducum Virtus vniuersis turmis conspicua fuit; qui dum longo certamine medias inter acies pugnant, nunc huc nunc illuc inclinare victoriam coegerunt, priusque Karolus, cum laboranti suorum turmæ subueniret, equo deiectus occubuisse creditus est. Quæ res Mamfredum inani gaudio exultantem extra ordinem pugnare impulit: qui magnam stragem edidit, donec comparente præter spem Karolo, ab hostibus circumuenti, & ipsius Mamfredi secuta occisio est. Karolus certa potitus victoria, onustus diuiti præda, breui tempore Regnum Siciliæ vniuersum obtinuit; præter Luceriam Sarracenorum; quam diu vexatam vix tandem post necem Conradini; de quo mox subiiciemus, in potestatem redegit.

In hoc prælio, Germanorum Sarracenorumque maxima cædes facta. Iordanis, de quo suprà meminimus, & Petrus Vbertus Florentia extorris, Nobiles alii, magno numero capti. Mira res. quinque Friderici filios (neque enim plures illi fuisse legimus) acerba mors abstulit. Primum, qui Patris nomen redditurus erat; Friderici-

cum iam Regem Tusciæ destinatum, decennem interiisse tradunt. Henricum Patef ipse necari iussit. Conradus veneno, ut creditum est, fraterna fraude propinato petiit. Mamfredum hostilis gladius interemit. Entius à Bononiensibus captus in carcere contabuit. Auditaque Patris, fratrum & nepotis Conradini morte, tristem animam exhalauit. Diuina hæc iudicia, sæpè in filiis Patrum crudelitas vindicatur.

Interfecto, ut diximus, Mamfredo, Conradinus eius Henrici filius, quem necatum à Patre diximus, generosæ indolis adolescens in Sueuia educatus, iam de paterna hæreditate anxius, quo pacto Regnum Siciliæ vendicaret, cum propinquis atque amicis consilia agitabat. ad quam minister ei opportunus oblatus est Henricus, Regis Castellæ frater; cuius Soror Constantia Patrem suum Henricum Friderico peperat. Erant per idem tempus in Hispania vlteriore, quam hodie Castellam vocant, tres Germani: Alfonsus, qui Regni gubernacula tenens, vt prius retulimus, Imperator electus erat; Henricus, Fridericusque. hos tanquam sibi æmulos & res nouas molientes Alfonsus patria ciecerat. qui ad externas opes confugientes, Fridericus in Affricam, Henricus in Galliam, Angliam transiuerant. At Henricus, cum frustra Regem Franciæ cõtra fratrem inuitasset (erat enim vtriq; consanguineus, & pacis consilia magis quàm bella suadebat) in Angliam nauigauit: si forte Richardum imperii competitorem aduersus Alfonsum armare posset. Sed cum hic quoque frustra niteretur, in Germaniam ad Conradinum pronepotem se contulit. quem cum voto suo consentientem inuenisset, clam fœdus cum eo pepigit; &, consiliis de re vniuersa discussis, Genuam petiit, atque inde nauigio Pisas. vbi primoribus in constitutam cum Conradino machinationem tractis, ad Pontificem Viterbii morantem transiuit. Cui de fratris superbia atque ambitione questus, errabundum sese Apostolicæ benignitati commendauit. Inde Romam religionis obtentu accedens, primarios factiososque ciues largationibus sibi allexit. nec diu moratus, Pontificem repetens, dissimulatione verborum, cuius artifex eximius erat, vitam se apud Romanos proteruos efferatosque homines nullo pacto ducere posse, affirmauit. At Karolus, qui tum forte Viterbium appulerat, ex Pontifice, vt homini nobili, consanguineo suo, regni stirpe nato, Senatoriam dignitatem crederet, ac vel renuenti mandaret, prorsus extorsit. Subiit itaque velut inuitus magistratum Henricus, & cum iam machinationis fundamenta iecisset, Conradinum, vti maturaret, litteris adhortatus est; Pisanosque pariter admonuit, vt classe, quam bello Venetorum contra Genuenses XXX triremium paratam habebant, Romanum peterent portum. Quo facto, Capitium ibi Neapolitanum, in regno Siciliæ citra Farum non minoris gratiæ quàm nominis, susciepientes, vt erant iussi, in Affricam nauigarunt. ad quos è vestigio Fridericus Senatoris Frater sese recipit, & Sarracenorum non parua manu mercede conducta & nauibus imposita, ad littora Siciliæ delatus, Conradini pronepotis titulum, quem breui affuturum affirmabat, præ se ferens, magnos in insula motus conciuit. Conradinus verò iam Veronam applicauerat, quem plurimi ex Alemania reguli sequebantur: inter quos præcipui fuere, Comes Palatinus Rheni, & Marchio Badensis matre genitus Australi. Sed dum Conradinus plus iusto Veronæ considet, Palatinus Comes & alii non pauci anathematis Apostolici metu, siue militiæ longioris tædio, retro in Germaniam rediere. non tamen ob eam causam cœptum iter neglectum est. Nam cum Senenses Pisanique, & alii ex Etruria Gibellini, simulque Senator Vrbis, frequentibus nuntiis Conradinum euocarent; & iam Siciliam, præter Panhormum, Syracusas atque Messanam, in suam venisse ditionem, Sarracenos Lutherienses excursionibus infestare Gallos, cunctaque littora inter Caietanum & Salernum classe inquietari à Friderico, nuntiarent; Germanus exercitus, per Papiam & montem Apenninum, qua Carecti nobiles dominantur, ad mare Ligusticum delatus, Pisana exceptus classe incolumis in Etruriam venit. Apud Pisas ingentes ei honores exhibiti sunt; multique ad eum Gibelinarum partium duces salutatum venere. Sed cum iter per Aretium ageret, Marescallum Caroli Regis, Guelforum copiis suisq; armis instructum ei viam intercidere cupientem obuiam habuit. cum quo congressus, primo impetu Guelforum acies fudit, & cæsis quamplurimis ipsum quoque Marescallum interfecit: subegisseteque procul dubio vniuersam Tu-

sciam

sciam, si paulo amplius immorari & Guelforum reliquias persequi voluisset. Con iunxerant enim sese adolescenti Gibelini, non solum Etrusci, verum etiam Longobardi, & Romandioli: quorum ductor Guido Forcranus fuit, Guelforum implacabilis hostis. Sed trahebant infelicem iuuenem sua fata: qui cum ad cædem raperetur, ad certam regni possessionem se pergere arbitrabatur. Transitus ei quoque prope Viterbium fuit, quem cum Pontifex Clemens gloriabundum ac tumidum quadrato agmine incedentem ex palatio suo contemplatus esset, spiritu quodam afflatus prophetico, ad eos qui sibi astabant conuersus, Videns, inquit, splendidas acies & iuuenem animis fidentem, misereor nobili sanguini, quem pro maiorum suorum delictis pœnas daturum intueor. hic etenim sicut agnus ad victimam cædemque ducitur. At Conradinus iter prosecutus, cum venisset ad pontem Miluium, Senator & Vrbis primarii ciues, cunctique Magistratus, non aliter eum venerati sunt, quàm si fuisset Imperator eorum. nam longo præcedente agmine, populi multitudine, optimatibus ad frenum incedentibus, solenni pompa in Capitolium ductus est. Conduxerat Henricus Senator mercede non contemnendam Hispanorum manum, Romanorumque plurimos partim præmio partim spe prædæ pellexerat, vt Conradinum sequerentur. Rebus itaque constitutis, relicto Guidone Forcrano, qui cum præsidio Capitolium custodiret, exercitum & magnum & armis egregiè instructum per Tiburtinum, ac Equicolorum Marsorumque montes, in ea campestria Conradinus Henricusq; deduxere, qui Palatini campi appellantur, hinc Fucino lacu, inde montibus altis circumdati. Vbi cum ab exploratoribus didicissent, Karolum in propinquis agere, tanquam è vestigio pugnaturi, ordinatis aciebus quadratum agmen incedere iusserunt. Karolus in valle reducta copias coëgerat, in quam Conradini oculis prospectum collis circiter X stadiorum longitudinis auferebat. cum Theutonicus exercitus quatuor millia passuum in hoste patentes campos processisset, Karolus X inde stadio ad concauæ Vallis fauces primam suorum aciem ostentauit. erat eius exercitus longè minor, quàm Teutonicus: nam copias diuidere coactus, alias Friderico in Sicilia, alias in Apulia Sarracenis opponens, reliquas sibi retinuerat. Cumque viribus atque multitudine vincere non speraret, ad prudentiam astumque confugit. Alardus ei Comes Neapolitanus eques, qui à pueritia vsque ad senium cum Germanis Regibus stipendia fecerat, reique militaris artem & quibus vtendum est dolos egregiè callebat. Is Karolum monuit, vt parte copiarum intra vallem retenta, reliquas in aciem ordinatas cum Marescallo suo regiis ornato insignibus in prælium cogeret, ipse gregarii militis saga indutus, è tumulo quodam veluti è specula rei exitum prospectaret; cùm tempus exigeret, si suos fugere cerneret, suppetias mitteret. Factum est vt Alardus monuit. Conradinus verò, Hispanis Italisque in fronte collocatis, Germanos sibi equites tria millia cum signis in subsidia retinuit; Henricum Senatorem nulli ordini obligauit, vt omnia prouidens disponensque laborantibus subueniret. Sic vtrimque dispositis rebus, Marescallus ornamento regio conspicuus tam suos milites quàm hostes fallens, prælium init pugnatur animis vtrimque ferocibus: & quamuis pauci contra multos Gallici starent, virtute tamen Marescalli diu anceps prælium trahitur. At cum Hispani atque Itali Marescallum Regem esse crederent, in eum omnes impetum facientes circumuentum denique confecerunt. Tunc orta subito in Theotonicis alacritate, in Gallis mœrore, effusa ab his fuga cœpta est, & tanquam cæso Rege desperatum. Theutones, veluti profligatis hostibus, iam nihil aliud quàm spolia colligenda esse, arbitrati, solutis ordinibus fugientes insequuntur; Conradino cum pueris & debilibus circa signa relicto. Tum Carolus, Alardo commonente, ex insidiis erumpens, magna procella in hostes fertur. & obuiis quibusq; vel stratis vel dissipatis, fortunæ faciem immutauit, vt, qui victus videbatur, insigni de hostibus victoria potiretur.

Conradinus & Marchio Badensis, adolescentes ætate atque infortunio pares, vbi exercitum suum fusum videre, nec iam spes vlla salutis relicta esset nisi fugæ, per deuios montes agasonum tecti cucullis secessêrunt; atque octauo demum die ad Asturam peruenerunt: vbi compertum piscatorem magnis pollicitationibus induxerunt, vt se piscatoria scapha, aut in Pisana littora, aut in Senensia deferret. Cumque pecunia

cunia nulla his esset, Conradinus annulum loco pignoris piscatori tradidit. ille per simulationem commeatus in scapham deferendi, ad proxima delatus, annulum ostentans, de valore à peritioribus percunctatus est. Inter fabulandum verò, & adolescentes ad se venisse facie liberali & indumento sordido manifestauit; & quid quæsiuerint, quidue promiserit, palam exposuit. Ob quam rem ducti in suspicionem opidani, alterum illorum Conradinum esse, quem inter cæsorum cadauera non inuentum Karolus summa diligentia perquiri mandauisset, piscatorem secuti infelicissimos Adolescentes ceperunt, & ad Karolum victos deduxere. Henricus quoque Senator, de fuga apud Reate retractus, in potestatem Karoli factus est. In bello, Gerardus comes Pisanus, & alii Germani atque Itali Proceres, nouem, capti; quorum illustre genus & opes florentes habebantur, qui anno vno in carcere apud Neapolim obseruati sunt. Exin, cum deliberatio de captiuis haberetur, Comes Flandriæ Regis Gener & consanguineus, vitam Generoso sanguini dimittendam, Conradinumque matrimonio obligandum censuit. Idemque omnes suasere, quibus animus nulli obnoxius cupiditati fuit. Alii vero numero plures, publico iudicio plectendos dixere, qui Regni pacem turbassent. Vicit apud crudelem Regem, sententia sæuior. Die itaque iudicii dicta, in foro ciuitatis, quod ad portam Carmelitanam spatiosum est, qui postea columnam marmoream erexerunt, purpurei ac Sericei panni in terra extenti sunt; eoque captiui adducti, miserabile spectaculum circumstabat populus vrbis, tantæ nobilitatis infelicem deflens casum, ad quem etiam vicinarum ciuitatum plebes confluxerant. nemo sine lacrimis speciosos forma iuuenes, quorum maiores Imperio potiti essent, iamiam mortuos inspiciebat: tamque miserabilis horum interitus visus est, vt ipsis etiam lacrimas excusserit, qui eius iniquitatis auctores erant. Primusque Marchio Badensis Christiano more Sacramentis Ecclesiæ receptis, candidam ceruicem lictoris gladio præbuit. Cuius præcisum caput adhuc Mariam Mariamque sonans, Conradinus è terra eleuans atque deosculatus, & ad se stringens, fletu ciulatuque clamitans; Heu nobilis adolescens, inquit, heu frater, ad hæc ego te præmia è paterna domo, è matris complexu detraxi. Siccine te possum intueri, qui, dum mihi Regnum quæris, vitam amittis? O dulcis societas quàm amare dissolueris? O amantissime Comes, vbi vox, vbi sensus est? cur non respondes? cur taces? iam transiuisti miser, ego miserior è vestigio sequor. tibi hereditas mihique necem peperit. hæc iudicia, hæc impiæ gentis iura! at, videant hoc superi, &, si digna patimur, æternum hoc regnum Gallicis faxint. Sin causa mortis iniusta est, in Aragonenses hanc coronam transferant; de tam scelerata gente pœnas sumant! Nam & ego, si quid iuris in Regno Siciliæ apud me est, Petro Aragonensi vltima voluntate relinquo. atque chirothecam in medium proiecit, veluti signum traditi regni. illam postea miles quispiam colligens, Regi Aragonum tradidit. Moxque Conradinus, & deinde Gerardus, & postremo reliqui obtruncati sunt. Et, ne carnifex de fusione tam alti sanguinis vspiam se iactitaret, ipse quoque alterius manu carnificis cæsus est. Vltimus igitur Generis Fridericorum Conradinus, hoc modo extinctus, & nobilissimus ille sanguis finem fecit. Crediderim ita cælesti numini placuisse, cui persecutores Ecclesiæ grati esse non possunt: constatque, sæpè progenitorum scelera in nepotibus vindicari. Verum neque Karoli impunita crudelitas mansit. vix enim post Conradini cædem anni tredecim præterierant, cum non ferentes Gallicam insolentiam Siculi, correptis armis omnes per insulam Gallos in vnis vesperis trucidarunt; & insula in potestatem Petri Aragonensis facta est. Nec multo post Karolus Secundus, filius huius, nauali prælio captus in Cathaloniam deductus est. Et, ne veteribus insistamus, ætate nostra vniuersum ad Aragonenses, ipsorumq; fortunatissimum & sapientia clarissimum Alfonsum Regem, defecit: tanquam Deo exequi cura præcipua fuerit. Atque hactenus de Fridericis memorasse sufficiat: quæ nos idcirco retulimus, quoniam Sueuus & Australis sanguis inuicem coniunctus fuit, matrimoniaque sæpè inter has domos celebrata sunt. Nunc ad ipsos Australes redeundum.

FRIDERICI, dum hæc aguntur, duplex animum cura tenebat; & Vxoris, & Romanæ coronæ recipiendæ. Qui cum accepisset in Portugallia tres Regi sorores esse

esse forma præstantes & annis nubiles. Primamque Leonoram nomine admodum speciosam; Legatos qui hanc viderent, Georgium Volkestorfium Baronem & Vdalricum Ridret Iurisconsultum eo misit. quibus reuersis, ac mores & formam Virginis commendantibus, scriptum fratri est, Sororem si Cæsari vellet in matrimonium tradere, Legatos ad Regem Aragonum eius auunculum, qui apud Neapolim residebat, cum potestate mitteret; idemque facturum Imperatorem: sicque coniugium posse concludi. Interea Delphinus Viennensis Regis Franciæ primogenitus, quoniam vxor eius prima decesserat, hanc secundo loco ducere cupiebat. neque Rex Portugalliæ abnuebat, quippe qui altum Franciæ sanguinem sibi honori ducebat. At puella, Imperatorem iam se petere conscia, capta tanti nominis Maiestate, nisi se Cæsar duceret, nullo connubio se assensuram, aiebat. Iam enim Imperatricis vocabulo gaudebat, pulcrumque existimabat, Nuptam se Cæsaris appellari. maius enim apud exteros, quàm apud suos nomen Imperantis habetur. Rex vbi Sororis animum intelligit, Iohannem Vernandi Iurisconsultum Neapolim nauigare iubet, qui & Alfonsum Aragonum & Siciliæ Regem conueniat, & quod ei placeat, de matrimonio faciat. Fridericus quoque Eneam Episcopum Tergestinum, qui illo in itinere ad Senensem Ecclesiam patriamque sedem translatus est, ac Georgium Volkestorfium, de quo supra retulimus, & Michaëlem Fulendorfium Secretarium eo direxit; vt & matrimonium suo nomine cum regia Virgine contraherent, & iter sibi ad coronam suscipiendam in Italia præparatent. Erat enim Friderici mens, vbi coniugio locus esset, accersire ad se sponsam in aliquo Tusciæ portu, secumque Romam petere & vna coronam accipere. Igitur coram Rege Alfonso, Iohanne Cardinale Morinensi Apostolico, Venetorum, Florentinorum, Mediolanensium, & aliis quàm pluribus Ciuitatum Legatis, ac Duce Cliuiensi, qui ex Hierosolyma redibat, multisq; Regni Baronibus & Principibus astantibus, vt imperatum erat, contractum est matrimonium: conuentumque, vti Portugallenses Cæsaream Sponsam suis nauibus ad portum Latinum, quem Cæsar intra Pisas & Neapolim nominaret, ad Kal. Nouembris proximas regio apparatu conducerent; ibi eam vel Cæsar, vel qui ab eo essent missi, susciperent. dotis nomine nummorum sexaginta millia promissa. Exin festi dies apud Neapolim habiti, supplicationes ideo factæ, ludi quamplures exhibiti populo. Quibus peractis, accedentes legati Regem, semotis arbitris aiunt ei, cupere Fridericum sequenti hieme Romam proficisci, atque cum coniuge coronari; petereque ab eo, quem Patris loco veneretur, quoniam mores Italorum optimè nosset, sibi vt consuleret, qua potissimum via transeundum esset; quasue cauere insidias oporteret. esse quoque Friderico gratissimum, priusquam excederet, secum conuenire, & alloqui de rebus Italiæ, deque repub. Christianorum. Ad ea Rex Aragonum: optime agere Cæsarem; qui de susceptione coronæ sibi debitæ cogitaret. Iter vero per dominia Venetorum Ferrariamque, demum verò per Æmiliam & agrum Picenum. Lombardiam aut vitandam, quam Franciscus Sfortia occupasset, Tyrannus & nouus homo, cui nihil esset fide leuius. Nec Tusciam adeundam putabat, in qua Florentini dominarentur, hostes Imperii, ac Francisco iuncti fœdere. Venetos autem sibi amicitia iunctos, graues atque constantes viros: tutum iter in Æmiliam: si quid periculi immineret, missurum se offerebat equitum decem millia; qui viam Cæsari apertam redderent. Conueniendi autem se non minus cupidum esse quàm Cæsarem: sperareque, eo loco suas res tunc futuras, vt facile conuentus & colloquium detur. Atque his dictis Legatos magnificè donatos remisit. Qui Romanum Pontificem adeuntes, postquam de contracto matrimonio deq; Coronationis celebrandæ, quod Cæsar haberet, desiderio certiorem pietatem Apostolicam reddiderunt: quo tempore, quoue itinere veniendum Cæsari, consilium petiuere. Pontifex coniugium Cæsare dignum affirmans, magno se desiderio Friderici aduentum expectare; ad Coronationem parata esse omnia: iter per agrum Venetum videri tutum: posse quoque Cæsarem aut per Histriam apud Tergestum, aut per Dalmatiam apud Segniam ingredi mare, Anconamque nauibus, atque inde per territorium Ecclesiæ Romam petere: Mediolanensem viam neque laudans neque vituperans: ad Italiam ingrediendam hiemale tempus eligendum Cæsari, dixit; quod æstiuum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vum ardenſque Italicum ſolum Theotonicis corporibus multo ſanguine exudantibus noxium atque mortiferum videretur.

Hic Annus Gratiæ magnus fuit, quem Bonifacius octavus inſtituit (ſive Vrbanus is fuit) cum quicuiſſet Eccleſia poſt obitum Friderici ſecundi annis Quinquaginta; vocauitque Iubilæum, exemplo ex Veteri lege ſuſcepto: vt quemadmodum corporalis, ſic & animalis ſeruitus, anno quinquageſimo extingueretur, remitterenturque culpæ & onera peccatorum omnibus, qui limina Sanctorum Apoſtolorum ſincera mente perquirerent. Ingens igitur populi multitudo ex omni Chriſtiano ſolo per hunc annum Romam petebat. licet autem quadraginta & amplius hominum millia diebus ſingulis per vrbem templa foraque vaderent, diſſoni quoque motes, deformes habitus, ac diuerſa linguarum genera concurrerent; ſapientia Pontificis actum eſt, vt neque victui neceſſaria defuerint, neque tumultus intercideriut. Vnica tamen horrenda viſu & auditu ſtupenda, paucis diebus ante finem Iubilæi, calamitas accidit. Nam cum circa veſpertinam horam, Baſilicam Sancti Petri frequens populi multitudo peteret, neque minor iam inde recepta benedictione rediret; facta eſt in ponte, quem ſancti Angeli vocitant, ingens euntium atque redeuntium concurſatio. Cumque hi atque illi à ſuperuenientibus vrgerentur premerenturque turmis, accidit alios ruere, alios ſuper ruentes vadere. Cumque nonnulli equis muliſque veherentur, cum iumentis vna proſtrati calcatique ſunt. inde maius diſcrimen ortum. nam parietibus pontis æquato iacentium cumulo, quamplures in Tyberim inciderunt, miſerabile & horrendum ſpectaculum. alii vndis abſorpti, alii inter hominum brutorumque pedes oppreſſi, animas exhalarunt, quorum corpora diligenter quæſita Romanus Pontifex accurate ſepeliuit, exequiaſque ſolennes fecit; Capellam marmoream in eodem ponte paulo poſt conſtruxit, vbi quotannis animabus eorum parentaretur: diuturnum tantæ cladis memoriale, quod amplius quam ducentorum cadauerum vna dies acerbum funus habuerit. Sed neque id facinoris reticendum, quod in hoc Iubileo factum eſſe conſtat. in agro Veronenſi, Mulier nobilis ex Alamania, cum pleriſque ancillis ſeruiſque Romam pergens, in equites Sigiſmundi Malateſtæ fortè incidit: à quibus capta, diu ludibrio habita eſt, vixque tandem impudicè habita libertati reddita; non ſine infamia Sigiſmundi, quem mulieris forma captum accenſumque libidinibus id ſceleris admiſiſſe, quamplures affirmauere. At Principes, quæ turpiter agunt, in ſuos retorquent: bonos Reges, malos Conſiliarios, vulgus ait: impune delinquit magna poteſtas. Ex comitibus Sigiſmundi nonnulli capti Venetias miſſi ſunt, qui dominicum vel tegerent vel luerent ſcelus: ſed violata mulier ignoſcere quàm perſequi maluit: ne vindicta majorem infamiam ſecum traheret. Et primum inter plebes, Imperatoris ſoror; deinde, Comitis Palatini relicta coniunx; poſt, vna ex Saxoniæ Ducibus, dicta; Monialis denique, non ignobilis comperta eſt: vt fama ſolet mendacio creſcere, vbi verum inquiras.

In eodem quoque Iubileo, adnitente Iohanne de Capiſtrano ordinis Minorum profeſſore, placuit Nicolao Pontifici, Bernardinum Senenſem quietis Sanctorum ordinibus aſſcribere, atque in catalogo beatorum patrum redigere: quamuis pluribus hic ante annis mundo mortuus, lucidas cæli ſedes intuiſſet, ad prædulces nectaris receptus ſuccos. Fuit autem Bernardus apud Senam vrbem Etruriæ nobili loco natus: qui poſtquam litteras didicit, ac Pontificii Iuris aliquam peritiam habuit, patrimonio, quod non tenue à Parentibus iam vita finctis acceperat, inter Chriſti pauperes erogato, abnegans ſeculi pompas ad religionem diui Franciſci ſeſe recipit; auctorque paupertatis eximius, tamen vbi ordinem illum labentem & ab inſtitutione primeua longè remotum offendiſſet, reducere fratres in viam cum diu fruſtra conatus eſſet (neque enim indurati maiorum conventuum mores flecti poterant) vocatis ad ſe nonnullis, quos ſanioris mentis inuenit, ſeorſum habitare inſtituit; hiſque domos ab vrbibus remotas, ex eleemoſyna ſtruxit: iubens omnes, vt Patris Franciſci voluntas fuerat, nudis pedibus ambulare, veſtes laneas ſine lino habere, cibo vinoque vti modico, plumas omnes fugere, in ſacco dormire, nihil de craſtino eſſe ſollicitos; proprii nihil tenere, pecuniam vti venenum malamque peſtem fugere, victum eleemoſyna

ſyna quærere, humiles eſſe, diuinis officiis intentos, populis Chriſtum & hunc crucifixum cum Apoſtolo prædicare. quæ omnia primus ipſe implebat, magiſtrumque non verbo ſolum ſed facto quoque diſcipulis ſe ſuis præbebat; ſobrius pater, caſtus verbis factiſque, temperans. In prædicatione vero ſermonibuſque popularibus, adeo plebibus acceptus, ut alter Paulus crederetur. Quibus rebus breui adeo religionem auxit, ut quingenta & amplius cœnobia per Italiam ſui ordinis à fundamentis erexerit, atque impleuerit fratribus, quibus obſeruare Franciſci regulam exactum ſtudium eſt. Mos inſuper Bernardini fuit, inter prædicandum nomen Ieſu aureis litteris in tabella depictum oſtendere, multiſque verbis atque clamoribus populorum animos in deuotionem accendere; cunctoſque, ut genua flecterent, magniſque vocibus Saluatoris nomen inuocarent, vehementi oratione perſuadere. cuius rei nouitatem cum plerique improbarent, vocatus eſt vir Sanctus ad Romanum Pontificem, Martinum quintum; juſſuſque nouum ritum relinquere. in quo claruit hominis probitas, puræque mentis ſinceritas emicuit. Nam etſi multis ſeſe Bernardinus tueri rationibus poſſet, cedere tamen Apoſtolicæ juſſioni maluit: ne prædicator humilitatis magiſtrum ſe ſuperbiæ comprobaret, illi ſedi reſiſtens, cui ligandi atque ſoluendi creditas à Domino claues non ignorabat. Hunc in nomine Ieſu curaſſe morbos, & alia patrauiſſe miracula, non eſt ambiguum. Nos cum Senis in foro ſexaginta diebus prædicantem audiuimus. Cumque die quadam dominica maximus populus conueniſſet, contigit ſubito, mutari aerem, ac ex ſereno turbidum fieri, ingenteſque minari pluuias, iamque auditores omnes in fugam verti. quod ille animaduertens, manere vniuerſos iuſſit, bonoque animo eſſe; pluuiam minime in eos caſuram affirmans, nudo capite preces ad Deum fudit. quo facto, diſſipatis nubibus mox lucidus aër reſtitutus, tranquillam audientiam præbuit. quod etſi caſu factum videri queat, orationi tamen ſancti viri omnes attribuere. Hic poſtquam totam Italiam prædicando docendoque circuit, tandem apud Aquilam Brutiorum vrbem, terrenæ vitæ peracto curſu, ad cœleſtem beatamque lucem migrauit; vbi corpus eius ſepultum clarere miraculis affirmatur. Huius plures diſcipuli remanſere, eloquentia præſtabiles, & accepti plebibus: præcipui tamen habiti ſunt Albertus de Sarteano Senenſis territorii, quem Pontifex Eugenius ad Indos miſit; Iacobus de Marchia, qui diu apud Vngaros euangelizauit; & Iohannes de Capiſtrano, cuius ſupra fecimus mentionem. Hunc cum Legati Cæſaris plurimorum vocibus commendatum accepiſſent, quem virum doctum & Apoſtolicæ vitæ ſectatorem rumor afferebat, litteras Nicolai Pontificis ad eum impetrant, quibus in Auſtriam illi iter mandatur: ibi ex arbitrio Cæſaris Monaſteria Minorum aberrantia reformet, pacemque populis prædicet, & viam vitæ in veritate doceat. quas litteras mox Legati ad Iohannem miſere. Ipſi ex Vrbe redeuntes, Senis, Florentiæ, Bononiæ, Ferrariæ, Venetiiſque, cum Principibus ac Magiſtratibus vrbium de tranſitu Cæſaris tranſegerunt: nec quenquam aduerſum inuenere: vniuerſi honorem, aditum, commeatumque Cæſari lætis animis promiſere.

FRIDERICUS autem, ex Legatis poſtquam ſe maritum Regiæ Virginis, & ad coronam accipiendam nihil impedimenti apud Italos cognouit eſſe; animum prorſus ad coronationem intendit; Viennam petit, res Auſtriæ diſponit, Sacerdotes duos in Portugalliam dirigit, qui annulo coniugali ex condicto Sponſam ſubarrent, aduentumque ſuum ad Latinum portum quam celerrime fieri ſuadeant. ſed hos, latrones inter eundum bonis omnibus excuſſere, remoratiq; ſunt diutius iter eorum: atque inde factum eſt, ne ſponſa ad tempus dictum mitteretur. Per idem tempus Iohannes de Capiſtrano ex apoſtolica iuſſione Theutoniam ingreſſus eſt, ac per Carinthiam & Stiriam venit in Auſtriam. cui Sacerdotes & plebes cum Sanctorum reliquiis obuiarunt, eumque velut apoſtolicæ ſedis Legatum, vt veritatis prædicatorem, vt magnum aliquem Prophetam, vt Dei nuntium ſuſceperunt; & quaſi vel Petrus, vel Paulus, aut alius Apoſtorum, illac iter faceret, omnes accolæ montium de-

scendere,Iohanni occurrere, vestimentorum eius fimbrias auidè contingere,ægrotos & malè habentes ante pedes eius afferre; è quibus plerosque sanitati redditos rumor fuit. Moratus est autem in Noua ciuitate diebus aliquot, viam Domini prædicans, mortalesque omnes ad pœnitentiam vocans. Interea magna miraculorum fama Viennam oppleuit: aduenisse Cæsaream (sic enim Nouam ciuitatem nonnulli vocitant) sanctum virum, Dei Apostolum,qui morbos pellat,qui viam Dei in veritate Dei doceat, qui pecuniam spernat, honores fugiat, abstinentia viuat. Concurrunt tumultuantes ad eum plebes, nec se tam diu victuras putant, donec visere hominem queant: maiores natu & Principes Ciuitatis ad eum legantur, qui eum Viennam adducant. Timebant enim, ne vel retro in Italiam cederet, vel in Vngariam alio itinere, posthabita Viennâ, proficisceretur; quam rem sibi iacturæ magnæ probrique loco ducebant. Inuitatus autem Iohannes, Viennam petit. tantus vndique populi motus fit, tantus concursus, ut nulla capax multitudinis platea inueniatur. quacunque transitus illi est, viri ac mulieres impetum faciunt, premere alter alterum, intueri virum, lacrimas lætitiæ deuotionisque mittere, leuare ad cœlum manus, benedicere venienti, laudare mittentem, tangere, osculari, qui prope sunt,vestimenta; veluti cœlo missum & Angelum Dei respicere. Apud Minores deinde, sui ordinis non suæ vitæ Fratres, excepturus est. ibi cibaria suisque comitibus publicitus ministrata sunt. vitam in hunc modum apud Viennenses duxit: vestitus dormite,ante lucem surgere,matutinum,laudes, primam tertiam orare, diuina exinde celebrare;hisque peractis sermonem ad populum Latinè pronuntiare;post hæc interpres,quæ dicta sunt ab eo,quantum capax est,exponere populo: tres aut amplius horæ labi, priusquam fiat interpretatio; loco sublimi apud Carmelitas in foro vnde sermocinaretur extructo.nam capi alibi multitudo non potuit. Finito sermone ad cœnobium sui ordinis reuerti, ac sexta & nona completis, infirmos visere, diu apud eos morari, manus omnibus imponere, biretum sancti Bernardini, & cruorem quem illi mortuo è naribus fluxisse ferunt, singulis ægrotantibus admouere; quos raro intra quingentos fuisse constat: precari supplex pro omnibus,exin cænare; demum his qui se accedunt audientiam præbere,mox vesperas dicere,hisq; completis ad ægrotos reuerti,atque cum his vsq; ad noctem se exercere. Tum demum completorio & aliis delectis precibus expletis, corpus quieti dare: minimum esse quod somno indulsit. Ad reuisendos sacræ scripturæ codices pusillum furari temporis. sic homo quasi cœlestem vitam in terris agere, immaculatam, absque sorde, absque peccato: ausim dicere absq; peccato, quamuis nonnulli glorioſum hominem iactatoremque sui,ex rumoribus accepisse mercedem dicerent, quibus placere magis quam Deo studeret. Sed sunt iniqui iudices,qui non in melius quæ occulta sunt interpretantur, quando quæ patent omnia bona vident.Cur virum calumnientur,qui longam vitam in paupertate vixit? qui multos annos docendo plebes absumsit, in abstinentia, in laboribus, in humilitate perseuerans, ac opera verbis æquans? qui nihil huius mundi appetiuit; qui nulli fuit iniurius, sed secundum hoc suis cultoribus ipse reliquit? parua fuerit merces tantis laboribus, humana laus. stultus est, qui propter rumusculos hominum suum corpus affligit, suumque genium fraudat. Ego sanctum & iustum hominem, qui calcauit auaritiam, libidinem subegit, honores seculi fugit, qui contra iniuriam atque iram patientiam obiecit, qui foucndis pauperibus studiosum se præbuit, qui nullum superbiæ fomitem ostendit, sola fiducia futurorum teneri arbitror, retributionemque thesauri cœlestis expectare, ac cum Paulo dicere: gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. & de cætero repolita est mihi corona iustitiæ, quam reddat mihi in illum diem iustus iudex.Indicauit autem hoc perpetua hominis lætitia, quem nemo mœstum vidit sed vultu semper eodem; vt de Socrate tradit antiquitas. Sciebat enim, mortali se culpa liberum, bonis se operibus intentum, expectabat dissolui & esse cum Christo. Quod si mundi gloriam quæreret,sciret se Deo non esse acceptũ; videreturq; sæpè tristior,conscientiæ stimulis actus.nam qui laudes sectantur humanas,ex alieno pendentes arbitrio sæpè decepti mœrent:soli sunt seruiDei,qui perpetua quiete& animi tranquillitate fruuntur.

qualem

qualem esse Iohannem minime dubitauerim; quem pusillum corpore Viennæ vidimus, ætate senecta annos, vt ipse aiebat, quinque & sexaginta natum; siccum, aridum, exhaustum, solâ cute neruisque & ossibus compactum, lætum tamen & in labore fortem, sine intermissione singulis diebus prædicantem, altas atque profundas materias absoluentem, doctis ac rudibus satisfacientem auribus, mentes demulcentem, ad fœdus quò voluit impellentem. Ad cujus sermonem dietim viginti & triginta hominum millia conueniebant: majorique ipsum attentione, quamuis non intelligerent, quàm interpretem audiebant. Cum nos illi esset totum sermonem Latinis verbis pronuntiare, deinde locum interpretandi facere. At hic, postquam nouum sui ordinis cœnobium erexit, in Moraviam profectus est: multos Husitarum ab errore reuocauit. Hunc & Cæsar cupide audiuit, multisque sermonibus eius interfuit, ac vestimentis sacerdotalibus cum donatum dimisit. Inter hæc Bohemi suo more de rebus acturi communibus, conuentum Regni apud Pragam indicunt: sed cum pestifera lues eò superuenisset, apud villam, quam Benedicti appellant, contenere. fama fuit, futùm eos Regem repetituros, nisi obtinerent, alium quæsituros. id Cæsaris iter in Italiam remorari videbatur. Mittuntur ergo ad eos Legati, Æneas Episcopus Senensis, Procopius Eques Bohemus, & duo ex Austria viri nobiles; qui feroces lenirent animos: ne pupillum ante annos expeterent, dum nullo vsui Regno esse posset; expectarent pubertatem, neque dubitarent illum, cum dimitteretur, ad eos inprimis venturum. Grata hæc legatio Bohemis fuit. Quippe qui magis ex debito quàm ex animo Regem petebant. Georgius de Podebrot fuit, in quem Proceres Regni gubernationem transtulerant; homo breuis, quadrato corpore, alba carne, illustribus oculis, moribus placidis, Husitarum errore infectus: alioquin æqui bonique cultor. quem cum nos longo sermone de communione calicis temptauissemus, magis deceptum quàm pertinacem inuenimus.

Eodem tempore Barbara, quæ fuit Sigismundi coniunx, ex domo Cilienſi, quamvis senectute confecta, peste tamen interiit, nobilis genere, infamis vita mulier: quam sæpè in adulterio Sigismundus comprehendit: sed adulter ignouit adulteræ. Nam & sibi nihil leuius quàm violare matrimonia fuit. Barbara verò tam inexhaustæ libidinis inuenta est, vt non tam crebro peteretur à viris quàm viros peteret. ea post viri obitum in Bohemiam se recepit apud Gretium Reginæ. ibique inter greges exoletorum concubinosque consenuit: in tantamque dementiæ cæcitatem prolapsa est, ut sanctas virgines, quæ pro fide Iesu mortem subiere, stultas publicè compellaret, quæ voluptatis gaudia gustare nescierint. Nihil deinde homini suum dicebat, nisi voluptates. post hanc vitam aliam esse negabat, & interire animas cum corporibus, asseuerabat. Sed hanc tam sceleſtam fœminam in domicilio Hæreticorum apud Gretium defunctam, scelerati & abhominabiles Husitarum Sacerdotes Pragam duxere, atque inter sua sacra Regum tumulis condidere: digni qui tam impium funus peragerent impii.

At Fridericus vbi Res Bohemiæ quietas intelligit, Oratores elegit, quos ad Italiam mittat; Æneam, de quo paulo ante diximus, Albertum Potendorffium, Georgium Volchenstorfium, Barones Austriæ; Michaelem Fullendorfium Secretarium; treſque alios equites, nobili loco natos. hos iubet de transitu suo nouos tractatus in Italiam facere, ac publicam Principum & Communitatum fidem expoſcere: Cæsarem in festo diui Martini ingressurum Italiam, dicere; ut apparentur itinera, hominibus equisque necessaria disponantur. exinde Talamonem petere, ibi aduenientem sponsam suscipere, Senasque conducere; atque his actis, Æneam & Michaelem, Romanum Præsulem accedere, de Coronatione rursus quæ opportuna viderentur agere. Matronæque nobiles & bono sanguine natæ virgines duodecim, cum his proficisci iubentur, Imperatrici seruituræ. Ipse interim Fridericus nobilibus atque Principibus scribit, quos sibi comites optat, itineri vt se ocyus accingant. Ciuitatibus, vt ex more suos mittant legatos, imperat. Res pluribus incredibilis visa est. Qui prius scriptum bis norant, bisque remoratum transitum. At qui Bohemos quieſcere, Hungaros inducias habere biennales, Austriam pacatam, floridam Friderici ætatem sciebant; arma

surrunt, Italiamque petituros, multi se offerunt, quibus Cæsar benigne susceptis stipendia viritim promisit. Bohemi & Australes in Austria, Vngari & Bauari in Carinthia, Sueui, Renenses, Francones, Saxones, in Ferraria iungere sese Cæsari iussi. nihil aduersum esse, omnia tuta videri. Sed nata est ex inperato res, quæ disturbium attulit, atque omnium malorum, quæ postea contigerunt, radix atque origo fuit.

Albertus Austriæ Dux, Germanus Friderici, vir animo celso, consilio prouido, & omnibus moribus egregie præditus, sed profusior aliquando quam patrimonii vires ferrent, dum suos egere vetat amicos, in egestatem prolabitur suaque distrahere cogitur. Castrum ei in Hungaria fuit, non longè à Noua Ciuitate: id se venditurum proponit. Magnus eo tempore apud Australes erat Vlricus Eizinger; qui parentibus quamuis ingenuis, tamen obscuris, in Bauaria natus, cum fortuna sibi in patria non arrideret, pauper & modicus in Austriam venit. Sed homo industrius & laboris patiens, in gratiam Alberti Ducis, qui Cæsar ante Fridericum fuit, cum venisset, acceptus in consilio Principis, res domi bellique ducere cœpit; interque rudes & desides terræ Barones facile creuit, adeoq; auctus est, vt omnium Cameræ reddituum receptor solus distributorq; fieret. Australes id officii Magistratum Hubarum appellant. hinc ditatus ingentes opes congregauit. Ædes egregias, agros, villas, castra coëmit, pleraq; in pignus accepit: Baronatus quoque titulos emeruit. Alberto, quæcunque dixit, Deorum oracula videbantur. Sunt qui aiunt, hominem futuræ vitæ incredulum, neque confessioni neque communioni operam dare, rem diuinam ipertinere, quamuis timore populi Ecclesiam visitet; Phitonissam quampiam sequi; quæ sibi ventura prædicet. huius seculi voluptates amare, præter famam nihil habere post obitum homines, reri. Verum hæc mihi de fide hominis minus explorata sunt. quamuis ea nonnulli Austriæ Proceres me præsente in consilio Cæsaris affirmauerint. Eizingerus igitur vt accepit, castrum quod de lapide timoris appellant, Albertum venditurum, mox eum conuenit, atque de summa & solutionis tempore tractauit. Super conficiendis emptionis chirographis aliquid contentionis remansit, neque id diffinitum erat, quod Albertus aurum petebat: Vlricus monetam partim auream partim argenteam promiserat. Dumque res pendet, Fridericus accersitum fratrem, vt sibi quàm alteri castrum malit vendere, multis verbis onerat; quod suis bonis pulcre quadrare videtur. Albertus ait, se cum Eizingero venditionem inchoasse, nisi is annuat, non videri sibi retrocedendum; credere se hominem facile cedere, si negetur. Mittuntur ad illum Iohannes Vngnadius & duo de Consilio Alberti; qui reuersi affirmant, Eizingerum Cæsari sine contentione cedere, fit venditio, numeratur aurum, traditur castrum. At vbi Eizingerus audit, Albertum incusat, qui venditionem conclusam soluerit; se læsum, deceptum, derisum queritur. Albertus illo se consensu venditionem in Cæsarem transtulisse respondet; testes producit, qui ad eum rerant. Eizingerus constantius negat, consensum à se datum esse; grauique damno se affectum, ait, qui pecuniam sub fœnore tulerit, atque aliquis possessiones vendiderit, vt posset contractui satisfacere, neque quieuerit: quamuis dicatur, non completo contractu licuisse Alberto mutare propositum. Sed Iohannem Vngnadium multis verbis lacessit, qui falsum Cæsari atque Alberto retulerit testimonium. fit itaque dubium, cui sit potior adhibenda fides; cum vnus dictum, alter indictum asserit, neque id negotii ex more patriæ inter milites aliter diffiniri quàm duello solet. At partem illud militum non tam armis aptum quam consilio videbatur. nulli mens fuit, id probationis genus expetere. Cæsar autem & Albertus vbi aliter placare hominem nequeunt, quamuis Principes sunt, quorum voluntas legis neruos habere potest, ius tamen coram Baronibus Austriæ Eizingero experturos se offerunt. Sed neque sic armorum homo suiq; fidens querelas ponit: negatque, se lites cum suis subire dominis; id periculosum plenumq; odio dicit, petit seruari promissa, aut damna refundi. Verum iustitiæ postquam via reseditur, negotio silentium imponitur, querelæq; contemnuntur. Cæsar de transitu suo sollicitus, Ciuitates Austriæ munit: rebus modum statuit; Rectores legit, qui se absente Austriam gubernent, Comites de monte pulchro, patrem & filium, Georgium de Puchaim, Rodigerum de Starnberg, Sigif-

mundum

mundum de villa aprorum, & alios pleroſque Barones; ex ciuitate autem Viennenſi ſolum Burgimagiſtrum, iudicem & paucos de conſulatu accerſit, hiſq; ſuum iter & quid velit eos facere, manifeſtat. Sed malè cum paucis tranſigitur, quod multorum eſt. Ciues indignati tanquam ſpernerentur, animum inde à Cæſare alienarunt. Eizingerus autem prius ex Vienna tumida mente receſſerat; quod ſe ludibrio habitum & affectum damno videbat; molituruſque aliquid, quo vir intelligeretur, inter ſuos, ſeſe, minabatur. neque id Cæſarem latuit, qui animum eius ut molliorem redderet, eum cum fratribus inter gubernatores Auſtriæ ſuſcepit, miſitq; ſibi nuncios, qui munus ei gubernationis ſuſcipiendum ſuaderent. Sed incaſſum temptatus eſt: quippe gubernationi quæ ſine conſenſu terrigenarum decreta fuiſſet, nullo pacto ſe velle immiſcere, reſpondit, aitq; vereri ſe non parum, ne terrigenæ eam gubernationem impugnent, cum Ladislaus ex voto cunctorum ad Viennam non mittatur. Quod ſi miſſus fuiſſet, aut ſe Romam cum Cæſare profecturum, dicebat; aut accepturum gubernandi laborem. eo vero negato, facturum, quod bono viro & patriæ ſeruienti conueniat. Fridericus vero, qui ſibi iurenrando Vienienſes obnoxios, Auſtraleſq; omnes obligatos fidelitate norat, haut arbitrari poterat rebellioni poſſe locum patere. Compoſitis itaq; rebus, vt ex vſu ratus eſt, ad nouam Ciuitatem ſe contulit, atque itineri ad Italiam faciendo grauiter intendit.

Inter hæc Italia iam certior facta de Cæſaris aduentu, variis vndiq; completur rumoribus: timere alii, quibus fecundæ res ſunt; narrare, quæ priſcis temporibus accidiſſent, dum Germani Cæſares Italiam petiuere; armis iter quæſitum, nunquam defuiſſe bellum, rapinas cædeſq; agitatas, vaſtatos agros, verſas vrbes, neque humanis rebus neque diuinis parſum; ciuitatum rectores amoros, notios inductos. Conſulendum igitur paci, claudendam Friderico viam, dicere. qui procul à republica tenebantur, optare celerem introitum Cæſaris; iam finem adeſſe miſeriarum ſuarum credere. Non laturum Imperatorem ſuperbiam dominantium, moderaturum vectigalia, excluſos vrbibus reſtituturum, ſua cuique redditurum, prædicare. Varia igitur agitari conſilia; atque vti voluntates ſunt, ſic ſeſe homines demonſtrare. Ciuitates tamen & Principes, quia publicam fidem dederant, aduenientibus legatis Cæſaris innouationemq; promiſſorum petentibus, dicto ſtare decreuerunt; rurſuſque tranſitum ſecurum commeatumque promiſerunt. quibus autem grauior videbatur aduentus, cum ſe non poſſe tantam rem perturbare conſpiciunt, ſummo Pontifici timorem incutere ſtudent; haud ambigentes, remanſurum in patria Cæſarem, ſi eum Nicolaus ab introitu deterreat. Per homines igitur, quibus palatium patet, mentem Romani Præſulis auertere temptant: Fridericum iuuenem eſſe, affirmant, animo alto præditum, honoris atque potentiæ cupidum, magna domo natum, amicis, opibus habundantem; vocaſſe Principes theotoniæ, ſplendidam militiam ſecum ducere: Italos plerumq; nouarum rerum auidos, Romanum populum ad omnem ſtatum moueri, Imperio fauere, clero infeſtum: Alfonſum Siciliæ Regem vrbi vicinum, Imperatricis auunculum, Cæſari opem daturum; qui arma in Italia gerant, omnes Romani Pontificis atque Cardinalium opibus inhiare: in fatis inueniri, Fridericum tertium, cum regnum acceperit, intolerabilem clero futurum, oppreſſurum Eccleſias, vendicaturum vrbem, res facturum ingentes. prophetatum eſſe, Nicolaum Papam ante diem XIII. Kal. Aprilis aut obiturum mortem, aut in captiuitatem venturum: Florentiæ inter negotiatores, niſi id fiat, haud paruas repromitti pecunias. Nicolaus, etſi pleraque omnia conficta, vanaſque fatorum minas ducit, animi tamen dubius, hinc timet, inde cupit; hinc dominatum amittere formidat, inde coronandi Cæſaris gloriam expetit; niſi modo fiat, neſcit an iterum eius gerendæ rei facultatem ſit habiturus: ſcit breuem hominis vitam, ægrotum ſe diu non poſſe vitam ducere; in ſepuchro ſuo titulum coronatoris exoptat. Vicit tamen cupiditatem timor, & honori prælata vtilitas eſt: quippe, quod audenti quàm timenti plus imminere periculi videbatur. at cum honeſtas non ſineret aperte negari aduentum Cæſari; Henrico Senftleben, Scriptori Apoſtolico, non incauto homini neque infido, qui aliis de rebus in Germaniam profecturus erat, negotium datur, poſtquam Cæſarem adierit,

ci vt

ei vt suadeat, ne Romam properet, maneat totam domi hiemem, æstate Italiam quæ-
rat; tum viris victum equisque reperiri, hieme vacua esse horrea, Romæ omnia cara;
pluuiarum diluuiis itinera rupta esse, difficillimas in montibus vias; animos Italorum
nouitate aduentus subiti turbulentos, tempore posse placari. Dum Henricus cum
his mandatis Patauium transit, Germaniam petiturus, legati Cæsaris apud Venetos
de transitu agebant. vbi responso ex sententia recepto, Ferrariam, deinde Bononiam,
Florentiam, Senasque petiuere; neque vsquam male auditi sunt. Senenses tamen
plus cæteris timere videbantur, qui Æneam nobili loco apud se natum, Cæsari acce-
ptum, popularis regiminis inimicum arbitrabantur. Ibi Æneas Romani Pontificis
litteras accepit, quibus Romam petere sine mora iubetur; quod cum audire de Cæsa-
ris aduentu Nicolaus desideret. is sibi commissum ex Friderico respondet, Imperatri-
cem in portu Talamonis vt recipiat, Senasq; conducat: postquam id impleuerit, è ve-
stigio se Romam iturum. Fuerunt & tunc Romæ nonnulli theotones, qui Æneam de
omnibus, quæ Romæ agitabantur, certiorem reddebant: à quibus de timore Pontificis
& de Legatione Henrici instructus, in hanc sententiam Papæ scribendum putauit: *Bea-
tissimo Patri Nicolao summo Pontifici & vniuersali Papæ Domino primo suo Aeneas san-
ctæ Senensis Ecclesiæ humilis Episcopus*, Reuerentiam & subiectionem dicit. *Adiui te
Romæ anno exacto, vt nosti, ex Neapoli rediens, Leonoram Regis Portugalliæ Sororem
Cæsari desponsatam ad Kal. Nouembris in portum Italicum venturam, Fridericum eo
tempore Romam petere, simulque coronam cum coniuge velle suscipere, dixi; Cæsareum
vti votum iuuares, coronationique te accingeres, rogaui; tum vt vero filio tuo, qua potis-
simum tempestate intraret Italiam, quod iter teneret, consilium dares. quibus auditis, ma-
trimonium & propositum Cæsaris commendasti, cupidum te sui. Ea Cæsar ex me audi-
uit, cupidusque aliquando suam coronam tollere, ex tuo consilio & iter & tempus elegit.
Nunc certior factus sum, te ad Fridericum misisse, qui tempus æstiuum expectari suadeat,
causeturque verum penuriam. Hæc etsi me Friderico mendacem ostendunt, cui aliter de
tua mente sum locutus; non tamen me magnoperemouerent, si earum dignitati, cui omnia
debeo, consona iudicarem. Sed sunt, nisi me fallit opinio, tuo culmini aliena. Quid enim
Romanum Pontificem, quàm dictorum factorumque constantia, magis decet? si tua mu-
tant verba, cuius erunt certa promissa? Suasisti hiemale tempus accipiendum; nunc pro-
bas æstiuum. Si vni mihi dictum id à te fuisset, possem videri mentitus, meumque de-
cus tuam culpam tegeret. Sed aderant collegæ duo, qui ea mecum ex te audierant, non po-
tes quouis pacto non varius..... nec fortasse deerunt, qui Friderici optare mortem di-
cant, cum tempus insalubre commendes. neque illud fidem faciet, quod vrbi frumenta ce-
teraque ad victum necessaria desint. non latent res Italæ theotones: sciunt, quæ apud nos
sunt, moresque nostros callent. Norunt anno proximo iubilæum habitum, infinitam populi
multitudinem Romæ fuisse, neque tua prouidentia quicquam defuisse. Cur modo pauci-
oribus res frumentaria non suppetet? non est hic annus sterilior altero: nouæ fruges horrea
oppleuere. Vereor, ne Cæsar hac tua legatione animum erga se tuum mutatum intelligat.
At plurima tibi de Cæsare aduersa dicuntur; venire illum armatum, Italiæ imperium
quærere, Clero dominium inuidere; multa de Friderico tertio in fatis haberi dictu horren-
da. hæc si alios terrent, tuam certe beatitudinem mouere non debent; qui hominem intus
& incute nosti: cuius æquitatem, fidem, religionem, non satis olim prædicare atq; magni-
ficare poteras. Quod si esset in cleri hostis, vt plerique garriunt, quando facilius, oro, cle-
rum opprimere potuit, quàm vigente in Ecclesia schismate, stante que Germanorum neutra-
litate? Si voluisset tantum, pessum ibat Ecclesia: cleri maiestas omnis extinguebatur;
nec tu hodie in hoc statu esses, in quo te videntes lætamur. Sed misertus est Ecclesiæ matris
suæ Fridericus; summa enixus ope neutralitatem aboleuit, schismatis radices euulsit, sibi vt
parerent Germani omnes, curauit. Nec præterea vsquam clero melius est, quàm suo in patri-
monio. scis quæ monasteria fundauit, quas erexit Ecclesias, quanta sit eius in te Romanum
que sedem deuotio. Putas forsitan, bonum Principem malos habere comites; times Roma-
nos, times cæteros Italos, ne pium Principis animum inficiant, etsi denique meliora
suadeant sequi peiora. sed non est mens homini, ad prava vt queat induci. Comites et ve-
nient clari Principes, & alto sanguine nati. Proceres quibus turbare vrbes aut miscere
tumul-

tumultus neque tutum neque decorum fuerit; qui nomen bonum lucris omnibus anteponant. quod si tumulti quicquam in vrbe surrexerit, non minus tuam quàm Friderici personam Germanicus tuebitur ensis. Securior tua Pietas inter gladios theutonicos quàm inter Italos erit. Nam qui arma gerunt Itali, ex plebe sunt, leves homines, mercenarij, quibus nihil est pecunia dulcius: Germani ex nobilitate milites legunt, graues viros ac fidei tenaces; quibus honore nihil est antiquius. nihil est quod vel in Cæsare vel in Comitibus suspicari fraudulentum queas. fata verò, quæ nonnulli in medium afferunt, non habet me dubium, quin tua summa sapientia rideat. quis enim est, qui se futuri præscium dicat? cui notum est, quid vesper vehat? futuri temporis exitum cæca nube prudens occulit Deus. nec te libris auscultare modernorum arbitror prophetarum, quorum dubia verba in omnes partes recipi queant, neque intelliguntur nisi rebus peractis: ut quisq. timet aut sperat, sic sententias interpretatur; quas vir sapiens nullo in pondere ducit. quippe aut falsæ sunt Prophetiæ, & abiicere ac spernere illas oportet: aut veræ sunt, & euitari non possunt. Nam quod futurum diuina prouidentia manifestat, id fieri necesse est. Itaque non timet sapientia fatum. ratione metitur futura sapiens, & vt sunt homines, ita eos acturos putat. Quibus ex rebus non video, cur tua S. Fridericum timeat; cur eius aduentum impediat. honoris tui cumulus in eius coronatione consistit. Vnio tuo tempore facta est Ecclesiæ: Iubilæus annus exactus: instat tibi tertia coronationis Cæsareæ laus: quam si modo differs, adeo Italiam inuolutam video, vt te Pontifice ingressurum Italiam Cæsarem, qui sapiat siue Italus siue theotonicus, videat nemo.

Sic Pontifici cum scripsisset Æneas, Imperatori quoque litteras mittit: quibus *se accepisse*, dicit, *quæ Senftleben sit iussus. legationem eius ex metu profectam, non ex vero, affirmat. Cæsarem, nisi hieme transierit, æstatis caloribus impediendum, & Italico bello; cuius semina tacta in æstate segetem productura non dubitentur: dum partes silent, facilem patere ingressum; neque timendam penuriam, cum neque diu Romæ sit standum neque cum multis. Quod si necessitas ingruerit, rem frumentariam facile posse Tyrrheno mari administrari. Aut igitur ipsa hieme veniat, aut se longo post tempore venturum non esse intelligat.* Nicolaus vbi scripta Æneæ legit, quamuis vehementer commotus, quia suis sermonibus teuincetetur, omnino tamen Imperatorem admittere statuit: atque ambagibus procul motis, scribit Cæsari: *suum se aduentum cupide præstolari; optare vt quam primum Italiam intret, Romamque visat: omnia, quæ coronatio requirit, præsto esse; nihil sibi honoris defuturum: Se Fridericum, ut filium, ex regione longinqua venientem, auidè amplexurum. Si qui secus de sua mente loquantur, hos discordiæ malæque Zizaniæ fatores neque fide neque auditione dignos. Nam sibi nullum esse ardentius desiderium, quàm Fridericum Romæ quamprimum videre atque amplecti. Veniat quo tempore velit. quo amplius maturauerit, eo citius Apostolico desiderio satisfaciet.* Easque litteras & ipsarum exemplum ad Æneam mittit: mandatq; sibi, si ei videatur, illas Cæsari quantocius restitui curet. neque id ab Æneа neglectum est.

Eizinger verò, dum ista aguntur, anxius quo se pacto vindicet, noctes insomnes ducit: nunc hos nunc illos Barones alloquitur, & quoniam suas iniurias non vrgere alios videt, publicas in medium affert: male gubernari Austriam queritur: Regem Ladislaum dure teneri; patriæ pupilloque consulendum, postquam sentire secum aliquos intelligit, conueniendum esse, affirmat, cogitandumque in communi, quo pacto Fridericus ex administratione Austriæ depellatur. placet omnibus conuenire. Barones tum fortè de Liechtenstain, in Austria Morauiaque potentes, de finibus cum Eizingero litigabant. quæ res conuentioni colorem præbuit, ne conuenticulum illicitum monopoliumque videretur. Rogati sunt enim ex more regionis vicini quique nobiliores, ad litem diffiniendam, in locum cui Meilperg nomen est, trans Danubium inter Austriæ Morauiæque fines. eo pergunt omnes, quibus in Cæsarem amarulentus animus rancidaque mens fuit; quibus vel negatæ petitiones, vel punita scelera fuerant. Australes enim quamuis naturâ tenaces nulli quippiam largiantur, tamen ex Principe plurima petunt: quibus negatis, iniuriam se passos, aiunt, resque nouas moliuntur; bonus his Princeps est, qui multa donat. at vbi nudum liberalitas reddidit, irrisum omnes deserunt, atque alium quærunt, quem valeant expilare.

pilare. Quorum mores dum Fridericus animaduertit, ab Australibus diues quàm pauper malunt derelinqui. Neque donare magna, sine causa voluit. Tenebat sua pupillique bona, neque dissipator videri volebat, qui tutor erat. Inde multi indignati, Eizingeri propositum secuti sunt: existimantes, Friderico deiecto, venturum alium, qui suæ rapacitati morem gerat.

Conueniunt igitur cum Eizingero, ex ordine Baronum Iohannes atque Henricus de Liechtenstain fratres, ac Vielhelmus nepos, Cadoldus Vanger, Georgius Churingius, & Nicolaus Druchses: Ex militaribus, Georgius Dachsner, Georgius Frizensdorffer, Wolffgangus Ruchendorffer, & alii quamplures natu nobiles. quos Eizinger in hunc modum allocutus est: *Egouos, viri præstabiles, semper animi magni, communisque boni cultores existimaui. hinc de republ. nonnihil dicere cum fiducia videor posse: quando vestros animos meo similes intelligo. Mihi sub Alberto quondam Austriæ Duce, qui postea regnum Vngariæ cum Romano Imperio tenuit, iuuentus acta est: ab eo auctus, ab eo fam in vestrum receptus numerum, haud minimus, ut nostis, in eius consilio fui: multa eius memoriæ debeo. Vos quoque sub eo magnipotentes fuistis, nunquam eius nomen ex vestra meaque mente potest excidere, qui patriæ generique nostro decori fuit, qui terram in pace tenuit, qui neque Bohemos neque Hungaros iniuriari nobis permisit. At postquam illum fata tulerunt, quàm dispar sit nostra conditio, omnes videtis. Abiecti homines Pancratius & Anchelrenter, vilissimique latrones, impune Austriam populantur. Nos, uti par fuerat, Fridericum Cæsarem tutorem Sobolis, quæ nascereiur ex Alberto (nam Regina prægnans remanserat) accepimus: honestati, iuri, consuetudini paruimus. Nato Ladislao coronatoque apud Hungaros, eius tutelam Friderico cum certis conditionibus permisimus; obediuimus ei, fideles fuimus. Verum quo ille pacto nos rexerit, pudet dicere. Nam si fuissemus homines, nequaquam talia tam diu toleraui ssemus. Promiserat terram Austriæ ex consilio incolarum regere, nihil nouæ oneris imponere, pupilli bona fideliter administrare: delegimus qui secum in consilio essent: quibus spretis, Vngenadium, Neupergium, Zebingerium, quos nostis homines, solos secutus est, horum vsus consilio, his omnia credidit: hos elegit neque genere neque virtute præstantes, qui nobis dominarentur, nostrisque ceruicibus imminerent. Nos ludibrio habiti, velut seruorum genus. Quot vobis ab his contumeliæ illatæ sunt? quæ vestra in consilio vox unquam fuit, quando ab his inuitati estis? quis vestrum ab his non irrisus affectusque damne reperitur? Sed ferre ista fortasse possemus, nisi Austria tota pessum iret. Vectigalia terræ ad Fridericum omnia deferuntur: familia eius ære nostro pascitur, ædificia nouæ Ciuitatis atque Grezensia auro Australico eriguntur, nihil Fridericus nisi ex Austria consumit, vestes sibi, currus, equos, nostra pecunia comparat. Ladislaus puer nobilissimus, cuius hæc bona sunt, neque vestitur, neque pascitur, ut Regem decet: pauper, odiosus habetur. Quo tandem ista feremus? semper nobis Vngenadius, Cebingeriusque, uti mancipiis vtentur: & illi in aliena domo ditescent, nos in nostra pauperes senescemus? annon Domini nostri salutem quæremus, & vtilitati nostræ honoriq; consulemus? Romam nunc Cæsar petere statuit: gubernatores qui se absente patriæ consulant, communis boni habitis legit, rapaces, suæ nequitiæ conscios: nulla de nobis mentio facta, spreti omnes sumus. regius puer aut in arce aliqua concludetur, ad quam nulli pateat accessus, aut in Italiam ducetur, æstus ut illum regionis interimat. At vos, si viri eritis, pristinæ virtutis memores, gubernatoribus obuiam ibitis; neque his parebitis, qui neque lege neque more patrio instituti sunt; neque vlra Friderici mandata recipietis, qui pacta nobiscum percussa violat. literas eius habetis, quibus nos omni obligatione soluit, si eum rumpere pactiones acciderit. rupit: liberi sumus: abusus est concessa potestate, tutelam male administrauit, onera nobis imperabilia imposuit: licet excutere iugum eius, &, quod reip. nostroque dominio vtile putamus, consulere. Audete igitur mecum; dum Cæsar Italiam petit, libertatem arripite, gubernatorum iussa contemnite, regimen ipsi Ducatus accipite; mox Viennenses cæteræque Ciuitates sequentur, quarum animos dudum perspectos habeo. Prius tamen, si placet, legatos ad Fridericum mittamus; si fortè Dominum nostrum ad nos mittere voluerit: si negauerit, iustiores apud omnes videbimur, qui non ante manus conseruerimus, quàm verbis amicis ius nostrum repetierimus.* Hæc vbi Eizingerius exposuit, laudare qui aderant

rant viri virtutem, probare sententiam, adiicere pro suo captu plura : damnare Cæsaris regimen, iugum abiiciendum dicere, subeunda pro libertate quæuis discrimina: fidem inuicem dare atque recipere ; iurare omnes, haudquaquam se quieturos, nisi Friderico dominatum aufferant. Ad quem sine mora quatuor ex se mittunt, qui eum apud Nouam Ciuitatem conuenientes dixerunt: *plerosq. Austriæ Proceres de rebus priuatis trans Danubium nouissimè simul habuisse conuentum. Inter loquendum autem, etiam de Patriæ regimine, deque suo Domino sermocinatos esse ; neque visum eis fuisse, aut Austriæ aut Domini sui negotia benè disponi : Cuius bona partim distracta, partim pignori essent inscripta. venisse in mentem ipsorum Alberti testamentum, quod de gubernatione Filii posthumi dimisisset : examinasse diligenter, quibus modis ad tutelam Cæsar fuisset admissus, & quæ Terrigenis ipse promisisset, vtque duodecim consilio delectos viros ad regimen communis terræ Cæsar callidè destituisset. Insuper, vt terrigenis qui apud nouum tritici burgum pridem congregati fuerant, placuisset, Regem Ladislaum apud Viennam in patria sede teneri, idque petitum ex Friderico fuisset. Sic enim libentius & animosius populi aduersus inuasores patriæ arma capesserent. Similiter & alios Ladislai subditos petiuisse, pro communi regnorum pace. Nunc ergo, cum menti Cæsareæ sedeat, omnino Romam petere; cumque gubernatio terræ Austriæ sine consilio & scitu prouincialium ordinata sit : orare Cæsarem, vt Regem & Dominum eorum ad possessionem Austriæ paternamque domum remitteret; quodque in eius gubernatione patriam voluntatem seruari sineret. Sic enim Regnis & Dominiis Ladislai benè consultum iri, diuersarumque calamitatum vitari posse dispendia. Quod si Cæsar præter eorum opinionem id negaret, tunc eos pro iure naturæ, ac pro debito, quo domino tenerentur, necessarium esset, id referre ad proximos consanguineos Ladislai, & ad cæteros eius subditos, illosque pro consilio auxilioque requirere, neque desistere, donec suum Principem ad hæreditatem paternam restitutum viderent. Responsumque super his scriptum sibi reddi* petiuerunt. Arrogans hæc legatio temeritatisq; plena visa est Cæsari : qui paucos ex Austria nobiles tantam rem aggredi mirabatur. Neque enim amplius sedecim nominati homines fuerunt, qui ab initio conspirauerunt. Sed audaces & factiosi, cupidi nouitatum, assueti rapinis, in omne facinus prompti; quibus vel mori vel obtinere sententiam propositum erat. His ad hunc modum responsum est : *Quæ dicta ab eis essent, Cæsarem plenè intellexisse, miratumque esse, talia eos petere, qui se tutorem Ladislai, gubernatoremque Ducatus Austriæ secundum terræ consuetudinem non ignorarent, quique cum cæteris Australibus Alberti testamentum veluti cassum sibi tradidissent, seque vnanimi voto pro tutore pueri gubernatoreque Principatus accepissent : neque latere ipsos Reginam Elizabeth puerum Cæsari cum sacra Regni Hungariæ corona, tanquam tutori & proximiori consanguineo, seniorique domus Austriæ Principi, tradidisse nutriendum: quem ipse in hanc vsque diem benè & pudicè educasset, neque secus in futurum esset facturus. nil modo esse, cur refutati testamenti facerent mentionem. neque id habere rationem, quia Viennæ Regem teneri peterent, qui nossent, sæpè ante id temporis, nunc Bohemos, nunc Hungaros, secum ad se, non ad Viennam mitti petiuisse. Australes autem semper consuluisse, ne ante pubertatis annos extra Cæsaris manum puer daretur: ne Regna inter sese dominiaque, pro illo apud se tenendo, contenderent. timoris eandem adhuc durare causam. Nam si puer rectore indigens, ignarus regiminis, Viennam mittatur, suo ex arbitrio victurus ; haud dubium, quin subditi eius de regimine impuberis inter se litigent, contentionesq; moueant, & regnis & pupillo noxias. Petitionem igitur eorum alienam videri à bono publico: neq. tantum negotium, sine communi deliberatione suorum & Ladislai consanguineorum & subditorum aggrediendum. Ad quam rem, accincto iam itineri ad Italiam Cæsari, nunc otium non patere. sperare autem, breui se rediturum; tumque consilia quæsiturum, facturumq; omnia, quæ vtriusq. partis amici subditiq. pro bono pupilli ac terrarum consulerent. Interim hortari eos, ut fauoribus & auxiliis assisterent his, quibus Austria commissa esset regunda, fidemque datam tenerent.*

Hac responsione data, fuerunt, qui Cæsari Viennam repetendam suaderent, incendiumque prius quàm adolesceret restinguendum: peruestigandas è vestigio conspirationis radices eradicandasque, antequam amplius extendatur. Coronam Ita-

liæ posse alio tempore peti. Austriam, si nunc è manibus iret, difficile recuperandam. nec putandum esse, Eizingerum tantum opus sine adiutoribus inchoasse: postquam Cæsar procul abierit, tunc illi plures adhæsuros. Quod consilium, etsi ex vsu Cæsar existimauit; tamen quia datum hominem sui transitus absque * mutari non posse putauit, compositis sarcinis ex Austria in Stiriam profectus, Ladislaumque Regem secum adduxit. Conspiratores autem, vt Friderici responsum noscerent, ituri trans Danubium in villam, cui Vulder cognomen est, alter alterum vocant; auctoque numero frequentes veniunt. ibique cognita Cæsaris voluntate, in hanc sententiam ei rescribunt: *Intellexisse se*, aiunt, *quæ sit mens Cæsaris. Conuenturos breui Austriæ terrigenas, ad eos, velle Cæsaris scripta referre, indeque latius respondere. illud autem non possenon admirari, quod petitus per eos ad Viennam mitti, Ladislaus, in Stiriam sit deductus: petere iterum suum Principem, seruaturos magna fide Cæsari suis precibus annuenti.*

Nec minus interea Prælatos Baronesque sollicitant, secum vt sentiant: Ciuitatesque circumeunt, summoque studio in sententiam trahere conantur: maximè autem Viennenses instant, quod hac ciuitate deflexa reliquas facile concursuras arbitrabantur. Vtq; circumuenire incautos possint, Imperatorem, aiunt, iam iter ad Italiam accepisse; Ladislaum in Stiriam abduxisse; in Austria sine consensu Prouincialium gubernatores positos, barones tantum accersitos; ciuitates, mediam nobilitatem, Prælatos, contemptos esse: latrones nondum patria eliminatos; timendum, ne quid mali absente Cæsare oriatur. Conueniendum esse, de communi Austriæ salute cogitandum. Viennenses q; magnopere rogant, conuentioni locum tribuant. Illi autem, singula quæ secum aguntur Cæsari nunciantes, conspiratoribus aiunt: se memoria tenere, quatuor terræ status Fridericum Ladislai tutorem, patriæq; gubernatorem in scriptionibus vltroq; datis admisisse; præstitam à se fidem, atque iurisiurandi religionem, violandam non esse. At si Prouinciales vnanimiter aliquid decreuerint, cõsulatum populumque Viennensem honore suo iuramentoq; saluo facturum, quod Imperatori Ladislao conducat: nisi Cæsar annuat apud se fieri, non permansurum. Fridericus, vbi ex literis Viennensium, & aliarum Ciuitatum, ex ipsis quoq, conspiratoribus, congregationem Prouincialium quæri cognoscit; Gubernatoribus Austriæ mandat; omni conatu repugnent, neq; vllo pacto conuenire Terrigenas sinant. Viennensium fidem commendat, hisque præcipit: ne quos apud se fieri conuentus patiantur; vocati in alium locum ne pergant, ne verbis Eizingeri credant. vocari Terrigenas, Principis esse non pauco-rum, dicit: caueant, ne se absente eorum ciuitas noui quicquam attemptet, in suo reditu, quem celerem asserit, qui constantes fuerint, his præmia pollicetur. Eizingero autem eiusq; sequacibus litteras dat, quibus eos nimis præsumere, ait, qui Ladislaum regem quo velint & quando velint trahendum existiment: pupillum sibi, non ipsis, commendatum; illum hactenus benè pudiceq; gubernatum esse; cum tempus eius aduenerit, dominia sua sibi nequaquam defutura: frustra eos rem curare, quæ ad se minimè pertineat; prudentius eos acturos, si pacem tenentes his pareant, quibus resp. commissa est. Gubernatores apud Viennam primarios quosq; ciues ad se accersunt: ciuitatem quietam benè habere, populum diuitem pace frui, benignum eis Fridericum esse; dicunt: ne aures nonnullis præbeant, qui res nouas moliuntur. tumultuarios conuentus ne tolerent apud se, monitos reddunt; pericula, quę possunt oriri; certam pacem sperate victoriæ præferendam, edocent. Cumq; trepidare nonnullorum animos incertaq; multitudinis consilia modo huc modo illuc flecti conspiciunt; imminentem Cæsari turbationem scribunt, nisi celerius occurrat. Cæsar ad eos Vlricum Sunnenberger pontificio iure consultum mittit; cui Viennenses, quia verax esset consilioq; polleret, plurimum credebant. Sed is res omnes infectas reperit: multos apud Viennenses varioq; tractatus esse, ciuitatem fluctuari, Gubernatores timore correptos, neq; remedium esse ad disturbandum conuentum, nisi quàm celerrimè Cæsar equitum præsidia certis locis collocaret, minasq; conuenturis inferret. Quod cum Cæsari suadere reuersus Vlricus niteretur, per eos impeditum est, qui sua magis emolumenta quàm Cæsaris lucrum gloriamque quærebant.

Eizingerus interea, per homines industrios & audaces, postquam Senatum vr-

bis

bis Viennensis sentire contra se cognoscit, plebem sibi conciliare studet. Velle Viennæ conuentum habere omnes Proninciales, asserit: de bono Regis Ladislai, qui vinctus tenetur, de commodo Patriæ, quam multi diripiunt, habere consilium. impedire Consulatum tantum populi bonum, Ciuitatis vtilitatem præteruertere. Viennenses mercatura viuere, non posse rem facere nisi plures ad se confluant: Si conuentum habeant, pensiones ex domibus habituros, vina merceſque vendituros, argenti plurimum extorsuros; sui Regis magnam initutos gratiam, qui ad suam liberationem intenderint. pessimè Consules agere, qui Friderico magis quàm suo Principi studeant. Scinditur in varia consilia vulgus. plebs inuidia, mobili ingenio, nouarum rerum auida, laudare conuentum, criminari Senatum, Friderici regimen accusare, Ladislaum petere, odisse vetera, amare noua, vociferari tota vrbe, nisi Prouinciales admittantur, Consulibus vincula mortemque minari. Inter quæ, omnes eos ferociores vidisses, quos maius æs alienum maiorque premebat egestas. At opulenti sedare tumultum, probare quietem, nouitates horrere, sua vt esset quisq; sorte contentus, hortari. Friderico nihil imputandum, dicere: qui tutelam ex communi consensu recepisset, qui patriam quietam tenuisset, qui pupillum optimè educasset, qui nulli ciuium sinuisset iniuriam fieri: Ladislaum adhuc regendi nescium, rectore indigere, nulli melius quàm patrueli committi. abstinendum eo consilio, quod contra Cæsarem fieret: dubios litis euentus sæpè aliter euenire quàm fert opinio. Expectando Ladislao, suum tempus: tum, nisi Cæsar eum dimitteret, pro domino summo conatu pugnandum; medio tempore quietem habendam. ne pupillum Cæsari auferentes alteri committant, qui nec personæ nec bonorum eius ex animo curam gerat. Sed horum voces, velut delirantium, habitæ sunt; quicunque Fridericum commendauere, vt proditores venditoresque libertatis, affecti conuitiis, vix manus multitudinis euasere. Vicit ergo, vt sæpè in populis accidit, maior pars meliorem. Consternatus metu plebis Senatus, conuentum apud se tenendum decernit, scribitque Cæsari, qua ratione id fieri necessum fuerit. Gubernatores, vbi rem conclusam intelligunt, loco furorique cedunt. Alii Cæsarem, alii sua castella petunt. Cæsar etsi commotus est rei mutatione, non tamen animo deficit, neque propositum mutat. Scripto Viennenses de consensu Prouincialibus dato corripit. At quia conuentus non fieri nequit, monet, ne contra sapiant, ne consentiant nouitati, ne dictis Eizingeri fidem habeant, si se de multorum adhæsione iactauerit, certiq; sint Ludouicum Bauariæ Ducem nihil habere cum Eizingero consilii, neque Ciliæ Comites: Hungaros inducias obseruaturos: Gubernatorem Bohemiæ cum Cæsare amicitiam habere, nullum esse in circuitu, qui Eizingeri partes sit adiuturus. Petit quoq; ex primariis ciuibus aliqui ad se pergant, quibuscum de tollendis dissensionibus tractet. Illi autem, obsidum loco se petitos arbitrantes, insecuritatem itineris, aliasque ciuitatis necessitates causati, nullum se habere ciuem, quem tanta in re possent mittere, responderunt.

Interea Prælati Ecclesiarum, Nobiles patriæ, Ciuitatumque Legati, magno numero apud Viennam conueniunt. Ex Baronibus pauci; quorum pars magna Cæsarem sequebatur, pars seditionis euentum expectans longè à tumultu secesserat. Eizingerus, conspiratique omnes, gloriabundi eo veniunt: vbi, veluti grauis belli victores, ingenti populorum lætitia excipiuntur; Viri sapientes fortesque & amatores patriæ appellantur, festi dies aguntur. Conuiuia multarum epularum fiunt & inuitantur, tota vrbe saltationes agitantur: viri, matronæ, pueri, innuptæque puellæ, exclusi Cæsaris carmina cantant; Ladislaum nobilem Alberti sobolem breui aduenturum, prædicant; vinaque crebris hauſtibus, inuocato nomine noui regis, ebibunt. Auditorium exinde apud Carmelitas, in loco qui curia dicitur, præparatum est. ibi Eizingerus, aduocata Elizabeth sorore Ladislai, virgine iam viro matura, quæ Viennæ in palatio remanserat, eamque manu prendens, pulpitum, ex quo Iohannes de Capistrano alloqui plebes solebat, ascendit atque in hanc sententiam fertur orasse: *Ingens mihi voluptas est hodie, Patres optimi, cum vos adesse frequentes animaduerto, cupidos vestro Principi, vestræ patriæ consulere. neque enim aliud conueniendo quærimus, nisi communem vtilitatem. hoc nobis, hoc cuiuis incumbit, qui nomine hominis censeri vult: quoniam*

niam non nobis tantum nati sumus, sed amicis & patriæ, qui sibi duntaxat studiosus est, eum extra numerum esse hominum, haud iniuria putauerim. Nobis etsi hactenus benè gerendæ rei voluntas fuit, at certe potestas defuit. vndecim iam annis, dura & acerba seruitute oppressi fuimus Friderici Cæsaris: qui nos loco mancipiorum habuit, neque conuenientia neque simul loquendi nobis libertatem fecit: principem nostrum abduxit, inclusumque veluti captiuum, nunc ista nunc illa in arce tenuit: super humeros nostros Stirienses posuit, auaros atque rapaces homines, quibus honesta atque inhonesta venalia fuerunt: præturas, iudicia, consulatus, sacerdotia, pecunia vendiderunt. Consilia, quæ Baronum Prælatorumque nouimus, soli quatuor direxere: qui veluti quatuor columnæ, & principatum nostrum & Romanum Imperium gerere præsumpserunt. Vectigalia publica, Ducalis Camera redditus, quis nescit ad Nouam Ciuitatem deferri? Neque contentus his Cæsar, noua telonia instituit, importabiles actiones induxit, ex quibus se suamque familiam pauit. hanc nobilissimam virginem, iam plenis annis nubilem aspicite, obsecro, quo pacto tenuerit. quæ ciuis non dicam huius vrbis, sed vilis cuiusq; municipii non melius induta ad forum iret? Laceras tunicas, laceros defert calceos: vix ei victus administratus est. Quid illi regio pupillo accidere creditis, nostro Principi, clarissimæ Alberti soboli? durum secum atque asperrimè agitur, neque victum, neque vestitum regium habet. Ipse contra Cæsar, Ladislai auro dines (nam & Alberti thesaurum omnem asportauit) vnionesque adamantesque comparat, pretiosè vestitur, noua templa, magnificas ædes construit, neque huius terræ curam gerit, nisi vt aurum nostrum corradat. Si vastantur ab hostibus agri nostri, abiguntur pecora, rustici capiuntur, si vexantur omnia, nulla eum sollicitudo remordet: tacet, atque inter suos ridet, si opem imploramus, non est, inquit, argentum bello necessarium, nisi castrum hoc aut illud hypothecæ ascribitis, nisi nouam pecuniarum contributionem facitis. at auro exacto, nihil est in eo præsidii: damur nos nostriquè prædæ, nisi nos ipsi arma sumimus, ac viribus nostris hostem propulsamus. plus auri quinquaginta millia pondo ex Austria recepit, neque vel vnum aureum in vtilitatem patriæ nostræ aut .... expossuit. En fidelem tutorem, en amantem consanguineum! Notis hæc omnes, manifesta res dico: Vobis mihique ista dolori fuerunt, sed nequiuimus obsistere, nimia oppressi tyrannide. Nunc autem aspexit diuina pietas humiles preces nostras; miserum pupillum, quassatam patriam, oppressam gentem. Ecce simul assumus: nunc, nos in libertatem ut vindicemus, licet. Si coniungimur, vnumque sapimus omnes, non est, cur Fridericum timeamus. Jugum eius excutere iure possumus. assunt litteræ quibus omni nos obligatione Fridericus absoluit, si conuenta non tenuerit. Violauit omnia, quæ promisit: liberi absolutique sumus. Utinam igitur libertate data, audeamus, viroſque nos demum esse monstremus. Suscipiamus ipsi regimen terræ: repetamus dominum; tam grandiusculus est, annos natus duodecim: non est, cur cum tutori, ne dicam dissipatori, amplius relinquamus. Imitemur exempla maiorum. Wilhelmus Friderici patruus, Albertum nostri Ladislai patrem in tutelam suscepit: verum cum bona eius aut sibi vsurparet, aut negligeret; non tulit Reinpertus de Walse tantam iniuriam, pupillum è manu tutoris eripuit, atq; in paternam hæreditatem reduxit. Quid de Athesinis dicam? nonne arma sumentes Friderici Præfectos excluserè, Prouinciamque tam diu per seipsos administrauere, donec eorum dominum Sigismundum ad eos Fridericus remisit? Duces Austriæ tantummodo Albertus & Sigismundus eo tempore fuerunt, & subditorum ope sunt liberati. Quid nos facere oportet, qui non solum Ducem Austriæ, sed Hungariæ atque Bohemiæ Regem, Dominum habemus? Equidem si meis auscultare consiliis vultis; crudeli Stirienſium dominatu vos liberos, vestrumque dominum reddam. Sunt forte nonnulli, qui formidandam Friderici potentiam & Romani Regis nomen arbitrantur. Verum illi, præter Stiriam, Carinthiam, Carniolam nullius principatus obedit. nec sunt hæ Prouinciæ Austriæ comparandæ; montanæ, pauperes, inermes. Nos & virorum numero & opibus multo superamus. Quippe, nec si Romanum imperium cum Friderico sentiat, timere nos conuenit: quibus & Vngari & Bohemi & Sleſitæ ac Morauí pro communi Domino astabunt. Est præterea, quo magis ac magis me figo: Ludouicus Bauariæ Dux, dominatu par Regibus, ex amita nostri Principis natus, qui nobis audentibus ingens auxilium pollicetur. Albertus Marchio Brandenburgensis, cui hoc tempore nemo par indsit arma, daturum se opem, venturumque cum exercitu si fuerit opus, constanter

ſtanter affirmat: nec Ciliæ comites nobis deſunt, Ladislao noſtrò conſanguinitatis iure obnoxii. Quin audemus, fortemque ſumimus animum. pudeat nos tandem coram Vngenadio atque Zebingero detegere caput, venaleſque manus eorum tangere: neque genus neque virtus his eſt, quæ nobis eos præferat; ignoti homines, ignaui, craſſo ingenio, niſi apud Fridericum locum inuentiſſent, nullus eis in orbe terrarum Princeps victum dediſſet. Abiiciamus turpiſsimum iugum, atque hæc monſtra hominum tetra, horrenda, extra patriam relegemus. omnis nos ætas commendabit, qui noſtro Regi fideles, Friderici tyrannidem depulerimus. Quibus alto animo dictis, litteræ Friderici pactaque vtrinque percuſſa vt legerentur, iuſſit, eiſque ſenſum, vt ſibi viſum eſt, præbuit. Si quid obſcurum aut dubium fuit, ad ſuam intentionem interpretabatur. Regia ſoror vberes lachrimas effundebat, ſibi derelictæ fratrique captiuo petebat opem. plus tamen eiulatu quàm ſermone circumſtantium corda pulſabat, atque ad miſericordiam commouebat. Deinde quicunque regnante Friderico viſus eſt lædi, ſuam iniuriam in medium adduxit. Nonnulli vt erant edocti vociferabant. Alius Fridericum, alius conſiliarios, alius Camerarios accuſabat. nullius officii non culpata perſona eſt: hic tumidus, ille crudelis, alius ſtultus, omnes auari & harpyiarum ſimiles dicebantur. Nam boni, qui nouitates horrebant quietumque Cæſaris dominatum amabant, fremente * conticebant, ne ſtulti pro ſapientibus haberentur. Laudare igitur omnes Vlricum, virumque virtute præditum, boni & æqui amantem, Ladislai tutorem, patriæ patrem dicere; ſequendam eius ſententiam, excludendum Auſtria Fridericum, repetendum Ladislaum, aſſumendum terræ regimen, decernere. Deliguntur igitur duodecim viri ex omni ſtatu, hiſque belli paciſque poteſtas permittitur. Capitaneus terræ Vlricus aſſumitur. is eſt maximus Magiſtratus, qui ius dicit. Nicolaus Druchſes, Hubarum magiſter dicitur. huius eſt publicas pecunias exigere, atque in vſum Reipublicæ conuertere. Magiſtratus cæteri pro neceſſitate conſtituuntur. Conſulatus Viennenſis in tanta re anxius, etſi Cæſari fidem ſeruare vult, tamen plebis terrore compulſus in partes Eizingeri delabitur, fitque corpus vnum. Conuentus deinde in hunc modum Cæſari ſcribit: *Diuo Friderico Romanorum Regi Auguſto, Prælati, Barones, Nobiles, communitateſque, Sereniſsimi Ladislai Regis, ſalutem dicunt. Conuenientes apud vrbem Viennenſem, de magnis patriæ neceſsitatibus acturi, vidimus ſcripta tua quibuſdam ex nobis tranſmiſſa, ſimulq; litteras diuiſionum inter tuos & Ladislai prædeceſſores habitarum; inſcriptioneſq;, ſecundum quas tibi tutelæ adminiſtrationem permiſimus; teſtamentumque Regis Alberti maturè diſcuſsimus: nec perſuaderi nobis poteſt, Elizabeth Reginam filium ſuum Ladislaum alio modo tuæ Maieſtati tradere potuiſſe, quàm Patris vltima voluntas ordinaſſet. Albertum autem, licet Vngariæ atq; Bohemiæ regnum acquiſierit, dominium Auſtriæ nunquam reſignaſſe comperimus, ſed illud filio ſuo non tibi dimiſiſſe. Sumus igitur Ladislao, veluti noſtro domino naturali, obligati. Cumque tua Serenitas ea minime adimpleuerit, quæ per ſuas litteras promiſit, ſtabimus in hac ſententia, vt Ladislaus ad ſuam hæreditatem remittatur, omnemq; ad hoc operam, vt obnoxii ſumus, impendemus: ne quiſquam de perfidia nos arguere poſsit, qui Alberto & ſuis heredibus maſculis fidelitatem promiſimus. Precamur igitur ſapientiam tuam, pro bono pacis & vtilitate patriæ liberum Ladislaum vt ad ſua dominia noſque remittat. Nos enim deinceps Ladislao Regi parebimus. Iam, qui patriam eius nomine regant, magiſtratus elegimus; Confidentes, benignitatem * haud nos diu in tali regimine dimiſſuram. Rogamus autem, ne cauſam nobis præbeas, quærendi apud alias gentes remedia & auxilia, per quæ negato domino & nobis ipſis prouideatur; quæ res multorum poſſet eſſe ſeminarium malorum, neque tuæ Sereniatati neque terræ Auſtriæ conduceret.* Wiennenſes quoque & aliæ Ciuitates, hac concluſione recepta, litteras Friderico miſere: quibus, ſe velle communis conſilii decretum ſequi, nunciauerunt; promiſſiones & iuramenta reſignantes, quæ Cæſari tanquam tutori præſtiterunt; affirmantes, ſe illis amplius non teneri. Quibus quanquam Fridericus reſponderit, *Conuentum Viennæ habitum ſine conſenſu Principis, ſine Baronibus præcipuis, vim non habere; iuramenta non poſſe abſque ſua voluntate reſolui; Ladislaum adhuc pupillum eſſe, tutelam non expiraſſe, nihil ſe contra promiſſa feciſſe; debere ipſos melius deliberare:* Illi tamen in propoſito perſeuerantes, nunc hos nunc illos in ſuam ſententiam trahere nituntur.

Ea cum

Ea cum audisset Vlricus comes Ciliæ iunior, erectus animo, diem aduenisse, quo Friderico Cæsari obesse, Ladislao Regi prodesse posset, magnopere gaudet. Nam etsi Friderici Consiliarius erat, non tamen pro meritis honoratum se arbitrabatur, ægerrimeque ferebat, secretiores res absque se geri; tribus consiliariis omnia credi, sibi fidem nullam haberi; simulque cupiebat, Ladislaum Cæsaris manum exire, qui Sororis suæ consobrinæ filius esset. Sperabat autem, quòd postea secutum est, illo in dominium redeunte, omnium rerum se gubernatorem futurum. Hoc tempore non longe ab anno quinquagesimo fuit; quamuis adhuc nutriendis crinibus operam daret. vir statura procerus, eminenti pectore, osse multo, carne modica, crure tenui, vultu pallenti, grandioribus oculis atque sanguinolentis, voce rauca, alto corde, ingenio perspicaci sed vario & inconstanti: neque labore fatigabilis, neque fatigabilis voluptate; fidei promissorumque parum tenax, simulator atque dissimulator, alieni raptor, sui prodigus, dicendi agendique iuxta promptus. huic pater filiam Despoti Rasciæ despondit; græca perfidia maculatam, alioquin facie & moribus honestam; ex qua masculina soboles nata ante pubertatis annos absumpta est. inde matrimonii ius parui ducens Vlricus, alienis se passim mulieribus miscuit, multarumque fœminarum pudicitiam violauit. Denique apud Viennam captus amore quamuis nuptæ tamen prostitutæ mulieris, virum eius in clientelam assumpsit: utque liberius adulterio dare operam posset, castri non vltra quinquaginta stadiis à Vienna remoti, quod villam forensem appellant, curam sibi commisit, vxorem eius acturus, dum ille res suas ageret. Animaduertit tamen ignauus homo longo post tempore, coniugi suæ non sibi blanditum esse: neque potis verba tenere, inter æquales Comitem incusauit, ipsumq; accedens, licentiam repetendi domum petiit. Erat tunc apud Hainburgam Comes in finibus Austriæ & Vngariæ: qui mente hominis ex delatoribus cognita, libertatem illi abeundi dedit, moxq; seruos quatuor, qui eum apprehenderent inter equitandum, misit. Incertum habeo an necem quoque mandauerit; illi, cum fugientem virum comprehendere nequirent, sagittis confodere. Inde Comes coniugem eius solus, ac pene iustæ vxoris cultu magnifico tenuit. Hanc Thomas Haselbach, qui villæ forensis Præpositus, plebi est non ineelebratus Theologus, Herodiadem solitus est vocitare, sceleratam fœminam, cuius libidinem redimere viri sanguine oportuit. Nec huius duntaxat causa sceleris ea meretrix fuit: sed nobilem Comitem, qui tanquam Consiliarius, Princepsque Romani Imperii iuramentum Friderico præstiterat, singularique fœdere cum patre se obligauerat, fallere fidem, iusiurandum refringere, prodere Dominum compulit. nam Comes, vt ea potiri suo ex arbitrio in Austria posset, quam apud Ciliam habere metu patris non audebat, missis nunciis ad conspiratores Austriæ, cœpta illorum commendat, ut prosequantur hortatur, omnia ex sententia cursum habitura, si forti animo perseuerent, affirmat; auxilia se daturum, accessuros Hungaros pollicetur. Quæ cum Fridericus ab exploratoribus cognouisset, optimum factu ratus, ambos Ciliæ comites sibi conciliare, priusquam parti aduersæ coniungerentur, Legatos ad eos mittit, qui de conuentione pertractent. Sed frustra hæc legatio fuit. Iunior enim Comes ad res accensus Australicas, nihil aliud expectabat, quàm Cæsarem exire Germaniam; quo facto se quamprimùm ab Australibus euocandum confidebat. Non est hic, vt opinor, quoniam de Comitibus Ciliæ sermonem habemus, ac de Iuniori dictum est, de Seniori, extra propositum aut alienum, pauca referre, quando nec patrem filio, nec filium patre minus dignum videmus. Comes Senior Fridericus nomine, Hermanno genitori corporis proceritate maiestateque pene par, sed animi moderatione plane dispar, durus atque intractabilis, sanguinis auidus, crudelitati & auaritiæ deditus, hostis Cleri, diuini cultus inimicus, subditis grauior, vicinis odiosior, nulli amabilis, gulæ indulgens, libidini indulgentior. Hic cum filiam Nicolai Comitis Croatiæ, non minus probitate quàm sanguine generosam, duxisset vxorem, breui mores sibi dissimiles aspernatus, ea repulsa in aliarum se se connubia prouoluit. At cum parentes vtriusque, magno labore, post aliquot annos, diuisos coniuges in matrimonium reduxissent, prima nocte, qua Fridericus ad vxorem rediit, quod parabatur ad pacem, vertit in necem. Efferatus enim, & à manibus

nibus nouæ Concubinæ deuinctus, arrepto cultro nobilem atque honestam fœminam, ex qua prius Vlricum sustulerat, neque ius matrimoniale, neque altitudinem sanguinis, neque commune pignus susceptum aduertens, sceleratus occidit. Vnde ad tribunal Imperatorium accusatus atque conuictus, reus mortis adiudicatus, patri traditus, illius benignitate in multorum ruinam seruatus est. Concubina, quæ sexus fragilitate ac fortasse coacta peccauerat, ut est Iustitia Principum in profluentem mersa, alieni criminis pœnas dedit. At ille, postquam Principes impune peccare cognouit, mortuo patre incredibile memoratu est in subditos quam turpiter debacchatus sit: istis vxores, illis filias, sorores aliis eripuit. nusquam virgo seruari potuit: neque quas rapuit, in palatio more Principum tenuit, sed corruptas indotatas restituit. Fabrum ferrarium aliquando, cum eius coniugem forma egregiam in pallatium sustulisset, atque deinde reddidisset, illeque violatam spreuisset, non paruo ære mulctauit: ridiculum atque indignum dictitans, plebeium hominem nolle mulieri condormire, cui Princeps coniacuisset. Nam ego, inquit, alto sanguine natus Comes non spreui amplexus eius, quam tu prius corruperas; tanquam promiscua inter omnes connubia essent vellet; minime tamen id ius aliis permisit. Nobilem namque adolescentem, qui sibi diu seruierat, atq; inprimis acceptus erat, quod ab altera concubinarum amari videbatur, excarnificatum neci tradidit. Sic homo multis sceleribus illustratus supra octuagesimum annum vitam produxit. At mira res: nemo tam consummatæ nequitiæ reperitur, qui non bonos in filio mores cupiat. Hic cum videret, Vlricum filium vxorem fugere, meretricis amore perditum in eius amplexu tabescere; sæpè inter suos questus, iussit ad se filium accersiri; nisi veniret, heredem alium se lecturum minatus. vtque maiorem illi metum inciteret, nubilem quandam ex suis subditis puellam legitimo matrimonio ducturum se finxit. Vlricus autem bis terque vocatus, postquam patris furorem nimis augeri animaduertit, cum neque disiungi meretricis amplexu valeret, neque paternum imperium diutius contemnere fas putaret, mulierem præcedere iussit, ipse paulo post sequitur. Pater vt filii scortum egregio comitatu appropinquare didicit, incertus diu quid ageret, tandem ex Concubinis suis vnam accersit, vestitamque more Principum, ac nobilium caterua cinctam illi obuiam mittit; vtque meretricem meretrix blande recipiat, per indignationem imperat. Sic enim, filio quod doleret, facturum se credidit. Quod cum secus euenisset (nam id honori magis quàm contumeliæ deputatum est) filium inter paucos alloeutus, scortum relinquere, atque vxori hærere admonet: nisi pareat, futurum exhæredem, asserit. Cui Vlricus, mi pater, inquit, sine me hanc amare fœminam, si me viuum cupis; moriar si me separas. intuere teipsum, memento quia matrem meam occidisti, ne Concubinæ disiungereris amplexibus: noli ex filio exigere, quod ipse Pater non præstitisti; sine me filium esse tuum, nil facio me indignum, dum paterna vestigia sequor, amo, scortor, bibo, voluptati obsequor, tuus sum filius, ex te hos habeo mores. si vis aufferre naturam, aufferes & vitam. Tum pater vera locutum intelligens filium, morumque suorum memor, frustrà, inquit, laterem lauo; nec vincere neque flectere naturam cuiquam licet; viue vt libet, fili. Sed scito, quia in te noster sanguis finem habebit, vetusque Ciliæ domus nomenque nostrum tua culpa delebitur. Hæc libuit idcirco referre, vt Dei patientiam vel potius prouidentiam admiremur, qui tales Principes ad nostrum flagellum dominari permittit, quos sæpè brutis animantibus cernimus vitiosiores; qualescunque tamen sunt Principes, quia gladium habent, & timendi & reuerendi sunt. Sanè Comitatum Ciliæ ad Pincipatus honorem Sigismundus Cæsar primus erexit. Ex qua re nata dissensio inter Comites & Austriæ Duces diu Stiriam Carniolamque lacerauit. Demumque Friderico imperante in hunc modum sublata est. Renunciarunt Comites ordinationi Sigismundi, quæ aduersus priuilegia Domus Austriæ processerat. Exinde Fridericus de nouo Comites Ciliæ creauit, ea lege vt perpetuum fœdus secum tenerent, vtque ipsis sine masculina & legitima prole decedentibus, Comitatus ad Austriæ Duces rediret. Nunquam tamen erga Cæsarem sincerus animus fuit, nunquam pura mens Comitum. sæpè res nouas machinati sunt; nunc spolia in agris Cæsaris commiserunt, nunc committentibus

præbue-

præbuere fauorem. Cumque plurima eorum castra commixta castris Cæsaris essent, necessarium videbatur, ante ingressum Italiæ cum his conuenire, intelligere quid animi haberent, atque an fœdus antiquum tenere proponerent. At cum legati missi nihil de conuentu retulissent, Albertus Germanus Cæsaris Austriæ Dux, ambos Comites in Petauiam vocat, eos adit, locutusque multa, cum iuniorem flectere nequiret, seniori suadet, ad colloquium cum Cæsare Laibnitiam veniat. quod est opidum supra Muram fluuium non longè à Græcio bauario; vbi magnam olim fuisse ciuitatem, tumuli quamplurimi sepulchrorum iacentes indicant, & marmorei multi lapides vetustis inscripti litteris, quæ Romanorum nomina referunt, quos rexisse terram aliquando crediderim. Nam regionem hanc, quæ modo Stiria dicitur, vocatam prius Valeriam, & in Prouinciæ modum redactam, non est obscurum. Igitur in Leibnitia cum Cæsar Seniorque Comes non sine magna Alberti industria conuenissent (nam Comes nunc literas publicæ fidei, nunc alias res suspectas habuerat) tutelam regii pueri quo iure Cæsar acceperit, quomodo & quanto tempore gesserit, calumniasque sibi per Australes impositas refert; articulos contra se datos confutat: insolentiam & periuria gentis exponit; vlturum se iniurias, correpturum scelus promittit: Comitem vetusti fœderis memorem esse, rogat, ne se Australibus iungat; Vicinum se bonum, Principem fidelem, amicum sese præbeat verum, hortatur; filiumque, ne temeritatem sequatur Australis populi, cohibeat. Post varios sermones, ait Comes: de gestis Australium nihil ad se fore delatum: iustum sibi Cæsarem videri, tutelam pupilli regii ad eum iure pertinere: vetus in memoria sua fœdus esse, illi hærere; fidem se nullo pacto violaturum; bonum Principem, optimum se vicinum pollicetur. Quid filius sentiat, ignorare se, dicit: toto conatu, vt Cæsaris partes sequatur, curaturum se, asserit; promissurum pro illo nihil, affirmat. Satis ea Cæsari videntur: fuissentque satis ex viro bono. sed malum animum verba non obligant; qui aliud in pectore clausum gerunt, aliud in ore promptum habent: hosce homines hostium loco quàm amicorum tutius accipias. Cæsar à Comite ita recedit, vt in eius parte nihil periculi futurum putet.

At vbi ad Græcium reuentum est, noua in horas adferuntur: Australes dietim peiora moliri, atque nunc istum nunc illum ex baronibus in suam sententiam ducere, plurima cum vicinis Principibus noxia pertractare, nisi præsto Cæsar subueniat, actum de suo regimine fore. Tum quoque Henricus Senftleben ex Romana curia veniens, Cæsarem adit, Nicolaum Papam ad coronationem celebrandam non benè accinctum, vrbem frumento vacuam, diuisum Romanum populum, Italiam nutantem, hiemem asperam dicit: Placere quoque Romano Præsuli & vniuerso cœtui Cardinalium asserit, transitum Cæsaris ad æstatem proferri. Quæ legatio molesta Cæsari, plerisque Consiliariis gratissima fuit: qui, remanente in Austria Cæsare, facile sedari posse tumultus, arbitrabantur; recedente vero, amitti Austriam non dubitabant. Stat tamen propositum Friderici, vel cum maximo detrimento Italiam petere. Interea gens Vngarica, ad quam missus fuerat Hartungus de Kappel, legalis sapientiæ consultissimus, Legatos ad Cæsarem remittit Paulum Episcopum Agriensem, Tubertum Comitem de Prata, & alios; quibus adiunctus erat per Comites Ciliæ Benedictus de Thurotio. qui Cæsarem Grætio recedentem inuenientes, in Aridam secuti sunt: quod est opidum flumini Muræ adiacens, Comitum de monte forti. vbi auditi, huiusmodi legationem exposuere: Dixerunt enim, *in festo Sancti Michaelis, quod proximè defluxerat, Vngaros qui Viennæ fuerant, ut sæpè alias, suum regem petiuisse. quo negato, inducias ad annum prorogatas fuisse. dixisse tamen aliquos ex consilio Imperiali, si Cæsar ante suum in Italiam transitum, ab Australibus seu Bohemis, Regem vt daret, peteretur, futurum vt Imperator Vngaris eum potius quàm aliis traderet. fuisse autem Vngaros medio tempore cum Bohemis Morauisq. congregatos, deliberasse, Regem petere. placuisse Bohemis ac Morauis, Ladislaum primo Hungariam ingredi, exinde in alias terras transire. Optare ergo Vngaros, precarique obnixe, cum iam Cæsar in Italiam profecturus sit, Ladislaum ad eos mittat, in eius principale Regnum, in quo natus, baptizatus & coronatus est, exinde datus Imperatori: qui eum diu non sine grandi Vngariæ iactura*

tenue-

renuerit: regnum illud, scutum Christianæ fidei, non posse neque velle amplius absque Rege suo manere. Legatus autem Comitum Ciliæ, Hungarorum petitioni morem geri petebat. Quibus auditis, Cæsar deliberationem in aliam diem recepit, postmodum in Leuben hoc responsum dedit: *Petiuisse quidem Vngaros suum Regem apud Viennam, fatebatur: negatum tamen fuisse, aiebat, quoniam illi rei dari tunc opera non valuisset: cum deliberatio multorum, quæ ad dandum his aut illis Regem necessaria noscebatur, propter festinum in Italiam transitum haberi non potuisset. minus id nunc perfici posse; iam se in itinere constituto. verum esse, quod de induciis exposuissent: ideoque non posse se verum credere, quod Australes dicerent, Vngaros secum sentire: nam id esset stantibus treugis fidem frangere. Rogare, ut pacem, vt promissa, tenerent: quoniam Romam sua sublimitas non Coronæ causa solum ire, verum etiam propter commune populi bonum, pro commodo Regni Vngariæ, pro passagio contra Turcos instituendo; ad quod ordinandum iam Philippus Burgundiæ Dux apud se verba fecisset: at opus esse id agere cum Papa: velle igitur Romæ ad eam rem nauare operas: petere, vt & Hungari eo mitterent, de bello cum infidelibus gerendo cogitarent, cum Christianis pacem custodirent.* Atque hoc Vngaris. Legato autem Comitum Ciliæ dictum est: *relatum esse Cæsari; Comites illos apud Australes nuncios habuisse, eorumque propositum commendasse. Australes Regem Viennæ petere, Vngaros in suo regno: Comites, Vngarorum petitioni assistere: impossibile esse his atque illis satisfieri. audisse legatum, responsum Vngaris datum; id suis Dominis referret, suaderetque eis, ne fidem fallerent, neue res nouas aut in Austria aut in Hungaria quærerent.* Hungari replicantes, Regem non ideo à se petitum esse, dicunt, vt violare treugas velint: qui fidei tenaces essent: At cum scirent, Australes Bohemosq; Regem petere, noluissent negligentes videri, simulque suo regno consultum iuissent; cui Regem plurimum habere conduceret. quem si Cæsar amplius negaret, non possent Apostolicæ Sedi cæterisq; Christiani orbis Principibus querelam non fare. Rem Passagii laudabilem esse, Cæsariquie pro officio Romaniq; nominis maiestate incumbere; optare vt ei apud Nicolaum Papam ex animo intenderet; id sibi apud homines honori, apud Deum merito futurum. non tamen idcirco suum Regem Hungaris esse negandum. Fridericus autem vbi cognouit, inducianum fœdus ab Hungaris seruandum esse, satis ad iter Italicum habere diiudicans, dicit Legatis: vsque ad reditum, Regis negotium differendum: in Italia non diu se mansurum: cum redierit, Vngaris potius quàm aliis Ladislaum creditarum: Australibus verò Regem petentibus ea vice nequaquam auscultandum scirent. Atque ita expeditos, remisit. Paulus tamen Episcopus cum Caspare Pæ lagogo regio, dum hæc aguntur, nonnulla de tradendo Rege clanculum machinatus est, quæ postea suo loco referentur.

Profecutus exinde suum iter Fridericus, ad oppidum Sancti Viti peruenit; quod est Carinthianorum caput: ibique Natiuitatis Dominicæ festa peregit. ad quem locum & Ladislaum Regem proficisci iussit, in Italiam ducturus eum: non solum vt Australium eriperetur insidiis, verum etiam vt peregrinos puer mores ediscceret. Nunc Reinpertus de Walse, qui se Romam iturum cum Cæsare promiserat, clam recedit, reuersusq; domum cum Wolffgango fratre maiore huiuscemodi literas scribit: *Quamuis tibi, Cæsar, tanquam familiares & Consiliarij fidem dederimus; tamen quia propter nonnulla negotia nobis incumbentia, neque consilio neque seruitio tuo intendere possumus, vtrique renunciamus, nosq; promissis absoluimus: quod ne grauiter feras oramus.* Quorum morem quamplures ex Austria nobiles imitati sunt, scribentes, se deinceps Friderico, velut Tutori, nolle teneri. tanquam vnius partis sit, altera nolente fœdus promissaq; tollere. incertum stultitia an malignitate id egerint. Volens autem Cæsar de Comite Vlrico Ciliæ fieri certior, an contra se sentiret, significauerat ei: famam ad se delatam fore, quod is Eizingero coniunctus sit, mutationesque Austriæ nutriat. Id autem non se opinari verum, dixerat; rogaueratque, secum vt Romam iret; honorem stipendiumque promiserat. Ille verò cum Patris consensu Legatos ad Sanctum Vitum misit Georgium Vngenadium equitem, multo abdomine grauem; Leonardumque Secretarium non indoctum virum & amantem doctorum. Qui hunc sermonem habuere: Quod optasti, Cæsar, Vlricum Ciliæ Comitem sequi te Romam; optaret

& ipſe vehementer, vt & tibi morem gereret, & Cæſaream coronationem videret. noſti tamen, inter Gubernatorem Hungariæ & Giſeram Bohemum ingentes eſſe contentiones: eas Vlricus dirimere cœpit: infectum relinquere negotium non licet: quod ſi perfecerit, vt ſpem habet, non minus tuæ ſerenitati & Ladislao Regi ſubditiſque amborum proderit, quàm ſi tecum Romam iuerit. Quod autem Eizingero contra te junctum Vlricum aliquos aſſeuerare tua ſublimitas ſcripſit. id ipſe conſtanter negat: neque putat, Eizingerum hoc dicere, quod falſum ſit. Comes enim in cauſa Auſtrali contra Cæſarem neque ſentit, neque ſenſurus eſt. Poſthæc nonnullos articulos obtulerunt, quos dicebant, Sigiſmundum hubarum Magiſtrum Cæſari porrexiſſe; qui huiuſcemodi fuerunt: Comitem Ciliæ falſam monetam cudiſſe, eamque dediſſe militibus ſtipem, deinde bonam repetiuiſſe: ſtipendiarios eius rei querelam hubarum magiſtro feciſſe: inde Cæſaream Maieſtatem & infamiam habuiſſe & inutile ſeruitium: Comitem in exercitu contra Galitium trecentos equites minus habuiſſe quàm promiſiſſet, ſtipendia tamen illorum ſuſcepiſſe: tractatus cum hoſtibus Comitem diutius protraxiſſe, vt affecti tædio Prouinciales obſidionem ſoluerent, ipſe Galitium ſolus obtineret: conſilia rei bellicæ non communicaſſe Baronibus, vt imperatum fuerat: inſidias ad captiuandum magiſtratum hubarum poſuiſſe: Studuiſſe quoque ante id tempus opidum Laa & arcem, Friderici è manibus clam ſurripere. Quæ omnia calumniosè dicta per magiſtrum hubarum affirmabant; eaque confutare nixi ſunt. Aiebant etiam, Procopium Equitem de Rabeſtain Bohemum, ex commiſſione conſiliariorum Cæſaris apud Bohemos Vlricum Comitem, vt leuem, indignum fide, atque infamem, detuliſſe: Ladislaum quoque Farcaſſium ſimilia apud Hungaros, inſtigantibus Cæſareis Conſiliariis, de Comite dixiſſe, referebant. Cæſaream verò maieſtatem Vlrico promiſiſſe, cum in conſilium eſſet receptus, ſi quæ in eum dicerentur, nolle ipſum celari. Magiſtrum hubarum grauem impoſuiſſe Comiti notam, Procopium & Ladislaum turpia locutos eſſe de ipſo: neque comitem redditum certiorem. Non conuenire igitur ſibi, vel conſulere vel ſeruire amplius Cæſari, neq; velle vlterius ſe obnoxium. Ad hæc Cęſar, libenter, inquit. Comitem in Italiam duxiſſemus nobiſcum, quem veluti Conſiliarium, familiarem, & Principem noſtrum cariſſimum habemus; & in quo fiduciam ſingularem gerimus: remanenti vero non imputamus quicquam. Solum illud dicimus: quia de nobis non eſt quod queri poſſit. neq; enim articulos magiſtri hubarum, quos enarratis, vnquam vidimus: neque mandato vel ſcitu noſtro, aduerſus eum, aut Procopius aut Farcaſſius locutus. Verum ſi redeuntibus nobis ex Italia, quod diuina fauente pietate breui futurum ſperamus, aduerſus hoſce homines Comes agere voluerit, non negligemus quæ ſunt Principis partes adhibere. Renunciationem autem conſiliariatus ac Seruitii nequaquam admittimus; confidimuſque, Comitem ipſum, vt eſt iuramento aſtrictus, fidem erga Nos ſeruaturum: qui ſe nobis ſcripto ſuo contra omnem hominem auxilio futurum promiſit.

Atque ita Legatis Comitum remiſſis, Villacum ſe confert. id eſt, opidum Eccleſiæ Bambergenſis ſupra Drauum ſitum, non longè ab Italiæ finibus. Eo in loco, fuerunt plures ex conſilio, qui Cæſari remanendum in Patria ſuaderent: nunc tumultus ſedandos eſſe; coronam Romanam alio tempore recipi poſſe: conſideranda Comitum Ciliæ verba; penſandas eſſe Auſtralium litteras, quæ dietim mitterentur: obuiandum præſenti ruinæ; extinguendum incendium, dum paruum eſſet; medendum recenti vulneri, ne poſtquam vis veneni præcordia penetrauerit, fruſtra quæratur remedium. tum dicta Senſtleben & Romani Pontificis repetuntur, quæ Cæſarem ab ingreſſu Italiæ deterrebant. Dubio autem anxioque inter tot aduerſantia Friderico litteræ Æneæ redduntur & Apoſtolica ſcripta, de quibus ſupra retulimus. quibus lectis animus Cæſaris erigitur: vocatiſque Proceribus, quibus plurimum credere conſueuit, tranſitum ſuum haud quaquam differendum, ait; cuius vbique terrarum fama vulgata ſit. iam nobiles ſuperioris Germaniæ Proceres Italiam ingreſſos, Ferrariæ ſe manere: Italos omnes iter modo ſuum cupere, quæ de Papa audita eſſent, falſa eſſe: qui nunc Cæſarem ſuis ſcriptis feſtinare hortatur. Imperatricem

prope-

propediem Italicum portum appulsuram. ordinem præscriptum sine turpitudine mutari non posse. Eizingerum nimis videri penditum, si eius causâ Cæsar retrocesserit, tantumque apparatum frustra duxerit; Tutelam se malle perdere quàm cœptum relinquere. confidere, se propediem reuersurum, fluxta æmulorum consilia correpturum. Consentiunt omnes, vbi firmatum Principis animum intuentur: nemo aduersatur; laudant omnes constantiam & magnanimitatem, si qui sunt, quibus ea ex vsu non videntur, tacent, neque brachia contra tendunt. Tum duo, qui sapere inter omnes creduntur, Iohannes Neipergius & Waltherus Zebingerus, veteres amici Cæsaris, qui etiam cum Patre crediti sunt * ad regendam patriam in absentia Cæsaris relinquuntur. Iohannes Vngenadius, quem tertium Stiricæ sapientiæ Cæsar habere solitus est, ad res Italas ducitur.

Ibi & Bohemi & Vngari conuenerant domi Nobiles quamplurimi, qui Romanam videre coronationem, Italiæ spectare mores, militiæ cingulum mereri, magnopere optabant. Ibi quoque Dux Austriæ Albertus erat germanus Cæsaris, qui splendidum ex Stieuia comitatum ad se vocauerat: cupidus & ipse, quamuis Romæ in anno Iubilæo fuisset, rursus Italiam ingredi & fraternæ coronationis adesse solennibus. Vt autem decretum est, sequendum iter, Legati ad Nicolaum Pontificem ire iubentur; Thomas Haselbach Theologus, Vlricus Ridrer Iurisconsultus, & Henricus Senftleben Scriptor Apostolicus, ex consilio Cæsaris: viri cum litterarum periti, tum rerum experimentis edocti: qui, Fridericum Italiæ proximum, certumque veniendi, nuncient; apparatique coronationi res necessarias deputent: quæ per Cæsarem facienda sunt; boño animo maiestatem eius facturam, asserant. Ad Venetos autem mittuntur Michael Comes Virginopolitanus, veteri atque alto sanguine natus, & Iohannes Hinderpachius Secretarius Cæsaris, Pontificii Iuris egregiè peritus ac facundia nobilis: qui paulo post in Scola Patauina Magisterii gradum accipiens id honoris promeruit, vt insignia Doctoratus ex more capessens, præsentem Cæsarem vniuersamque curiam se laudantem habuerit. hisque commissum est, Senatui Venetorum dicere: Fridericum prope affore intra dies paucos, eorum terras amice fidenterq; ingressurum; commeatumque exercitui petere; rebus venalibus taxari pretia, cupere, ad transitum fluminum naues apparari, ordinari diuersoria, prohiberi ne quid insidiarum aut iniuriarum fiat: Cæsarem suæ familiæ nihil insolentiæ permissurum. Quibus in Senatu Veneto auditis, è vestigio quatuor primarii ciues eliguntur, qui ad fines ditionis proficiscantur, Cæsari gentis ducem dominatum vniuersum, vt est Italiæ mos, verbis dedant, castella & vrbes aperiant, commeatum sine pecunia præbeant, summum honorem impendant.

Cæsar relicto Villaco, Drauoq; flumine transmisso, alpes transcendit, quæ Germaniam Italiamque disiungunt: atque locum descendit, cui Canale est nomen. ibi montes dextra læuaque cœlo vicini perpetua niue rigentes mirum in modum iter angustant. Qua cum Bohemi & Hungari peruenissent, mirati locorum asperitatem, angustos aditus, præruptas semitas, montium altitudinem; in alium se migrare mundum existimabant, rectèque tales Romano imperio metas natura datas arbitrabantur. ibi accolæ triplici sermone vtuntur: theotonico, Italico & Sclauonico, nullum tamen horum rite pronunciant. Eius dominium Ecclesiæ Bambergensi, cuius in orientali Francia memoranda sedes habetur; Henricus Secundus Imperator dono dedit. Exinde territorium Ecclesiæ Aquilegiensis incipit, quod Veneti possident. nam Ludolfico de Deck Patriarchæ, contra se arma sumenti, id Dominii, iure belli nostra memoria ademerunt: qui arcem inter montes, vbi plurimum coartantur, diligenti custodia seruant. Neque hac ex Germania in Italiam, sine horum voluntate, transitus est. Fluuium, qui vallem perlabitur, Tulmentum vocitant: quem nonnulli Timauum esse, ex propinquitate nominis opinantur. Commutat enim vocabula tempus, neque suam vlli rei formam finit esse perpetuam. Huic sententiæ Liburnorum terra, quæ proxima est, alludit. Liburni enim ea loca tenuerunt; quæ hinc Carinthianorum dicuntur: sicut vetusta monumenta testantur, quæ apud Solium, non longe ab Opido Sancti Viti, frequentia monstrantur, priscis inscripta lit-

teris, Liburnorum illic ciuitatem fuisse manifestantibus. Inde illud esse *Virgilianum* plerique autumant:

Anthenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum & fontem superare Timaui.

Quod transeuntem per Liburniam Anthenorem hanc viam fecisse, *Virgilius* velit: quæ de Liburnia commodior est Italiam petentibus. Quam opinionem *Virgilius* ipse destruit, qui Timauum intrare nouem hostiis in mare confirmat, quod de Tulmento non inuenitur. Hinc alii maximam vim aquarum, quæ circa sanctum Iohannem atque Tibinum & in Carsis in capite Histriæ oritur, & mare per diuersa hostia ingreditur, Timauum esse crediderunt. cui sententiæ idem Poeta consonare videtur, qui non fluuium sed *Fontem Timauum* nominat; quia parum fluat in vltimo maris Adriatici sinu, cum vergit ad septentrionem. potuit enim Anthenor ex Liburnia per Laibacum in Carsos descendere, atque per forum Iulii Patauium proficisci: quod iter exercitum ducentibus aptius est, haud tot, quemadmodum de Canali diximus, angustiis clausum. Alii fluuium apud Patauium hoc nomine Timaui designatum volunt. quod mihi non placet: cum procul ibi montes absint; neque id verum esse possit, quod *Virgilius* ait: *Vasto cum murmure montis exire flumen, & hostiis nouem in pelagus ferri.* Neque *Martialis* huc quadrant verba, qui Timauum Aquilegiæ proximum velle videtur, dicens: *Et tu Ledæo fœlix Aquileia Timauo.* Idcirco nos, huius rei difficultate dimissa, ad institutam Historiæ materiam reuertamur.

Cæsar, Alberto cum parte copiarum præmisso, Regem Vngariæ Ladislaum secum ducens, Kal. Januarii Italiam intrauit, anno post Iubilæum primo: atque apud Venzonum, quod est primum Italiæ opidum muro cinctum, Legatos Venetorum, Viros Patricios domi potentes, obuios habuit: qui se Regemque Ladislaum ingenti gaudio summaque reuerentia exceperunt. ibi Præses Patriæ, quem locum tenentem appellant, ac tota terræ Nobilitas Clerusque, cum reliquiis Sanctorum occurrens, Cæsarem in opidum introduxit: vbi ad victum omnia, & copiosè & sine pretio, administrata sunt. Quocunque Cæsar in territorio Venetorum peruenit, occurrere frequentes populi, laudare splendidum Cæsaris comitatum, mirari nouos habitus, diuersos mores, arma lucentia, pulcherrimos equos, decoras iuuenum facies, flauescentes copiosasque comas, lactea colla: commendare speciem Cæsaris, Imperio dignam dicere, grauem aspectum, prudentem hominem iudicare. Multa super Ladislao Rege proloqui, angelicum vultum, quietos mores, vltra ætatem gestus extollere. onustas auro galeas, gemmis ornatas vestes, ostendere digitis. mundare plateas, templa domosq; ornare, triclinia sternere; hortari patres, admonere minores; flumina nauibus operire, inuitare, offerre, præsto ad omne obsequium esse. Potissimè autem Teruisini singulari affectu Cæsarem inspexerunt: memores, olim sub ditione Australium se fuisse: quorum adhuc in Prætorio signa videntur. Patauini quoque, non ignorantes, ad Imperium se pertinere, suum Dominum auide intuebantur: quamuis metu Dominii Veneti nil publicè dicerent. Honores vniuersi sub nomine Venetorum impensi sunt. Nunc Prælati Ecclesiarum, nunc Præsides Ciuitatum, nunc Scholarum Rectores, doctiq; viri, coram Cæsare orantes, vt est mos Italis, eminentiam Imperii, præstantiam Imperatoris, efferre laudibus: offerre Dominium Venetorum, commendare Italiam suo Principi, damnare lites, suadere studia pacis: precari Cæsarem, ne ante Italia excederet, quàm Prouinciæ statum componeret.

Inter hæc Teutones plurimi ex Sueuia, Franconia, Rheniq; partibus, per vallem Tridentinam, Veronam Mantuamque transeuntes Ferrariam veniunt, ibiq; Cæsaris præstolantur aduentum. quibus Borsius Marchio Estensis ex Curia sumptum præbet. Ea re cognita, mox Fridericus, relicto Patauio, cum Legatis Venetorum, qui se Romam vsque secuti sunt, ad Athesim pergit: eoque flumine transmisso, Borsium Marchionem, plurimos Italiæ Proceres, de Malatestis, de Fauentia, de Corizio, de Palauisinis, deque aliis vetustis domibus, expectantes inuenit: qui se statim ad pedes Cæsaris prostrauerunt, suum Principem venerantes. Inter Athesim atque Ferrariam plurimæ paludes,

paludes sunt, aditu difficiles : quas omnes Borsius nauibus strauit, ac per eas veluti per pontem iter Cæsari fecit. quo Ferrariam introducto, incredibile est, quantam vniuersus populus lætitiam agitaret, quot ludi fierent, quis domorum & templorum ornatus, quæ facies vrbis esset. Borsius ipse, læto atque hilari vultu tunc se honoratum iocundumq; ostendebat, cùm Cæsari summum deferri honorem, cum cæteris gerimorem, cum vina hinc deferri, inde cibaria diuersa, ceram, confectiones, bladiq; maximam copiam, excuria ministrari hospitibus cerneret: vocare nunc illum nunc illum, quærere, benè an omnia sè haberent; supplere defectus, nihil satis reputare quod ageret: castigare tardos, laudare diligentes, augere sumptus; intrare cubiculum Cæsaris, malè ordinata corrigere, conuiuia omnia venationum piscationumque generibus instruere: Matronas Virginesque facie pulchras accersire; saltationes, militares ludos instruere; nullam speciem voluptatis negligere; omnem magnificentiam ostentare.

Franciscus Sfortia Vicecomes, qui paulo ante Mediolanum potitus erat, seque gentis Ducem iussserat appellari, magno vir ingenio, & omnium qui apud Italos arma gerunt rei militaris peritissimus, forma & fortitudine egregius, eloquentia vulgari præcellens, ad conciliandum hominum gratiam amotemque promerendum efficax, vt primum Cæsarem intrasse Italiam certior factus est, filium primogenitum, Galiatium nomine, ex Blanca Philippi quondam Ducis Mediolani filia, nouem annos natum, Alexandrumque Germanum, primoresq; Lombardiæ Proceres, ad eum mittit; equos armaque dono ferentes. qui apud Ferrariam auditi, in hanc sententiam verba fecerunt. Dixerunt enim. Franciscum Mediolanensium Ducem Imperatoris aduentum magnopere lætatum esse; qui vexatam multis cladibus Italiam, viso Domino quietem habituram, existimat: excusatum se reddere, quod neque per se ipse venisset, neque suos antemisisset. nam & Cæsaris aduentus diu retardatus in dubium iuerat; & res Lombardiæ per Venetos, se absente, turbari potuissent: remansisse illum ad tuendam Imperii Prouinciam, quam Cæsaris nomine teneret. orare Cæsaream sublimitatem, vel tunc, vel cum Roma rediret, sitam terram Lombardiæ visere, coronam Mediolani velit accipere: daturum bono animo locum, aperturum iter, facturum quæ fideles vasallos erga dominum decent. Dona mittere parua, quæ fidei pignus esse velit. Cæterum suam personam, liberos, fratres, exercitus, ciuitates, in potestate Cæsaris ponere, eique commendare. Legatos, qui Romam irent, Coronationiq; interessent, libenti animo mittere. Tum quoque Galiacius puellus, orationem ad Fridericum Latinam intrepidè apteque pronunciauit; adeoque vultu gestuq; seriosum se præbuit, vt in ætate tenerrima virilem animum omnes agnoscerent. Fridericus ea, quæ Francisci Legati dixerant, non magni existimauit; vti plus habentia verborum quàm neruorum. laudauit tamen oblationes eius, dixitque: illas itire fieri. commendatum sibi Franciscum, pro meritis, proque conditione Lombardiæ, futurum. nunc non esse propositum, ire Mediolanum: in reditu, quam viam capiat, adhuc incertum. oratores, qui Romam irent, non remuere. Ludouicus etiam Marchio Mantuæ, qui eloquentiam studiaque liberalia ab ætate prima cupidè sectatus, militiæ tamen laboribus incumbens, inter primos belli Duces apud Italos claruit; ad Cæsarem Ferrariæ manentem venit, se suaque obtulit. Multi præterea ex Lombardia Cæsarem adiuerunt; alii suorum Feudorum inuestituram petentes; alii, ne Ducatus Lombardiæ ad Imperium deuolutus negligeretur, obsecrantes. Porro Borsius, qui nondum erat de feudo inuestitus, altiorem cupiens gradum, ex Marchione se Ducem creari optauit. quam rem Fridericus, ante Coronam Romæ receptam minime se temptaturum, cum rediret autem, quod reip. conduceret consideraturum facturumque, dixit.

Nec Bononienses Maiestatem Cæsaris neglexerunt: qui missis ad eum Oratoribus, illi se atque vrbem commendauerunt; petentes, ut Bononia transitum faceret, quod eum cupide in sua ciuitate visuri honoraturique forent. Esse tamen plures ciues, dicebant, Bononia pulsos, qui seditionem in populo fecissent: orare, ne quem illorum secum adduceret, ne quid tumulti fieret. Libet hic pauca de Bononia referre. Vrbs antiqua, potens, Bononia est armis ac legibus: in agro Italiæ optimo sita,

monte

monte planoque ſolo gaudens. In radicibus Apennini montis fluuio paruo, quem vocitant Rhenum, adiacens; cuius Prouinciam olim Æmiliam dixere; nunc Romandiolam appellant. Namque cum Longobardi ex Pannonia digreſſi, vniuerſam circa Padum Galliam occupauiſſent, Æmilia in poteſtate Cæſarum remanſiſſet, eius populi, quia Romanis viuerent Legibus, nec Longobardorum Tyrannidi paruiſſent, Romani vocati ſunt: Prouincia primum Romana, ac demum tractu temporis Romandiola dicta eſt. cui ab Orienti, Picenus ager & Adriaticum mare opponitur; ab Occidenti, Longobardia, qua Mutina, Rhegium, & agri Boiorum habentur: Septentrionem illi Padus claudit; meridiem Appennini montes excipiunt. cuius caput Bononia eſt, litterarum ſtudiis florens, Legibus ac Philoſophiæ parens. In ea tum bonos mores exteri non ciues ediſcunt. Ciuitas ipſa neque legibus neq; more tenetur: populus inquietus, nouitatis auidus, ſeditioſus, inuidus, rapinæ, cædi, incendiis aſſuetus; neque iuſti neque boni tenax. Nemo illic tam infimæ conditionis eſt, qui non ſe principatu dignum ducat: omnes inuadere dominatum attemptant; audentque nefanda: contentiones frequentes agitant, factiones innumeras habent, partes partibus inſidiantur: neque fides, neque religio quenquam trahit; vniuerſos ambitio poſſidet: non frater à fratre tutus eſt, non ſocer à genero; nihil apud eos iura ſanguinis valent, vbi calor arma promouit; nec patri filius ignoſcit. Fictæ inter illos amicitiæ: ſimulatâ ſunt quæcunque in pace agunt: aliud in ore promptum habent, aliud in corde occultum gerunt: neque iurati promiſſa tenent; lingua ſe iuraſſe, mentem iniuratam ſert uaſſe, dicunt. Romanam Eccleſiam dominantem ſibi fatentur: Legatus tamen Apoſtolicus, niſi furori eorum ceſſerit, aut cæditur aut excluditur: reuerentia penes Legatum eſt; potentia penes ciues; titulum illic Romanus Pontifex habet, non Dominium. Sæpius hos ciues noſtra tempeſtate meminimus aſſumptis armis motiones feciſſe. Sedente Martino Papa, Cannetuli & Lambeccarii, Lodouicum Cardinalem Arelatenſem, Apoſtolicæ ſedis Legatum, excuſſum bonis omnibus expulerunt, primarios ciues in Palatium vocatos trucidauerunt; vrbem cædibus ac rapinis impleuerunt. Temporis tamen exigui, vt ille ait, manſit concordia diſcors. inſurgentes Cannetuli Lambeccarios inuaſere: quibus cum illi pares eſſe non poſſent, in exilium profugerunt. plurimas inde cædes Cannetuli perpetrantes, & ipſi alia factione depuſi ſunt. At cum recuperaſſet Eccleſia Bononiam, Antonius Bentiuolius, qui pluribus annis in exilio fuerat, domum rediens poſt paucos dies in ſuſpicionem adductus, per Eugenii rectores in curiam accerſitus, capite truncatus eſt. quæ res indigna populo viſa, nouæ rebellionis cauſam præbuit. Erat enim Antonius nobili genere natus, multiſque bonis artibus imbutus, plebi & optimatibus carus: nec quicquam morte dignum perpetraſſe credebatur. ob quam rem filius eius Hannibal ex Concubina natus, audax & manu promptus, accerſito Baptiſta Cannetulo, hominum qui tunc viuerent ſceleratiſſimo, in vltionem Patris erectus, populum aduerſus Eccleſiam accendit: trucidatiſque nonnullis reſiſtentibus, dominatum vrbis inuaſit. nullum tamen inter malos homines diuturnum fœdus. ſcelere vindicatur ſcelus. Nam cum Baptiſta conſortis impatiens, Hannibalem per inſidias occidiſſet, velletq; ſolus, vt ante fecerat, ex ſua libidine Ciuitatem ... Antonianos aduerſos habuit: cum quibus in foro pugnans, vbi ſuos cedere animaduertit, fractus animo, cum paucis fugiens in ſubterraneum ſpecum ſe abdidit: deinde pueri cuiuſpiam manifeſtatus indicio, fumi moleſtia compulſus exiit; cum ſuis omnibus neci datus. fuerunt, qui cor eius aperto pectore rapientes ritu ferarum dentibus laniauerint; alii viſcera momorderint, cruorem alii biberunt. tanta rabies odii mentes eorum irrepſit. reliquum cadauer partim igne abſumptum, partim ſuibus eſca permiſſum. ſicque turpiſſimis Baptiſtæ moribus turpiſſima mors conſonaque ſuccеſſit. Intrauit & Nicolaus Piceninus aliquando Bononiam, ciuitatemq; miſera ſeruitute, minori tamen quàm mereretur, oppreſſit: quamuis Franciſcus eius filius pœnas dederit; qui captus à Ciuibus, excuſſuſque omni argento, diu in carcere illic cuſtoditus eſt. Porro factio Antoniana, præcepto ciuitatis imperio, non habens ex Antonii familia virum, cui regimen committi poſſet (ſolus enim ex Hannibale puerulus infans extabat) cum audiſſet Florentiæ virum eſſe, nomine Sanctum extra

al. *Xanthum.*

matri-

matrimonium ex Antonio natum, inopem, lanificio vitam ducentem; mox mittit qui eum Bononiam trahant. atque hunc pupillo tutorem, Ciuitati rectorem præficiunt. quamuis enim stulta Bononiensium turba nonnullos in palatio nutriat, quos vocitat Antianos; summa tamen omnium rerum ad Sanctum defertur: neque Antiani alii leguntur, quàm Sancto eiusque factioni accepti. Dum vixit Eugenius, ciuitas illa post rebellionem Ecclesiæ semper infesta fuit, quod illo mandante occisus Antonius putabatur. At eo naturæ satisfaciente, Nicolao quinto in eius locum suffecto, Sanctus ad Ecclesiæ reuerentiam rediit, permisitque Legatum mitti Bononiam, gerique nomine Romani Pontificis vniuersa: sic tamen, vt dominantis nomen Romanus Pontifex, rem vero Antoniana factio retineret; excluſiq; Cannetuli & omnes Sancto aduersantes remanerent. Hos igitur ne secum Cæsar adduceret, Bononiam ingressurus, Legati Bononiensium flagitabant.

Post Bononienses, auditi Florentini, qui aduenerant, Cæsarem, ne Romam petens se prætereat, multis precibus orant: Ciuitatem Imperio deuotam, rem suam publicam commendant: viarum compendia, hospitiorum commoditatem, quibus iter Tusciæ præstat, in medio proferunt. Apud Ferrariam igitur, quæ via recipienda sit, in consultationem deducitur: quod aliud iter per Flaminiam & agrum Picenum, quem nunc Marchiam vocant; aliud per Bononiam Tusciamque patebat. variæ tunc in consilio sententiæ fuere. qui Bononiam Florentiamque vitandam suadebant, Bononiensem populum ferocem, infidum, suspicioſum, rapinæ assuetum, dicebant: nihil his esse credendum, qui fratres, parentes, liberos, prodere soleant. Florentinos semper Romani nominis hostes fuisse. Henrico septimo, Ludouico secundo, Karulo quarto, Sigismundoque, Cæsaribus insidiatos, veneno multos mortales extinxisse: perfidos homines, fallaces, sola fraude potentes: hostes Regis Aragonum, Renati Regis amicos; Regi Franciæ, quem ferebant Imperium affectare, singulari amore deuinctos. timendum, ne, dum illi student, in Cæsarem scelus ordiantur, quem Veneti Senatus amantem creditum, tuto intrare Florentiam, nemo qui sapiat extimauerit. atque vt quisque poterat timorem augebat. Et quidam sanè ita putabant: quidam, etsi Florentinos minimè sceleratos crederent, Venetorum tamen affecti partibus, Cæsarem ab Etrusco itinere deterrebant, ne Florentinorum officio demulceretur. Cæsar autem, qui mentem cuiusque affectumque nosset, nil tale de Florentinis suspicabatur: neque Bononienses, nulla iniuria lacessitos, fidem rupturos arbitrabatur. Cupiebat quoque Florentiam visere: quam orbe toto nominatam vrbem, Anteceſſoribus suis inuisam atque inaccessam sciebat; quæ pluribus Cæsaribus restitit, multos exercitus fugauit. Audiuerat, ciuitatem splendidam esse, magnificè ædificatam, honesto populo plenam, sericeas aureasque vestes fieri, pictores egregios inueniri, fusores, sculptoresq; singulares; mechanicas omnes artes apud Florentinos miro modo florere, dicique inde Florentiam. Tum vero, Leonoram Sponsam mari aduentantem, prope diem Talamonis portum appellere, sibiq; Senis obuiare, sperabat.

Dimissa ergo Ferraria, versus Bononiam pergit. cuius territorium ingressus, Bessarionem Legatum Apostolicum mox occurrentem reperit: Græcum hominem, barbatum & cucullatum. quem Cæsar diu multumq; demiratus est: quoniam inter Latinos neque Monachis neque Clericis secularibus nutrire barbam fas est. hic olim in Græcia Sancti Basilici regulam professus, cum sanctum magnumque virum ageret, Nicenæ plebis Episcopatum obtinuit: deinde, cum Patriarcha Constantinopolitanus & Imperator Romanorum Florentiam veniissent, inter omnes Orientales qui aderant, & doctior & grauior existimatus, ad Cardinalatus ordinem est assumptus. in quo multa suæ virtutis experimenta demonstrans, Plutarchum de factis dictisque Socratis memorabilibus, ac Metaphysicam Aristotelis, pluresq; alios tractatus, è Græco in Latinum sermonem vertens, gratus omnibus est effectus; maximè autem Successori Eugenii Nicolao, qui propter singularem eius industriam, difficillimam omnium Legationem Bononiæ credere sibi non dubitauit. Is Cæsarem nomine Romani Pontificis ac Bononiensis populi summa veneratione suscipiens, in vrbem eum conduxit: multa de moribus Orientalis Ecclesiæ, non sine Cæsaris admiratione, locutus.

Tum

Tunc & Legati Senenſium aduenerunt; Imperatorium aduentum ſuæ Ciuitati gratiſſimum, affirmantes. qui, cùm cæteris in rebus placuiſſent, in eo tamen Maieſtatem Cæſaream offenderunt, quia, non omnem eius Comitatum intra vrbis mœnia recipi poſſe, dicebant; petebantque, diuidi multitudinem, ac per turmas tranſire, ne amplius quàm octingenti Equites vno tempore in Opido reperirentur: nequaquam hoſpitia pro maioribus copiis poſſe parari. Fridericus autem, multo plures cum Sigiſmundo, Karulo, Henrico, cæteriſque Cæſaribus, Senis fuiſſe didicerat; neque Ciuitatis amplitudinem ignorabat: ſimulque certior effectus erat, multa de ſe ſuſpicari Senenſes; qui etiam populi magnam partem extra vrbem propulerant. Corripuit itaque Legatos, qui talia nunciabant; bonoque animo Senenſes eſſe iuſſit. Nam ſe pacificum, nullique grauem, venturum, aſſeruit: comites velle omnes ſecum habere; quod ſi defuerint hoſpitia, miſſurum partem in proximas ciuitates. Pauca hic referre de Ciuitate Senenſi, non eſt alienum: vt in aperto ſit cauſa, cur timidam hanc legationem Senenſes emiſerint. Ciuitas Senenſis, hac tempeſtate noſtra, poſt Florentiam primum in Etruria locum, agrumque latè patentem obtinet: pluribus & ambitioſis opidis caſtelliſque dominatur. In ea primum Nobiles imperium habuere, quorum adhuc turres extant, atque alta palatia, monumentaque opere ſumptuoſo conſtructa. Verum his modo deſidia torpentibus, modo inter ſe diſſidentibus, vt nulla potentia longa eſt, plebs ſibi dominatum arripuit. In ea quoque, vt fit, ab ignauo ad induſtrioſum ſumma rerum auctoritas delata eſt. Fuerunt, qui Dominum inuadentes, nouem viros in Magiſtratu haberent, quamuis eſſent ipſi quammulti: alii duodecim viros ſibi præfecerunt. Itaque vocati ſunt, illi, Nouem; iſti, Duodecim. Rurſus alii, cum Ciuitatis Leges moreſque reformaſſent, Reformatores appellari meruerunt: atque nunc hi, nunc illi dominium ſibi vſurpauere. Verum ante annos quinquaginta, Duodecim viri ex palatio pulſi, omni imperio abdicati ſunt, ſeruilemq; vitam degunt. Reformatores & Novem viri, cum plebe, munia ciuitatis æquo partiuntur iure: Magiſtratus aliquos, cum Nobilibus quaſi precario, communicant; in palatium Nobilitas non admittitur. Timentes igitur Senenſes, ne, quod ſæpe in aduentu Cæſarum factum norant, vrbis regimen mutaretur, neue Nobiles & Duodecim Viri priſtinæ dignitati fauore Cæſaris redderentur; omnes, qui per ætatem ferre arma valerent, ex Nobilibus ac Duodecim viris, extra vrbem per municipia relegarunt: neque ſic ſatis fidebant, optimumque id factum arbitrabantur, ne ſe potentiorem intra mœnia Cæſarem acciperent. Quorum timorem non parum Æneas Senenſis Epiſcopus augebat. qui nobili Picolominorum familia natus, apud Cæſarem auditus potenſq; creditus generi ſuo fauere, veteremque dignitatem domus per amicitiam Cæſaris quærere putabatur. atque hæc cauſa fuit, quæ, limitare comitatum Cæſari, Senenſes adduxit. Æneas vero longè ab eo propoſito erat: qui iam datus Eccleſiæ, interdicta ſibi ſeditionum conſilia notat; neque plus ſuæ domui ſtudebat, quàm ſororum liberis, quos inter regentes habebat; ſimulque Cæſaris animo nihil turbulentum, nihil odioſum ſuaderi poſſe didicerat. quibus ex rebus cum trepidos ciues animaduerteret, ſeque ſuſpicionibus annotatum, Senas veniens, non diu illic moratus eſt, ſed inuidiæ cedens, in Telamonem cum Collegis nobilibuſque matronis & virginibus ad ſuſcipiendam, vt ante diximus, Imperatricem miſſis, è veſtigio ſe recepit. Michaelem tamen Fulendorfium prius amiſit, Imperialem Prothonotarium, Sueuia natum, ex opido quod Rotenburgium vocant; recti animi virum, magniq; cordis, ſupra morem Patriæ facundum & doctum; qui cum Senas introiſſet, ardentibus inuaſus febribus, intra paucos dies, priuſquam ſuprema Eccleſiæ Sacramenta ſuſciperet, egregium ſpiritum exalauit; confeſſus tamen, & pro quauis culpâ Deo conciliatus. cuius funus, in Eccleſiam Senenſem primores Ciues, ipſeque Pontifex vrbis Æneas ſequentes, exequias ei magnificas exhibuerunt. Ciuitas quoque vexillum populi, ſuaq, ſibi ſigna donauit. Sepultus eſt autem loco inſigni, in Eccleſia prima Ciuitatis. cuius tumulum cum Cæſar poſtea vidiſſet, virum de ſe meritum, ſuaq; cauſa defunctum, altè ſuſpirans, deuotis precibus diuinæ pietati commendauit.

Leonora verò, quæ in Kalendis Nouembris Talemonis portum appellere debuit, dum

dum hæc aguntur, aliquanto tardius quàm promissum erat ingressa pelagus, cuiusdam Negotiatoris Ianuensis nauem ascendit, fœliciq; vento Ceptam venit: quæ vrbs magna est in littore Affricæ, per Auum eius Regem Portugalliæ multa vi quondam expugnata, & in hanc vsque diem in solo barbarico contra potentiam omnium Affricanorum retenta. Quod autem in diem dictam Leonora mare non intrauit, in causa fuerunt Iacobus Mezius & Nicolaus, Sacerdotes; qui ad dandum sibi annulum missi, cum inter eundum latrones incidissent, in præfixo tempore Portugaliam attingere nequiuerunt. Quieuit autem Leonora apud Ceptam diebus tribus; nunquam tamen è naui descendit. deinde recepto vt optabat vento, per angustias Gaditani freti in mediterraneum mare deuecta est. Ductores eius fuerunt Alfonsus Marchio Valenciæ regio sanguine natus, ac Iohannes Episcopus Colimbrienſis, & alii ex consilio Regio Viri nobiles, ornati omnes, & ad regium splendorem magnificè instructi. Naues ex Genua duas maiores habuerunt; ex Portugalia circiter viginti, quas Garauellas appellant. In tota classe duo millia virorum nauigarunt. Imperatricem multæ nobiles & matronæ & virgines secutæ sunt. Nauis Leonoræ sublimior omnibus, vestita pannis aureis, vexillis vndique cincta, magnis velis acta, aduersus impetum Barbarorum egregiè communita: vbi assiduæ tubæ cornuaq; exaudiebantur; mille quoque instrumenta musica concrepabant: summa omnium lætitia plenaque voluptate classis ibat. Iamque Promontorium in conspectu erat, quod caput de Pals vocitant, non procul à Kartagine noua in terra Hispania. ibi cum Leonora, recentem quæ aquam afferret, vnam ex Garauellis misisset, subito cœli facies immutata est, venti exorti vehementes, obscuratus aër, adeo nigra & obscura tempestas facta est, vt nedum proximam nauem sed neq; tangentem se comitem videre quisquam posset: omnia in cœca caligine agebantur. terror omnes inuaserat, vela magna ex parte discissa, quarundam nauium etiam mali confracti sunt. laborantibus sociis nemo salutem afferre, suum cuique periculum nimis esse. Sola in tanto discrimine Leonora fortem habere mentem; parui facere discrimen, hortari nautas rudentibus manus apponere, serenitatem mox futuram polliceri, animique tantum ostendere, quantum vix credibile fuerit fœmineum pectus præ se ferre. sed cum vis imbrium atque ventorum neque consilio neque auxilio locum faceret, Gubernatores, vt in tali re consuetum est, quo tempestas tulit, vela verterunt: dissipata classe naues in diuersum actæ sunt: Garevellæ aliæ huc, aliæ illuc dissectæ, ex quibus vna in portum Pisanum mirabili velocitate delata neminem habuit, qui de naui Imperatricis solidum nuntium daret. Patronus autem Garavellæ, quam supra retulimus, aquatum missus, cum aqua recepta ad Imperatricem rediret, in ipso tempestatis turbine classem amisit; vectusque rapidis ventis Thalemonem primus omnium venit: vbi Legatis Cæsaris inuentis, cum neque dicere ipse Legatis neque audire ab eis certi quicquam de Imperatrice valeret, tristis abiit: quæsitum, si forsitan vel in Corsica vel in Sardinia socias naues offenderet. Varius interim rumor per Italiam de Cæsarea sponsa ferebatur. Quidam nondum eam intrasse pelagus, affirmare; alii, submersam pelago, dicere; nonnulli captam in Affrica Barbariaque seruam, referre; plerique, in Cataloniam delatam, apud Auunculi coniugem festis indulgentem diebus, astruere. Sed nihil horum veritas habuit. Quippe ductor Imperatricis, aduersus procellas in Libyam ferentes diu multumque reluctatus spiritum tandem adeptus molliorem, cum non posset in Corsicam, iter iuxta littus Arragonicum tenens in sinum Gallicum se recepit: ac, repertis illic nonnullis piratarum nauibus, non longè à Marsilia prælium cum his commisit: quod cum piratæ ferre non possent, in scaphas desilientes fuga salutem petiuerunt, naues eorum captæ exustæque sunt. Classis tunc omnis in vnum redierat, simulque procedebat: duabus tantum Garauellis vi tempestatis in aliud iter compulsis. Cum vero in conspectu Prouinciæ nauigatio fieret, comperit Marchio, in portu villæ cui Franca est nomen, aliquas piratarum naues confugisse; nuntiauitque oppidanis, eas sibi vti sine mora traderent. quod cum illi negassent, portum liberum tutumque omnibus esse dixissent, indignatus vi rapere naues è portu tentauit: sed repulsus multis ex opido missilibus, non sine periculo suorum in altum pelagus se recepit.

cepit. indeque missis in terram aliquibus tabellariis, presbyteri, quos Cæsar in Portugaliam miserat, de omnium statu rerum Legatos apud Thalamonem morantes certiores fecere; Illique cuncta rescripserunt.

Jam Cæsar ex Bononia recesserat, petituruſque Florentiam montes Apenninos ascenderat. Sunt autem Apennini montes altissimi in Italia, quorum initium ex Alpibus est, quæ Galliam ab Italia seiungunt, non procul à Ciuitate Albenga: porriguntur autem per totam Italiæ longitudinem, ac velut in folio quercino quandam videmus eminentiam, dorsum Italicum faciunt; nunc Ligustico mari, nunc Adriatico propinquantes. quos Appenninos idcirco nonnulli dictos autumant, quoniam Pœnus Annibal eos transiens oculum amiserit. quod mihi non est omnino persuasum: cum non Penninos, sed Appenninos dicamus; quod nomen etiam ante Hannibalem fuisse putauerim. corruptum magis crediderim esse diminutiuum ab alpibus; quod Itali Alpinos pronunciarent, quod minores essent his Alpibus ex quibus oriuntur. Neque probandamego vel Isidori Hispalensis, vel Ottonis Frisingensis sententiam, puto; qui maximos illos montes, ex quibus Rhenus, Rhodanus, Paduſque fontes habent, Appenninos esse contendunt. plus apud me Leonarti Aretini sententia valet, qui montes inter Germaniam & Italiam eminentes, proprio nomine, veluti per quandam excellentiam, vocatos Alpes affirmat. Isidori quidem vsque adeo processit error, vt montes etiam, qui Pannoniam ad Austrum cingunt, Appenninos dici putauerit; & ab eis Pannoniæ nomen prodire. cuius stultitiam quæ possit excusatio protegere, nullam inuenio: nisi montes illos coniungi alpibus. Alpes autem Apennino connexos dixerit. quod si admittamus, vnicus erit quodammodo totum in orbem mons: vanamq; reputabimus diuersorum nominum varietatem. nam & Pyrenei, qui Galliam ab Hispania secludunt, ab Alpibus deriuantur. Alpes ipsæ per Sueuiam descendentes, humiliores factæ, supra Danubii fontem in Rauracum assurgunt, procedentesq; magis Necarum ex se fundunt. Deinde ad Franconiam transeuntes, in Bohemiam, Morauiam, atq; Hungariam protenduntur: donec Scuo monti se iungant, tractoq; ductu longiori Ripheis se iugis admisceant. Caucasum quoq; contingunt, & in Tauri promontoria dilabuntur. Quod si diligentius cuncta rimentur, non deficiet nobis aliquid dorsi, per quod ex Tauro, nunc altius, nunc submissius, & Sinai & Æthiopum montes Atlanti iungamus. Faceſſat igitur Ysidori sententia, Appenninumq; solum eum montem accipiamus, qui dorso longissimo ab alpibus Galliarum vsq; in Pharum Siculum Tarentinumq; sinum duobus protenditur cornibus. in cuius cacumen cum Fridericus venisset, primus omnium inferum mare conspicatus, comites admonuit, hinc Africam, illinc Hispaniam nauigantes petere, atque vbi Sardinia, vbi Corsica, vbi Baleares Insulæ, cunctarumq; decus insularum Sicilia, iaceret, digito designauit. Vbi autem transissis altioribus iugis ad collem ventum est, vnde videri Florentia potest, incredibile est quanta omnes admiratio Germanos implerit. vrbs latissima, ingenti mole murorum, multis turribus, templis ampliſſimis, altis ædibus, publicis ac priuatis ædificiis ad regiam magnificentiam fastigiatis, vniuersa in conspectu redditaſtuporem cunctis ingessit. Tot præterea suburbana palatia, tot viculi, tot frequentia municipia, castella nobilium, monasteria religiosarum personarum, in circuitu visuntur, vt omnis vallis, quæ de monte Fesulano in agrum Pistoriensem extenditur, vna ciuitas videretur; riteque loco nomen *Florentia* datum omnes dicerent, quæ super omnes Italiæ vrbes floreret. Neque melior exterius, quàm intra, vrbs habita: huius munditiæ deliciæque penè cœlestes existimatæ sunt. Virorum mulierumque vestitus supra modum egregius, Viri facundi & graues, mulieres forma pudicitiaque præstabiles; omnia fora triuiaque mirifice adornata, in portis, in plateis omnibus, pueri innuptæq; puellæ transeunti Cæsari decantantes. Ingressus est autem Fridericus Florentiam duodecima Kal. Februarii: exceptus honore maximo, summaq; totius populi & alacritate & auiditate; quod multis ante seculis non contigerat. Occurrerunt autem illic Cæsari duo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Apostolicæ sedis Legati; Philippus Bononiensis, Germanus Nicolai Pontificis, Iohannes Sancti Angeli, natione Hispanus; gratia & auctoritate in collegio potentes: qui *Pontificem maximum*

inire

miro desiderio Cæsaris aduentum morari dixerunt; parata esse coronationi quæ necessaria viderentur: lætum populum, vniuersum sacrum senatum plurimum consolationis habere, ipsosque muros vrbis quandam alacritatem præ se ferre. Sibi autem commissum esse, vt Cæsari comitatum faciant, atque vrbis domino protectorique matris Ecclesiæ & aduocato, honorem impendant. Quos Cæsar, actis summo Pontifici, vt pro tempore visum est, gratiis, læto vultu complexus est: multa cum Iohanne seorsum locutus, quo cum sibi vetus familiaritas erat, in Alemania iam pridem contracta.

Florentiæ quoque, Legati Comitum Syllacci ad Cæsarem venientes in hanc sententiam loquuti sunt: *Dominis nostris, diue Cæsar, postquam tecum fœdus iniere, semper animus atque propositum fuit, voluntati tuæ gerere morem, tuisque rebus præsidio esse, si tuam serenitatem pari erga se mente sideue reperissent. At cum tua Maiestas in eos mutata sit, necessarium est & ipsos mutare consilium. Neque enim Domini nostri stabilitatem in tuis promissionibus inueniunt: sicut res plurimæ docent, ex quibus aliquas tuæ sublimitati breuiter exponemus. Obsidebant pridem, vt nosti, Comites nostri Castellum, cui Lindau nomen est; idque triduo poterant expugnare, si tua Maiestas, vt erat obnoxia, auxilium præbuisset. noluisti iuuare: sed, ne vel tuis vel Ladislai Regis prouinciis aliquod illinc detrimentum exurgeret, obsidionem soluere iussisti. paruerunt Comites, non sine graui damno. Surrexerunt & Vngari aduersus eos, factisque propugnaculis interra Syllacea, multum agri pecorisque atque hominum prædati rogata tua serenitas opem ferre, quamuis collectum militem haberet, neque auxilio fuit neque præsidio. Sæpe insuper tua Maiestas cum gente Hungarica pacis tractatus habuit, in quibus sibi suisque consulens, Dominos nostros veluti mortuos præteriit. Quibus ex causis intelligunt nostri Comites, non esse ex re sua, tenere sibi promissa, cum tu ea parui facias. Renunciant ergo fœderi, scriptisque omnibus inter te seq. habitis, neque posthac tuæ Maiestati obligatos se quouis pacto ducent.* Quibus dictis, petiuerunt infra tres aut quatuor hebdomadas Cæsarem ex suis aliquem in Austriam mittere, qui castrum villæ Bertoldi ex manibus Vlrici Comitis reciperet, quia custodiam eius amplius nollet. Ad quæ Cæsar huiusmodi responsionem præbuit: *Ex his, quæ dicta sunt à vobis, intelligimus, dominos vestros causam quærere, qua contra nos aliquid attentare possint. sed nulla. nam si qua esset, eam minime tacuissent. Quæ autem per vos relata sunt, quàm sint inanes, & ipsi noscunt & vos ex verbis nostris mox intelligetis. De Castello Lindau sic res gesta est. obsederunt, vt dixistis, Comites illud: sed cum locum natura & arte munitum nulla vi possent expugnare, clanculum ad nos miserunt, vt obsidionem soluere iuberemus; ne suopte ingenio recedentes, stulte eos consilii pœnituisse videretur. gessimus morem voluntati eorum, famæque suæ consuluimus. Quid hic mali est? agere nobis gratias debuerunt, qui & infamiam & damnum eorum auertimus. Quod autem de negatis auxiliis relatum est, miramur qua fronte dicatur. sed audent per nuncios affirmare, quod præsentes ipsi nunquam præsumerent dicere. Quippe subditi terrarum nostrarum, Stiriæ, Carinthiæ, atque Carniolæ, iussi sunt ad omnem Comitum necessitatem præsto esse, siue Hungari siue Turci dominia eorum inuaderent. Vnaq; semper & eandem curam habuimus & nostrarum & Comitum Prouinciarum: quarum damna veluti nostra vitare studuimus. testis est nobis Iohannes Stubenbergius, quem sæpe de partibus Austriæ in Stiriam misimus, vt si opus esset militem cogeret in auxilia Comitum. quod de tractatibus pacis tactum est, quis non risu magis indigere quàm responso dixerit? quomodo enim neglectos se Comites dicere possunt, cum tractatus pene omnes inter nos atque Hungaros habitos ipse Comes Senior & inchoauerit & concluserit; neque verba in illis alia sint quàm eius suasu & auctoritate recepta? Non est igitur quod in nos retorquere Comites valeant. Neque merito neque iure fœdus rescindere aut obligationes soluere possunt, quæ non temporaneæ sed perpetuæ magnis de causis actæ firmatæque litteris atque Sigillis. deceret enim recepti beneficij memores esse, qui per nos ad gloriam Principatus erectos se norunt; quorum bona in nostris Principatibus constituta, semper tuta fuerunt: qui sæpe in aduersis fortunæ casibus & nostra & progenitorum nostrorum ope saluati sunt. at mala mens assuetusque fraudibus animus, neque verbo neque scripto ligari potest: frustra litteris tenere hominem studeas, quem beneficia non retinent. Videant ipsi Comites, an ex bono & æquo nobiscum agant, si dum pro communi*

Glia.

vtilitate Reipub. Christianæ, proque Germanici nominis honore, Romam petimus, Imperiales infulas accepturi; contra nos aliquid moliantur. Nos certe neque fœdus neque litterarum nexus eis remittimus: quos iuramento nobis astrictos, vt Imperii Principes, ne fidem fallant, si tamen per naturam aut consuetudinem eam tenere possunt, admonitos facimus: experturi cum eis remedia, si se pactis aut naturalibus vinculis liberos opinantur. Castrum autem Berchtersdorff si noluit Comes Vlricus amplius custodire, debuit, priusquam ex Germania exiremus, id nobis resignare. Neque enim latuit eum noster exitus. nunc cum remotissime à domo sumus, nisi id nobis vsque ad reditum conseruarit, perfidiæ nota carere non poterit. nos illud aliquando ex manibus suis requiremus. Atque cum his mandatis Oratores remisit.

Inter hæc Leonora circa Ligusticum littus nauigans, cum ventis teneretur aduersis, quatuor & centum dies in naui mansit; neque portum ingressa est vllum, præter illum, de quo supra mentio facta est, Ceptæ in Africa; neque naui descendit, neque terram attigit. Cæsar iam Tusciam ingressus erat; neque vbi locorum sponsa esset, certum erat nuncium, nemo iam erat, qui Leonoram cum Cæsare venturam ad coronationem speraret. Verum mirabile dictu est, neque casu actum videri potest, neque humana industria, sed diuini dispositione consilii factum dicere non timuerim: postquam diu flatus Orientales Imperatricis cursum tenuerunt, Occidentales demum auræ surgentes, datis ex insperato vento velis, cum neque de Cæsare Imperatrix, neque de Imperatrice Cæsar haberet notitiam, mox vt Cæsar Florentiam venit, Leonora Pisanum Portum applicuit. Ibi cum Cæsarem prope affore didicisset, mirabili gaudio repleta, mox ad eum misit, sciscitans, ibine an Thalamone, vbi expectabatur, descenscenderet: narrans, se non modice longo nauigationis tædio atque opportunitate quassatam. Fridericus eam apud Liburnum descendere iubet. Eamque qui suo nomine suscipiant Iohannem Episcopum Ratisponensem, Barconem Ducem Slesiæ, Michaelem Comitem Magdeburgensem, Vlricum Starnbergium, Iohannem Vngenadium, Vlricum Sunnenberger, Iacobum de Castro Romano, primos suæ curiæ viros, mittit. Legatis etiam, qui apud Thalamonem cum Matronis & Virginibus Imperatricem manebant, vt se Pisas reciperent, suæque Coniugi sese offerrent quam celeriter, imperauit. qui per asperrimos ac desectos pene montes confestim ad eam venere

Ingens id Florentinorum decus plerisque visum, quod Imperatorem atque Imperatricem, alterum ex boreali, alteram ex occidentali plaga venientes, vno tempore in sua ditione reciperent. Cumque diu Leonora apud Thalamonem expectantes frustrata fuisset, non defuerunt, qui Florentinorum ingenio retentam apud Ligures classem dicerent, donec Florentiæ proximantem Fridericum accepissent, vt simul possent Imperatricem atque Imperatorem domi suæ videre. Fuitque cunctorum opinio, Leonoram mox ex Pisis Florentiam accersiri, atque illic regias nuptias celebrari. sic humana conditio iubet: quæcunque prudentibus viris benè succedunt, ab eorum industria prodire creduntur; quæ malè accidunt minus sensatis, eorum imperitiæ traditur; quamuis sæpè, nec illis, bona, sua virtute, nec his suo vitio vertant. mortalis vitæ maximam partem opinio ducit. At Florentinorum nullum in ea re studium fuit. solus, qui cuncta gubernat, ea veniendi tempora & meritus & moderatus est Deus. Nec consilium Cæsaris vulgarem opinionem firmauit. Imperatricem enim, Senensem vrbem, non se Florentiæ manentem, quantocius petere iussit. Ipse quoque parumper Florentiæ moratus, donec egregias ædes Cosmæ de Medicis, cæterasque splendidæ vrbis structuras, ac vniuersi Populi magnificentiam, spectaret, salutato Senatu, Senas profectus est. vbi populus omnis obuiam egressus, ad quartum lapidem, vexillum Ciuitatis ei clauesq; obtulit, seque dedit & commendauit. & quamuis prius multa Legati apud Bononiam, de numero militum in vrbe recipiendorum, verba fecissent, vt est ante relatum, cum omni tamen comitatu intra mœnia Cæsar venit. Quatuor millia equitum, aut eo plures, fuisse creduntur: neque cuiquam hospitium defuit, omnes benè visi honoratique sunt. Magistratus autem vrbis, & populi magnam partem, & ruricolas plurimos, in armis adesse iussit; ac pallatium obseruare, curareq; ne quid tumulti fieret. impares tamen aduersus Cæsaream militiam

fuissent,

fuissent, si quid pugnæ emersisset. Illud saluti duntaxat ciuibus esse potuisset, quia intenti Ciues omnes Curialium actus rimabantur; neque improuisi poterant inueniri. multum interest, vbi congrediendum sit: quis prior arma capessat. Verum Cæsaris omne consilium quietis erat. Ideo cum siue casu siue maligno studio, in domo, quam Legati Venetorum incolebant, incendium nocte factum esset, turbatis Ciuibus, trepidante Magistratu, vlulantibus matronis, tota Ciuitas tumultuaret; venientes ad se Cæsar armatos milites, ut quiescerent iussit, missoque ad Proceres vrbis Marscallo, ne quid timerent, hortatus, quicquid armatorum haberet, ad tutelam populi de Imperio bene merentis præsto esse, confirmans, omnem metum ademit.

Inter hæc Legati summi Pontificis Fridericum sæpius adeuntes, iuris esse ac vetusti moris, aiunt, iurare Imperatorem Romano Præsuli, priusquam beati Petri Patrimonium ingrediatur. terras Ecclesiæ non procul esse, iuramentum si velit vlterius pergere, Senis præstandum, asserunt: quod in Clementinarum libris habetur insertum. Id ego nullum vnquam Cæsarum exhibuisse comperi, nisi fortasse Karolum quartum, & Sigismundum eius filium. Henricus quidem septimus fidelitatem sese iurasse negauit: cuius causâ edita Clementina dicunt. minime verò Ludouicus Bauarus eò iurando se astrinxit, qui recusante Papa Romano, ex vrbis præfecto coronam accepit. Priores ante Karolum magnum Imperatores, non accepimus iurare solitos. post Karolum, quid Ludouicus Primus, quidve iurarint Ottones, decreta Pontificum manifestant. At Fridericus noster quamuis iuramenti petitionem alienam atque admirabilem duceret, maximo tamen Sacerdoti, Christi Vicario, parendum existimauit, cuius mandata velut missiones diuinas suscipienda atque implenda putauit.

Australes autem, dum hæc aguntur, cum Cæsaris officiales armis amouissent, omnemque Ducatus administrationem in se recepissent, optimum factu censent, de suis actibus Romanum Pontificem reddere certiorem, suamque causam iustam ostendere, priusquam Friderici querelis accusentur. Neque enim parum est, iudicis aures priorem implesse. Vocantes igitur ad se quendam Iurisperitum Thomam nomine Angelpekium, Romam vt quam celerrimè petat, hortantur; præmiaq; legationem prudenter acturo non modica pollicentur. cui non volenti solum verum etiam cupienti, scriptas instructiones præbent, quas Iohanni Cardinali Sancti Angeli referat: Sperantes, illum deinde Romano Pontifici cuncta expositurum. Instructionum hic sensus fuit. *Albertus Imperator, antequam obiret, Testamentum condidit. in eo, si posthumus ei nasceretur, erat enim coniunx eius prægnans, de tutela disposuit. quo morte testatoris confirmato, conuenientibus Austriæ terrigenis ac de regimine Patriæ consultantibus, Fridericus & Albertus Austriæ Duces Legatos ad eos miserunt dicentes: si masculus ex vxore Alberti nasceretur, se Tutores eius; si fœmina, terræ dominos esse: Ducatumque sibi gubernandum committi petiuerunt. Terrigenæ inter deliberandum, monumenta maiorum inuenerunt, quibus constabat; Alberti defuncti, ac Friderici & Alberti superstitum progenitores, hereditatem olim inter se diuisisse, & vni Austriam solam cum certis limitibus, alteri Stiriam, Carinthiam, Athesim, pluraque alia dominia cessisse: eamque legem inter eos dictam atque firmatam fuisse, ne quis eorum vel suorum heredum in partem dimissam regredi posset, donec masculus heres ex altera linea superuiueret. Cumque nondum Regina peperisset, animaduertentes, Austriam vicinos habere nouitatum ac rapinæ cupidos, ex vsu fore putauerunt, Fridericum vsque in tempus partus gubernatorem assumere, vt & vicini quiescerent, eius potentiam veriti; & ipse cum fratre, si fœmina nasceretur, absque impedimento hereditatem posset adire, suoque iure Austriam tenere. Timebant enim, ne Gubernator alius in tali casu nouas res aggrediens, & Fridericum suo iure fraudaret & Austriam bellis exponeret. At Fridericus ipse, ne vel pupillo nascituro vel patriæ grauis esse posset. His enim legibus obligarunt Gubernationem Austriæ, vt acciperet quousque regina pareret; &, si masculus in lucem prodiret, illum vltra discretionis annos inultum minimè retineret, sed Tutelam ac Ducatum libere dimitteret, thesauros omnemque pretiosam supellectilem, siue sacram siue prophanam sub Inuentario ac sub duabus clauibus recluderet, quarum sibi alteram haberet, Terrigenis alteram permitteret: Si fœminam regina pareret, eam pro more Domus Austriæ & nutriret, & adultam nuptui*

cum

cum dote se digna traderet. Terram Austriæ iuxta consilium Prælatorum, Baronum & nobilium regeret; quos sibi ex Terrigenis Patriæ posset assumere: antequam Regina pareret, ne quenquam Terrigenarum ad præstandum fidelitatis iuramenta compelleret; prouincialia ac municipalia iura ne solueret; priuato cuius iuri ne derogaret; debita Cameræ cuncta persolueret. Quæ obseruare singula suis litteris spospondit, adiiciens; si quo pacto nasciturum ex Regina filium, post annos discretionis suæ libertati non redderet, seu prædicta omnia non seruaret (quod tamen Deum auertere deprecabatur) tunc liberum esse Terrigenis Austriæ, ab eo recedere, se sibi opponere, solique Postumo parere; iuramentaque omnia & obligationes eo casu nullius existere momenti, quæ sibi tanquam Tutori præstitæ fuissent. Quibus sic firmatis, natus est Ladislaus Alberti filius ex Regina Elisabeth: qui mox in Alba Regali, vt est moris Hungariæ Regum, infans adhuc atque tenerrimus inunctus & coronam accepit: deinde in Friderici manus peruenit, qui Testamentum Alberti contemnens, legesque Patriæ sibi præscriptas paruiducens, & puerum penes se tenuit educandum, & Austriam ex suo capite sine consilio Terrigenarum administrauit: castella, Theolonia, vectigalia, pignori asscripsit: subditos Austriæ grauibus oneribus exactionibusque vexauit: Alberti debita minimè persoluit: prædari latrones atque incendia & homicidia facere impune permisit: Austriam infinitis calamitatibus affecit. Quibus cognitis, Hungari velut dedecus existimantes, quem sibi Regem vnxissent, patremque recepissent, in aliena potestate consistere; Ladislaum Dominum suum ad se liberum [illegible] mitti, sæpius petiuerunt. Nec Bohemi tacuerunt. At Friderico extra manus suas puerum dare denegante, Gubernator Hungariæ cum valido exercitu Austriam ingressus rapinis atque incendiis patriam deuastauit. neque motus his Fridericus, sed amplius induratus, arctius pupillum in sua potestate custodiuit, quodque durius est, puellum tenerum inuitis Austriæ Prælatis atque Baronibus ad Italiam duxit; illic ut aere sub insolito morbum induens vitam finiret, vacuum sibi Ducatum relinqueret, quem suum appellat, incolasque subditos suos dicit. Quibus ex rebus, conuenientes apud Viennam vniuersi Australes, ponderantesq; iuramentum Alberto quondam præstitum, in quo fidelitatem masculis eius heredibus promiserunt, inspicientes quoq; pacta cum Friderico percussa, quæ ipse minime seruauerat, intelligentes se propterea ab eius gubernatione liberos; cum repetentes suum dominum non obtinuissent, concluserunt inter se vnanimes: Friderico tanquam Tutori deinceps nullatenus obedire, fœdusq; cum Bohemis Hungaris atque Morauis inierunt, ad liberationem Ladislai Regis & Domini sui communibus viribus atque consiliis operam adhibere. Verum Fridericus dominandi cupiditate cæcus, vt dictum est, puerum ad Italiam traduxit; vt quem ferro necare non audet, Italici caloris intemperie perimat. At Australes, quemcunque sors casum dederit, fortiter ferent; Fridericique posthac dominatum nunquam subibunt. Hæc in Romana curia vt Thomas exponeret, commiserunt neque contenti talibus, litteras quoque Cardinali Sancti Angeli in hunc modum scripsere. Colendissimo Domino Iohanni Cardinali Sancti Angeli, Patri bono, Vlricus Eizinger Capitaneus, cæteri rectores Ducatus Austriæ S.P.D. Non habet nos dubium, quin Fridericus Romam veniens, Sanctissimo Patri Nicolao Sacroque Cardinalium cœtui multa de nobis sinistra & dura proponat. Et cum sit ipse iniurius, nos peruersos & iniuriatores appellat; vt est mos hominum, qui etsi maximè fallunt viros se bonos ostendere nituntur. Criminatum nos Cæsarem multis in locis, non est, cur nos Romæ taciturum speremus. Necesse est igitur & nos pro nostra innocentia loqui: ne tacentes videamur iniusti. Mittimus ergo ad Romanam Curiam Oratorem nostrum Thomam Angelpeckh, de omni actione, quam contra Fridericum Cæsarem habemus, plene instructum. eum vt audias rogamus, piamque causam nostram suscipias adiuuandam, qui pro sanguine regio male tractato arma sumpsimus; Ladislao nobilissimo puero studemus, sibi patriam hereditatem vendicamus. assiste oramus pio generi. Sint ante oculos tuos & omnium Cardinalium, Patris & Aui huius pupilli gloriosa gesta; memento illos Apostolicæ sedi semper beniuolos & affectuosissimos fuisse; pugnasse pro fide catholica, extinxisse schismata, pacem Ecclesiæ Romanæ dedisse: credito, & hunc vestigia Parentum non deserturum: dumq; per nefas extra patriam hereditatem trahitur, adiuua, vt suum ius consequi possit. Nouimus in facie Iustitiæ cultricem dignationem tuam abhorrentem iniquitates. Ideo te iam ex hoc

tempore

tempore noſtri pupilli protectorem & aduocatum aſſumimus, ſpe certa freti, quia non relinques innocentem & nobiliſsimum ſanguinem indefenſum; compatieris ætati, abhorrebis violentiam, fauebis iuſtitiæ, Sanctiſsimumque Patrem Apoſtolicum de veritate inſtructum, fucatis Friderici verbis non ſines deceipi. Nos tibi exinde ſemper erimus deditiſsimi. Ladislaus autem ſi vixerit, & ab Italia, quod ſuperi omnes conſentiant, incolumis redierit, digna tuis laboribus præmia referre neque per ſe negliget neque per noſtram curam. Vale. Nicolao etiam Pontifici, ſacroque Cardinalium cœtui, litteras dederunt, iurgiorum contumeliarumque plenas. ſed nihil venenoſius illis fuit, quas ad Curiales ſcripſerunt, quarum & hic exemplar annectere, quamuis pu .... ſapiant dicacitatem, haud alienum putaui. Sic autem ſcriptæ fuerunt: *Patribus in Chriſto Venerandis, vtriſque præſtabilibus Romanam curiam ſequentibus, Vlricus Eizinger Capitaneus, vniuerſique proceres & incolæ Ducatus Auſtriæ S. p. d. Impellit nos ſæua & inſolita Tyrannis Friderici Cæſaris, ad vos pauca ſcribere; quæ obreuerentiam tanti nominis libenter tacuiſſemus, ſi nobis & inclito Domino noſtro Ladislao Regi Vngariæ atque Bohemiæ ſilentium ipſum nocumento non eſſet. At vbi craſſatur iniuria, non poteſt deſſe querela. plurima ſunt quæ dure ac inſolenter contra nos Fridericus hactenus egit, quæ non eſt propoſitum ſingula proſequi, ne veſtras aures nimium teneamus. Sed accipite iſta ex multis, quæ veſtras in terras de moderni Cæſaris æquitate regalique magnificentia reſcribere, aut, cum illuc veneritis, referre poſſitis, gaudeatiſque noſtra ætate tam pium diuinumque Cæſarem cœlitus eſſe datum. Accepit hic Fridericus tutelam Ladislai Regis, & in hanc vſque diem geſſit. pudet dicere, quam miſerè regius ſanguis educatus ſit; quo cibo, qua veſte retentus; caſtra & vectigalia pignori conceſſa, theſauri aſportati, hereditas eius omnis expilata. Toleraniſſemus tamen hæc omnia, ſi non peiora emerſiſſent. Sed audite facinus ingens & abominandum. Cum ſtatuiſſet Fridericus Romam petere, vt Auguſtalem coronam acciperet, rogauimus eum, Dominum noſtrum apud nos dimitteret, vt ex voluntate paterna gubernaretur, & noluit. ſed puellum tenerum, XII, annos natum, delicatiſsimæ naturæ, ad grauem Italiæ aërem ſecum duxit; vt quem ferro non audet extinguere, cœli mutatio perimat. O nobiliſsimum ſanguinem, de Burgundia atque Holandia deriuatum, ſiccine dueeris, vt tua nece locum alteri facias? Ecce qui coronam Imperij petit, mirum eſt, ſi Romana ſedes talem admittit: mirum eſt, ſi vos Curiales vniuerſi non occlamatis. Vt macula quauis careat, ſitque virtute præditus omni, oportet, qui Romanæ Reipublicæ præficitur Imperator. At qui ſuum ſanguinem perſequitur, quo pacto dignus Imperio videri poteſt? Aſſurgite oramus, viri prudentes, reclamate: curate, ne tantum dedecus admittatur. Namque ſi Fridericus Imperio potitur, ſceleratis quibuslibet ad honores patebit aditus, nullumque poſthac virtus bonis in Republica refugium patebit. quod malum vt veſtra prudentia totis conatibus auertat, pro communi ſaltem Chriſtiani populi noſtroque ſpectati commodo iterum atque iterum obſecramus.* His literis atque inſtructionibus acceptis, Thomas feſtino tranſitu Senas venit: viſitatoque Cæſare, velut aliquid beneficiorum Romæ curaturus, commendatitias litteras ad ſummum Pontificem impetrauit. Sed inuenit cautus cautiorem, verſutoq; verſutior obiectus eſt. Sentit Cæſar, inieſſe dolos; miſitq; poſt hominem Iuuenes armatos, qui ei non longè ab Opido Sancti Quirini & litteras & inſtructiones vi quaslibet eripuerunt; neque ab eo cognoſci quouis pacto potuerunt. fuit Thomæ pro beneficio, vitam retinuiſſe, beneq; ſecum actum eſt, quia dimitti potuit. Quippe ſi literarum tenor, quas ſecum ferebat, antea notus Imperatori fuiſſet, ipſo die Thomas & iter ad vibem & vitæ curſum finiuiſſet. Miratus admodum Cæſar, cum ſcripta ſibi Auſtralium tradita ſunt. Tumque primum, & peſſimam eſſe illorum mentem & malignam naturam, intellexit; qui naturalem dominum ſceleratiſſimis inſectari conuitiis non vererentur. Tolerandum fortaſſe fuerat, ſi ſe iuſtis de cauſis contra Cæſarem arma cepiſſe, dixiſſent, qui ſuum Dominum noluiſſet apud eos dimittere, qui eos in ſuo regimine dure tenuiſſet, qui nonnulla eis promiſſa non impleuit. At cum Cæſar ex Auſtrali domo natus, pro familiæ ſuæ totiuſque regionis Auſtriæ gloria, pro ſacri Imperii & nationis theotonicæ decore, ad ſuſcipiendas Auguſtales inſulas Romam peteret, aduerſari cœptis eius, ipſum parricidali crimine annotare, indignum

Impe-

Imperio dicere, conari eum ab honore repellere, impuriſſimarum ac nequiſſimarum eſſe mentium quis negauerit? Sed de his alio loco à nobis eſt dictum: aliquando forſitan dicetur amplius.

Dum Senis iſta aguntur, Leonora, vt Imperatrici par fuit, magno Procerum ac nobilium fœminarum comitatu Piſas venit. Statura mediocri virgo, annos nata ſedecim, læta fronte, nigerrimis atque illuſtribus oculis, ore paruo, genis ad gratiam rubeſcentibus, ceruice candida, facie ex integro venuſta, nullaque videbatur parte mendoſa. Verum forma corporis egregia, dotes animi multo præſtantiores fuere. virgo regia abſque interprete loqui, graues ſententias dicere, prudenter reſpondere, apte cuncta diſponere, regios in quauis re mores oſtendere. Ibi diebus quindecim inter Legatos Cæſaris & Marchionem Portugalenſem de conducenda Imperatrice diſceptatum eſt. Quamuis enim Marchioni commiſſum eſſet, in portu Latino Procuratoribus Imperatoris ſponſam aſſignare, quia tamen prope adeſſe Cæſarem intellexerat, neque ſuæ neq; Regis Portugaliæ dignitatis eſſe ſtatuebat, per ſeſe Cæſari Coniugem non adducere. Contra Legati, aduerſus Imperium facere videbantur, niſi Leonoram ipſi ducendam ſuſcepiſſent, neque ſuum honorem alteri dimittendum putabant. Florentini medio tempore admodum timebant, ne Piſani, quos habent ſuæ gubernationi ſuſpectos, cum Theotonicis ſiue Portugalenſibus rebellare conarentur. ob quam cauſam Micheletum veterem rei bellicæ magiſtrum, cum magna militum manu, in vrbem vocauerant. Commiſſarios quoque prudentes homines ex Florentia miſerant, qui Germanorum ac Portugalenſium actus inſpicientes, excubias nocturnas diurnaſq; facerent, armatos in locis oportunis haberent, ciues obſeruarent, nullum inſidiis locum permitterent, darentque omnem operam ne quid reſp. detrimenti pateretur. id cum dies aliquot diligenter agitaſſent, tandem affecti tædio Epiſcopum adeunt, rogantque finem rebus dari curet, dicunt aperte: laborem ſe neque velle neque poſſe amplius ferre: Ciues aliquos res nouas moliri, Portugalenſes multas inſolentias agere, Teutones quamuis conſtantes viros nihil contra fidem acturos credant, vbi tamen tumultus ab aliis incipiatur, Piſanis magis quàm Florentinis opem laturos. Nec adhuc iſta finierant, cum ſubito rumor exauditur. familiares Alberti de Potendorff aduerſus aliquos armigeros Florentinorum leuibus cauſis rixam ceperant, atque armati vtrinque concurrerant. Sed cum plures ex parte Florentinorum præſto eſſent, ſuperati Theutonici, in fugam verſi, duo ex his vulnerati paulo poſt mortem obiere. atque hanc ſolam aduerſitatem in Italia comitatus Cæſaris paſſus eſt. Ex aliis neque morbo neque ferro quiſquam interiit. Vnus tantummodo ſenio confectus, qui ferebatur ægrotus, cum veniſſet ad locum quo Roma conſpicitur, extenuatus viribus in terram deſcendit, atque vrbis magnitudinem contemplatus, miratuſque paululum tantam tanti operis molem, veluti deſiderio potitus, animam exalauit. Potuiſſet autem Theutones, dum Piſis erat, occiſos armis vlciſci: quando & populum ciuitatis cupidum nouitatis habebant, & ipſi cum Portugalenſibus multi in armis erant. Viſa ſunt tamen Pacis conſilia magis ex vſu eſſe. Florentini quoque deteſtati factum, nihil ſibi imputari petebant, auctoreſq; criminis depoſcentes iudicium offerebant. Sed illi fuga extra vrbem lapſi, nuſquam reperti, ſceleris impunitatem conſecuti ſunt.

Studuerunt autem hac de cauſa Legati Cæſaris quantocius ex Piſis abire. Cumque Marchionis animus flecti non poſſet, placuit Imperaticis exquiri ſententiam: ſub Marchionis ductu, an Legatorum, ad Cæſarem ire vellet. quæ ſapienti vſa conſilio ita reſpondit: Sepultis, inquit, Parentibus meis, vſque in hoc ætatis ſub fratris imperio fui, nullumque mandatum eius egreſſa ſum. nunc eius voluntate tradita viro, legibus me viri parere oportet. ſi Legati Domini mei Cæſaris in hanc rem miſſi ſunt, vt me ad eum adducant, non eſt cur abnuere poſſim. Quibus verbis auditis motus Marchio traditurum ſe ſponſam, ait, quamprimum Legati vellent; ſi modo vnum ex ſe deligerent, ad cuius manus Imperatrix aſſignaretur. Erat, vt diximus, inter Legatos Cæſaris Barco Dux Sleſiæ, qui ſe id honoris præ cæteris habiturum & exiſtimabat & contendebat; tum propter Ducale nomen & altum ſui generis ſanguinem, tum quod

quod Imperatoris Friderici proximus cognatus erat. Sed cum prudentia longe minor esset in eo quàm nobilitas bib ndique bene quàm loquendi recte maior vsus (raro enim in magna fortuna magnam virtutem inuenies) placuit omnibus Æneam Episcopum esse, qui Leonoram in suas manus Imperatori ducendam assumeret. Conscriptis igitur inde chirographis, rebusque compositis omnibus, Imperatrix Senas ducta est ieiunii secunda die. Nam cineres eius capiti cæterisque matronis eam sequentibus Æneas ex more apud Castrum Florentinum conspersit. Occurrunt autem ei apud Senas primum Ciues natu & auctoritate maiores, deinde Albertus Germanus Cæsaris illustrium Virorum comitante caterua, tertio loco Ladislaus Rex Hungariæ apparatu sublimiori, quarto processio cleri & vrbis Magistratus: Fridericus cum Legatis Apostolicis extra duas vrbis portas intra tertiam (tot enim in ea parte Florentinorum insidiis obiiciendas ianuas, maiores existimarunt) spatioso loco quampluribus ac nobilissimis Proceribus circumdatus sponsæ manebat aduentum. qua visa mox ab equo descendit: neque illa segnior fuit tumque in amplexus ambo venere. mox spatio separati, factaque Prælatorum & Procerum corona, Henricus Leubin iussu Cæsaris locutus .... iocundissimam sponsam vidisset maris euectam periculis, lætissimumque Cæsarem talio coniugio pluribus verbis affirmauit: Leonoram nobilissimo genere natam, forma pulcherrimam, moribus ornatissimam, prædicauit; futurumque illi benignum Cæsarem in omne æuum obtulit. Ad ea pauca Æneas Imperatricis vice respondit: Leonoram graui maris nauigatione vexatam, iam laboris omnis oblitam esse, quando Sponsum & Dominum suum incolumem lætumque cerneret; quem cum non visum ante dilexisset, nunc magis ac magis amaret, venisse ad eius imperium; inuenturum experiundo Cæsarem, quo animo ea in se fuerit: nihil aliud eam petere nisi vt ametur; reciprocum Cæsari se suum corpus animamque dedisse. Expalluit primo Cæsar, vt à longe sponsam venire animaduertit. at vbi prope venustam faciem gestusque regios magis ac magis contemplatus in sese rediit, coloremque pristinum recepit, hilaris factus, quia Coniugem pulchram fama pulchriorem inuenit, neque se verbis captum reperit, vt accidere solet Principibus, qui per Procuratores connubia contrahunt. In eo loco, vbi hæc gesta sunt, Senenses postea marmoreum lapidem erexerunt, inscriptum litteris quæ tantæ rei memoriam posteris tradant. Mansit post hæc Cæsar apud Senenses diebus quatuor.

Plurimum ea Ciuitas iuuentuti Germaniæ placuit: quæ sita in montibus, amœnum aspectum habet, ibi pallatia ad regiam fastigiata magnificentiam cernuntur: Basilicæ admodum ornatæ. Principale, quod beatæ Mariæ Virginis domum vocitant, procul dubio cunctis Italiæ præferendum ædificiis iudicatur: quamuis non est ingentioris latitudinis. Verùm ita partes vniuersò suo conueniunt, vt nihil ad rem perfectam desiderari possit. tectum plumbo albo coopertum; fornices sublimes; cerei floridi plurimorum colorum ex illis pendent; altaria ornatissima, Sacerdotum vestimenta pretiosa, Sanctorum multæ & singulares reliquiæ argento & auro variisque lapidibus vestitæ; columnæ marmoreæ, picturæ nobiles, sculpturæ, quales vel Phidiæ credas vel Praxitelis; chorus incisus arte mirabili, quam tharsiacam vocant: fenestrarum splendentia vitra, pauimentum marmore figurato vetustas historias referens, quo magis calcatur eo lucidius redditur; ad portarum & ipsius frontis, quam vocant, templi faciem, nihil æquandum existimes; tot equorum, hominum, angelorumque statuæ cernuntur; tot, vt aiunt, ciboria in cœlum eriguntur: opus quoque Musaicum, in frontis parte sublimiori resplendet: lapis marmoreus diuersi coloris templum omne conuestit: ad vsum Campanarum excelsa turris nigro & albo constructa lapide. In Ecclesiam, quæ vniuersæ supereminet vrbi, per gradus introeas, sub ea diui Iohannis non paruum Sacellum, & Baptisterium: ita vt templum templo superædificatum magno sumptu maiori ingenio recognoscas. Cui Xenodochium è regione correspondet, toto orbe memorandum; in quo peregrini, mendicique, debilesque, vndecunque veniant, recipiuntur, aluntur: pueri expositi nutriuntur; cumque adoleuerint, fœminæ viris cum dote traduntur, masculi ad artificia, quæ discere videntur idonei, mittuntur: eleemosynarum omne genus illic exercetur.

quas res mirum in modum Theutones laudauerunt. populus vrbis quietus & aduenarum amans voluptati omnibus erat. maxime autem fœminarum genus placidum his videbatur. Nam Ciuitas Senensis speciosissimas mulieres habet; inter quas semper aliquas iuuenies, quæ formæ venustate cunctas Italici generis fœminas superent. Sunt insuper puellæ ac matronæ Senensium lætæ, &, quantum pudicitia fert, benignæ ac iocondæ amantibus; multæque his facetiæ, multusque lepos ineſt; psallere, saltare, quædam etiam orare Latine, atque facere carmen perite. Quibus apud forum prima quadragesimæ Dominica congregatis, saltationique dantibus operam, Cæsar cum coniuge superueniens, altumque tribunal ad id præparatum ascendens, spectare honestatem moresque mulierum cœpit. Tum mulier, Augustini cuiusdam ex duodecim viris filia forma egregia, ætate iuuenili, in domo Petrucia formoso & docto Adolescenti nupta Achilli nomine, qui redeunte Cæsare vnus inter primores vrbis fuit, quos vocant Dominos, assurgens in medio cœtus, scamnumque conscendens elegantem orationem de bono Coniugii habuit. Nunc Fridericum amare consortem suam, nunc Leonoram redamare virum commonefaciens: adeoque grauiter atque ornate locuta est, vt in stuporem qui aderant omnes adduceret. Chorea deinde cœpta est, atque ex arte diu saltatum. At cum Portugalenses, qui secuti erant Imperatricem quamplures adessent, ingressiq; choream petulantius tractare virgines ac matronas cœpissent, suosque mores castis Etruriæ consuetudinibus miscere vellent, indignata simul omnis congregatio mulierum, veluti conspiratione facta, consalutato Cæsare atque Consorte, ex foro in palatium sese repente proripuit.

Cæsar secunda post die iter suum versus vrbem continuauit. omnia Senensium gesta Theutonici commendauere. Solum illud grauiter tulerunt, quoniam sumptus non æque Senis atque in aliis locis abunde ministrati sunt; neque omnes expensæ Cæsari persolutæ. quod eo nonnulli magis admirati sunt, quia cum Florentini ac Veneti hostes Imperii prius crediti, largissimas Cæsari mensas præbuissent, fidelitatem Senensium superatutam omnes opinabantur. idque suadebat honor, olim Sigismundo Cæsari præbitus, qui mensibus vndecim apud Senenses, Eugenio sedente, manens, victum omnem ab eis accepit. putabant igitur Friderico non minora quàm Sigismundo præberi. Verum Senenses non hi sunt, qui vel potentiæ Venetorum vel Florentinorum opibus, æquari possint. Sciebant quàm grauiter cum Sigismundo se habuerunt. persoluerant iam omnes expensas, quas tribus mensibus & apud Grossetum & Thalamonem Legati Cæsaris cum Dominabus fecerant. Timebant ne diutius apud se Cæsar cum Leonora moram faceret. nolebant incipere, quod perficere nequirent. Statuerunt itaque, Fridericum illum honorem, quem Ciuitas ferre potuit sita in montibus, sine magno imperio, atque in agro non multum feraci, ... Neque Cæsar paruam Senensium erga se deuotionem duxit, quamuis ab initio suspiciones populi grauiter tulerit.

Apud Viterbium autem, ingens illi honor, mandante Pontifice maximo, exhibitus est. At cum proximaret hospitio, fuerunt nonnulli adolescentes, qui ex loco sublimi aureum vmbraculi seu Baldachini, ut Itali vocant, pannum, sub quo Cæsar ibat, vncis ferreis ad se trahentes contendentesq; simul dilaniarunt. ob quam rem, crescente licentia, milites aliquot qui stipendia Ecclesiæ merebant, impetu facto Cæsarem equo, quem rapientibus deberi putabant, deiicere conantur. quidam vltra progressi manus in pileum prædiuiti corona cinctum tendere, lucrumq; ingens sperare: atque vt in prædam vocati, hunc & illum inuadentes, magna vi contendere, baculisque pugnare, cuncta clamoribus atque tumultu miscere. eo cognito, versus ad Legatos Cæsar, hic, inquit, manibus opus, vique vim repellere. arreptaque fuste ex manibus proximi ministrantis, vrgens calcaribus equum, è manibus insidiantium lapsus retrorsum se vertit; atque in eos ruens, modo istum modo illum cædere, prosternere plurimos, stragemque magnam dare. neque Legati negligere sumere fustes, præliari lingo: Germanus Papæ viribus potens, vnum atque alterum onerare verberibus. Equites Cæsaris gladiis agere. ad longum horæ spatium summis vtrinque contentionibus pugna-

pugnatum est. superati tandem insidiantes, cum vulnera percussionesque ferre non possent, fugam fecere: quamplurimi ex his capti in vincula coniecti sunt. In quos cum Gubernator Patrimonii, nepos Nicolai, Cardinalis olim Sanctæ Crucis, Apostolicæ sedis Protonotarius, supra ætatem & magnanimus & prudens animaduertere vellet, Fridericus ignoscendi quàm vindicandi solentior omnibus veniam dedit.

His actis, Legati Romani præcessere. ipse ad Idus Martias ex Sutrio iter Romam summo mane accepit. cui, iam Romæ proximo, quicquid Nobilitatis in vrbe fuit, obuiam datum est. primi omnium, qui nomine digni viderentur, Columnienses fuere, duo Martini Papæ Quinti nepotes, quorum ille alterum Principem Salerni, alterum Marsorum Ducem creauerat. hos plurimi sequebantur domo nobiles, & opulenti ciues. Nec minori Comitatu secundum locum tenuere præpotentes Vrsinorum Proceres: inter quos etiam Prælati aderant. Tertio loco Perusinus Episcopus, Thesaurarius Papæ, militiam omnem cui præfectus erat, secum adduxit. Interuallo deinde competenti Nicolaus Placentinus Episcopus, Vicecamerarius Apostolicus, qui postea Mediolanensem Ecclesiam adeptus est; cum Senatore Romano primariisque ciuibus vrbis, Imperatori occurrit: cunctique, Cæsaris aduentum lætis animis accipere, verbis, ut Itali solent, suauibus atque ornatissimis ostenderunt. Venit deinde Cæsar in eminentem collem, vnde vrbem spectare potuit. ibi primum, & ambitum murorum latissimum, ingentesque ædificiorum moles, Adriani sepulchrum, Metas, quas falso nomine Romuli Remique tumulos dicunt, Thermas Diocletianas, Pantheon solidum opus Agrippæ, Colosson, Capitolii immobile saxum, Palancteum, Auentinum, Esquilias, Lateranumque mirabatur, atque cuiusque molis & nomen & causas percunctabatur. neque minorem famâ vrbem se reperisse, dicebat. læta omnis nobilitas, haud incassum se laboribus affectam, aiebat; Cui caput orbis vrbem visere datum esset, cunctarumque gentium columen Romam. vbi de colle descensum est, ibi Sacer Senatus Apostolicus extra ordinem occurrit. Nam cæteris Cæsaribus id honoris negatum ferunt. credo equidem, postquam Cæsatea maiestas attenuata est. nam priscis temporibus non Cardinales solum, verum & ipsos Romanæ vrbis maximos Pontifices obuiasse Cæsaribus, constat. Quippe ad Fridericum primum, vsque Sutrium Romanus Pontifex venit. sed est omnium potestatum vicissitudo. olim Cæsarea dignitas ingens fuit, nunc sedes Apostolica maior est. Cuius auctoritatem, post traditas Petro claues Regni cœlorum, semper fuisse maiorem putauerim; potestatem sæpè minorem.

Cardinales, postquam Cæsarem salutauerant, secum familiarius aliqua tractauerunt reuersi Romam, cum extra vrbem reliquerunt: neque enim mos est, vna die & applicare & intrare vrbem, qui coronandi sunt Cæsares; sed noctem saltem vnam in castris atque tentoriis habent. Cuius rei causam non aliam arbitrari possum, nisi quod ea dies Papæ cedat, ad prouidendum, ne quid ingrediente Cæsare tumultus fiat. siue id spatium sibi Cæsares ipsi assumpserunt, ut explorato vrbis statu tutius ingrederentur: seu bis terque aliqua vel causa vel casu res gesta, vim consuetudinis accepit. Mansit igitur Cæsar & Imperatrix ea nocte in domo Marci Spinelli, negotiatoris Florentini, quam sibi deliciarum causa extra vrbem ædificauerat cæteri in castris mansere; multi, quibus Cæsar indulsit, vrbem introire. Inter quos Æneas fuit. qui mox ad Pontificem vocatus, multa de mente Cæsaris interrogatus, omnia tuta quieta sinceraque dixit, neque timore vllo fuisse opus, affirmauit. Ad quem Pontifex, ut tibi verum manifestem, ait, cum Fridericum tuum aduersum nobis & Ecclesiæ multi venientem assererent, quamuis non haberemus omnibus fidem, maluimus tamen saluari timentes, quàm perire audaces. atque his dictis eum remisit in domum, quam sibi egregiam assignauerat, iuxta Tiberim. Castellanus eam quondam construxerat, qui arcem Sancti Angeli per multos annos ab Eugenio tenuerat.

Sequenti die, in pratis, quæ proxima erant vrbi, extra portam quæ Castro Crescentii iungitur, omnis Cæsaris Comitatus sese recepit; atque in acies veluti prælium gesturus, ordinatus; neque procul Equitatus Apostolicus in armis fuit. res pulcherrima visu: Cæsar trabea vestitus, inter Legatos totius Italiæ magnos viros, eminebat:

Imperatrix mirificis ornata cultibus, Cathelanis & Portugalenſibus circundata o
mnium in ſe oculos attrahebat. Ladislaus Hungariæ atq; Bohemiæ Rex tenera ætate,
purpuratus inter Prælatos, non ſine maieſtate conſpicuus ibat. Albertus Germa
nus Cæſaris militiæ ductor, huc modo, modo illuc obequitabat, ſuum cuique locum
demonſtrans. Equites medio tempore Germani atque Latini oſtentare ſe, in armis diſ-
currere, vibrare haſtas, verſare gladios: ſigna omnia canere; faciem pugnæ mon-
ſtrare. neque Theutones Italis, neq; rurſus Itali Theutonibus eſſe contemptui. Vndi-
que viri, arma, equi, vexilla, pariter oculos conſtantium in ſe conuertere.

Igitur introeundi hic ordo habitus eſt. duo Cæſaris vexilla fuerunt: alterum,
quod Sancti Georgii vocitant, id veteri more Sueuorum cuſtodiæ deberi aiunt, apud
quos militia Sancti Georgii robur Imperii non paruum ducitur: deinde vexillum A-
quilæ, & circa ipſum egregii quamplures equites, quorum ductor fuit Comes Magde-
burgenſis, cuius ſupra fecimus mentionem. Tum Principum atque Ciuitatum
Legati. Sed inter hos nata contentio eſt. Albertus enim, cum Venetorum Lega-
tis digniorem locum præbuiſſet, indignati Mediolanenſes iniuriam ſibi fieri, aiebant:
Principem ſuum multo præſtantiorem Venetorum Duce; illum obſequentem Impe-
rio, Venetum hoſtem Imperii, nullum velle ſuperiorem; Venetos vſurpaſſe Ducatus
dignitatem, non legitime ſuſcepiſſe; Mediolanenſes Imperii auctoritate verum ſibi
Principem conſtituiſſe, qui ex arbitrio regeret, cui liberi ſuccederent, qui Vaſallum
Imperii ſe diceret, quem Chriſtiani omnes Principali honore dignum ducerent. Duci
Venetiarum nullam eſſe poteſtatem niſi cum populo, filium dignitatis heredem non
habere, ex negotiatoribus Ducem eligi: alienum atque indignum videri, Principi no-
bili & potenti mercatorem præferri. Contra Veneti: Ducatum Mediolanenſem rem
nouam fuiſſe, in Galeatio vicecomite cœpiſſe, in eius filio defeciſſe, qui ſine liberis
ex matrimonio natis obiiſſet; Ducatum Venetum vetuſtiſſimum eſſe, ordine legi-
timo inſtitutum, Ducem niſi ex familia nobili nullum aſſumi, Rempublicam Vene-
torum ſupra noningentos annos ſtetiſſe, terra & mari potentem: Franciſcum Sfor-
tiam, cuius Legati Mediolanenſes eſſent, haud parem videri poſſe cuiuis patricio Ve-
neto; nouum hominem, cuius pater priuſquam arma gereret, ſæpè mulos fricuiſſet;
riſu dignum, qui nobilitati Venetorum æquari velit, quorum plurimis annis ſtipen-
dia mendicaſſet; Principatum eius nihil eſſe, qui ſine legibus, ſine moribus, impe-
tu populari ſe Ducem dicere atque arripere inſignia præſumpſiſſet: ſtatum eius in-
ſtabilem & cito caſurum; hominem ut repente creuiſſet, mature periturum: Philip-
pum deinde, qui Mediolenſibus iure præfuit, ex nobili domo ViceComitum, Galea-
tii filium, de præſidentia cum Duce Veneto & in Conciliis & in Romana curia ſepius
contendiſſe, nunquam fuiſſe prælatum: temerarios modo plus quàm dici poſſet au-
dicandos eſſe Mediolanenſes, qui Ducem ſuum violentum & obſcurum natione, Ve-
netorum gloriæ anteponendum eſſe exiſtimant. Stetit igitur Alberti ſententia: Ve-
netis honeſtior locus datus eſt. Mediolanenſes, dubii quidnam agerent, primum abi-
re ex proceſſione voluerunt. Dein communicato cum Placentino Epiſcopo & Se-
nenſi conſilio, magis ex vſu rati ſunt permanere. Præcedentibus ergo qui ſigna tu-
lerunt Equitibus, nobiles ex Alemania, Bohemia, Hungaria, ſecuti ſunt, qui togati
aderant: eos Italici generis inſignes viri, abinde Romani Ciues, tum Barones; demum
Legati Lucani, Ferrarienſes, Montisferrati, Senenſes, Florentini, Mediolanenſes,
Veneti, Portugalenſes, Aragonenſes. ſubinde Rex Ladislaus venit, ſuos circa mini-
ſtros habens; & aliqui apud eum ex Germania Generoſi Comites fuere. inter ipſum
autem & Cæſarem, Senatori & Præfecto vrbis datus eſt locus. quippe quod his ex offi-
cio competere, aiebat, poſtquam vrbem Cæſar intraſſet, eius equum manu regere.
Marſchallus nudatum enſem ante Cæſarem tulit. Poſt Cæſarem proximi fuere Epi-
ſcopi Senenſis, Gurcenſis, Ratiſponenſis, Trigeſtinus, & reliqui Conſiliarii, Comites
ac Barones. Vacuus exinde ad decem paſſus locus manſit: in quo primo fuere mini-
ſtri nobiles Imperatricis, demum Colimbrienſis Epiſcopus, ac Marchio Valentinus
Imperatricem proximi antecedebant, & cum his Albertus Potendorfius Magiter Cu-
riæ. Ipſam vero multi pedites ſolam ducebant. poſt plurimæ Matronæ Virgineſq;

non

non minus facie quàm vestimentorum ornatu demirandæ sequebantur. Nouissimus omnium equitatus Apostolicus incedebat. tubarum clangor multis in locis assiduus exaudiebatur. Vbi ad portam vrbis ventum est, Episcopus Spoletanus, Vicarius Pontificis, ac plurimi Coepiscopi & Abbates Infulati, venerabiles sanctorum reliquias in processionem ferentes occurrerunt: Cæsaremque sub aureo panno, quem siue vmbraculum vocitant siue baldachinum, introduxere vsque ad gradus Basilicæ Sancti Petri præcedentes. Ibi Nicolaus Pontifex sede sedens eburnea, Pontificalibus ornamentis indutus, Senatu Cardinalium circumstante, multisque aliis Prælatis ac Magnatibus Italiæ coronam facientibus, gratissimo vultu, verbisque Paternis, & supra modum benignis, Fridericum susceptit. qui pedibus eius, ob reuerentiam Saluatoris Christi beatique Petri memoriam, exosculatis, auri massam obtulit. Deinde pauca verba suo nomine Æneam Episcopum dicere iussit, ut in congressu duorum orbis Capitum conuenire videbantur. Tum quoque & Rex Ladislaus, & Albertus Austriæ Dux, atque ipsa demum Imperatrix, sacros Pontificis pedes, & alii quampluplures tum viri tum mulieres nobiles basiauerunt. Quibus peractis Imperatrix in domum sibi præparatam se recepit. Papa & Imperator inuicem colloquentes, omni turba sequenti, vsque ad fores Ecclesiæ simul processerunt. Papa deinde cum Cardinalibus pallatium ascendit. Imperator cum suis Comitibus ad aram beati Petri profectus, postquam parumper orauit, templique magnitudinem & ingentium columnarum molem demiratus est, in habitationem, quam sibi Pontifex in Palatio suo magnificentissimè præparauerat, per noctem, quæ prope aderat, quieturus abiit. Pontifex, qui sequingentis equitibus ex comitatu Cæsaris sumptus præstare pollicitus fuerat, mille & amplius pauit, vbertim singula ministrauit; pluribus, quos vel amore singulari coluit, vel Cæsari cariores putauit, seorsum prouidit. postera die, cum de Corona suscipienda sermo fieret, ut solemnitati dies diceretur, placuit Nicolao Pontifici, quoniam proximus instabat anniuersarius suæ coronationis dies, ut qui dies, Pontifici Sacer, idem quoque Cæsari solemnis in æuum esset, vnaque posthac commemoratio geminam referret lætitiam. neque id Fridericus recusauit: graue tamen ei videbatur, quoniam dies ad Coronationem superabant, domi se continere. Aiebant autem vulgo ferè omnes, Cæsarem, nisi coronatus esset, in eam vrbis partem, quæ maior est & vbi ædificia veterum nobiliora visuntur, ingredi, piaculum esse. quæ res nobis stultissima visa est; qui nonnullos Cæsares ad Lateranum primum venisse, deinde coronatos fuisse legimus. Nam Proauus Sigismundi Henricus septimus, in Ecclesia quæ Sancti Petri ad vincula dicitur coronam accepit: deinde in Ciuitatem Leoninam, & in Vaticanum, armatus venit; prælia cum his gerens, quos Robertus Rex Siciliæ contra se miserat. Contempsit erga Cæsar rumorem populi, profectusque cum paucis, vetustavrbis palatia resque notatu dignas inspexit. in eo tamen consuetudini detulit, quia pontem Sancti Angeli, quem potissime vetitum putant, declinauit. At dum cuncta rimantur vrbis miracula, non solum vetera quæ laudaret, sed noua quoq; quæ stupenda diceret, Romani Pontificis opera reperit. Namque vt priscorum Cæsarum moles totius vrbis structuras superat: sic ædificia Nicolai Papæ, quicquid vbique esset moderni laboris, excellunt, & quamuis Cæsar ipse optimus Architectus, à Nicolao tamen se superatum inuenit, in cuius operibus neque artis aut pretii quicquam desideres. Quibus visis, accedens Pontificem Cæsar, postquam de miraculis vrbis satis locutus fuit, in hunc modum de rebus Australibus verba fecit: *Non est mihi dubium, Maxime Pontifex, quin hostes mei ex Austria, quamplurima de me tibi tam falsa quàm turpia significauerint. Nam etsi nonnulli eorum nuntii ad te venientes per nostros in via detenti sunt, ex multis tamen aliquibus iter patuisse, non ambigo. ob quam rem necessarium arbitror, ut se res meæ cum Australibus habeant, tuæ Sanctitati quàm verissimè patefacere, ne falsa pro veris habeas. Accipe igitur breuiter à me rerum seriem, & an illi vera præfati sunt agnoscito. In Austriæ domo, de qua mihi & Ladislao Regi origo est, vetus consuetudo inoleuit, pupillos illustres eorumque thesauros, dominatus, & quæ prima mortales habent, in potestate senioris Principis eiusdem Domus, vsque in annos plenæ pubertatis esse. Obiit, anni sunt duodecim,*

Albertus

Albertus patruus meus Austriæ Dux, & in Imperio prædecessor; relicta vxore prægnante, de qua natus est posthumus Ladislaus. Australes vt acceperunt, Albertum in Hungaria diem clausisse (nam & illi etiam regno imperitabat) Gubernationem Austriæ ad me tanquam Seniorem Domus Principem remiserunt: animaduertentes, quia si masculus ex Alberto nascereturtutela mihi soli; sin fœmina, dominium & mihi & fratri meo Alberto pleno iure deberetur. & quamuis scirent eo tempore, testamentum quoddam Alberti præ manibus esse, tamen illud velut cassum habuere. Regina vero cum Ladislaum peperisset, eumque in Regem Hungariæ coronasset, neque rebellantibus Hungaris & alium Principem ex Polonia vocantibus resistere posset, timens pupillo, cuius vitæ maxima pars Hungarorum insidiabatur, in manus meas eum tradidit: quem vsque in hanc diem veluti filium enutrio. Austriam vero summa fide gubernaui, feuda concessi, magistratus ordinaui, munitas arces, hostes repuli, otium ingratis ciuibus peperi: militibus, qui sub Alberto meruerant, auri septuaginta millia in ipso administrationis meæ principio, ne Regionem popularentur, ex meo ærario tradidi: tantum enim sibi Albertum debuisse docebant. Quicquid ex me Australes voluerunt, nusquam negatum est: aut filiorum aut fratrum loco mihi fuere: sub me ditati & aucti sunt. at ingrati homines, mala natura, ingenio pessimo, perniciosis moribus, ab ipsis progenitoribus instituti, quamuis fidelitatem mihi tanquam tutori vsque in annos plenæ pubertatis iureiurando promisissent, tamen postquam me Romam petituram iter accepisse cognouerunt, sive immemores iuramenti sive religionis contemptores, apud quos boni & æqui nulla reuerentia, arma sumentes, quos ego initituera in absentia mea Rectores, vi repulsis, administrationem Austriæ sibi vendicauerunt, vectigalia exegerunt, ius dixerunt, &, quod antehac inauditum est, sententiam sanguinis absque imperio protulerunt, neque iuri neque honestati locum reliquerunt, perfidi homines, scelerati, periuri, qui dum Deum esse nullum credunt, nimirum dominorum non verentur fallere dextras. Sed aiunt, me, cum accepi gubernationem Austriæ, promisisse, iuxta consilium aliquorum, qui tum delecti fuere, patriam regere. non infitior: feci, quod promisi, dum illi magistratum tenuere. At cum suopte ingenio potestatem sibi traditam abnuissent, quod erat consequens, solus administraui. nihil tamen egi, quod difficile videretur, sine consilo Terrigenarum. Reprehendunt inpignorationes a me factas. at illas patriæ necessitas fieri compulit. at qui nunc potissimum murmurant, his plurima inscripsimus pignora. Credo molestè ferunt, quia non totum Ducatum eis dedimus diripiendum. Sed vsurparunt sibi dolo & fraudibus, quod more honesto consequi nequibant. nunc rapiunt, nunc spoliant, hiantique suæ libidini morem gerunt: qui cum sint ipsi fures ac prædones, tamen dicere audent, me pupilli thesauros asportasse. Verum cum nuper Vienne in præsentia legatorum Hungariæ locum aperuissent, vbi thesauri Alberti reconditi habebantur: cuncta, vt recluſa fuerant, salua & integra comperuerunt, mendaceſque seipsos & gratis maledicos ostenderunt. Quod autem Ladislaum Regem in Italiam occidendum adduxerim, non est quod expurgem. Intraui enim Italiam hiemis tempore, quando multo salubrior hic est aër, quàm in Germania. Quod si perimere innocentem puerum voluissem, non defuit annis iam vndecim facultas. Pronum erat Hungaris eum dimittere: apud quos vsurpatum est, non pueros tantum, sed viros quoque Reges occidi. Sed optaui ego huic puero semper vitam longiorem. quatuor tantum animæ ex Domo Austriæ sumus, latissimam terram possidemus, non est cur inuicem simus odiosi. futurum est, vt nos Principatibus antea desimus, quàm nobis dominia regnaque desint. Putaui autem ego, ex vsu esse, puerum Romam inuisere, mores Italiæ noscere, audire magnos viros, tuam sanctitatem, sacrumque Senatum tuum considerare, vt vir aliquando factus horum meminerit. Quod si vera omnia essent, quæ de me dicunt Australes, non tamen auctoritate propria eis insurgere licuit, meque sine causæ cognitione spoliare tutela, dum ad te vento coronam imperialem suscepturus, & alia negotia Christianæ Reipublicæ cum tua pietate plurima tractaturus. Ladislaus adhuc, sicuti vides, impubes est. quis eos iureiurando soluit? quis eis hanc facultatem contra dominum audendi concessit, nisi propria temeritas? Verum cum tua sanctitas, beatissime Pater, vna mecum spreta sit (nam dum te tuamque sedem sanctam vocatus peto, ita contingunt) æquum arbitror, auctoritatem tuam aduersus contemptores mecum assurgere, vt tu illos spirituali mucrone atteras, ego materiali gladio feriam. Ad hæc Roma-

Romanus Pontifex : *plurima*, inquit , *fili carißime , de te nobis dicta ſunt, tuis aduerſa moribus : quæ fidem apud nos nullam habuere. Nouimus enim animum tuum virtutis amantem, omne ſcelus horrere, ſtudereque maxime probitati. Scimus inſuper Auſtrales illos ſeditioſos , nouarum rerum cupidos , maligno animo , rapinis aſſuetos, non pupilli cauſa ſed auaritia, vt quamlicenter rapere poſſent, tuum tugum excußiſſe. neque nos fugit , offenſionem tuam eſſe noſtram. quis enim Imperio eſt iniurius, & Eccleſiam non offendit ? digna petis, dum cenſuras noſtras comitari tuos enſes cupis. Geremus tuæ voluntati morem, monebimus Auſtrales , intra dies quadraginta Ducatus adminiſtrationem vt tibi reſtituant, in ſtatumque priſtinum te reponant : niſi fecerint, excommunicationis eos gladio feriemus. Sed quid hæc, ſi tu ſilueris , neque ferro perfidam gentem compeſcueris ? neſcis tuæ gentis perfidiam. quo pacto noſtras iußiones timebunt , qui fidem iuratam fallunt ? nil timet cœlum perdere, qui cœlum eſſe non credit. Baptiſati Auſtrales , dum fuerunt infantes : viri facti & Chriſtum negant & aquam ſeſe dolent amiſiſſe. nos tamen vtemur officio noſtro. tu caue, ne, dum ſpiritualia quæris arma, materialia negligas , & Auſtrales videas in alio magis velle quàm in hoc ſeculo ſui ſceleris pœnas dare.*

Dum hæc inter Cæſarem & Papam conueniſſent , iterum Fridericus aliud non parui ponderis expetiuit. Dicens enim, terram Mediolanenſem, vbi Coronam Longobardici Regni ſuſcipi conſuetum eſt, peſtifera lue infectam, nulloſque mortales ſine periculo illuc proficiſci poſſe : Nicolaum rogauit, ex plenitudine poteſtatis vt ſe Romæ Longobardorum Regem coronaret : idque merito fieri, aduerſus Mediolanenſes, qui rebellantes Imperio tyrannum ſibi præfeciſſent , cui non fuiſſent veriti Ducatus inſignia concedere. Viſa grauis res eſt Pontifici : ſed cum Conſulti Cardinales, nihil Cæſari negandum, dicerent ; iniuitis ac multum reclamantibus Mediolanenſium Legatis , Idibus Martii apud Sancti Petri ſummum Altare Fridericum in Regem Longobardiæ ..... & quanquam Leonora per Oratores antea deſponſata ſibi fuiſſet, tamen & tunc denuo per manus ſummi Pontificis , intra Miſſarum ſolemnia, ei reiuncta fuit; matrimonium benedictum : vtriq; præceptum, ob reuerentiam Sacramenti carnalem copulam intra triduum ne iungerent.

Libet hic pauca de Coronis dicere, ne ſtultè videamur eorum opinioni conſentire, qui tres coronas Imperatori neceſſarias aiunt, Theutonicam, Mediolanenſem, Romanam; & vnam argenteam , alteram ferream, tertiam auream eſſe contendunt: multaque de metallis ſermocinantur. inter quos etiam legum interpretes delirant, quid ferrum, quid argentum, quid ſignificet aurum, plurimis verbis explicare laborantes. Atque vt aurum cœteris metallis , ſic Romanum Imperium cæteris Regnis præſtabilius eſſe confirmant. Verum cuiuſcunque materiæ corona fuerit , ad paraboliſandum idonea videri poterit. Nos autem coronarum numerum nullum eſſe certum nouimus, priſcosque Cæſares ab Auguſto vſque ad Aurelianum nulla vſos corona didicimus. Siquidem hic primus fuit, vt *Eutropio* placet, qui apud Romanos diadema capiti vinxerit, gemmiſque & aurata omni veſte, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus videbatur, vſus eſt. Scimus quoque, diadematis conſuetudinem priorem eſſe corona; & aliquid alterum ab altero differre. Verum poſteaquam Romani Pontificis Romæ ..... Cæſares coronari : neq; ad imperium alia corona quàm Romana eſt opus. At cum Regnum Alemaniæ ad Imperium pleno iure pertineat, placuit in Aquiſgrani, vbi eius regni ſedes eſt, Imperatorem veluti Regem Alamanorum coronam ſuſcipere, ne ſuum genti decus ablatum videretur. Idem quoque de Regno Longobardorum obſeruatum eſt, quod ſubactis Longobardis non in formam Prouinciæ redactum ſed ad Imperium ſub honore Regni receptum eſt. Simili modo de Regno Burgundorum obſeruauit antiquitas , quod Boſonem Romanis Imperatoribus legimus tradidiſſe, cuius corona in Arelato ſuſcipitur. Idem futurum putarem , ſi quod vlterius Regni dominium ad Imperatorem deuolueretur. Has autem coronas omnes aureas eſſe, compertum habeo. quamuis per medium circulum Coronæ Mediolanenſis lamina quædam paruula ex ferro ducatur ; quæ ſtultæ interpretationi efficit locum. Quippe Daniel Propheta quatuor orbis Regna maiora deſcribens,

Vltimum

Vltimum, quod noſtri Romanum eſſe volunt, ferro comparauit, quoniam ſicut ferrum omnia metalla comminuit, ſic omnia regna Romanum Imperium detriuit. Sed hodie proh dolor parua quæuis potentia ei grauis eſt, vt iam luteo pedi ſeu teſteo locus eſſe videatur. Atque tantum de coronis hoc loco ſit dictum. In hac autem coronatione Mediolanenſi, collatus eſt Rex Ladislaus inter Cardinales longè ab Apoſtolico throno: neque enim poſt eum niſi duo Cardinales ſederunt. quæ res multis indigna viſa eſt, in Rege vncto & coronato, Regni ampliſſimi Hungarorum Sed neque Imperator ipſe ante Romanam Coronam cunctis Cardinalibus prælatus eſt. ſedit enim ſupra Imperatorem primus Cardinalis qui tum fuit Vice Cancellarius Franciſcus Condulinario Venetus, Eugenii quarti nepos. Nam Friderico is locus, non vt Imperatori, ſed vt Regi Theutonicorum in Imperatorem electo datus eſt. Hic autem illud in mentem non ab re venit, quod plerique imperite putant, Romanorum Regem aliquem dici; quamuis id vſu receptum ſit. Non enim Rex Romanorum eſt in Aquiſgrani coronatus ſed Alemanorum ſiue Theutonicorum. Romani enim, poſt exactum vrbe Tarquinium, regium nomen adeo deteſtati ſunt, vt nullus Cæſarum, quamuis ſæua tyrannide populum oppreſſiſſet, ſe Regem appellare fuerit auſus. Nec Karolus magnus, qui primus Germanorum ſuſcepit Imperium Romanorum, Rex ſed Imperator Auguſtus vocatus eſt. Romana igitur ſedes minime in hoc errat, quod ante Coronationem neque Imperatorem appellat, neque locum ei velut Imperatori tribuit. In eo autem conſuetudini lapſa deſeruit, quod Romanorum Regem Aquiſgrani coronatum appellat quem Theutonicorum melius nominaret, in Imperatorem electum: ſicut ex præceſſoribus feciſſe nonnullos inuenimus. Sed nulla de his rebus tradi certa regula poteſt. Nulla in rebus humanis ſoliditas. Conſuetudini omnia ſeruiunt, quæ ſæpè ex malis initiis ortum habet.

Abſoluta Mediolanenſi coronatione, poſtridie ſolennitas Auguſtalis cœpta eſt. Cuius hic ordo fuit. Rebus omnibus apparatis, Romanus Pontifex ante ſummam beati Petri aram in ſublimi throno conſedit, Cardinalibus dextram ejus, Epiſcopis cæteriſque Prælatis ſiniſtram tenentibus. Extra Cancellum duo tribunalia fuere, Friderico alterum, Leonoræ alterum deputatum. ſeruatis hoſtiis, vnde introitus ad aram pateret. Et Leonora quidem, cum Dominabus, maturo tempore ſuum tribunal ingreſſa, omnium oculos in ſe conuertit. Virgo non minus naturæ bonis quàm arte venuſta. Fridericus per aliquos Cardinales ad Capellam ductus, quæ intra turres dicitur, ibi iuſiurandum beato Petro & Nicolao Pontifici ſuiſque Succeſſoribus in ea forma præſtitit, qua Ludouicum Magni Karoli filium iuraſſe, Pontificum decreta confirmant. ibi quoque & alba indutus, in Canonicum Sancti Petri receptus, fratribus qui aderant Canonicis oſculum dedit. nec mora inter Cardinales medius incedit. ad præcipuam Eccleſiæ portam cum veniſſet, ibi per Subdiaconum Sanctæ Mariæ nouæ Cardinalem, Eugenii quarti nepotem, ſolenni benedictione coopertus eſt. Deinde Capellam Sancti Gregorii ingreſſus, Sandalia tulit, tunicellam induit, & Auguſtale paludamentum accepit. Mox ei in medium Baſilicæ profecto per alium Cardinalem benedictio ſuperfuſa eſt. Tertiam quoque benedictionem apud Cancellum Sancti Petri ſuſcepit. Exinde ductus ad altare Sancti Mauricii, per Cardinalem Portuenſem tunc Vicecancellarium, de quo ſupra meminimus, in ſcapulis atque in dextro brachio pro veteri more oleo ſacro delinitus. hiſdemque locis inuncta eſt Coniunx eius Leonora, quibus peractis, ambo in ſua tribunalia tranſierunt. Pontifex autem rem diuinam inchoauit: interque celebrandum diuerſæ ſolemnitates à priſcis inuentæ patribus ſeruatæ ſunt. Sceptrum, quo Regia poteſtas indicatur; pomum, quod mundi dominium oſtendit; enſis, qui belli iura demonſtrat, per varias vices data. Poſtremo corona aurea infulata pretioſiſque cooperta gemmis Cæſareo capiti impoſita. Imperatrix quoque poſt Cæſarem coronam ex manibus Pontificis accepit, quam coniugis Sigiſmundi fuiſſe conſtabat. Cæſar autem, quamuis ornamenta ſibi pretio incredibili comparaſſet, in hanc tamen ſolemnitatem, pallium, enſem, ſceptrum; pomum, coronamque Karoli Magni, vt fama fuit, ex archiuis Norenbergenſium ad ſe deferri curauerat, hiſque vſus eſt. datur enim hoc vetuſtati

tuſtati, vt plus Maieſtatis habere videantur : pondere noua carent. Quod ſi tales Karoli Magni ornatus fuere, conſtat Principes Regeſque vetuſtiores non tam veſtis ornatum quàm nominis gloriam quæſiuiſſe, ac facere magis quàm veſtire ſplendide voluiſſe. Verum mihi ſingula exactius contemplanti, cum enſem inſpexi, non magni illius primique Karoli, ſed quarti viſus eſt, qui Sigiſmundi Genitor fuit. Nam Leo Bohemicus ſculptus in eo viſebatur: quo ille tanquam Rex Bohemiæ vtebatur. in plebe tamen rumor manſit, Magni Karoli ornamenta fuiſſe. Ingens enim tanti viri fortuna, etiam ſua vult eſſe, quæ ſunt aliorum Karolorum. Quemadmodum Thebanus Hercules aliorum ſui nominis virorum illuſtria facta ad ſeſe trahit. Et Iulii Cæſaris multa dicuntur, quæ poſt eum alii Cæſares patrauere. adeò multum eſt locum occupaſſe priorem. Quod ſi Karoli quarti, vt mihi perſuadeo, illa fuere; eſt quod amplius admiremur, tam breui tempore in tantum creuiſſe luxuriam, vt veſtimenta Karoli ruſticana putes, ſi ad Friderici noſtri ditiſſima & ornatiſſima compararis. vtinam vetuſtes tam virtute ſuperaremus, quàm illis vanitate præſtamus. Dum autem Cæſareo capiti Nicolaus coronam adiicit, mitra Pontificalis ex eius vertice pene collapſa eſt. quod ſiniſtrum omen Pontifici nonnulli ſuſpicati ſunt, atque illud inde portendi, quod poſtea ſub eodem anno Stephanus Porcarius moliri aggreſſus eſt, qui necem penè Pontifici ſtruxit. Sed diuina pietate ſeruatus Nicolaus in hanc vſque diem feliciter ſedet. ille comprehenſus cogitati facinoris pœnas dedit, in caſtro Creſcentii ſuſpendio vitam finiens. Vt autem coronationi diuiniſque rebus impoſitus modus, Leonra in ſuas ædes ſeceſſit. Papa & Imperator ad gradus Baſilicæ ſimul venerunt. ibi Pontifex Palafredum aſcendit, eique Cæſar dextratoris officium per aliquot paſſus exhibuit, equoque deinde conſcenſo vſque ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Coſmedin vnà profecti ſunt. Nunc Papa in Palatium rediit: Cæſar in pontem Adriani profectus eſt: vbi Albertum fratrem plureſque Duces & Comites ad militiæ prouexit honorem, terquemque gladio percutiens. trecenti eo die percuſſi milites referuntur. Alemani exiſtimant, in eo ponte, qui manu Cæſaris percuſſi ſunt, cæteros milites antecedere. Aiunt enim hos proximos; ſecundos qui apud Aquiſgrani creantur; tertio loco Hieroſolymitanos ponunt. reliquos milites minores habent. Verum id hodie ab vſu remotum eſt. vt quiſque natu melior, opibus ditior eſt, eo dignior habetur. Virtutis præmia pecuniæ recipiunt. Apud omnes peræque gentes primus honor diuitiis datur, pauper vbique iacet. Quod ſi recta ratio nos duceret, nemo militiæ cingulum ferret, qui præclarum aliquod in armis facinus non egiſſet, aut ſtrauiſſet prouocantem hoſtem, aut murum aſcendiſſet, aut vallum tranſiluiſſet, aut ciuem ſeruaſſet. Qui ſcirent ordinem in bello tenere, ſigna ſequi, imperium obſeruare, hoſtem ferire, præſidia agitare, humi dormire, eodem tempore inopiam & laborem tolerare, æſtatem & hiemem iuxta pati, nihil metuere niſi famam turpem: hos milites aſſumere deceret. Sed nos hodie delicatos & in plumis nutritos, qui nudatum enſem nunquam vidêre, quin & infantes in cunis iacentes, militaribus decoramus honoribus. Quid? quod homines docti atque inter litteras educati, qui ſe debili corpore & animo pauido ſciunt, ſumere inſignia militiæ non verentur. Quod ſi milites exercitati bellis mei animi eſſent, peterent & ipſi Doctoratus honorem. Quippe non minus iſti leges, quàm illi arma nouerunt. Sed neque Doctoratus ipſe ſincerus eſt. indoctos quamplures doctores nouimus; multoſque Cæſar in Italia promouit, quibus aurum pro ſcientia fuit. Non tamen infitior, aliquos eſſe, qui & litteris & armis apti ſunt, quales olim fuiſſe Romanorum Græcorumque plurimos tradunt. Cæſar igitur ſui temporis errorem ſecutus, quamuis nonnullos viros fortes ac bello exercitatos, plurimos tamen ineptos armis, milites percuſſit. Deinde cum iam ſol occideret, ad noctem enim pertracta ſolennitas eſt, ad Lateranum ſe contulit. vbi in Canonicum Baſilicæ Sancti Iohannis receptus, quæ prima orbis Eccleſia dicitur, ſplendidum ibi conuiuium habuit; in quo & nos ad menſam Cæſaris ſedimus, cum Nicolao Placentino Epiſcopo, cuius ſupra meminimus : cœna in medium noctis tracta eſt. Demum ad Palatium Apoſtolicum multa nocte reditum, in quo fuiſſe hoſpitium

ſpitium Cæſaris antea demonſtrauimus. Cæſar, qui ieiunus totam diem, grauiſſimam gemmis & auro coronam geſtauerat, indutuſque trabea, trecentos milites gladio percuſſerat, libenter quieuit. Ideo vero Romanus Pontifex in Palatio ſuo Cæſarem eſſe voluerat, vt cum ſæpius alloqui poſſet. nonnulli, quorum animus ſemper in peiora flectitur, id factum aiebant, ne facultas Romanis eſſet, intempeſta nocte Cæſarem accedere, atque eum in vendicationem vrbis incendere. nobis id minime exploratum eſt: quamuis Pontificem non caruiſſe timore, certum habeamus. Illud autem ſcimus, ſæpè Nicolaum ad Cæſarem in cubiculum veniſſe, cum iam plurimum noctis præteriiſſet. Sæpè quoque Cæſarem ad eum iuiſſe, atque remotis arbitris eos inter ſeſe plurima locutos fuiſſe: Sæpè cum paucis remanſiſſe, quotiens de rebus grauioribus fuit agendum. Cæſar apud ſe Æneam Epiſcopum Senenſem, Iohannem Vngenadium, duos Vlricos Sunnenberger & Rirer, ex omnibus electos habuit. Papa vel ſolus manſit, vel Petrum de Noſeto ad ſe accerſiuit.

Nequeo hic præterire, quæ ſemel de Somniis inter illa duo luminaria maxima dicta ſunt. Namque licet ſomnia plerique ſpernenda iudicent, inaneſque Danielis interpretationes ac Macrobii regulas dictitent, nonnunquam tamen ad verum per ſomnia peruenimus. ideo non ſine cauſa duas ſomnii portas veteres confinxerunt, alteram eburneam, alteram corneam, quia trans cornu poſſumus, trans ebur emittere intuitum non poſſumus. Quippe Cæſar in hunc modum de ſomnio ſuo locutus eſt: Dixi tibi, Sanctiſſime Pater, cum primum ad te veni, velle me, poſtquam coronatus eſſem, ſomnium quoddam meum tuæ pietati referre. id huiuſmodi eſt. Cum ex Vienna à me vltimo receſſiſti, vidi per quietem ſequenti nocte me Romam veniſſe, tuiſque manibus meo capiti coronam imponi. mirabar, neque ſine moleſtia eram, qui non Romani Pontificis ſed Epiſcopi Bononienſis miniſterio coronarer. expertectus quoque nonnihil timebam, ne mea coronatio ridiculi aliquid præ ſe ferret. At cum poſtea Te Petri Cathedram ſortitum accepi, coronationem tuis manibus faciendam minime dubitaui. Diſcrimina quæ referebantur vel belli vel peſtilentiæ, pro nihilo duxi: neque iam ſomnium, ſed certam viſionem vidiſſe me, credidi. id nunc re comprobatum eſt. Ad quem Pontifex, ſæpè, inquit, monſtrari futura ſomnio, non eſt obſcurum. Herculem multa per quietem vidiſſe, tradunt veteres. Agamemnon dum obſidet Ilium, ſæpè inter ſomniandum commonitus eſt, acies quo pacto victurus inſtrueret. Octauius bello Farſalico non euaſiſſet, niſi Pædagogi ſomnio fidem habuiſſet. ſuperfluo tamen aliena commemoramus, quibus propria ſuppetunt. Mihi quidem nocte, quæ mortem Eugenii anteceſſit, in hunc locum veniſſe videbar; cuius anguſtior, quam modo eſt, forma fuit: quod tibi Ænea probè conſtat, qui ad Eugenium hoc loco frequenter veniſti. hic poſtquam me Pontifex vidit, exuens ſubito pallium & veſtem, his me induit. tum mitram longam, ut eſt noſtris militibus ferendi modus, ſuo capiti demens, meo impoſuit; acceptaque dextra manu mea in hac me ſella locauit, dicens: ſede hic, ego ad ſanctum Petrum migrabo. Sequenti die Pontifex ipſe diem obiit, atque in Eccleſiam Sancti Petri delatus, poſt exequias ſolemnes a pud Eugenium tertium ſepultus eſt. quæ res mihi ſpem certiſſimam præbuit, quod poſtea ſecutum eſt, Romana me Cathedra potiturum. Hæc nos, qui affuimus, audientes, plurimum demirati, de ſomniorum natura non pauca diſputauimus.

Poſthæc Cæſar Alfonſi Regis Aragonum multis precibus oneratus, vt Neapolim ſeſe cum Imperatrice conferret, ſtatuit tanto Regi morem gerere. quamuis id plurimi reprehenderint; qui Regem ad Imperatorem venire, ſi quid vellet, decentius exiſtimabant. At Cæſar irritas has voces habens, Auunculum ſuæ Coniugis contriſtari noluit, maximum & clariſſimum Regem, noſtri ſeculi decus: cuius egregia facinora totus orbis decantat; quem victum fortuna vincere non potuit, ſed contra ipſa victa eſt, coactaque Regi bene merenti, cui ſæpe nocuerat, demum familiari eius benefacere. Neque latebat Cæſarem, ſæpè Sigiſmundum Anteceſſorem ſuum, aliorum

aliorum Regum hoſpitia viſitaſſe: qui nunc Gallorum, nunc Hiſpanorum Reges adiuit. In Angliam quoque & in Poloniam minores Reges acceſſerat, neque propterea ſua dignitas minuta videbatur. Neque ambiguum eſt, priſcos Cæſares ſæpè minorum Principum lares ingreſſos. Apud Euandrum requieuit Hercules. Pompeius Conſul non dubitauit Poſſidonium Philoſophum Rhodi febricitantem adire & conſolari ægrotum. Quibus exemplis inſtructus Fridericus ad Regem amicum profectus eſt, & paulo poſt eum Leonora. Fernandus Regis filius plurimique cum eo Proceres apud Terracinam Cæſari occurrerunt: apud Sueſſam multi Nobiles, apud Capuam Rex ipſe Alfonſus ſplendida Prælatorum, Ducum & Procerum comitante caterua, Imperatorem excepit. datis dextris amplexibuſque pro more celebratis, alter alterum mirabatur. Alfonſus Cæſarem alto ſanguine natum, florida iuuenta, egregia forma, prolixa coma, erecta ceruice, graui facie, robuſto corpore, primum orbis Dominum, lætus intuebatur. Alfonſum ipſum, quamuis ætate prouectiori, bona tamen valetudine, fortem & iucundum, qui Januenſes, à quibus olim captus fuerat, ſibi tributarios feciſſet, qui Venetos primum hoſtes, deinde amicos habuiſſet, qui Florentinis ingentes intuliſſet clades, qui Barbaros ex Affrica Reges ſibi vectigal pendere coëgiſſet, qui Regem Renatum ex Neapoli depuliſſet, qui Franciſcum Sfortiam, Iacobum Caldoriam cunctoſq; Tyrannos ex Apulia propulſaſſet, Friderico neq; laudare neq; conſiderare ſatis erat. Circumſtantes & admiratio ſimul, & gaudiũ ingens opplcuit, ex voluptate Regum, ex ſolemnibus quæ fiebant, ex verbis quæ dicebantur, beniuolentia plenis & ſale. Nam qua magnificentia quibuſq; feſtiuitatibus & ludis Imperator Neapolim introierit, conſultius arbitror reticere, quàm pro magnitudine parum dicere. Imperatrix eo quo Cæſar honore ſuſcepta eſt. Alfonſus, qui antea neptim ſuam nunquam vidiſſet, tunc eam miro deſiderio nuptam, & in alto locatam, complexus eſt, neque præ gaudio tenere lacrimas potuit. Apud Neapolim, quocunque vel Cæſar tranſitum vel coniunx eius habuit, ſtrata omnia floribus & odoriferis herbis fuere: publicæ domus ac priuatæ, & foris & intus, ornatæ pannis, inſtructæ choris, pretioſa ſupellectili fultæ, pueri ſaltantes innuptæque puellæ, cantus vbique audiri virorum, clangorque tubarum imitari: nunc iſti, nunc illi, epulæ cibique optimi in communi parari. Vini tum Latini tum Græci fontes deriuari; maria piſcibus, ſiluas feris nudari. Zucari cæterarumque ſpecierum confectarum tantam vim eſſe, vt in modum grandinis cœlo fuſæ plateas obtegeret. Iuſſi miniſtri Regis omnia dare quæ peterentur, non petita vltro ferre. Manſit illic Cæſar & ſanctam hebdomadam & octavam Paſchæ, vt & mœſti temporis & læti mores inſpicere poſſet. In paſſione Saluatoris Chriſti, quæ recitari quotannis ſolet, mirabiles perſonatus acti, adeoq; pulchre & ingenioſe ſunt expreſſi, vt res fieri verè putarentur. Quicquid ad paſſionem Dominicam reſurrectionemque poteſt æmulari, per idem repræſentatum eſt. Oſtendit quoque Alfonſus Theſaurum ſuum: quicquid pretioſum habuit, in aperto fuit: omnemque Regni & potentiæ ſuæ gloriam manifeſtauit. Nunc Cæſarem, nunc Imperatricem accedere; recte ne cuncta haberent inſpicere, corrigere negligentiam, hilari vultu adeſſe, nunc feria nunc iocos agere, ludos militares indicere, venationes inſtruere, voluptatis omne genus præbere. ad hæc ſolemnia flos nobilitatis ex Sicilia, Apulia, Calabria, Aragonia, Cathalonia, cunctiſque regnis Alfonſi, partim vocata, partim ſuopte ingenio venerat, tantorum Regum inſpectura conuentum: ſumptuque regio omnes aduenæ paſcebantur: neque rerum copia minui poterat, homines atque equos ſaties abigebat.

Poſt ſacros dies, & Dominorum concilia facta & ſaltationes habitæ inter Dominas. Prima fuit Imperatrix, ſecunda filia Principis Tarenti, coniunx Ferdinandi Ducis Calabriæ, filii Regis. Et quamuis aliæ quamplures adeſſent illuſtriſſimæ tum Virgines tum Matronæ, tertius tamen locus Lucretiæ datus. Ea ſeu virgo ſeu mulier (nam de hoc varius in populo rumor fuit) forma decenti, facundia præſtabili, mundiſſimis moribus, neque alto neque obſcuro loco, ſed inter Neapolitanos honeſtis nata parentibus, Regem, vt ſe amaret, miro modo pellexerat, atque ab eo in Palatium recepta, multis donata bonis, & ſe & ſuos adeo ditauerat, vt pares Principibus

viderentur: fratrem ad metropoliticam & suæ Ciuitatis dignitatem euexerat; Patri & reliquis fratribus latissimas possessiones acquisierat; Sorores cum magna dote inter primos curiæ Proceres nuptui dederat. Fuerunt, qui Regi cum ea consuetudinem stupri esse dicerent. nonnulli adhuc eam Virginem intactam asseuerauerunt, Regemque tantum verbis secum agere, oblectarique visu; eamque aliquando dixisse non se sui nominis oblitam, nihil turpitudinis habere cum Rege, neque Regem id peteres; quod si peteret, non vt altera Lucretia Collatini coniunx admisso scelere, sed castam se potius occideret. de his alii alia loquuntur. Illud certum est, sæpe Regem esse cum ea solum: illam, quæcunque petit, obtinere; Regi dilectissimam esse: familiam, curiamque propemodum reginalem tenere; gratiam Regis, quibus velit impetrare. id multi non probant in Rege, maxime coniugato, ætate graui, cui de morte quàm de voluptate cogitandum instat. quidam mitiori mente, magno Regi ignoscendum aiunt, si post duros superioris ætatis labores senectutem mollius agit, si sibi consulit, si fessam animam ac pene fugientem dulci sermone leniendam tenendamque voluptate aliqua nititur. Nam senes homines, vt cibi leuiores, sic mores mansuetiores in vita conseruant. Plerique autem arbitrantur, si coniunx Alfonsi moreretur, hanc Reginam futuram, ac propterea seruari intactam. quod si ita est, laudari in eo Rex potest, qui Sacramenta Ecclesiæ ludibrio non habet, neque ab lege diuina recedere præsumit, vt aliquos partim vidimus partim legimus agitasse: qui se supra leges existimantes, aut fortasse falsa putantes, quæ de pœnis sceleratorum apud inferos referuntur, vxores vel accepere vel dimisere, quas sacri canones prohibebant. Ladislai Siciliæ Regis recens memoria est. qui repudiata legitima coniuge, alteram superduxit. Idem Lotharius Rex egit: Idem Rex Bohemiæ Ottocarus. Ludouici Bauari Cæsaris Filius Comitissam Tirolis, quæ à viro suo Iohanne Regis Bohemiæ filio sine lege diuerterat, vxorem duxit. quos pro suis iniquitatibus etiam in hoc seculo pœnas dedisse, manifestum est. Nec plura de Lucretia. cuius amores potenti Regi, quamuis Seni, tolerandos an damnandos existimare par sit, aliorum iudicio relinquamus.

Fridericus autem, licet vndiq; voluptates affluerent, non tamen Reipublicæ negotia extra mentem habuit; sed vbi tempus idoneum vidit, de Statu Italiæ verba fecit; nobilem prouinciam, Imperii caput, ortum orbis terrarum, indignum esse vastari bello, dicere: Regi, qui Regnum in ea terra obtineret, pacem carissimam esse debere: contra Florentinos Franciscumque Vicecomitem odia ponere, pacis æquas conditiones acciperet. Eius rei curam vel Papæ vel sibi crederet, impium esse infinitas animas belli periculis obiectare. Alfonsus ad ea: pacem se cupere, ait, sed eam cum Florentinis habere difficillimum esse, qui verba non facta darent. Franciscum sine fide, leuem hominem esse, Tyrannum volubilem; sæpè se deceptum promissionibus eius. nunc classem mari paratam esse, iam terrestres exercitus instructos, ordinem rebus positum, stipendia data, experiundum iam fore, cui fortuna prælii faueat. At cum Cæsar iterum & iterum instaret, victus Alfonsus importunitate precum, missurum se Ferrariam Legatos, inquit, qui de pace ad imperium Cæsaris agerent.

Exinde festinabat Imperator abire; Leonoram autem sponsam suam nondum cognouerat; quod id operis in Alemaniam referre volebat; siue ne sanguis Italicus sibi nasceretur, siue aliud religionis in mente gerens. Virgo mœsta videbatur, quæ se circumduci, velut parum placentem, existimabat. Quod cum Alfonsus animaduertisset, adiens Cæsarem, in ea vrbe atque in his ædibus, vbi tunc fuere, contractum fuisse matrimonium indicit, ibique merito consummandum: à Deo datum esse, in eundem locum vt ambo venissent. orat ergo, vt virgini misceatur. Quod cum Fridericus negaret, Ergo, inquit Alfonsus, neptem meam in Alemaniam duces, atque illinc cognitam, si minus placuerit, ad nos remittes; aut ea fortasse neglecta cum alia contrahes? quin potius eam hic cognosces, vt, si placeat, adducas rem gratam tecum; si minus, apud nos onus dimittas. Quibus verbis, etsi erat Cæsar paulo debilior, commotus est, atque operam matrimonio dare statuit. Iussit igitur theutonico more stratum apparari, iacentique sibi Leonoram in vlnas complexusque dari, ac præsente Rege cunctisque Proceribus astantibus superduci culcitram. neque aliud actum est, nisi

datum

datum ósculum. Erant autem ambo vestiti, moxque inde surrexerunt. Sicque consuetudo theutonicorum se habet, cum Principes primo iunguntur. Mulieres Hispanæ, quæ aderant, arbitratæ rem serio geri, cum superduci culcitram viderunt, exclamantes, indignum fieri facinus, Regem, qui talia permitteret, increpabant. Ille autem non sine risu & iucunditate peregrinos spectabat mores. Nocte, quæ instabat, futurus erat concubitus ex nudis. dum ergo saltationibus vniuersa curia intenta est, fœminæ Portugalenses, quibus cubiculi secretioris commissa cura erat, fumigationes super stratum faciunt, in quo iacendum est; carmina dicunt, & accersito Sacerdote lectum benedicunt, irrorantque sanctis aquis; vt est superstitio mulierum, quæ sic fœlix connubium, & amorem vtrinque perpetuum arbitrantur futurum. Quod vbi Cæsar accepit, veritus, ne quid veneficii interueniret, alium sibi substerni lectum iussit, vocarique ad se coniugem. timebat enim nutricem Imperatricis, quam rerum huiusmodi peritam aiunt, quibus fascinari mentes hominum solent, similemque illi putant, de qua nobis *Poeta* scribit, *hæc se carminibus promittit soluere mentes quas velit, ast aliis duras immittere curas, sistere aquam fluviis & vertere sidera retro, nocturnosque ciet manes, & mugire videbis sub pedibus terram & descendere montibus ornos.* Quibus rebus etsi plerique fidem habendam negent, *Flaccus* tamen cum diu pugnasset, artibus nihil ineste ponderis, mutatus tandem, *iamiam*, inquit, *efficaci do manus scientiæ supplex.* Et sunt, qui Circem non fabulose vertisse in feras hominum vultus affirment. Nos illud inprimis trahit, quod de Phitonissa sacri libri commemorant: quam Samuelis animam de inferni abditis euocasse tradunt, vt viuorum conspectibus redderetur. Si tamen animam Prophetæ fuisse credimus, & non fantasticam potius illusionem Sathanæ. vtcunque sit, consultissimum censeo, cum facultas est, magicarum artium euitare fallacias; consiliumque Cæsaris in ea re non vanum dico fuisse. Verum Imperatrix bis terque vocata in suo lecto manere, morem seruandum, dicere: viros in stratum vxoris ire solitos, non contra fieri solere. Cæsar veluti victus ad eam pergit, rogatque secum in alium thalamum proficiscatur. recusantem manu prendit, vincitq; facile nolentem vincere. atque eo pacto vitatis incantationibus in alio lecto matrimonium consummatum est.

Sequenti die Cæsar naues ascendit, Romam petiturus. Imperatrix octo diebus apud Auunculum postea mansit, deinde Manfredoniam profecta est, atque illo ex loco per mare Venetias nauigauit. Cum autem Cæsar Neapolim peteret, noluit secum ducere Ladislaum Regem: cum propter laborem itineris & immitius cœlum Campaniæ; tum quia Rex Aragonum, etiam Vngariæ sese Regem appellat, videtur Ladislai competitor. Ad quem si Ladislaus venisset, vel Hungari sinistrè tulissent, vel Australes; neque murmura defuissent. Reliquit ergo eum Romæ apud Nicolaum Pontificem, sub custodia suorum: & cum eo remansit Æneas Episcopus Senensis, qui nonnihil ægrotans sequi Cæsarem non valuerat. Dum ergo Cæsar apud Neapolim lætitiæ operam præbet, Ladislaus Rex de fuga temptatus aures adhibet. quæritque tempus, quo custodes fallat. Id cuipiam Sacerdoti relatum est, qui Dominico Cardinali Firmano iusto & graui Patri, summo pœnitentiario, vltro rem aperit. is ea nocte, qua facinus patrari debuit, Pontificem adiit, atque de fuga Regis eum edocet. Pontifex Æneam ad se nocte intempesta vocat, scelus, quod paratur, enarrat, monet, operam det, ne quid detrimenti ex facto Cæsar patiatur: rectene cum Rege agatur, inspiciat; fidi ne sint custodes, interrogat; ægre se passurum, ait, Imperatori id dedecoris, idque damni afferri. Æneas nil moratus Regiam domum adiit, vocatisque custodibus periculum exponit, fidem quam Cæsari debent requirit: illi stupentes, facinus detestantur, noctem insomnem ducunt, circuuntque vndique, timant domum, eoque modo saluata res est. Nam traditores vbi detectum scelus cognouerunt, ab incepto destitere. Eam ob causam cum nonnulli ex Cardinalibus sub specie Venationis educere Regem vellent, sibiq; voluptates prębere, mandato Pontificis sunt prohibiti, cui etiam Cardinalium fides in tali negotio suspecta fuit.

Igitur Cæsar Romam rediens, salua omnia reperit. quatuor ei Cardinales iussu Pontificis ad ædem Sancti Pauli occurrerunt. Quia vero dies Sabbathi fuit, Cæsarq; stolam

ſtolam candidam detulit, quam Rex Aragonum dare ſolet, obloquendi murmurandique præbita eſt occaſio quampluribus, quod Cæſarem dare quibus velit inſignia nobilitatis non accipere ab aliis dignum, aſſerebant. Quæ voces ab his emittebantur, quibus Alfonſi nomen inuidioſum fuit, indigna tamen calumnia; neque enim ſtola Nobilitatis, ſed religionis eſt ſignum, quod in honorem cœleſtis Reginæ defertur: neque nouum eſt, Reges amicitiæ cauſa inter ſe ſigna dare atque accipere, ſiue maiores ſiue minores fuerint. Nam & Sigiſmundum Henrici Regis Angliæ inſigne geſtare ſolitum nouimus, vt amicitiæ ſolidæ ſtabiliſque beniuolentiæ pignus. Triduo Cæſar ex Neapoli reuerſus Romæ manſit. Pridie autem, quam recederet, ingentes grates Pontifici Maximo, ſacroque Cardinalium Collegio, reddidit, quod ſibi benigni magnificique fuiſſent. Æneæ deinde commiſit, in publico conſiſtorio vt ſtatum Chriſtianorum, qui per Syriam, Ægyptum, Aſiam, Græciamque ſub Soldani magnique Turci imperio opprimuntur, exponeret; utque Hungari proximis annis horrendas clades pepeſſi eſſent. Timendum eſſe Conſtantinopoli, cæteriſque Ciuitatibus Græciæ Chriſtianam fidem habentibus, ſuccurrendum oppreſſis, diceret, Paſſagium ſuaderet, opes atque vires Imperii in ipſium negotium offerret. Quibus de rebus adeò efficaciter Æneas verba fecit, vt pluribus circumſtantibus lacrimas extorſerit. Cuius orationis, quoniam futuri præſcia fuiſſe videtur, inſerere hoc loco tenorem, non alienum putaui.

Moiſes Vir Dei, Beatiſſime Maxime Pontifex, cum ſibi Succeſſorem ordinaret Ioſue filium Nun, diuinam vocem ad ſe dicentem audiuit: pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet dominum; ad verbum eius egredietur & ingredietur, ipſe & omnes filii Iſrael cum eo, & cœtera multitudo. *Quibus verbis non populi ſolum ſed Reges & Principes admonentur, magnis in rebus, etiam bellicis, ſummi Sacerdotis, & conſilium quærere & imperium ſequi. quod poſtmodum in nouo Teſtamento & in tempore gratiæ, multis exemplis & auctoritatibus eſt firmatum. Sicut & Conſtantini Magni & Theodoſii, Iuſtiniani geſta teſtantur. Eam ob cauſam cupidus atque auidiſſimus diuus Cæſar Fridericus Romanorum Imperator Auguſtus, filius tuus obſequentiſſimus, ſuis diebus aduerſus impios Mahumeti cultores generale paſſagium fieri, atque in illud ſuum ſtudium, ſuas curas, ſuaſque vires omnes conuertere; Te prius, magni Dei Vicarium, Chriſtianæ plebis ſacratum caput, perfectum ducem, optimum rectorem, veracem magiſtrum, & conſulendum & ſequendum exiſtimauit; cuius prouidentia noſcere, auctoritas monere, poteſtas implere poſſit, quod ſit agendum. Venit igitur ad te hodie, tuumque grauem & ornatiſſimum ſenatum, Cæſar ſuper vniuerſali paſſagio cum tua beatitudine tractaturus. Coronam tam triplici corona, eiuſque regni beneficentia Rex confirmatus, cuius potentiam Daniel ferro comparauit, cuius limites ſolus claudit Oceanus, cuius fundator Octauianus, confirmator Dominus Hieſus fuit, quod Romana ſemper Eccleſia magni fecit, extulit, honorauit, cuius auctoritas in terris niſi tuæ cedit nulli: cuius officium eſt patrocinari Eccleſiæ, tueri religionem, parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Huius, inquam, Regni ſolium adeptus Cæſar, quid aliud cogitet quam Paſſagium, per quod & Chriſtiani fortiores & hoſtes fidei reddantur imbecilliores? Principes, inquit Sapiens, quæ ſunt digna Principe cogitabunt. Reges apud Medos, ut Herodotus; apud omnes, vt Cicero ſenſit, Iuſtitiæ fruendæ cauſa ſunt creati, iniuriarum propulſatores; qui ſi Platoni magno voluerint auſcultare, cæteroſq; Philoſophis recta monentibus obedire, procurationem Rei Publicæ non ad ſuam, ſed ad eorum qui ſibi commiſſi ſunt vtilitatem conuertere conabuntur. Atque hoc eſt, quod de Paſſagio Cæſarem & ſollicitum & anxium facit. Super qua re dicturus, quæ ſua mihi Maieſtas imperat, oratiunculam meam tres in partes ego diuidam. In prima dicam, quid ſit Paſſagium quod petitur. In ſecunda, cur petatur. In tertia, facilene Paſſagium fructuoſumque ſit futurum. Quibus in rebus ſi longior fuero, cum rerum magnitudine verba comparentur. ſic fortaſſe breuior apparebo; Imo ero reuera breuis. Nam docti dicere multa poſſunt: ſola breuitas, vt Ennodius ait, commendat indoctos. Sed iam primum abſolua-mus. Paſſagii vocabulo nihil aliud deſignamus, quàm militarem expeditionem numeroſiſſimam aduerſus infideles, per Romanum Pontificem indictam: quam qui ſequuntur, cruce ſignati plenariam peccatorum remiſſionem & merentur & aſſequuntur. Appellatur-

que

què Passagium sermone Italico, quasi transitus. nam sicut Aves quædam certis anni temporibus de regione in regiones transeunt, dicunturque passagium facere: Sic & Christiani nonnunquam armis sumptis trans mare incedentes, atq. in hostes fidei ex Apostolicæ sedis iussione, prosilientes, & visi & dicti sunt passagium habuisse. Nunquam tamen verum Passagium dici potest, nisi multorum fuerit populorum, qui migrare magis nouas sedes quæsituri, quàm bellaturi videantur. qualis Gallorum, Cimbrorum, Hunnorum in Italiam inundatio fuit. Intellugunt tam omnes, nisi fallor, quid sit Passagium quod petitur. Nunc petitionis causas exponamus. quas tres esse comperio: commiserationem, vtilitatem & honestatem. vnde vero commiseratio prodeat, paucis aduerte docebo. Quis infirmatur, inquit Apostolus, & ego non infirmor? pulcrè, rectè, religiosè, sanctè dictum. Nam cuius pectus adeo durum est, vt dolentibus non condoleat, gementibus non congemat, tristantibus non contristetur? Cæsar quidem, postquam discretionis attigit annos, cœpitque noscere fidei nostræ sacramenta, mox religionis induit Zelum, rebus omnibus diuini cultus præposuit augmentum. sic enim & suæ naturæ bonitas, & sanguinis nobilitas exposcebat. Nam sublimis Domus Austriæ Principes, inter quos plures & Reges & Imperatores claruerunt, tunc sibi prospere succedere speraverunt, cum diuino numini bene & constanter famulati fuissent. Quorum vestigia sectatus Fridericus, defunctis Parentibus, vt primum tutelam exuit, adolescens admodum trans mare nauigauit, contemnensque pelagus & tempestatum minas, digitis à morte remotus quattuor aut septem, cupidus osculari locum, vbi fuerunt pedes eius, qui nos redemit, medio terræ salutem operatus, Hierosolymam perrexit, sepulchrum Domini visitauit, Caluariæ locum inspexit, montem ascendit Oliueti, vidit cœnaculum grande stratum, & Pilati prætorium, intrauit desertum, transiuit Iordanem, Bethleem accessit, & vallem Iosaphat penetrauit. mirabilem sibi ac incredibilem deuotionem, sanctorum locorum visio suggerebat. At cum spurcidos illic Sarracenos, immundos, horridos, sceleratos dominari, veniebat in mentem; tactus dolore cordis intrinsecus, nil aliud dicere potuit, quàm Propheticum illud: O Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. & iterum sicut alius Propheta clamat: Quomodo sedet sola, Ciuitas plena populo? facta est vidua Domina gentium, Princeps Prouinciarum est sub tributo. Proh quantum vrgebat angebatque Fridericum illius sanctæ Ciuitatis indigna seruitus, & illorum, qui trans mare sunt, Christianorum oppressio? sed quid Græcia? litterarum mater, inuentrix legum, cultrix morum, atque omnium bonarum & optimarum artium magistra. Quem non misereat illius gentis afflictæ, conculcatæ, pessundatæ? Cuius imperium non solum sub Alexandro Macedone suisque successoribus, sed sub Atheniensibus, Spartanis, olim florentissimum & potentissimum fuit, nunc vilibus effœminatisque Turcis cogitur obedire. Quid Regnum illud Hungariæ nobilissimum, terra antiqua potens armis atque vbere glebæ? Heu! quanta passi sunt Hungari diebus nostris, qui dum nostrum seruant sanguinem, fundunt suum, quorum pectora nostri sunt muri? Obligamur certè omnes Christiani Magnatibus & populis Ungariæ, qui pro nobis mortificantur tota die, & facti sunt sicut oues occisionis. Ecce tibi præsentem illorum Regem puellum, pupillum, orphanum, Ladislaum; clarissimam & Regum & Imperatorum Sobolem; qui dum suo regno suisq; opem orat afferri, toti Christianismo consulit. vtinam tam tuam sanctitatem quàm Cæsaris Maiestatem suæ lacrymæ moueant! Nam illi genti postulat auxilium, quæ suis armis nobis omnibus affert præsidium. Accidit & aliarum calamitas Prouinciarum. Massagetæ, & alii Scytharum quamplures populi, nunc Liuoniam, nunc Lituaniam vexant. Mauri non paruum Hispaniarum occupant Regnum, Ionij, Carpathii, Ægyptii, nostriq; maris Insulas. Cyprum, Rhodum, Cretam, Siciliam. Quin & ipsa Italiæ littora Barbarorum sæpè classes inuadunt, asportantque Christianos. O nostram maximam negligentiam! ô tempora! ô mores! proh pudor! maior est Sarracenorum in sua perfidia, quàm noster in fide Zelus. Dum gentiles fuerunt Cæsares, Idolorum cultores, augebatur in dies credentium numerus: nunc, dum Christiani sunt Imperatores, Reges, Duces, Christi cultus, qui totum ferè orbem oppleuerat, in angulum Europæ redactus est. Affricam & Asiam amisimus, Europæ vix partem tenemus. Mouetur super his Cæsar, compatitur afflictis fratribus, commiseretur iniuriam patientium,

cupit

cupit laborantibus subuenire. Nam qui non defendit indigna ferentes, neque obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in vitio, sicut Philosophis placet, quàm si parentes aut amicos aut patriam deserat. Quod ne sibi, neue tibi, quisquam imputet, passagium petitur. Sed accipe nunc Vtilitatem, quam parere passagium poterit. Subueniemus laborantibus Hungaris, auferemus inde iugum seruitutis ex collo Græcorum; recuperabimus sanctam terram; exterminabimus idolum, monstrum illud pessimum, horrendum, ingens Mahumeti; & Christianæ religionis fines super & Garamantes & Indos proferemus. Iacet extra sidera tellus, extra anni solisque vias, vbi cælifer Atlas axem humero premit stellis ardentibus aptum. En magnam vtilitatem! nam sic agentes, aut agere temptantes, incorruptibilem cælestis Regni coronam adipiscemur; quam reddet nobis in illam diem iustus iudex. Sed quid de honestate gloriaque dicemus, quam vel tuæ beatitudini vel Cæsaris altitudini accumulaturum cernimus esse passagium? bellorum æquitatem maiores nostri sanctissime feciali iure præscripserant, denunciata indictaque bella iusta esse censebant. In quibus qui viriliter pugnauissent, non vincentes modo sed occumbentes quoque dignos honore gloriososque iudicabant, atque his statuas dicabant & triumphales arcus. Quid nos de hoc bello dicemus? quod non terrenus, sed cælestis Imperator indicit; in quo non Pomærii sed fidei propagatio quæritur; in quo non paterna domus, sed fides Catholica defenditur, & honor Saluatoris nostri, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, vt nos ex Diabolica seruitute redimeret. En glorioſum atque honestissimum bellum, quod tanti beneficii memores susceperimus, in quo Redemptoris nostri, in quo magni Dei causam tuebimur, in quo qui vitam temporalem amittet, acquiret æternam, & famam clarumque nomen adipiscetur sempiternum. Ac tantum de Secunda parte sit dictum, in qua, cur passagium quæreretur, monstrandum fuit. Superat nunc de possibilitate congregandi passagii, deque spe fructus, dicere. Plurimi sunt, beatissime Pater, qui cum nominari passagium audiunt, ecce vetus somnium, inquiunt, vetus deliramentum, veteres atque inanes fabulas. At Vrbanus antecessor tuus, cum vexaretur à Paganis Orientalis Ecclesia, Sarracenique terram sanctam inuasissent, motus Alexii, qui Constantinopolim tenebat, precibus & aliorum Christianorum, qui sub tributo Turcorum vitam agebant, rogatibus, excitatus, graui & laborioso itinere in Galliam profectus, maximum exercitum comparauit, quibus nullæ Sarracenorum copiæ, nullæ vires obsistere potuerunt, quin & Antiochiam expugnarent & Hierosolymam obtinerent. Vnde adhuc & Vrbani qui conuocauit Passagium, & Gothfridi, qui duxit, illustre nomen habetur: quamuis quinquaginta & trecenti ab illo tempore fluxerint anni. Quid tua sanctitas faciat, quam pro similibus ac maioribus causis verus Imperator totaque Christianitas orat Passagium conuocare? Persandum est, inquies, an hodie spes bona sit habendi Passagii: quia nemo sciens, impossibilia temptat, neque aggreditur quisquam quod assequi desperat. magnum facinus spes enutrit. Sunt ergo duo consideranda, sanctissime Pater: vnum, an Christiani facile in Passagium trahi possint; Alterum, an coacto Passagio spes sit magna vincendi. Nam quamuis dubium est omnium bellorum euentus, nunquam committendum est prælium sine spe quadam & argumento victoriæ. ne sicut Augusti Prouerbium aureo piscantes hamo videamur; quorum damni maior quàm lucri ratio possit haberi. Difficile quippe primum videtur, Christianos, qui sunt inter se discordantes, apertisq; flagrant odiis, in vnam Passagii ducere sententiam. Verum quod multi putant obstare Passagio, Sapientia Cæsaris conducerr iudicat. Namque si pax Christianos haberet, incassum quietos Principes atque otio torpentes populos excitaremus; neque vtiles bello manus inuenirentur; horrerent inertes ferrum, neque signum neque tubam ferre valerent. At nunc exercitati bellis populi vltro sese offerrent, facilius ex bello vocatur in bellum miles, quàm ex otio. bonum est viro, sicut Propheta testatur, qui portauerit iugum ab adolescentia sua. quis Christianorum est, postquam pugnare oportet, qui non potius in hostes quàm in domesticos fidei gladium stringet? placebit omnibus, arma in Turcos vertere, patriam vt quietam relinquant. Et fortasse vnica pacandi Christianos via est, passagii conuocatio. Martiales enim & feroces Europæ populi, nescientes quiescere, nisi aduersus exteros prælientur, in se se ruunt. Qua ratione ductus

ductus olim vir Senatorius quidam, excidi Kartaginem prohibebat; ne pacem habentes in circuitu Romani, manus in se verterent: sicut Reges Israel fecisse constat, qui victis hostibus mutuis cecidere vulneribus. Pacem ergo vt habeant Christiani, bellum est in exteros transferendum. Ad quam rem neque Germanorum illustris animus, neque cor nobile Gallorum, neque sublimis mens Hispanorum, neque gloriæ cupidus Italorum Spiritus deerit. Omnes, quod tua videbit sanctitas, corde magno & animo volenti suscipient. Quis dubitet, cogi posse passagium, quod Romani Pontificis auctoritate decretum, & Imperatoris voluntate fuerit ordinatum. Sed dicit fortasse quispiam, quod Bractius olim, quamuis hostis Ecclesiæ tamen alioquin homo sensatus, frequenti sermone vsurpare solebat: Qui bellum gerat, tribus potissime rebus indigere, & has tres vnam esse pecuniam. Vnde igitur aurum corrademus, ad tantum & tam remotum bellum necessarium? Sunt in promptu modi, Præsul maxime, quibus inueniri pecunia poterit sumptusque necessarius ministrari. sed hos vulgare modo non est ex vsu. Illud tamen dicere possum, Ciuitates, quæ propter pacem perpetuo bello fatigantur, libenter passagio contribuent, vt pacis tandem compotes fiant. Non est igitur desperata res passagii conuocatio. nec rursus spes magna victoriæ deerit. Novit Imperatoria sublimitas, Assyriorum, Turcorum, Ægyptiorumque gentes imbelles, inermes, viles, effœminatæque sunt, neque animo neque consilio martiali. Quis aut tunicatos mitratosque Turcos, aut braccatos Ægyptios timeat? quos Rapsaces ad Ezechiam Regem loquens baculo arundineo confractoque comparauit. Sarmatica erunt spolia sine sudore & sanguine. multa notauit Cæsarea Maiestas, cum transmarinas partes lustraret, quæ spem certissimam victoriæ præbent, suoque tempore patefient. Nec moueri debemus, quia nostri nonnunquam exercitus ab illis victi deletique sunt. Nam neque viribus eorum, neque rei militaris peritiæ; sed nostris peccatis ascribendum est. Quod si emendati fuerimus, rectaque mente Christi causam defensuri bellum susceperimus, nihil de victoria fuerit hæsitandum: quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Iuuabunt & nos tum diuisiones illorum, tum odia, quæ cum Tartaris habent assiduaque certamina: iuuabit & gentis illius desperatio. nam Mahumetum, cui maxime credunt, sectam suam in Octingentos vsque annos augendam, exinde minuendam, astruunt prophetasse. Is autem sub Eraclio Cæsare malignari occepit, post quem supputantur anni quadraginta & octingenti. quæ res terrorem non paruum Turcis; spem Christianis adiicit. nam etsi pseudopropheta Mahumetus est, non tamen falsum vaticinium dici potest, quod sacris Hieremiæ sermonibus quadrare videmus. Hieremias enim primo & quinquagesimo capitulo, quasi tuam Sanctitatem & Cæsaris Maiestatem aduersus Mahumetum suscipere bellum hortetur, Nolite tacere, inquit, super iniquitatem eius; quoniam tempus vltionis est domino; vicissitudinem ipse tribuit ei. Possemus ad rem hanc plura deducere: sed neque doctissimis tuis auribus, neque præclaris sapientissimisque patribus, qui assident, quique astant, donanda sunt verba. satis est nobis absoluisse, quæ promisimus, & quæ Cæsarea sublimitas mandauerat, exposuisse. Intellexisti desiderium suum, sanctum propositum, integram mentem. Verum quamuis examen Imperatorium sic de Passagio sentiat, totum tamen & consilio & iudicio tuo relinquitur, qui ligandi soluendique claues accepisti, qui Petri & Pauli locum tenes iam cum Christo regnantium; cuius est inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, inter lepram & lepram iudicare. Cæsar cum esset hac vice apud tuam beatitudinem, noluit hanc rem intactam relinquere; quæ sibi adhuc in minoribus constituto atque ab ineunte adolescentia semper cordi curæque fuit. Alius fortasse vel generale concilium vel reformationis decreta petiuisset. Sed quod maius haberi concilium potest, quam tuæ sanctitatis tuique Sancti Senatus præsentia: frustra concilium petit, qui Romani Pontificis mandata non recipit. vbi tua sanctitas est, ibi Concilium, ibi Reges, ibi mores, ibi decreta salubrisque reformatio. Cæsari suscepti Imperialibus infulis, tuaque sacra manu coronato, nihil hoc tempore visum est antiquius, quàm de Passagio tecum agere. Quod si fortasse prima fronte videtur arduum, nihil est tamen difficile, quod quærendo non fiat facile. Asperis in rebus, & vir noscitur, & gloria quæritur. quæ magno animo fortiter excellenterque geruntur, nisi quodammodo pleniori bucca

laudare ſolemus? difficiles aditus virtus appetit. Clari & illuſtres ſunt tituli tui, glorioſiſſime Præſul, qui vnionem feceris, Iubilæum indulſeris, Cæſarem coronaueris. paſſagii tamen titulus, & dignior & diuturnior omnibus erit. quem ne Succeſſori relinquas, & Cæſarea pietas ſuadet, & omnis Chriſtianitas orat. Nam tibi, tam coronato Cæſare, quamuis multa incumbant magna & alta negotia, nihil tamen eſt, de quo vel vtilius agere vel glorioſius, quàmde Paſſagio, valeas. amen.

Nicolaus vbi reſponſum dedit, primum *quæ facta eſſent in honorem Cæſaris, & digna & benè merenti præſtita, minora tamen fuiſſe, quàm merita*, dixit. *Eccleſiam nunquam Imperio ſacro tam gratam eſſe poſſe, quàm debeat. paſſagium, de quo loquutus eſſet Æneas, laudandum opus, dignumque Cæſare multam præ ſe ferre pietatem: eius rei Apoſtolicæ ſedi maximam curam eſſe: ſe verbis Æneæ veluti quibuſdam ſtimulis vehementer commotum in ea re minime torpere. Conſulendos tamen eſſe cæteros Chriſtianæ Religionis Principes, eorumque auxilia in tantum opus quærenda: quos ſi benivolentes inuenerit, relaturum ſe Cæſari, atque tam ſanctum negotium ſummo conatu aggreſſurum.* Poſtea multis verbis hinc atque inde factis, in magnam noctis partem protractum eſt colloquium. In craſtinum quoque Cæſar Papam adiuit, atque ab eo benedictus, dimiſſus eſt. quem Cardinales vniuerſi ad primum lapidem extra vrbem proſecuti ſunt: duo vſq; ad Aquam Pendentem, atque ad limites Senenſium cum eo profecti ſunt, Bononienſis Germanus Papæ, & Sancti Angeli, Cardinales.

Inter equitandum autem, fuerunt nonnulli, qui Florentiam Cæſari penitus declinandam ſuaderent, idq; cauſæ afferebant: quod fama eſſet, Cæſarem, dum Neapoli moram traheret, Vicariatum Etruriæ Regi Alfonſo commiſiſſe, Alberto Fratri, Ducatum Mediolani conceſſiſſe: quas res Florentini moleſtiſſime ferrent, neque ſeruare poſſent, qui cum Rege ſibi aduerſante fœdus habere diceretur. ſuper quo dubio rogatus Æneas à Cæſare ſententiam dicere, Non ego, inquit, diue Cæſar, apud Neapolim tecum fui: neſcio quos cum Alfonſo tractatus habueris, tute verum ſcis. ſi quid aduerſum Florentinos aut eorum amicos à te actum eſt, ne putato ſecretum eſſe, neque te illis committito. Scient, mihi crede, occultiſſima quaque: neque inter eos tutus eris. At ſi nihil horum eſt quæ dicuntur, ſinceramque mentem geris, nihil eſt quod te vereri oporteat. Neque leuis eſt Florentinus Populus; & habet in Germania plures negotiatores, quibus timeret, ſi te offenderet. Cumque Cæſar, nihil ſe cum Rege agitauiſſe, diceret, quod vel Florentinorum Rempubl. vel res Italas concerneret, niſi communem pacem; Ergo, ait, hilaris ito metumque procul omnem abiicito. Verum cum Senas reditum eſſet, atque ingentes honores apud deuotos Imperio ciues Imperatoria Majeſtas accepiſſet; placuit, Æneam Epiſcopum atque Ulricum Redrer ad Florentiam antecedere, qui litteras publicæ fidei innouari peterent, illumque petitioni colorem præberent, quia ſaluus conductus ſub nomine Regio datus non videretur ad Imperatorem extendi; iam vero Imperatorem ex Rege factum: mutari litteras oportere. Ea res ſatis inſolens Florentinis viſa; qui, nomen Imperatorium non vim litteris ademiſſe ſed adjeciſſe robur, aiebant. Tumque maxime obnoxios Imperatori Florentinos, cum Romæ Coronam accepiſſet. dolere ſe, tantum æmulos ſuos potuiſſe, ut fidem Florentinam Cæſari dubiam redderent: facturos ſe tamen, quod Cæſar optaret. Cum vero Legati rem excuſarent, magnamque fidem habere in Florentinos Cæſarem, dicerent, qui cum aliam viam habuiſſet, Florentia tranſitum facere decreuiſſet; Coſmas de Medicis, ſtræ Ciuitatis facile princeps, cuius opes innumerabiles eſſe dicuntur, nolite, inquit, noſtro ſenatui verba vendere, qui ea reliquis gentibus dono dare ſolet. Aut enim per agrum noſtrum in Tuſcia Cæſarem tranſire oportuit, aut per Marchiam & Romandiolam euntem Sigiſmundi Malateſtæ & Hectoris Fauentini, noſtrorum Ducum, manus incidere. Iterumque dicentibus Legatis, potuiſſe apud Anconam Cæſarem naues aſcendere, nulliſque prohibentibus Tergeſtum ſui Patrimonii Ciuitatem petere: At, inquit, rem Cæſare dignam, Imperatorem cum exercitu terreſtri intraſſe Italiam, poſtquam Romam veniſſet, quaſi furatum coronam, veluti fugitiuum

gitiuum mari abire. Ad ea Legati, ne contendere viderentur, seu iusta est, dixerunt; siue iniusta petitio nostra, Communitati vestræ gratiam habemus, quia morem Cæsari geritis. atque ita, obtentis litteris Cæsar Florentiam rediens, vt Imperator & Dominus exceptus est, atque apud Sanctam Mariam nouellam, vbi primum fuerat, mansionem habuit.

Dum hæc in Italia Cæsar agitat, Australes animo voluentes, quantam rem cœpissent, cogitantesque solos non posse se vim Cæsaris ferre, Vlricum Comitem Ciliæ vltro se offerentem accipiunt, locum ei inter se primum præbent, vocantq; ipsum, vt est sui moris, præcessorem: cum Morauis ac Bohemis fœdus inire conantur. Annuunt Moraui. ex Bohemis, nulli sentire contra Cæsarem volunt, nisi Domini de Rosis, qui ex cæteris Bohemis apud Fridericum semper acceptiores habiti fuerant, maioraque receperant beneficia. Sic sæpè accidit, vt, de quo plura speres, in eo minus inuenias. Hungari quamuis inducias cum Cæsare haberent, nihilque aduersus eum medio tempore moliri deberent, secuti tamen naturam suam, apud quos nihil est fide leuius, cum Austr.ibus amicitiam faciunt, eorum propositum laudant, auxilia promittunt: fitque quatuor ex gentibus vnus populus; atque vt coniunctiores videantur, signa simul coniungunt, & in excelsa turri Sancti Stephani apud Viennam ponunt; ac sub quatuor terrarum nomine, Vngariæ, Bohemiæ, Austriæ, Morauiæ, subditis imperant; litteras scribunt, exercitus comparant, belloque sese accingunt. Quibus ex sententia dispositis, Oratores ad summum Pontificem atque ad Cæsarem, ex Austria atque Hungaria, graues viros legant. Inter quos fuit Augustinus Episcopus Iaurienſis: qui pro magnis beneficiis à Cæsare susceptis (nam eius voluntate Pontificatum obtinuit) Hungarica fide gratias ei veniebat acturus. Hi cum intrassent Italiam, apud Principes & Communitates, multis verbis Cæsarem criminati sunt; qui suum Dominum contra ius fasque retineret. Et cum Florentiam venissent, ibi Cæsarem expectauerunt, neque cum Senis adire audebant; veriti, ne apud Ciuitatem Imperio deuotam pro meritis acciperentur. Sciebat autem iam Fridericus, quæcunque illi aduersum se dixerant. Audientes enim Principes & Communitates, singula Cæsari rescripserant. Nonnulli etiam litteras Australium & Hungarorum sibi directas ad eum miserant. Eam ob causam, cum peterent audientiam Florentiæ, non habuerunt; dicente Cæsare, se non posse Legationi eorum, cuius pondus ignoraret, apud Florentiam dare operam, vnde sequenti die abiturus esset. Ferrariæ dies aliquot manendum sibi esse; ibi & audire & respondere velle. Et hic quidem titulus negandæ audientiæ fuit: causam vero suspicio præbuit, quam de Florentinis Cæsar habuit, quos fauere Ladislao putabat. Legati, vbi negatum sibi Cæsaris aditum intelligunt, litteras ei mittunt Hungarorum, Australium, Morauorum nomine conscriptas, quarum hæc sententia fuit: *Sæpè tuam Maiestatem, Cæsar, orauimus, Regem nostrum Ladislaum ad nos vti dimitteres, sua Dominia recturum: quod sine eius præsentia diutius esse non valebamus. Tu vero, spretis precibus nostris, in alienas Regiones nobilem sanguinem, spem, pacem, salutemque nostram abduxisti. id nobis ægrè est, neque feremus amplius tuam insolentiam. omnium nostrum vna sententia est, Dominum nostrum tuis è manibus vendicare. si dederis eum bona voluntate, gratias tibi habebimus, curabimusque inter tuam maiestatem nostrumque Regem stabilem amicitiam æternumque fœdus esse; si negaueris, factemus quæ fidelibus subditis pro suo Domino incumbunt. si bellum sequetur, vastabuntur agri, cædes, incendia fient; earum ex te prodire causam scito, qui iustæ petitioni nostræ non annueris. Cætera ex Oratoribus nostris intelliges, quibus vt audientiam fidemque præbeas, rogamus. Vale.* Cognouit Cæsar, indictum sibi bellum esse. Quia tamen in Austriam reuerti festinabat, Legatis aliter respondere haud necessarium duxit. Illi clam Caſparem Regium Pædagogum accersunt, percunctanturq;, noctu ne dormiente familia Regis Ladislai, per hortum qui retro erat admoueri scalæ ad fenestram cubiculi possent, indeque Rex abduci: de cuius voluntate non dubitarent. Caſpar id negat fieri posse, quoniam sibi non credatur custodia pueri; duos esse viros nobiles, qui cum Rege dormiant, omniaque diligenter claudant firmentque clauibus, antequam somnum accipiant. Tum Legati, alium se modum excogitasse,

aiunt. Regem, dicunt, publicam Florentinorum fidem habere; rogandos Magiſtratus, ei vt præſidio ſint, neque patiantur ſibi à Cæſare in ſua Ciuitate vim fieri. habere ſe ciuem vnum ex Florentinis, qui Senatum vrbis alloqui velit, vt Ladislao fidem ſeruet, ſi forte contra ſuam voluntatem in eum aliquid Cæſar ſtatuerat. Tantum monendum Regem, vti forti animo ſit. ſequenti die, cum Cæſar iter acceperit, vſque ad vrbis portas eum ſequatur; ibique valere eum iubeat, dicatque, ſeſe dies aliquot Florentiæ velle morari. atque, ſi Cæſar eum aliter compellere vellet, fidem Ciuitatis imploret, ſe Regem liberum clamitet, violentiam deprecetur: armatos ibi præſto futuros, qui vim probibeant, Regique vendicent libertatem. Hic Caſpar ex plebe natus, tenui domo & obſcuris Parentibus, cum ſe litteris dediſſet, creuiſſetque apud Vitennam inter artiſtas, tandem in Cancellariam Auſtralem receptus, in gratiam Cæſaris venit; eoque profectus eſt, vt imbuendus litteris Ladislaus ei potiſſimum crederetur. Auctus autem & honoribus & opibus, licet ad menſam Regiam quottidie ſederet, & inter Principes verſaretur, non tamen contentus, maiora quærit; exiſtimans, ſi Rex Ladislaus ad Regna ſua dimitteretur, ſine vllo negotio Epiſcopum ſe futurum. maxime igitur anxius erat, vti Ladislaus Cæſaris manum quamprimum exiret. Apud Gretium ergo Stiriæ, cum Paulo Epiſcopo Agrienſi, de quo ſupra meminimus, immemor beneficiorum quæ de Cæſaris benignitate ſuſceperat, fidemque ſuam fallens, & iuſiurandum effringens, conuenerat: ſi petente Italiam Cæſare Rex in Stiria dimitteretur, ad eius fugam nauare operas. nam Regis animum haud alienum ab ea re norat, & ſe facile inuenturum eius negotii comites ſperabat. Paulus autem poſtquam locum & tempus edoctus eſſet, mittere equites aliquot armatos promiſerat, qui latentes in ſiluis ad dictam diem horamq; venientes Regem ſuſciperent. At cum hoc non ſucceſſiſſet, frequentes inter Paulum & Caſparum litteræ miſſæ ſunt, quibus de modis aliis abducendi Regis inuicem agitabant. Paulus quoque, de voluntate Caſparis, Iaurienſem Epiſcopum inſtruxerat, eique literas dederat, propter quas facilius Caſpar eius ſuaſibus captus eſt. qui cum audiſſet inuentum Legatorum, ita receſſit ab eis, ut Regi negotium ad eorum propoſitum ſuaderet, illi apud Magiſtratus Florentinorum reliquum proditionis opus abſoluerent. Rex facile in ſententiam tractus eſt. Nam puer libertatis cupidus, quantum periculi auderet, per ætatem intelligere non poterat. Apud Florentinos autem, plus æquum bonumque valuit, quàm Legatorum arguta ſuaſio. Reuerſus enim ad Legatos ciuis ille Florentinus, qui de Magiſtratuum præſidio certam ſpem fecerat, ait: ſe, quod putauerat, minime reperiſſe Senatum Florentinum nolle id oneris aſſumere, qui Cæſarem, vt introierat, ſic abire quietum vellet, ſciretque, Ladislaum Regem puerum ſub tutela eſſe Imperatoris, neque velle habere neque nolle. Irrita igitur proditio fuit. Rogauerunt tamen Legati Caſparem, quoniam Romam ituri eſſent, Regem vti ſummo Pontifici propria manu ſcribere hortaretur. quod ille Bononiæ fecit, atque in hunc fere modum dictatæ ſunt litteræ: *Ladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex Nicolao Papæ quinto ſalutem. Veniunt ad te Legati ex Prouinciis noſtris, viri boni & nobis fideles: ex his accipies, quæ ſubditorum noſtrorum pro noſtra liberatione vel cura vel voluntas. eos benigne exaudies remittas, obnixe rogamus. Deinde, quia cognouimus relatu varto, tuam pietatem aduerſus noſtros Auſtriæ ſubditos ſententiam excommunicationis fulminaſſe, quia nos è manibus Friderici Cæſaris eripere ſtudent, petimus huiuſmodi proceſſus reuocare non pigeat, qui nobis damno ſunt. quod niſi feceris, dabis nobis cauſam ad maiores iudices prouocandi. Namque cum ſcriptum ſit, pupillo tu eris adiutor, non Cæſari, non eſt cur eos inſectéris, aut anathemate feries, qui de ſalute & commodo noſtro ſolliciti ſunt. Vale.* Has literas Caſpar per nuntium proprium Romam ex Bononia miſit. Sed is poſtea, cum Cæſar ex Ferraria Venetias peteret, conſcius tanti facinoris timenſque deprehendi, ait Cæſari: non ſibi bene eſſe in mari, velle Teruiſium terreſtri itinere proficiſci, atque ibi expectare alios. quod cum Cæſar annuiſſet, receptis rebus ſuis verſus Veronam & Tridentum iter arripuit. ſed nihil eſt malefactori tutum: latere in temptus ſcelera poſſunt, diu non poſſunt. fortè tabellarius quidam, quem vocant patercu-

lum, ex Mantua rediens, cum Caſparem in via reperiſſet, admiratus hominem ire ſo-

lum,

lum, Cæsari fugere illum retulit. Cæsar post eum duos equites è vestigio misit qui die noctuque festinantes, ante illum apprehenderunt, quàm territorium Venetorum exiret; excussumque bonis omnibus Venetiis cum Cæsari præsentarunt. Ille, quæ supra scripsimus, omnia sine tormentis confessus, nobis tandem iudicandus traditus est: & vsque in hanc diem in carcere custoditur.

Imperator autem, apud Florentiam, inscius proditionis, quæ contra se parabatur, Florentinis, quæ cum Rege Aragonum fecisset, exposuit: vtque ille suo precatu inductus, tandem promisisset Legatos Ferrariam mittere, qui de communi Italiæ pace transigerent: hortatus, vt & ipsi suos mitterent. Florentini Cæsarem commendauere, qui suæ Italiæ pacem dare conaretur: arbitrari se tamen, dixerunt, neque paci futurum locum, neque Regem ex condicto missurum. Neque enim Alfonsum Imperatori tantum fauere, vt eius consilio pacari Italiam velit, cuius se magis Dominum quàm Cæsarem putat; habereque illum sæpè facta contraria verbis. Missuros se tamen, ex iussu Cæsaris, amplexurosque pacem eius iudicio. nam etsi armis, equis, viris, auro, quo potissimum bella siunt, minime se Regi inferiores sciant, paci tamen, quæ non habeat insidias, qualem ab Imperatoris solio prouenire non dubitant, se semper assensuros.

Hæc Carolus Aretinus Ciuitatis Cancellarius, quamuis ex tempore, tamen ornatissime pronunciauit: Vir sui temporis Latinæ Græcæque linguæ peritissimus: cui & orationem solutam & carmen facere, iuxta est. Laudandi multis in rebus Florentini sunt, atque in hoc non parum: quoniam Cancellarios omnium doctissimos habere studeant: neque, vt Senenses nostri, quotannis Cancellarios mutant, vt tunc officium dimittant cum cœperunt intelligere; neq; vt Theutones & aliæ pleræq; gentes, omnes Cancellariæ aptos arbitrantur, qui vel Ciuilis vel Canonici juris periti dicuntur, aut quos vocant Magistros artium, qui præter garrulam & loquacem Dialecticam nihil aliarum artium didicere: sed eos assumunt, quibus Ciceronis & Quintiliani præcepta notissima sunt, Poetarum & Oratorum imbuti doctrinis, quos Oratores atque Poetas merito quis appellauerit: atque eos, si domi non inueniunt, foris quærunt. Neque subditos suos, vbi sufficientes habentur, ad eum honorem verentur attollere. Nam Carolum, & qui ante ipsum litteras signauit, Leonardum ex Aretio natos constat, viros clari nominis, quorum multa extant opera, apud omnes peræque gentes commendata. Et Leonardus quidem Aristotelem nobis, qui prius Barbarus habebatur, & in Ethicis & in Politicis Latinum reddidit.

In Florentia quoque Nicolaus Arzimboldus, vir doctus & scientia iuris eminens, Legatus Francisci Sfortiæ Vicecomitis, nocte ad Cæsarem venit. Et quoniam suis in rebus nunquam responsum habuerat, sed indies suspensus fuerat, tandem se fieri certiorem petiuit, suo Domino Cæsar an Vasallo an hoste vti vellet. Cæsar, neque inuestituram tanti Principatus Imperio debiti offerre in animo habuit, neque negare audebat in Ciuitate illi amica. Verebatur, ne homo potens armis atque amicis, turbas sibi aliquas appararet, priusquam Ferrariam attingeret. nam deinceps satis se tutum arbitrabatur. ait ergo: se affectum esse virtuti Comitis, cupere sibi bene esse. Verum tantum Principatum, qui ad Imperium deuolutus sit, inconsultis Electoribus cæterisque Germaniæ Principibus extra manus dare, periculi plenum esse. Velle tamen amplius in ea re cogitare, ac Ferrariæ respondere, vbi de pace Italiæ esset acturus. Nicolaus, postquam aliqua contra deuolutionem dixit, rursus sibi mentem Cæsaris apertius manifestari petiuit, vt suo Principi scribere posset. nam si quid esset, quod illum facere oporteret, ab eo responsum in Ferraria posset habere. Cæsar, se commissurum, ait, Æneæ Senensi Episcopo & Vlrico Redrer, vt secum postera die latius de suo proposito verba facerent. Sequenti die, priusquam Florentini apparati essent, ut decreuerant, exeuntem Cæsarem honorare, Imperator & Ladislaus cum Alberto Florentiam exiuere. Æneas atque Vlricus accersito Nicolao responderunt ei ad ea, quæ nocte præcedente petiuerat: minime dignum esse, tantum Principatum, quantum Franciscus optabat, sine magno aliquo emolumento ab Imperio alienari. quod si Dominus suus vellet Imperio quotannis censum tanto Domino dignum pendere,

dere, aut aliquam ciuitatem, veluti Comum aut Parmam, Imperatori reddere, inueſtituram ſperare poſſet. At dicere pulchra verba, quæ nulla facta ſequantur, vanum apud Cæſarem eſſe. nihil enim animaduertere, ſi quis dicat, tuus ſum Cæſar, tibi omnia debeo, tuis obtemperabo mandatis, tibi corpus, tibi deuoui animam, tu mihi Rex, tu Deus eris, quæcunque iuſſeris libens agam. Scit Cæſar, nihil his ineſſe verbis, ſæpeque minus facere, qui maiora promittunt. Franciſcum igitur, ſi titulum Ducatus aſſequi vellet, aut annua quinquaginta millia promitteret, caueretque certam eſſe ſolutionem, aut, quæ tanti cenſeri poſſet, ciuitatem offerret. De ſumma Nicolaus admodum alienum ſe præbuit. De Ciuitate danda non abhorruit, Parmamque, ſi fieri poſſet, in eam rem nominabat. forſitan, quia natus illic erat, patriam ex duriſſima ſeruitute ad dulcem Imperii libertatem reducere cupiebat. Sed ſui Principis aliam mentem reperit, qui de Ducatu armis quæſito nihil diminuendum exiſtimauit.

Cæſar autem Appennino tranſacto, quamceleri curſu Bononiam venit; ibique ſola nocte moratus, altera die ad horam veſperarum Ferrariam attigit: à Marchione loci ſummo gaudio & ingenti ſolemnitate receptus, qui ſibi in ipſis Bononiæ Ferrariæque metis, cum magna Baronum caterua occurrerat. Legati Florentini, Mediolanenſes, Mantuanique, tertia demum die affuerunt. Veneti quoque eo venere. Aragonenſes autem diu expectati nequaquam comparuerunt. Sed erant Venetiis duo Legati Regis Aragonum: horum alter Ferrariam ſe contulit. Cum ventum eſt ad Pacis tractatum, Mediolanenſes Florentinique ſuas partes offerebant, mediatoremque Cæſarem libentibus animis accipiebant. Borſius quoque Marchio ad eam rem curioſiſſime ſe præbebat. At Veneti & Aragonenſes ab eo propoſito longe aberant, nihilque ſe agere poſſe de pace, dicebant, niſi venirent noui Regis Oratores, quos prope diem venturos affirmabant. Verum illi nunquam comparuere: neque, qui præſentes fuerunt, ingredi Pacis tractatum voluerunt; ſiue quod Cæſarem ſuſpectum haberent, ſiue quod illum ei honorem inuiderent, vt pacis Italicę compoſitor diceretur. Ex qua re titulus procul dubio redundaſſet honeſtior quàm ex Corona recepta. Seu quod ſe præſtantiores armis exiſtimantes, victoriam in manu habere crederent: ſeu recens odium mentes adhuc poſſidebat iratas; neque enim inter ſe partes quicquam pacifice loqui poterant. Cum ergo Ferrariæ deſperatum eſſet pacis negotium, rogauit Imperator oratores partium, ſuis Dominis vt Pacem tenere ſuaderent, donec ſe Venetias conferret. nam & illic rurſus apud ſenatum vti bis agere vellet, ne tantum bonum negligeretur. Sed iam Venetorum copiæ in agrum Mantuanum prolapſæ rapinas egerant.

Dum hæc aguntur, Borſius de re ſua anxius, magnopere apud Cæſarem inſtat, Mutinam atque Regium in Ducatum vt erigat, ſibique conferat. Ciuitates hæ inter Bononiam & Parmam iacent: montem Appeninum ab Auſtro, à Septentrione Padum fluuium habent. harum alteram Marchiones Eſtenſes ab Imperio in Vicariatum; alteram à Ducibus Mediolanenſes in feudum habuere. Diu Cæſar dubius fuit nam etſi Borſium ſumma virtute præditum, quouis honore dignum exiſtimabat; indignum tamen putabat, iniuſto matrimonio natum, Nicolai Patris & Leonelli Fratris eum præferre legitimis, qui extabant, liberis; Vicariatumq, in Ducatum erigere, ſpecies quædam alienationis, Imperatori prohibita, videbatur; qui augeri iura Imperii non minuere iurauiſſet. Sed contra, multæ rationes agebant; ſubditi omnes terrarum concordibus animis Borſium ſibi Dominum elegerant: Romanus Pontifex, cuius potiſſimum eſt, matrimonii iura tueri, Vicariatum Ferrarienſem excluſis legitimis heredibus Borſio dederat: Marchionatus Eſtenſis longa maiorum ſerie ab illegitimis heredibus poſſeſſus, iam præſcriptus videri poterat: Borſius etiam fratris vltima voce prælatus filiis ferebatur; nobilitati plebique iuxta dilectus. His accedebant ingentes honores, & obſequia penè incredibilia, quæ Borſius in Cæſarem ſuoſque omnes quàm libentiſſimè contulerat. Legati quoque Principum & Communitatum Borſii laudes in cœlum ferebant. Matrem eius, etſi legitima Nicolai coniunx non fuerat, nobilem tamen ex vetuſta Ptolomæorum Senenſium domo natam

natam constabat; honestam & sapientem fœminam, neque pretio neque precibus sed vi corruptam, & potentia Principia, cui etiam promissum fuisse matrimonium quamplurimi tradiderunt. Quibus rebus victus Cæsar Ducatum ex duabus Ciuitatibus; Rodigiumque cum territorio adiacenti in Comitatum erexit: hosque Borsio & suis heredibus ex se legitimè descendentibus; atque, his deficientibus, alteri ex collateralibus fratribus siue nepotibus, quem sibi deligeret ipse successorem, concessit: reseruato quatuor millium aureorum censu, qui sacro Imperio quotannis in Ascensionis Dominicæ festiuitate persolui deberent; primis duobus annis sine solutione remissis. Sic enim non diminutum sed auctum est ius Imperii: cum ante nihil Imperium ex Vicariatu reciperet. Borsius ipse pro tanta dignitate suscepta, suopte ingenio monile pretiosum Cæsari dono dedit; quod Patrem vno & viginti millibus aureis emisse ferebant. Solemnitas Ducalis in foro Ciuitatis atque in sublimi tribunali acta est: vbi de laudibus Domûs Estensis, deque noua dignitate, atque summis Borsii meritis, Æneas Episcopus Senensis, iubente Cæsar, Italicis verbis & vulgo notis sermonem fecit. Legati qui affuerunt, omnes Cæsaris factum commendauere; benefactumque bene locatum omnis Italia dixit. Neque enim Principes Estenses Italiæ bella sectantur: pacem, ubi possunt, inter vicinos componunt; sua custodiunt, aliena non inuadunt. quorum progenitores apud omnes Italos communes Patres extimati sunt. Maximè autem Nicolaus Leonelli Borsiique Pater, acceptus per Italiam fuit: vir liberalis, & inter sapientes numeratus: voluptatis tamen nimium sequax habitus; cui vltra coniugem concubinarum greges fuere, tum nobiles tum plebeiæ atque ruricolæ; ex quibus quamplures ei nati sunt filii. fœlix ac nimium fœlix, nisi funestus cum casus labefactasset, quem hoc loco præterire non possumus. Fuerunt ei ex Concubina Ptolomea, cuius supra meminimus, tres filii forma præstantes & moribus. Hugo, Leonellus, Borsius. primus candidior celsiorque reliquis, Patris legitimam coniugem, quam ex Domo Malatestarum duxerat, cum sæpè familiariter visitaret, amore sauciam reddidit. quæ non minus sibi quàm virgo matrimonii leges transgrediendas arbitrata nobilem adolescentem, incautum, dum modo donis, modo verbis licentioribus allicit, teneræq; blanditur ætati, facile ab imperito impetrat, quod non sine labore peritiores negant. Sed dum miscentur sæpius, male sanos amores minus tegunt, neque latere furor dum repetuntur amplexus, in lucem crimina veniunt. Licet aliquando semel atque iterum impune delinquere; persæpè, non licet. Pessima nescio quæ lingua retexit scelus, patrique facinus indicauit. impatiens impotensque sui iratus pœnas adulterantium quæsiuit; neque flecti precibus vllis potuit; ambos præbere ceruices gladio iussit; truncataque sunt publicè honestissima corpora, flente Ciuitatis omni ætate. sic infœlices amantes periere. Patri post hæc rarum gaudium fuit: qui & aliorum, & suo iudicio, in filium crudelis, & in coniugem vel iniurius iudicatus est; ex qua plus, quàm præstaret, exigere voluit. Sed fuit hoc præmium voluptatum, quas passim auxit; neque ipse coniugi, neque coniunx sibi fidem auxit: fragilior pœnas soluit: potens peccator, quem mundus iudicare non est ausus, diuino iudicio seruatus est. Quem sanguinem suum fundere coactum, dum vixit, mens semper attonitum habuit, surdo verbere percussit, occultum quatiente animo tortore flagellum. Is Mediolani, dum Philippi Ducis nomine gubernat Insubres, mortem obiit. Filii statuam ei equestrem in foro Ferrariensi erexerunt. Leonellus mitis Princeps ei successit; Musicæ peritus, pacis tenax, litterarum cultor, epistolam scribere carmenque facere doctus. Cui duæ vxores fuere, Prima Iohannis Francisci Marchionis Mantuæ filia: Secunda regis Aragoniæ filia ex Concubina nata. Ex prima liberos sustulit. Secunda sterilis obiit. Hunc secutus est Borsius neque fratre neque parente minor: qui Ducalem dignitatem primus in Domum Estensem deduxit.

Mira res ac multis inaudita seculis: Italiam nostra tempestate maximâ ex parte illegitimè nati gubernant. Longobardiam Franciscus Sfortia, armis sibi subegit. Calabriam Ferdinandus Alfonsi filius regit; Regnumque Siciliæ vniuersum ad se morte paterna deuoluendum expectat. Ferrariam, Mutinam, Rhegium Borsius habet. Romandiolæ & Marchiæ parti Malatesta Sigismundus imperat: quamuis magnanimes & excel-

excellentes viri, omnes tamen extra matrimonium nati. Taceo Bononiam, Sanctæ cuiusdam nutibus parentem, quem pro Bastardo Antonii Bentiuolii obseruant: quamuis alii vulgo natum existiment. Quis non miretur, Italiæ mores adeò nostro seculo degenerasse, vt apud Vrbinates legitime natus Erideicus Comes regnare non possit, nisi se falso patre genitum & illegitimum fateatur?

Sed malo res Cæsaris prosequi, quàm talia de patria referre. Is, postquam solennitas Ducalis absoluta est, ingressus nauem per fluenta Padi Venetias petiit. Cum ciuitati proximus esset, nauigia infinita & artificum & nobilium occurrerunt, mirabiles sumptuososque ludos præbentia. mare tamen forte tranquillum fuit. ob quam rem, genus omne nauigiorum extra vrbem missum, quicquid erat Pelagi, texit. Franciscus Foscari, Dux Venetiarum, vir grandæuus, annis senex, sapientia Senior, qui triginta & amplius annis Reipublicæ Venetorum præfuerat, graui aspectu, veneranda facie, totius corporis maiestate sublimis, cum trecentis Senatoribus primariis vrbis nobilibus obuiam venit: togati omnes fuere. Qui ut Cæsarem videre, nauem egressi, atque ibi cum susceptientes, in nauem Ducalem, quam vocant bucentorium, sublimique ipsum in sede locauerunt: Regem sibi Vngariæ à dextris, suumque Ducem à sinistris, & alios ex ordine constituentes, in vrbem nauigauere. Interea circumquaque, per mare latum, millia nauium tendere vela, concursare, vexilla sustollere, inuicem ioco lacessere: alii Venerem & amoris ludum, Amazonum prælia, Apollinem nouemq; Musas, Bacchum & tres Gratias, ferocem Martem, fortesq; seculi prioris Duces, Herculem, Achillem, Hectorem, Romulum, Alexandrum, Iulium, Pompeium, Augustum, Fortunam quoque cœcam regna regentem, Centauros & Gigantes, & centumgeminum Briareum, & Lernæ beluam, monstriferasq; mille facies ostentare. alii cœlestes angelos, ipsumque Saluatorem resurgentem atque ascendentem in Cœlum, multaque cum veteris tum noui Testamenti miracula repræsentare. quidam super extensum currere funem, balistam tendere, cimbalum tangere, saltare, spectaculum discrimine plenum præbere. Canale maius, quod riui alti vocitant, vndique populo confertum; fenestras, hostia, tectaque domorum, onerata fœminis, inde rosas spargi, floresque mitti; Musicorum omne genus audiri; inauditam insolitam festiuitatem vniuersos ostendere. Quippe rem nouam nouos honores mereri, censebant. neque enim, memoria hominum eo quempiam Cæsarum introisse, constabat. Nam Veneti post Fridericum primum, quo cum nauale bellum habuere, plerumque hostes Imperii habiti sunt. Sigismundus quamuis cum his pacem fecerit Paduæque ac Brixiæ & Pergami Vicariatum præbuerit, Venetias tamen adire non est ausus. Verum Domus Austriæ finitima Venetis, in amicitia Venetorum longo tempore perseuerauit; eamque Fridericus & conseruauerat & auxerat. quæ res cum Venetiis, in amicitia Venetorum, prægrandi omnium lætitia, excipiendum suasit. Nec minori solemnitate octo post diebus intromissa est Imperatrix. Illi Ducis coniunx cum trecentis matronis, vxoribus senatorum occurrit · quarum nullam inuenisses, cuius vestimenta mille aureorum non ascenderet. Multi autem existimata est apud Venetos Imperatricis Maiestas, in cuius facie decor, in ore plurimus lepos erat. Quicquid pretiosi apud Venetos fuit, hoc tempore in propatulo habitum est. Imperator sæpè, sub specie cuiusdam mediocris hominis, stationes negotiatorum inuisit, emitq; res plurimas domum mittendas.

Deinde cum Dux Senatusque vrbis ad Cæsarem diebus ferè singulis venisset, de Pace Italiæ factus est sermo, rogatique sunt Veneti multis verbis, vt pacis tractatum amplecterentur, neque sinerent nobilissimam orbis terrarum regionem diutino bello vastari. Dux Venetorum, consultatione recepta, postquam in Senatu non repererit placere pacem, reuersus ad Cæsarem, ait: populo Veneto pacis nomen omni tempore & cum omni gente fuisse acceptum, cum Francisco quoque sæpè quæsitam pacem: quam cum ille refutasset, ingentibusque contumeliis Rem Venetorum publicam affecisset, coactos Venetos exercitum comparasse, ventum jam esse ad arma cœptumque bellum, victoriam iam propè in manibus datam, castella quædam capta, prædam non paruam receptam; non conuenire Venetorum dignitati pacis tractatum

adhuc-

admittere. Ad quæ cum Cæsaris iussu Æneas Episcopus Senensis dixisset, meliorem esse certam pacem quàm speratam victoriam, rursúsque rogaret, verba Cæsaris de Pace susciperent: Nos, inquit Dux Venetorum, plane scimus, quia cum Cæsare loquimur, qui primum inter mortales obtinet locum, cui nefas est verba dare; idcirco, quod facturi eramus primo verbo expressimus. Responsum inuariabile datum. atque hunc finem Italicæ pacis tractatus habuit. Duri nimis atque elati contra hostes eo tempore visi sunt Veneti. verum, vt superbiæ mos est, quod tunc oblatum à Cæsare contempserunt, suopte demum ingenio à Romano Pontifice petitum miserunt. Namque cum postea anno reuoluto Turcorum Dominus violenta manu Constantinopolim occupasset, atque Venetorum Insulis, quas in mari Cretico Ægeoq; possident, minatus esset, trepidi confractique animo Veneti compositionis Italicæ tractatum quæsiuerunt.

Mansit autem Imperator apud Venetias diebus decem. Sumptus ei, & Consorti suæ, magnificè vbertimq; non solum in vrbe sed in omni eorum territorio præbiti sunt. Deinde recedentem ipsum omnis Senatus cum Duce ad littus prosecutus est. Ibi cum inuicem separarentur, Iam, inquit Dux Venetorum, libens moriar, quando me Deus tantam nobilitatem intueri dedit. nam quid mihi maius contingere poterat, quam, me Duce gentis meæ, Imperatorem atque Imperatricem, Regemque Hungariæ potissimum venisse Venetias. Sed vale Cæsar, & huius populi deuotam erga te mentem commendatam habeto.

Medio tempore Legati Vngarorum & Australium, qui Romam iuerant ad Pontificem, intromissi plurima contra Cæsarem locuti sunt; qui Regem eorum veluti captum contra ius fasque retineret, dixeruntque, iam decretum esse in communi armis cum Cæsare decertandum, futurumque graue bellum & Cæsari periculosum, nisi Regem Ladislaum ad sua regna dimitteret. Rogabant igitur Papam, tanti mali vt causam interciperet, suaderetque Cæsari quæ pacis essent; ne vellet vlterius inuitum pupillum retinere, ne se objiceret tantarum conatibus prouinciarum. Idque summi Pontificis officium esse. Postremo, audisse se, nonnullos processus aduersus Australes decretos neque iustè neque prouidè, eos reuocandos cassándosque fore, ne forsitan emissi in dedecus Apostolicæ maiestatis redundarent, seditionemque potius maiorem quàm pacem excitarent. Ad hæc Romanus Præsul pauca pro suo more benigneque respondit: fauisse se, ait, hactenus multis in rebus futurumque vita comite bono animo Regi Ladislao; cuius maiores de Romana fide totáque religione Christiana optimè meriti fuissent. Sed aliam esse Australium, aliam Ladislai causam. Pupillum cum tutore indigere, neque in manu cuiuspiam rectius esse quàm Cæsaris, proximioris & dignioris consanguinei. Australes, qui se officio tutoris opponerent, indignè agere; commonendos, Imperatori vt pareant, & administrationem tutelæ restituant. si qua Cæsar minus iustè faciat, velle se adhortari serenitatem suam, ne pupillo neue subditis grauis sit: si nolit parere, facturam sedem Apostolicam, quod ex iure fuerit. processus aduersus Australes promulgatos, nihil mandare, quod non sit iustum, contumacibus futuros atroces, obedientibus nihil nociturос; neque reuocandos videri, qui ritè processissent. Ea cum Papa dixisset, vnus ex Oratoribus, qui sibi magis sciolus videbatur, At causa hæc, inquit, beatissime Pater, minime ex his est, quæ tuo iudicio subsunt: de temporali dominio agitur. Cur non impune tibi Australes non pareant? Spirituales tuæ curæ subiacent: temporalia seculi Principibus competunt. Si reuocaris processus, consultius agas. Commotus talibus verbis Nicolaus, audacter, ait, magis quàm doctè loqueris; falsa forte existimans, quæ de Saluatore scribunt euangelia, cum Petro potestatem ligandi & soluendi non hæc aut illa, sed quæcunque, concessit: quod Petro permissum est, & Successoribus traditum credit Ecclesia. quo igitur pacto hanc causam Apostolico negas examini pertinere, cui omnia pertinent? Insuper cum Regnum Vngariæ nullum superiorem inter seculares Principes accipiat, Imperatorem verò certum sit omni temporali potestate maiorem esse; contendentibus his inuicem, quis alius, quàm summus Pontifex, iudex erit? dices forsitan, vt plerique, gladius. iniquus existi-

mator es, qui cæcam belli fortunam iudicio sanctæ sedis anteponas. Verum quid est, quod nunc officii nostri dicis, Imperatorem monere, vt morem Hungaris & Australibus gerat? causam ad nostrum examen nunc pertinere negas, nunc concedis. sanè vt mentis nostræ sententiam teneas, illud propalam dicimus: Aut obedient Australes iussionibus nostris, aut extra Christianorum numerum habebuntur. Terrefacti tali responso Legati, Roma quantocius abeunt, ac per mare Tyrrhenum iter facientes, in portum Veneris deferuntur, indeque per vastos & asperrimos montes in Longobardiam descendunt: venientesque Mediolanum, per lacum Comanum & montes Vormii, tum primum se tutos putauerunt, cum in agrum Sigismundi Ducis descenderunt. Tusciam enim & Venetorum territorium, tanquam Cæsari fauerent, summo studio declinauerunt. Reuersi autem ad suos, Romanum Pontificem Friderico studentem, aiunt; Ladislao grauem, terrigenis infensum. Ex Cardinalibus potissimè Iohannem Sancti Angeli culpitant; quem cum putassent amicum, hostem inuenissent. processus aduersus se fulminatos, affirmant, suadentque resistendum.

Australes verò non multo ante id temporis, cum pecuniam ad res gerendas non haberent, mutuum ex Ludouico Duce Bauariæ susceperunt, partemq; sibi terræ Austriæ pignori dederunt. Fuerunt &, qui Ducem illum Australibus iunctum fœdere, dicerent; & cum eo sentientem esse Albertum Marchionem Brandeburgensem: quod ambo Ladislao proximarent sanguine: maximè Lodouicus, qui ex sorore Patris Ladislai natus esset. Quippe Iohannes Comes Pulchri Montis Legatus in Bauariam missus, Ludouicum multis verbis in suam sententiam trahere conatus est. Sed fuit vir in consilio Ducis, qui Comitem non parum desideret. Namque cum legerentur litteræ suæ legationis, in quibus Eizinger terræ Austriæ Capitaneus nominabatur, Miseret me, inquit, Comitis huius: quoniam cum Cæsaris Consiliarium aliquando viderim in primis acceptum, vsque adeò nunc eum declinasse contueor, vt Eizingeri, virilis hominis, quem nostra terra velut inutilem ab sese repulit; nuntius & famulus, ad nos transiuerit. Accidit & aliud huic Comiti relatu dignum, quod ei non paruo documento esse posset: si quidem eum turpitudinis pigeret, & non peruersam naturam magis quàm rationem sequi delectaret. Dum enim conuentus Australium apud Viennam frequentissimus esset, isque inter primos federet, homo ... quamuis natu nobilis, tamen censu non magno, sed vitio mentis liberior atque dicacior, vbi Comitem conspicatus est, prosiliens in medium multitudinis, manuque mentum eius apprehendens, Quo pacto, inquit, sceleste bonis te viris miscere audes, cui neque veri neque fidei cura est? Alberto Regi semper infidus fuisti, Fridericum Cæsarem prodidisti, nunc te ad nos recipis, Ladislao vt aliquando noxius esse possis. surge atque in malam crucem abi; fidelium, hic non proditorum conuentus est. Id quamuis multi ex vero dictum meritoque putabant, tamen delirum hominem apprehendentes in carcerem coniecerunt, qui nobilem Comitem non conuitio tantum sed manu quoque aggredi præsumpsisset.

Fridericus interim, postmissa Italia, cum in montes, ex quibus exiuerat, ingressus esset, ac Germaniæ metas attigisset, horribile visu fuit, dictu mirabile videri potest, quàm turbidam aëris faciem mutatumque cœli vultum offenderit. ex aere purissimo, mox nubilus factus est: è vestigio fumigare montes, coruscationes videri creberrimè, audiri tonitrua, imbres cœlo cadere, torrentes ire præcipites, volui saxa, tumescere flumina, nullius vestimenta contra diluuium pluuiæ satis esse. Quod præsagium futuræ cladis multi iudicauerunt, tanquam voluptatis Italicæ finem Theutonicæ miseriæ principium exciperet.

Apud Villacum igitur cum Cæsar biduo quieuisset, Iohannes Neipergius occurrit, inter Consiliarios eius & Senior & auctoritate potentior, Vir actis ingenii, & quo nemo liberius suo Principi verum dicere assueuit, domi nobilis & consanguineorum stipatus cateruis, quem Cæsar in Austria ex Rectoribus vnum dimiserat. hic res Austriæ turbulentas nulla re nisi gladio reformari posse, confirmauit; superbos, insolentes Australes esse, adiutores habere Hunga-

Hungaros atque Morauos, Comitem Ciliæ iuniorem & Vlricum Eizingerum multitudinis principes: cunctos ducere, bellum magno conatu parare; grauem tota in terra pecuniæ ſummam indictam indies exigi debere. Impediendam omni ſtudio ſolutionem eſſe: defuturos Auſtralibus milites, ſi defuerit aurum. præcipiendum, ne quis argentum contribuat: ſuapte natura homines ægrè pecunias exponere; quid ſi retinere iubeantur? Tum multos eſſe in Auſtria bonos viros, qui nouitates horreant. Barones pleroſque in fide Cæſaris perſeuerare: nutantes aliquos, vbi Cæſar acriter intenderit, facile ad eum venturos. Placet vniuerſis conſilium Iohannis. litteræ in Auſtriam ſcribuntur: ne quis ad mandatum Eizingeri ſuorumque complicum æra contribuat: ſi quis denarium illi dederit, eum Cæſari poſthac triplum ſoluturum. Sed huiuſmodi litteræ tardius poſtea miſſæ ſunt. Medio tempore Stirienſes in Pruckum vocati. ibi enim duplex via eſt: altera in Auſtriam tendit, altera in Stiriam inferiorem. Conſilium hic cum Stirienſibus receptum eſt: Eundumne ſtatim eſſet ad Nouam Ciuitatem, an Grætium petendum, antiquius videretur. Æneas Epiſcopus Senenſis, quoniam Dux Albertus, qui ante ſe ſedebat, in tanta re conſulere noluit, iuſſus ſententiam dicere; Nouam Ciuitatem petendam; quoniam is locus eſſet Imperatoriæ ſedis, vnde iter in Italiam receptum fuiſſet: videri timidum, niſi eo rediretur, eoque noua nupta conduceretur. Auſtrales, qui fidem ſeruaſſent, aucturos animos, ſi ad eos iretur; poſituros, ſi fugiantur hoſtes. vbi Cæſarem penes ſe audierint, futuros timidos: audaces, vbi procul eum cognouerint. ex Noua Ciuitate facile intelligi hoſtium poſſe conſilia; venturos ad Cæſarem plurimos, qui arcana Comitis & Eizingeri patefaciant. ſiue cum Auſtralibus, ſeu cum Bohemis aut Hungaris pertractandum quippiam fuerit, commodiorem locum eſſe Nouæ Ciuitatis quam Grætii. videri ergo in Auſtriam eundum, conducendum militem, parandum, feſtinandum, antequam hoſtes arma ſumant. multum valere in bello, priorem occupare campum. Stirienſibus præcipiendum, præſto in armis atque ad ſignum parati ſint, alios Cilienſibus, alios Hungaris opponant. In Auſtria conducto potius milite præliandum. Atque in hunc modum Æneæ conſilium fuit. Cæteri, haud tutum eſſe, aiebant, in Auſtriam tranſitum: non eſſe difficile Auſtralibus Nouam Ciuitatem obſidione cingere, Imperatoremque ibi claudere. prius conuentum in Stiria habendum, Exercitumque conuocandum: Deinde cum magnis copiis intrandum Auſtriam, ac ferro & igne vaſtanda omnia, donec ſuperba capita retunderentur. Idque ferè omnes dicere præter Procopium Equitem, & Hartungum Iuriſconſultum; qui in ſententiam Æneæ pedibus ibant. Dux Albertus, vbi ex vtraque parte validas rationes eſſe animaduertit, ſine ſententia manſit. Fridericus autem, poſtquam omnes finiere, turpe, ait, ſibique nimis dedecoroſum videri, ſi metu Auſtralium domum ſuam repetere non auderet. ſcire ſe, nondum hoſtes eſſe armatos: prius ſe militem habiturum, quàm illi pecuniam exigere poſſint, qua volunt exercitum comparare; veniſſe iam tempus, quo theſaurum oporteat exponere: daturum ſe omne aurum, patrimonium conſumpturum, poſtremo corpus, animam, poſiturum, ut Auſtralium temeritatem cohibeat; neque paſſurum, ſe aut Comitis Ciliæ aut Eizingeri conatibus Auſtria pelli; benignitate ſuperum ſatis ſibi eſſe auri, armorum, equorum, hominum: Aut moriendum ſibi, aut vlciſcendas iniurias Domus Auſtriæ. Velle ſe igitur ad Nouam Ciuitatem proficiſci, Imperatricem Regemque Ladislaum eo conducere: neque Vlricos, neque alium quempiam ex Auſtria ſibi metum infetre. Stirienſes placere ſibi vti conuentum habeant, conſulantq; terræ Stiriæ, ne quid detrimenti per Hungaros aut Cilienſes patiantur: ſi vocentur in Auſtriam, præſto adſint.

Sic re concluſa, Albertus in Sueuiam perrexit. Contraxerat enim, paulo antequam intraret Italiam, matrimonium cum Sorore Friderici Comitis Palatini; neque adhuc ei conjacuerat: quod nunc facturus erat, ſimulque Fratri, ſi opus eſſet, ex partibus illis militem adducturus. Imperator in Auſtriam iter deflexit. Inter eundum autem de re bellica cum Senenſi Epiſcopo verba fecit: interrogatuſque, quonam potiſſimum milite vti vellet, quolibet, inquit, qui aptus armis ſuum ſtipendium mereri non refugeret. Cui Epiſcopus, caue, inquit, ne quos Bohemorum hæreticos tibi ad-

iungas, neque enim id Deo gratum est. sæpè bonam causam vitiauere Reges, dum se infidelibus coniunxere: felicius cum paucis tuæ fidei pugnabis, quàm si hæreticorum ingentes copias in prælium ducas: quamuis & vincens, in periculo depositionis eris. inter cæteros enim articulos, quibus Romani Pontifices Imperatores priuare dignitate solent, hic maximus est, si aut hæresim sapiant aut hæreticis se coniungant. Nosti equidem Bohemicam pestem veneno plenam, Romanæ Ecclesiæ, quæ tibi Coronam dedit, infestissimam esse. si eius sectæ homines in auxilium aduocaris, Romanam sedem id ægrè laturam, ne dubites; neque Reges Christianos tuum factum laudaturos putato. Tum Cæsar, minime vocaturum se Bohemos, inquit; ni necessitas vrgeat. non tamen sibi minus licere, quàm Pontifici Colonienſi: qui licet Ecclesiasticus esset, Hussitas nihilominus in auxilium contra Susatenses adduxerat. Marchiones quoq; Brandenburgenses ac Saxoniæ Duces, sæpè Hussitis auxiliatoribus esse vsos, commemorauit. Ad quem rursus Episcopus, meminisse se, ait, Iohannem Marchionem Brandenburgensem in anno Iubilæo, cum Romam venisset, à Nicolao Pontifice durioribus verbis castigatum fuisse, quoniam fœdus cum Hæreticis percussisset; Colonienſem Antistitem aut peruerse fecisse, neque imitandum esse, aut ex indulgentia Papæ in fauorem Ecclesiæ Hussitas vocasse. Iterum Cæsar, neque id se negligentia Papæ in fauorem Ecclesiæ Hussitas vocasse. Iterum Cæsar, neque id se neglexisse, respondit: locutum se Papæ, Bohemosne posset hæreticos in auxilium accersire: indultumque sibi esse, vbi non posset fideles habere ad cohibendam temeritatem Australium, quoduis genus hominum aduocare. Cui Episcopus aduersus decreta Pontificis nihil statuit repetendum. Venit igitur Imperator ad Nouam Ciuitatem, sinsq; omnibus consolationi fuit. Australes, qui fidem seruauerant, læti eum accessere, Georgius de de Puchaim, Rudigerus de Starnberg, Sigismundus de Ebersdorf, atque alii quamplures Barones, quibus indigna videbantur, quæ Comes Ciliæ & Eizingerus agitabant. Cum his de modo gerendi belli consilium capitur.

Quæ cum Australes accepissent, ex alto animo paululum dimiserunt, rebusque suis diffidere cœperunt. quos cum Eizingerus forti animo esse iuberet, fuerunt, qui, Cæsarem ex Italia cum gloria reuersum, sibi obiectarent; nimisque ipsum ausum, suaque consilia terræ Austriæ damnosa publicè dicerent. Ad quos ille incensus ira cundia, Credideram, inquit, viris me verba facere: sed inuenio muliebres animos. agite iam vt libet: ego ex Bauaria vnico contentus famulo huc descendi, credi inter vos, Alberto Principi summa fide seruiens: vidi vos hactenus, duris in rebus ingentes animos præstitisse. nunc si vobis mutata mens est, neque virorum pectore vti vultis, reuertar eo vnde veni, neque dedecori ducam si vel solus domum repetam. vos naturali domino quam debetis fidem, an seruaueritis, vestro iudicio relinquo. Exinde Comes Ciliæ Vlricus, Ne mouearis, inquit, Eizinger, stat sententia, prosequi quod cœptum est. neque, si duo vel tres retrorsum ierint, propterea communitatis ruet decretum. timor aliquos aduersos facit, qui magnum esse dicunt, rediisse Fridericum ex Italia Coronatum, secundaque illi omnia fuisse. Nesciunt inexperti homines Italiæ mores: non est Italis curæ corona; dum vectigalia salua sunt eis, resque suas ipsi gubernant, facile transitum præbent Cæsaribus, qui regiminibus eorum non se obiiciunt, quemadmodum Fridericum fecisse, qui Coronam, quam secum duxit, ex Italia reduxit, suumque caput suo auro redimiuit. Quod si dominari apud Italos tentasset, inuasissetque Ciuitates aliquas atque Imperii iura vendicasset, idque sibi ex sententia cessisset, tunc eum & sapientem & fortunatum & timendum fateretur. At cum talis redierit, & aliquanto pauperior quàm iuit; non est cur quisquam eum timeat. Hæc vbi à Comite dicta sunt, hortari alter alterum cœpit, suadere, instare, vrgere, bonum animum facere. Hungari quoque scribere Australibus, vti Domino suo fidem tenerent, neque his aduersarentur, quæ nuper in communi concluſa essent. Domini de Rosis auxilia promittere. Eizingerus nunc Bauarorum, nunc Francorum opes polliceri; auarum Cæsarem, affirmare; moriturum facilius quàm aurum expositurum. Consiliarios inexpertos, inutiles, pusillanimes habere: qui suo Principi solum adulando seruiant. sic persuasa multitudine, operas nauant; ut quam mature exercitum comparent, pecunias summa diligentia colligunt.

Fortè

Fortè per id temporis tabellarius quidam Cæſaris cum litteris ad Viennam adiichtauerat: qui, cum opes Ladislai Regis malè conſumi vidiſſet, Comitem Ciliæ magnam familiam regio ſumptu alere, Eizingerum ſplendide viuere, Nobiles quoq; vbi poſſent publicas pecunias rapere; Et quid vos, inquit, Auſtrales Cæſarem incuſatis, tanquam bona pupilli Regis diſſiparet? plus vos vna die conſumitis quàm Cæris annus expoſuerit. Id cum Eizingerus intellexiſſet, mox hominem apprehendi linguamque ſibi excidi iuſſit.

Vlricus Comes, vbi Cæſarem in Noua Ciuitate eſſe intelligit, Magdeburgenſi Comiti ſcribit, ſuis Legatis quos mittere velit, publicam Cæſaris fidem petens. Cæſar daturum ſe fidem, negat, niſi cauſam miſſionis præſciuerit. Vlricus non aliam cauſam mittendi legatos, ait, niſi coronatum Cæſarem vt pro ſuo debito ſalutaret, ſimulque caſtrum redderet, quod ab eo teneret, in Villa Forenſi non longè à Vienna. Quod ſi nollet Cæſar legatos ſuos audire, ſaltem mitteret, qui caſtrum recipiant. Cæſar, qui caſtrum recipiat, ad certam diem miſſurum ſe ait, ſi modo fraus abſit. Sed nihil in Comite fidum fuit. certior enim factus eſt Cæſar, ſuos in captiuitatem ire, ſi quos mitteret. Comes deinde caſtrum Viennenſibus tradidit. poſt hæc Cæſar, tanquam res Principatuum legibus agantur, Vlricum Eizingerum Ciueſque Viennenſes litteris vocat, certâ die vt coram ſe compareant, de vi, de fide fracta, de periurio reſponſuri. Illi Heraldum, qui ſcripta detulit, ſericeis veſtibus & aureis aliquot nummis donant, gratiaſq; Cæſari referunt; quem cum putaſſent armis ſecum contendere, litteris agentem inueniunt, quibus, ſe facilè ſatisfacturos minime dubitant.

Tum quoque & Apoſtolici Proceſſus, ad Viennam, ad Saltzburgam, ad Patauium & Olomonzium mittuntur, quibus monentur Auſtrales: intra quadraginta dies Friderico Cæſari adminiſtrationem Regionis reſtituere: niſi id agant, anathematis ſententia in eos fulminatur. Pergunt & ad loca prædicta Notarii, qui litteras in valuis Eccleſiarum affigant ac publicationis teſtimonia requirant. Sed nihil horum admiſſum eſt. Quippe Saltzburgenſis Antiſtes, tam ſe prudentem quàm potentem exiſtimans, neque Papæ neque Imperatori parendum duxit; Apoſtolicas litteras in ſua Eccleſia publicari prohibuit. ſic enim ſe litis compoſitionem melius aſſumere poſſe, confirmabat. Quaſi mox alteri parti ſuſpectus eſſet, ſi apud Saltzburgam Proceſſus Apoſtolici publicati fuiſſent. Cum tamen factum ſuum in ea re nullum requireretur, & obedire illum Romano Pontifici oportebat. Sed maluit homo ſui cerebri, conſilio non deſiderato quàm debito obſequio reſpondere: quod cum permittitur inferiori, omne officium procul dubio imperantis corrumpitur atque diſſoluitur. Verum neque Patauienſes Canonici meliores fuere; qui iam ſe fœdere iunxerant Auſtralibus. nam cum litteras Apoſtolicas adeſſe ſenſerunt, vocato baiulo eas ſibi tradi iuſſerunt, neque multum rogati reſtituerunt. De Papa atque Imperatore proterue locuti, gloriabundi quoque: namque de ſuis natalibus nullos ſe ſuperiores habere, iactabant: Papam ignobilem, Imperatorem deſidem atque inutilem eſſe, dicebant. Par contumacia apud Olomuncenſes inuenta eſt. Auſtrales autem Notarium, qui litteras deferebat, apprehenſum in carcerem coniecere, plurimiſq; opprobriis affecere. Vbi verò tenorem litterarum didicerunt, vocatis Doctoribus Appellationem huiuſmodi interpoſuerunt. Quoniam Pontifex maximus Imperatoris Friderici ſuaſibus motus ea nos facere iubet, quæ nec nobis nec Domino noſtro Ladislao conducant, graueſq; pœnas in nos minatur, niſi paruerimus; cum id nobis grauamini ſit, arbitrantes eundem Pontificem, vt res inter nos & Imperatorem Fridericum ſeſe habent, ignorare; ab eo parum inſtructo ad eundem inſtruendum informandumque magis, ſiue ad Concilium generale indictum ſeu indicendum, vel demum ad vniuerſalem Eccleſiam appellamus. Ea conſilia malè conſulta, ſunt qui Theologos Viennenſes præbuiſſe affirment; apud quos auctoritas ſummi Pontificis odioſa eſt. nam legum & Canonum interpretes nemo tam deliros fuiſſe credit, vt à Romani Pontificis decreto quod ex certa ſcientia emiſſum eſt, appellari ſuaſiſſent, cum id iure manifeſtiſſimo ſit prohibitum. Appellationis autem ſchedula & apud Sanctum Steffanum Viennæ affixa eſt, & in Saltzburga permittente Præſule publicata.

Tanta

Tanta est auctoritatis Ecclesiæ & Sacrorum Canonum apud illum hominem reuerentia. Processus autem Apostolici & in Noua Ciuitate publicati sunt, & apud Castrum Gars vltra Danubium. Nec dubium quin Australes his ligati fuerint, quorum effectus tum sentient, cum illi placuerit, qui suam vindictam quo magis differt eo grauiorem infligit.

Dum hæc in Austria geruntur, Albertus & Ludouicus Bauariæ Duces, & cum his Albertus Marchio Brandeburgensis, Legatos ad Cæsarem mittunt, qui reuersioni eius felicique coronationi gratulentur. Contentionem verò, quæ inter Cæsarem & Australes emersit, indignam esse, dicant, molestamque sibi: laudent concordiam; Mediatores se Pacis offerant; excusatosque reddant, quod Romam non iuerint. Postremo Cæsarem rogent, ne fidem adhibeat, si quis eos detulerit, Australibus præbere fauorem. Cæsar, Principes illos commendat, qui Domini sui gloriam libenter videant; honorem suum & illorum esse affirmat; Capitis laudem membra quoque ornare: optasse se, illos comites itineris habuisse; multum enim splendoris suæ coronationi præbuissent: arbitrari se tamen, vrgentes fuisse causas remansionis: nihil se mali de ipsis credere, quamuis Eizingerus publicè dixisset, in contentione Austrálium: Ludouicum Ducem & Albertum Marchionem sui propositi adiutores esse: sed illud ab eo fictum fuisse, ut eo facilius multitudinis animos in suam sententiam traheret. Contentionis quoque Australicæ ortum progressumque Legatis exponi iussit; imperans eis: ut suis Dominis cuncta referrent, eosque nomine Cæsareo hortarentur, assistentiam sibi, ut essent obnoxii, facerent; pacem vero semper acceptam fuisse Cæsari, neque recusaturum hodiè concordiam, quæ nihil habeat turpitudinis; quamuis insolentem multitudinem melius ad honesta gladius quàm mansuetudo reducat. Atque cum his responsis legati abierunt.

Posthæc Cæsar equitum quatuor millia conducit, peditumque non parùum numerum. In Bohemiam quoque mittit, qui Georgium Gubernatorem Regni in suas partes trahant. neque ille conditionem respuit, stipendii solum paruitatem contemnit. venturum se pollicetur, turbaturumque omnem Austriam, si stipem militi necessariam habeat. Prior Cæsar in armis exercitum, quàm Australes habuit. Quod si nondum illis paratis in campum exiuisset, atq; ante Viennam se ostendens ferroq; & igne ....vastare, non dubium, quin multitudo inconstans, sine certo rectore nutans, ex proposito cecidisset. Nam & feroces sæpè populi, tum Reges bello præuenti, tumidos animos posuere, pacem ex arbitrio tenentis arma petentes. adeo magnum est, priores belli partes occupauisse. Porro Australes inter se diuisi, carentes milite, causæ parum fidentes; neque natura sua, nisi cum hostes fugiant, audaces; omnium, qui sapere existimati sunt, iudicio, armatum atque vrgentem Cæsarem nequaquam tulissent. Sed data sunt omnia desuper; quo vult Deus, eo victoriam flectit. vani sunt omnes hominum conatus, nisi Deum habeant adiutorem. Consiliariorum magna pars suadebat, è vestigio Ducem belli fortem & fortunatum eligi virum, exire in campos militiam, vastare hostium agros, prædas agere, castra in monte Viennensi ponere. quorum vocibus nihil momenti fuit. Tres tantum viri apud Cæsarem auditi sunt, qui plus cæteris sapere putabantur, duo Iohannes, alter Neipergius, alter Vngnadius, & Gualterus Zebinger. cum his enim Cæsar in abditas cameras sese reducere solitus erat, resque cunctas eorum consilio gerere: siue quod eos præ cæteris prudentiores existimauit, siue quod fidem eorum solidiorem credidit. Quidam putauerunt adulationibus & malis artibus horum potentiam apud Cæsarem ingentem fuisse. Nos exploratum habemus, omnes Principes penes se habere aliquos, quorum conuersatione iocundius ac prolixius vtantur, & quibus imputari omnia solent, quæ Principibus accidere videntur aduersa. Cum his autem Cæsar de re bellica tractans (nam cæteros raro ad consilium eius negotii admisit) duo millia equitum trans Danubium deputat, hisque Rudigerum de Starnberg, forti animo & alto consilio virum, præfecit: Comitemque sibi Georgium de Puchaim adiungit, antiquum & potentem Austriæ Baronem. apud se, in Noua Ciuitate, & in proximis locis, reliquos equites retinet, quibus cum Iohannem Neipergium præficere voluisset, nusquam id ex eo extorque-

torquere potuit, vt Capitanei nomen assumeret. Electus est.... igitur Dux militiæ Georgius Tsernahora Baro Morauus, domi nobilis, & rei militaris expertus, verum Hussitarum labe infectus; & oculo altero carens. neque enim huius mortalis lucis plenam ei visionem permittere Deus voluit, qui fidei lumen integrum non haberet. Octingenti equites & totidem pedites in Noua Ciuitate retenti sunt: reliqui milites, pessimo consilio, per diuersa castella distributi. persuasum est enim Cæsari, satis esse, si castra sua benè munita tueretur, atque militem præsto habens terreret Australes: neque enim eos tot copias posse comparare, vt castra facerent, sumptus eis futuros graues, dum viderint, in longum rem protrahi: neque perseueraturam plebem. ne gladium versaretur, qui solo tempore vincere posset. Contrarium tamen plurimi suadebant. nam populos nulla quàm repentina mala magis frangunt: neque Cæsari minus graues expensæ, quàm Viennensibus erant; & post duos menses inducia cum Hungaris finiebantur, quibus durantibus non licebat eis auxilium Australibus ferre; finitis, non erat dubium, quin nouo fœderi satisfacerent. neque probandus est, qui, cum possit hodie vincere, in crastinum pugnam transfert. maximeque illud improbabile fuit, quod de copiarum diuisione prædiximus. Multis enim in locis, oppressæ partes militiæ sunt, quæ simul iunctæ, hostes fuerant oppressuræ. Sic ordinationi diuinæ placitum est, cuius voluntati nullius curæ sollicitudo potest obsistere: quicquid patimur mortale genus, quicquid facimus, venit ex alto. At cum Cæsar eò deductus esset, vt necesse haberet, aut suos lædere aut à suis lædi, laudandus est, si potius.... quàm facere scelus maluit.

Australes interea, cum execrationibus Apostolicis se deuotos cernerent, cumque citatum ad Imperiale tribunal Eizingerum & Viennensem consulatum intelligerent, multa in Papam & Cæsarem probra deuomere: Nicolaum aduersum decreta concilii Basileensis electum, non esse Papam, dicere: Felicem verum fuisse Pontificem. Fridericum inique Concilium ex Basilea deturbasse; Eugenium depositum contra ius fasque iuuisse; eius opera Nicolaum Petri cathedram inuasisse.... sibi inuicem crimina; neque illum Papam, aut istum Cæsarem legitimum esse, indignum vtrumque tanto honore: sceleratissimum Nicolaum, qui etsi Papa esset, non tamen secularibus se rebus immiscere deberet, atque iniuriam magno Principi Regi Vngariæ irrogare: futurum breui concilium, vbi tanta temeritas compescatur; velle se Gallicis assistere, atque cum his concilium celebrare. sic fex illa populi Viennensis, vltimæ sortis multitudo, cænosa societas, loquebatur. quos sermones non ex se habuit. Neq; enim tanti pensi plebibus inest. Scola, quæ illic est, arma ministrauit, in qua singulares opiniones, cerebrosaque capita semper dominari consueuerunt; ac mentes magis elatæ quàm doctæ, & nimis de se credentes, cathedras regunt: ingrata filia sedis Apostolicæ, quæ filios nouitatum cupidos matri rebelles ac magistros erroris nutrire non erubescit. hac instante, vt fama fuit, qui rem publicam gerebant Australes cum verecentur in Cæsarem vel summum Pontificem scribere, contra Iohannem Vngenadium vitus omne deuomunt; cui litteras huiuscemodi direxerunt: *Vlricus Eizinger Capitaneus cæteriqueGubernatores terræ Austriæ Iohanni Vngenadio Imperialis Cameræ Magistro S. p. d. Quamuis in omnes semper malus fueris, in nos pessimus, neque spes sit, te vnquam quod emendes, (nam factus mali moris habitus mutari non potest) pro nostro tamen officio scribere tibi pauca decreuimus, quibus & teipsum agnoscas, & si non mutes vitam, saltem erubescas. Scias, nos tibi nimis hactenus indulsisse: nimis multa sunt, quæ de te turpia dictu, obscœna auditu, miserrima factu, referri possunt. quæ quoniam tu non es veritus perpetrare, neque nos timebimus dicere. diu regnum inter nos possedisti: tu enim nobis imperasti non Cæsar. pudet nos patientiæ nostræ, qui tanto tempore sceleratissimum te omnium, qui viuunt, hominum, tolerare potuimus: sed abiecimus iugum tuum; neque super nos amplius dominaberis. neque nos Cæsar mutare dominium compulit; qui suapte natura bonus esset & amandus Princeps, nisi te sequeretur. Tu nos arma sumere & Imperium Friderici deiicere compulisti: qui licet humili loco natus, incredibili tamen superbia viges: nemo te alloqui potuit, nisi detecto capite: nulli ostium tuum patuit, nisi munera deferenti: pede pulsanda apud te ianua non manibus fuit.*

Omnes

Omnes vnus præcedere voluisti; primus in consilio loqui, primus sedere, proximus Cæsari astare, & quamuis reuerentiam ab aliis exigeres, non tamen ipse Cæsarem reuerebaris: sæpè isto stante sedebas; sæpè super eius humerum, quasi socius, quasi magister brachium reponebas; eius equitantis primus stipabas latus. Cumque non liceret tibi præcedere Principes, qui aderant; fingebas, te habere aliquid negotii, quod Cæsari in aurem stillares: ut, qui te viderent Principi proximum, vnum te mirarentur, salutarent, honorarent. Factius Cæsarem, quàm te alloqui potuimus: qui neque nobis respondere dignabaris. grauis & intolerabilis tua superbia fuit; sed intolerabilior ingens illa tua rapacitas, qua omnes vexasti, clericos & laicos: omnes tibi vectigales fuimus. Quis aliquando gratiam quampiam ex Cæsare tulit, qui non te prius auro placauerit? apud te venalia cuncta fuerunt, præturas, præfecturas, sacerdotia, honesta & inhonesta, sacra & profana, pecunia vendidisti, qui plura dedit, non qui maiora meruit, te conante magistratum obtinuit: sæpè quoque ex nuda promissione argentum extorsisti, deinde plus offerenti officium commisisti: ille apud te melior iudicatus est, quem pecuniosiorem inuenisti; nihil tibi dulcius quàm pecunia fuit. nos tuam domum tritico, vino, sale, carne, pisce complere oportuit; fœnum bladumque tuis equis dedimus; clauos quoque tibi coëmimus, quibus equos ferro munires. omnis tua suppellex doro parata est. religiosos viros, Barones, pari tenore cum plebibus habuisti. Quippe solitus apud Nouam Ciuitatem Iudæos deglubere, quorum anseres & anserum iecinora deuorasti, nos ex illorum more tractandos existimabas. splendidas cœnas, lautas mensas, ex pauperum tibi sanguine comparasti. omittimus nuptas ad te dominique tuam nocte deductas, defloratasq; virgines, dum tuum patrocinium apud Cæsarem rogant. Quid de tuis mendaciis satis referri potest: nunquam ex te verum, nisi errante, auditum est: nunc promittere, nunc promissum negare; dictum atque indictum apud te iuxta fuit, neque iurata tua fides stabilis mansit. adhæc monebas Cæsarem, ne cui se crederet Australi; raperet ex Austria quæ posset; sciret se aliquando dominium dimissurum; quod medio tempore de pupilli hæreditate surriperet, id suum esse. caueret, vt quam exhaustum patrimonium patrueli relinqueret: sed inde qui fructus ex tuo consilio sunt secuti, meministi; quamuis es memoria breuiori. Comitatum Tyrolis in potestate Cæsarem habuisse, quidni memineris, illum qui expilasti? scis Austriam & Moraniam ab eo gubernatam: scis Hungaros, Bohemos, Slesitas frequenter ad eum recurrere solitos, regnorum negotia ex suo consilio agitare, magnum tunc tuum nomen, ingens potentia fuit. Sane dextra manus Cæsaris, consiliariorum oculus, cor Principis, dicebare. Extende nunc brachium tuum extra Styriam seu Carinthiæ Carniolæue montes, nemo tibi credit, nemo te pendit, rident te omnes atque contemnunt. quodque videmus inuiti, spectamur etiam tua culpa Cæsar. primi Tyrolenses tuam insolentiam retuderunt, armisq; sunum dominium vendicarunt. Hungari, cum tuo nutu duci Cæsarem viderunt, offensi tuis moribus, ex curia retraxerunt pedem. nec Bohemi diu manserunt, postquam te magistratus, iudicia, iustitiam, atque ipsum vendere Cæsarem, animaduerterunt. Vltimus nosac Morani in obedientia mansimus, & quamuis grauissima essent onera, quæ te suadente nobis Cæsar imponebat, quia tamen sperauimus, corrigi mores vestros, & si non te, saltem Cæsarem ad sanitatem reuerti, vestras ineptias diu nimisque patienter tulimus. At cum vos patientia nostra abueremini, secuti sumus Athesinorum exemplum, atque in libertatem nos vendicauimus; vt nobis ipsis & domino nostro consuleremus. Non est cur nobis Cæsar infestus sit, si tuis rapinis nolumus vlterius subiacere. nihil ex Cæsare petimus, nisi Principem nostrum. Nam quæ per annos vndecim à nobis excussit, conscientiæ suæ relinquimus. At ipse tuo consilio deceptus (nam cæteri Consiliarii, quæ sunt pacis, amant) tradere Dominum negat, armis contendere nobiscum apparat, vincula cædesque minatur. nihil monemur: stat sententia vendicare Dominum, arma in manu sunt. Nobiscum Hungari, Bohemi, Morani, Slesitæque sentiunt. Amittet Ladislaum Cæsar, nisi dederit. Eum si non impetrabimus, rapiemus. nimis temerarius Cæsar est, si se confidat tantis viribus obsistere posse. Quibus ex rebus, etsi scimus nos verba perdere, tamen rogamus te, vt aliquando tua facta consideres, melioremque mentem recipias, neque semper quæ pessima, Cæsari consulas. satis vulneratus est tua culpa Cæsar: noli Principem, qui tibi credit, funditus extinguere, redue in memoriam male consulta consilia tua. amicissimus Cæsaris

Cæsaris Colonienſis Antiſtes alienatus eſt, cum ſibi, te ſuadente, contra Suſatenſes negatum eſt auxilium. tuo ſuaſu perditi ſunt Turicenſes, aduerſus Suitenſes arma ſumentes: res Athesinæ tua cauſa perditæ ſunt: per te Mediolanenſe negotium infectum eſt. res Goritiæ ad intentionem Cæſaris vadentes, quis niſi tua negligentia atque inſcitia perturbauit? quis Cilienſes Principes, niſi arrogantia tua, à Cæſare alienauit? Quid de Friſingi Eccleſia dixerimus? quam de viridi ſilua vendidiſti; ſummumque illum & excellentiſsimum veſtræ Curiæ lumen Caſparem Cancellarium prodidiſti: tu Magdeburgenſem Archiepiſcopum, & Sulzburgenſem, quia non datur auri quantum flagitas, ab inueſtitura repuliſti. Nunc quoque Patauienſem electum omni conatu perſequeris, parum tibi offerentem. Sic tu Cæſari, quæ ſunt in rem ſuam, conſulis: ſic imples fidem, iuramentumque tenes. Nihil eſt, quod vnquam tuo conſilio laudandum à Cæſare factum ſit. Nam quod res Eccleſiæ compoſuit, quod vxorem illuſtrem duxit, quod Romæ feliciter coronatus eſt, quod Ducem Mutinæ creauit, quod apud omnem Italiam honoratus fuit; ideo res bene geſtæ ſunt, quia tuo conſilio geri non potuerunt: quia negotia Eccleſiaſtica neſcis, litterarum non ſolum ignarus ſed etiam hoſtis; neque Italas res aut Hiſpanas tractare, ſermonis neſcius, potuiſti. Quod ſi tu illarum rerum ductor fuiſſes, ſicut & cætera Cæſaris facta, ſic & iſta male abiiſſent. Neque de corona Theutonica, quod laudes, afferre potes. Vltimus, cum illa cæpta eſt, inter Cæſaris caros habebare. At cum iam ſolus Cæſari conſulas, ſolus eius curiam regas, cum per ſe ille tuo conſilio neſciat abſtinere; miſereat te ſaltem eius, qui de ſtercore te erexit. noli Principem de te bene meritum perdere; aut contraria his, quæ hactenus ſuaſiſti, conſule: aut, ſi bene conſulere neſcis, conſiliariatu te ipſum abdica; mutaque tandem mores; vt, qui malè vixiſti, benè, ſi fieri poteſt, quod minime credimus, moriare. Vale.

Has litteras cum Iohannes accepiſſet, mirabundus atque indignatus vehementer, eas ad Cæſarem detulit, iuſſitque in conſilio legi. Indigna ſcribere nonnullis Vlricus videbatur: quidam tacere atque inter ſe clanculum vera eſſe, dicere, quæ ſcribebantur; gaudereque tandem aliquem eſſe repertum, qui Iohannis caput acri lixiuio purgaret, inſolentiamque retunderet hominis tumidi. Cæſar autem, etſi ſe morderi non ignoraret, haud tamen mouebatur; Iohannisque contumelias æquo animo ferre videbatur. Ille verò in hunc modum reſpondit. *Iohannes Vngnadius Vlrico Eizinger ſalutem. Tantum eſſe tibi à re publica otii, vt maledictis des operam, miror: qui auſu nefario Auſtriæ Principatum inuadens, contra ius fasque dominatum arripiens, cogitare ſatis haberes, quo pacto vitam tibi tuisque complicibus retineas. Sed facit hoc otium tibi manſuetudo ac clementia Cæſaris: qui etſi tuis malignis atque nefandiſsimis conatibus omni ingenio reſiſtere, teque arte quauis perdere ſtudere deberet, iuris tamen ordine tecum agere pergit, teque potius flectere quàm franzere cupit. indigne meo iudicio. nam cum tu ferro Cæſarem atque veneno extinguere curaueris, cur non te ipſe tuis artibus perſequatur non video, cui quam facillimum eſſet, hominem comparare, qui te medio in foro truncaret. At cum Cæſar non tantum quod tua perfidia meretur, quantum quod ſe decet animaduertit, tu ad conuitia te conuertis, meque obſcenis carpere verbis audes. Quid mirum ſi tua mihi malignitas non ignoſcit, quæ neque Cæſari parcit? Diuo Cæſari tanquam Tutori Ladislai Regis fidem dediſti; in conſilium eius admiſſus iusiurandum præſtitiſti; Romano Imperio, cuius auctoritate nobilitatus eras, maximo vinculo tenebaris. Effare, quo pacto tuo debito feceris ſatis: ſi fidei, ſi iuramenti, ſi boni aut æqui, memor fuiſti. Dum Cæſar Romam proficiſcitur, concionem Auſtralium aduocas, ſuperiorem dominum tuum accuſas, ſeditionem concitas, tumultum facis, rebellare multitudinem cogis, principatum ſceleratæ multitudinis accipis, fideles Cæſaris armis oppugnas, pallatium inuadis, iudicia vſurpas, publicum vectigal exigis: neque contentus his, litteras ad Romanam Curiam ſcribis, quibus negandum eſſe coronam ſuadere conaris: hoccine fidem ſeruare eſt, an prodere? ſiccine domino tuo conſulis? tu, mea conſilia Cæſari damnoſa eſſe, contendis. At ego tua facta perniciosa oſtendo. ſi non eſt conſilium meum prudentis hominis, certè fidelis. ſi decipior, fallor opinione; neque ego, quod eſſet, ſed quod putarem optimum, iuraui me conſulturum, tu Cæſari certa ſcientia noces, quem publicè criminaris: quem ſua tutela depellis, cui necem ſtruis. Quis noſtrum*

peierat? En audaciam & perfidiam hominis! tibi ipsi malefacta condonas, mihi male consulta imputas. non iactito me sapientem, sed aio, me nihil Cæsari suadere, quod non ex usu putem: si secus euenerit, à crimine procul absum: consilia rerum nonexitus metiri oportet. tu ex proposito lædis, mala mens, malus tibi est animus. ipsa tua te negotia produnt. sed culpitas me superbum, & arrogantem, quia non tibi veteri atque potenti homini cessi; quia non te, quotiens voluisti, secutus sum. Indignè tulisti, cum Baroni tibi & seniori, minoris ætatis eques ego tecto capite verba feci: tanquam non sit tua condition nota omnibus; qui ex Bauaria fugitiuus in Austriam nouus homo venisti: nemo progenitores tuos nouit; te ferè omnes insignem esse criminibus norunt. Maiores mei, quos parui fecis, ante memoriam hominum, qui viuunt in Stiria atque Carinthia, nobiles habiti, & in primis magni fuere. quid mirum, si non potui nouo tibi homini & seleribus aucto morigerus esse; Si eos spreui, qui me apud Albertum spreuerant, si fecem populi superbientem contempsi, si Cæsari adhæsi, cum me voluit? sæpè is mecum sermones seruit, non tam necessario quam vt te cæterosque garrulos & iniqua petentes euaderet. Confer denique tuam superbiam, rogo, cum mea. ego te rure venientem despexi; tu Cæsari præferendum existimasti, qui rogas: nescis emptionem Cæsari de lapide formidinis, apud Albertum Ducem quanta præsumptione sis prosecutus. Quid illud: nunquid superbissimum est, quod te nobilitatis Austriæ ductorem appellas? quamuis sint alii quam plurimi, qui te non dico natiuo sanguine (nam hic nullus tibi contigit) sed diuitiis ac prudentia superant. ea demum vera superbia est, quæ homnem supra virtutem supraque meritum effert. Tu cum boni & graues viri honorem tibi non deferrent, ad vulgares & infimas plebes confugisti, vt qui non poteras apud integros crescere, apud corruptos mores magnus euaderes. Verum, quia me rapacem insimulas, oro mihi respondeas, vnde tibi tot opes aduenere, vt castra pignoris nomine reciperes, oppida comparares, Baroniam coëmeres? profugus, inops, nudus ex Bauaria descendisti: nulla tibi hæreditas obuenit: negotiari te nemo vidit; neque Princeps neque priuatus in te dona contulit: nulla tibi militia prædas attulit: neque thesaurum inuenisse te rumor ait. vnde igitur tam repentinè dines enasisti? At fuisti exactor publicæ pecuniæ, magistratum hubarum gessisti, omne argentum atque aurum regionis in tuas manus incidit: quid mirum si rubigo remansit? Teneo iam te, habeo: furto publico ditatus es: qui cæteros morte afficit, peculatus, te dominum fecit. Quod verò me xenia recepisse dicis, collatis beneficiis, non æstimo reprehensione dignum. Quis enim Reipublicæ seruiens non ex re publica vitam ducit? sacerdotes ex altario viuunt, in quo rem diuinam faciunt. si quis erga me gratum se præbuit, cur eius munuscula respuere debui? Officia si qua pecunia data sunt, non mihi sed Reipublicæ aurum obuenit. Quod si malum est, miror cur tu idem facias quis modo præfecturam quamuis minimam accipit, nisi argentum contulerit? quo pacto tibi honestum est, quod in me turpe fuit? quis tibi nunc non censualis est? quot, dies singulos tuas ædes intrant munera? cum facias omnia, quæ me fecisse criminaris, quis non intelligit, actorem tibi non actum displicuisse? solus qui furari posses, esse cupiebas, idque conatus es implere. At quamuis furto vnus incumbisque rapinis: non tamen solus rempublicam expilas. quam plures in hac noua gubernatione vestra tui similes emerserunt? In prædam datus est Ladislaus: quod cum tibi in faciem diceretur, commotus conscientia criminis, libertatem loquentis linguæ amputatione multasti; Peto ex te rursus, quoniam te curiosum Ladislai bonorum æstimatorem, ac Cæsaris pignora reprehendis: cur non castra restituas, quæ tibi inscripta pignoris sunt? doles pauca esse, plura malles. Id te Cæsari alienum fecit, quia quæ petiisti, non omnia dedit. Intelligo cur nouandarum rerum consilium accepisti: obstantem cupiditati tuæ Cæsarem ferre non poteras. Transis deinde mendacemque me dicis, nullum tamen habes testem, qui me sibi mentitum dicat, ostendisque te maximè mentitorem, cum aliena insectaris mendacia, quæ non reperis. Vna tamen veteris cautela, ne nimium mentiaris. nam postquam in Austriam venisti, annis iam supra triginta, vt aiunt, nunquam confessus es, nunquam te sacerdotibus ostendisti. Cur Ecclesiæ iussionem spernis? Quippe ne vel prodere horrenda scelera tua vel mentiri cogaris, verax homo, solidus religioni addictus. Denique cur tu mihi impudicitiam & adulteria imputas, impudentissimus omnium: luxuriosior fuc, hirco libidinosior? faterer me dignum quouis supplicio, si vera diceres: neque enim, qui

vitam

vitam alteram præſtolatur, huius ſeruire illecebris debet. Tibi verò nihil ſuccenſendum eſt, ſi voluptatibus huius ſeculi ſeruis, qui futuri ſpe nulla teneris; hic te cœno inuoluis, hic te Veneri Bacchoque dediſti. Sic tua te admonet phitoniſſa, cuius nutu duceris: duce diabolo vitam agis nimirum, ſi bonos omnes odio habes. Poſtremo quammagna minaris, niſi Ladislaum Regem obtineas. Non eſt meum, dicere, quæ ſit mens Cæſaris. Illud aio, ſi meo conſilio, quemadmodum putare videris, res agerentur: neque tuum ſcelus, neque Viennenſis populi temeritas, aut vniuerſæ gentis Auſtralicæ perfidia impune cederet. docerem te atque illos, quàm graue ſit, ſuo domino fidem fallere, iurisiurandi religionem contemnere, diuina & humana iura peruertere: quaſque de tuo ſceleratiſsimo capite, ſumpturus eſt magiſter tuus Sathan, ego ipſe pœnas ſumerem: neque te meis manibus, aut Sleſitæ bibuli, aut mendaces Hungari, poſſent eripere. Vale quantum volo.

Talibus vltro citroque delatis ſcriptionibus magis ac magis irritati animi ſunt. Eizingerus hortari proceres Auſtriæ, monere Viennenſes, rogare Vngaros, inuitare Bohemos; parare, feſtinare, neque die neque nocte quieſcere, dum copias ad caſtra metandum cogeret. At cum pauciores circa ſe milites cerneret, quàm neceſſarios ad obſidionem Nouæ Ciuitatis exiſtimabat; ne tempus fruſtra laberetur, dum auxilia vicinorum præſtolatur, cum ſolis Auſtralibus, & his quæ Ciliæ Comes adduxerat auxiliis, Viennam egreſſus trans Danubium pergit, atque ante Ort caſtra metatur. Id caſtellum in terra Auſtria hæreditarium Imperatoris erat, muro & foſſa egregiè munitum: intus ſexaginta fortiſſimi iuuenes cuſtodiam habuere. Inter quos duo Cæſaris cubicularii Mitterdorffius & Aſpanius, inſignis audaciæ de ſe fidem præſtitere: qui ſæpè extra portam laceſſere hoſtes in ſuis caſtris minime timuerunt; neque firmata obſidione, eruptionisque omnium facultate præcluſa, vllam deditionis conditionem accipere voluerunt. pugnatum eſt ibi ſumma vi octo diebus, cum modo ex hac modo ex illa parte, quæ minus ad defendendum idonea videretur, hoſtes in caſtrum niterentur aſcendere: neq; vlla hora lapides bombardarum, cęteræque belli machinæ conquieſcerent. ſed illi die noctuq; in armis exiſtentes, nullum inſidiis apertum locum permittere, vires viribus retundere: oppugnantes, nunc telis, nunc ſaxis è muro præcipites dare; miſſilium omnium genere multos in caſtris occidere. Ad poſtremum tamen, cum turpe ducerent hoſtes, ante vnicum caſtrum cum magno ſuorum damno tantam moram ducere; irritati ſuorum mortibus, iam murorum non parua parte deiecta, vno omnes impetu concurrentes, accepta grandi materia foſſam explent; ſagittis atque bombardis Cæſarianos ex muro proturbant, crates iaciunt, ſcalas admouent. pugnatur vno tempore omnibus locis: quæ minime pars firma eſt, huc concurritur: fit magna cædes, audaciſſimi hoſtium cadunt, diu res dubia perſeuerat. ſed traiectus tandem guttur Aſpanius, defeſſis commilitonibus magis quàm victis, cum vix quiſpiam ſine vulnere ſuorum remanſiſſet, loco cedens, ingreſſum hoſtibus præbuit. ſic caſtellum captum eſt, direptum atque incenſum: præda militibus diſtributa. Cuſtodes, qui prælio ſuperfuerant, in captiuitatem ducti. Aſpanium cum milites occidere vellent, Eizingerus, quia neptem eius deſponſatam haberet, è manu multitudinis liberauit.

Dum hæc aguntur, Rudigerus de Starhemberg, vnus ex Cæſarianis Ducibus, munitionem quandam vltra Danubium aggreſſus, ad quam plurimi confugerant, non ſine grandi cæde expugnauit atque diripuit; prædamque non modicam, & captiuos admodum multos, domum duxit. nec facta mora equitatum omnem educens, vſque ad pontem Danubii, quo Viennenſes vtuntur, omnes villas agrosque populatur; atque in ipſis pontis anguſtiis fugientes intercipit; adeoque magno impetu munitionem pontis aggreditur, vt ægrè ab expugnatione repelli potuerit. It rumor in ciuitatem: pontes Danubii ab hoſtibus teneri, dicuntur. Alii accurrentes è proximis villis nuntiant, Cæſarem cum forti exercitu Viennam petere, iamque montem aſcendere, qui ſupereminet ciuitati. Nec deſunt, qui ſe vidiſſe Imperiale vexillum, dicunt, & Aquilæ ſignum. trepidare viri, plorare mulieres; huc atque illuc di-

luc discurrere: nunc forum, nunc templa, hic misericordiam Dei reposcere, ibi quid agat Senatus, inquirere. Qui suburbia colunt, vallo & fossa diffidere; raptim bona quæ habent mobilia, in oppidum ferre. Ciues ipsi pecuniam & quæ pretiosa reputant, aut murare, aut sub terra condere: nihil inuium hosti, nihil sibi tutum credere: nulli satis animi aut consilii esse; nouitatem quæ facta esset, damnare; Eizingerum & omnes belli auctores odire; iamiam se victos & in captiuitatem ituros existimare. Quod si vera, quæ de Cæsare ferebatur, fama fuisset, & finem illa dies bello & stultitiæ Viennensium digna præmia tribuisset. At defenso ponte cum vanum fuisse timorem, qui de Cæsare sumptus erat, compertum est, rursus in contumaciam plebis animi sunt erecti; &, quem paulo ante vt fortem & animosum Ducem formidabant, mox quasi mulierem inermem contemnere eiusque nomen infamare cœperunt.

Per idem tempus Haimburgenses, qui supra Danubium sedent in Austriæ finibus ad Hungariam respicientes, cupidi nouitatum, quamuis arcem eminentem opido & munitissimam & altissimam in potestate Cæsaris esse scirent, ad Eizingerum mittentes, eius se partem secuturos aiunt: si præsidium ad eos mittatur; quoniam, se Regis esse homines non Cæsaris, dicerent. Eizingerus milites eo dirigit, quos putat aduersus eos, qui arcem teneant, oppidanos tueri posse qua re Cæsari nuntiata, Marscalcus cuius frater arcem in manu habebat cum quadringentis equitibus, noctu festinare atq; opidum vendicare iubetur. Is imperata celeriter exequens, ante lucis ortum eo peruenit; ac equis in abdito loco cum custodia relictis, pedes montem ascendit, portamque secretam arcis ignorantibus opidanis ingreditur. Deinde signo dato in opidum ruit, ferro atque igne cuncta perturbans. Oppidani improuiso malo deterriti fugam faciunt; milites, quos eorum præsidio veniisse diximus, in turrem quandam se recipiunt: sed inde breui fumo igneque deturbati capiuntur. Opidi maior pars incendio consumitur: neque templo, quod ibi sacrum erat, vorax flamma pepercit. fuit & rumor, sacerdotem loci cum audito tumultu in turrim Ecclesiæ fugisset, ardente templo fumi magnitudine suffocatum. quod postea falsum fuisse comperimus. sed libros eius & sacri Altaris ornatus, qui in manus inciderant Bohemorum, venditioni expositos in Noua Ciuitate, nos ipsi vidimus.

Eizingerus quoque adolescens, vnus ex cubiculariis Cæsaris, qui Romæ fuerant, non reticendum facinus sub eodem tempore gessit. Huius Pater castellum quoddam in Austria superiori natura munitissimum ac magnorum reddituum, dum Cæsar Romam peteret, custodiendum acceperat. quod cum parum cautè obseruasset, ex improuiso ab hostibus est occupatum. quæ res Patri & filio veluti probro sæpius est obiecta: sed magis iuuenem, quàm senem contumelia momordit. anxius igitur adolescens, paternam quo pacto tegeret infamiam, dum tendit insidias hostibus, castellum esse .... Dominorum de Valse in altissimo monte situm, in quo vicini propter metum belli quæcunque habent cariora reconderint, præfectumque loci relicta illic cum paucis vxore peregre profectum. hinc nactus occasionem, qua patris ignominiam deleret, barbam suam, quamuis modica esset, accuratissime radit, vestes muliebres assumit, minorem fratrem adhuc imberbem parem habitum induere & gladium sub tunica cingere iubet: pullos deinde aliquot gallinaceos & caseos & nescio quid pomorum in canistrum accipiens, accersitis decem famulis quos edocuerat, quid facto opus esset, versus castellum proficiscitur: famuli cum armis opportuno loco in insidiis collocantur: ipse sub specie mulieris, cum fratre, quem typum ancillæ gerere iussit, portam accedens, castelli hostiarium vocitari; quærens, an domi præfectus sit, quem de sua causa velit consultum habere. quo respondente; solam dominam & duos famulos domi esse, Præfectum autem die præcedenti negotium aliquod acturum equitasse: sine ergo, inquit, quæ domino ferebam munuscula, suæ me coniugi reddere: simulque pullos ostendit. Ille nil mali suspicans, adolescentes, quos credit fœminas, intromittit: qui

mox ha-

mox habitu muliebri deiecto, euaginatis gladiis portam occupant & concurrentibus ad signum famulis patefaciunt: inuadentesque castrum cuncta sine controuersia in potestatem suam recipiunt: scribuntque Cæsari, vt quàm celerrime sibi auxilia mittat: quibus se possent contra vicinos defendere. sed re circumquaque cognita, cum malum ad totam viciniam pertineret, quæ omnem hic thesaurum suum absconderat, repentè omnes in circuitu sumptis armis vnanimi consensu velut ad commune restinguendum incendium adolescentes obsidione circumdederunt; atque admotis bombardis die noctuque oppugnantes, prius eos in deditionem acceperunt, quàm missum à Cæsare subsidium eo pertingere posset. sic adolescentes magis animosi quàm fortunati, dum patri maculam demere ..... sibi ingerunt, damnumque damno cumulant.

Wolffenreuter quoque, non incognitus apud Australes nobiles, hisdem diebus nonnullas vltra Danubium villas diripit atque incendit. Nec Comitis Magdeburgensis equitatus quiescit. vbique rapinæ atque incendia fiunt: hic Cæsariani vastantur, hic Australes diripiuntur. &, quoniam castra inter se commixta sunt amicorum atque inimicorum, nusquam tota Austria quietus angulus inuenitur. bellum domesticum & intestinum nihil vsquam tutum reliquit. horrida & miserabilis terræ facies: cognati cognatos oppugnant, fratres contra fratres, filii contra patres, & patres aduersus filios arma gerunt. Comes de Pulchromonte, alias de Schaunberg, cuius supra meminimus, & filius eius senior, partes Australes iuuabant: duo filii mediocres Cæsariano fauebant nomini. Ex domo Potendorfia, Ebersdorfia quoque, alii Cæsarem, alii Australes sequebantur. rara non diuisa familia fuit.

Hungari, quoniam inducias, vt demonstratum est, cum Cæsare habuerunt, cum manifestè indicere bellum non auderent, nobilibus Austriæ, qui partem Cæsaris fouebant, in hanc sententiam scribere: Arma ne contra suum Principem pro Friderico Cæsare sumerent: Hungaros, Australes, cæterosque Ladislai subditos eius esse propositi cogitarent, vt suum Dominum ex manibus Imperatoris eriperent, atque in paterno solio collocarent. cauerent ne dissentirent à cæteris; scirent turpissimam dici partem, quæ vniuerso non conueniret: prouiderent, ne contra agere viderentur, ac non solum possessiones amitterent, sed infamiæ quoque notã incurrerent. Nemo tamen his litteris motus est. omnes, qui Cæsari fidem dederant, in sententia perseuerauerunt, nec dignos Hungaros putauere quibus rescriberent. Cæsar autem maximum existimans, si regni huius fauores Australibus demeret, Æneam Episcopum Senensem ad eos mittere decreuit: cui & Romanus Pontifex in Hungariam Legationis officium commiserat, atque instructiones transmiserat, secundum quas Prælatos Vngariæ & Proceres alloqueretur. Iamque publicæ securitatis litteras Regni Gubernator ad Æneam direxerat, qui eius aduentum non inuitus expectabat.

Erat hoc tempore Regni Iohannes de Hunniad Vaiuoda Transyluanus: haud magno genere natus; sed animo grandi & consilio prouido; qui post Alberti Regis obitum vnus iudicatus est, qui Regnum Vngariæ à Turcorum inuasionibus liberaret. sæpè cum eis manus conseruit; sæpè copias eorum fudit: multas intulit eis strages; militaria signa quamplura ex eis domum retulit. Bis tamen ab illis, non sine maxima Christianorum calamitate superatus est; semel, sub Ladislao Rege Poloniæ & Iuliano Cæsarino Cardinali sancti Angeli Apostolicæ sedis legato, qui tunc perierunt: & iterum, cum ductor ipse magnas copias haberet, cum Varadiensis & Aprensis Episcopi multique regni Barones interierunt. Nam duobus his præliis non minus quàm sexaginta millia Christianorum vel cæsa vel capta creduntur. Remansit tamen apud Hungaros Gubernator Iohannes. Nam qui exercitum semper apud se paratum haberet, arcesque regni meliores possideret, amouendus haud facile videbatur. Hic Fridericum Cæsarem, siue vera fuit siue simulata beniuolentia, singulari affectione prosequi sese ostendebat. nonnulli existimabant, hominem regnandi cupidum libenter studere Cæsari, vt quàm

diutiſſime Ladislaum in poteſtate haberet, haud dubie reputantem, illo demiſſo & ſe Regnum dimiſſurum. Optabat igitur, Æneam ad ſe mitti, per quem poſſet ſuam mentem Cæſari notam facere. Iamque litteras ad Æneam direxerat, quæ tutum ſibi per Hungariam iter præberent. ſed reuerſi oratores Ducum Bauariæ & Alberti Marchionis, de quibus ſupra mentio facta eſt, dum tractatus pacis cum Auſtralibus inchoare nituntur, miſſionem Æneæ in Hungariam retinuerunt. Hi cum Cæſarem alloquerentur, aiebant: Auſtrales iam paratis copiis prope diem ad Nouam ciuitatem venturos, atque, vt minabantur, obſidionem facturos. Suadebant igitur, Pacis tractatum ante ſuſpiciendum eſſe, quàm profundius inimicitiæ procedeernt. Cæſar quamuis nullo ſe timore concuſſum oſtenderet, non tamen tractare de concordia recuſat: ſeque, ſi Auſtrales conſentiant, conuentum habiturum, dicit; vocaturumque Principes ſuos ac Ladislai conſanguineos, & vtriuſque partis ſubditos; cumque his diſcuſſurum, quid ſit agendum. Interim ambæ partes arma remittant: idque Legatos apud hoſtes quærere iubet.

Dum talia fiunt, Henricus filius Vlrici de Roſis, homo nobilis, ex Bohemia cum peditibus octingentis, equitibus ducentis, ad Auſtrales venit. Hic olim Cæſaris ſtipendia meruerat: ſed cum ſibi minus daretur quàm Bohemorum poſcit ingluuies, indignatus abiens hoc tempus expectauit: quo Cæſari, quid poſſet, oſtenderet. Adduxit autem ſecum Thaboritas, pleroſque irreligioſos atque infideles; homines cædibus ac rapinis aſſuetos; quos nec humana ratio, nec Dei metus ab vllo vnquam facinore reuocauit. Cum his Henricus ingreſſus Auſtriam, primo impetu cuiuſdam Nobilis Nondura, qui partes Cæſarianas fouebat, caſtrum expugnauit, ſuisque præbuit diripiendum; inde ad Eizingerum ſe contulit. cuius aduentu, ſimulque victoria ..... ana ſublati Auſtrales haud morandum amplius cenſent, quin Cæſarem domi obſideant. Sed apparatis curribus, & omni bellica ſuppellectile comparata, Viennam exeunt, recto itinere Nouam Ciuitatem petituri. quibus Legati Principum obuiantes petunt, ne progrediantur vlterius, priusquam ſe audiant. data copia dicendi, aiunt: grande negotium eſſe, de quo cum Cæſare controuerſia eſt, neque facile diſcuti poſſe: quod ſi fiant inducíæ paucorum dierum, putare ſe, facile præbituros contentioni modum. Auſtrales his auditis, neque longas neque breues inducias ſe daturos affirmant: niſi reſponſum ex Cæſare obtineant, quod Regem eorum ſit extra manus aliquando miſſurus; procedereque recta via ſe aſſerunt, ut Nouam Ciuitatem obſideant, experianturque, ſuum Regem an valeant vendicare. Legati ad Cæſarem reuerſi exponunt, quæ audierant: petuntque reſponſum, an intra tempus aliquod Ladislaum extra manus Cæſar daturus ſit. namque ſi hoc audire poſſint, aiunt, ſe ad conueniendum de tempore, deque modo dimiſſionis, inducias obtenturos.

Cæſar rem in Concilio ponit. ibi Æneas Senenſis Epiſcopus rogatus ſententiam dicere; Ego ſi tuo loco ſim Cæſar, inquit, dicam: me Ladiſlaum pupillum in hanc vſque diem gubernaſſe, educaſſe, vt conſanguineum; inſtruxiſſe vt filium. quod ſi nunc ſubditis eius videatur iam tempus eſſe, vt ad regendũ vel Auſtriam vel cætera dominia dimittatur, non reſiſtam. Verum quia puer adhuc eſt, & inſtructore indiget, petam fieri conuentum ad certum diem ſubditorum eius & Principum, qui ſibi ſanguine proximant: vt quo pacto deinceps ætas pueri dirigi debeat, in conuentu diffiniatur; &, quicquid illic decretum fuerit, exequar. Non ſpoliabit te Conuentus adminiſtratione pueri, quem videbunt ad regendum ineptum. non ſolus in conuentu Eizingerus audietur. quod ſi omnes dimittendum Regem decreuerint, impetuoſo flumini minime te oppones: facies ante diem, quod poſt diem omnino es facturus. Neque enim tu is es, qui perpetuo puerum hunc in poteſtate habere debeas. Euitabisque meo conſilio impetum belli, quem ſupra te parum modo prouiſum hoſtes adducunt. Poſt Æneam, Iohannes Neipergius conſilium daturus, neque refellendam dictam ſententiam arbitratur, neque amplecti eam au-

tam audet. Sed cum ad Iohannem Vngnadium ventum esset, sic ille locutus est: Tibi, Cæsar, Regina Elisabeth puerum hunc Ladislaum non Eizingero aut cuipiam alteri credidit. tu illi tutor legitimus, & proximus consanguineus es: nondum eius anni ad gubernandum idonei venerunt. cur tu cuiuspiam arbitrium super eius dimissione sequaris? Sæpè hunc puerum Bohemi atque Hungari ad se mitti petiuerunt. habito cum Australibus consilio nunquam inuenisti, cum esse ante pubertatis annos dimittendum. cur modo sententiam inter paucos mutes, non video. Consilium hoc secretissimum habebatur: neque amplius quàm octo ex Consiliariis accersiti fuerunt. ex quibus tres Æneam, tres Vngenadium sunt secuti. Neipergius enim, quamuis prius quid sentiret non apertè ..... audito tamen Vngnadio in eius sententiam manifesta voce prolapsus est. Erant ergo tres illi, quibus Cæsar plurimum credebat, vnius animi atque voti. & cum his Marscallus sentiebat. Starhembergius autem consilio maturus Æneæ sententiam probauit, & Vlrici duo viri Ecclesiastici & iuris peritiam habentes. sed nihil momenti huic parti traditum est. placuit Cæsari consilium, quod indignationi suæ conformius visum est. neque enim facile verum irati vident. At cum postea pernicioſam sese accepisse deliberationem Cæsar intellexisset, sæpè inter Consiliarios de rebus gestis conquestus, vtinam, Ænea, inquit, tuo consilio auscultassem. Respiciensque duos Vlricos aliquando cum Æneа loquentes, vtinam, ait, ô Presbyteri, vestris vocibus credidissem: neque enim id dedecoris incidissem, quod modo perpetior. At sera est post factum prudentia. Datur ergo responsum Legatis, quod ex consilio Iohannis Vngenadii recipi potuit: rursusque illis iniungitur, inducias, si possint, belli ad tempus impetrent. Neque illi laborem recusarunt: quamuis scirent se frustra niti. sed profecti rursus ad Australes, quos non procul inuenerunt (paulatim enim cum exercitu appropinquabant) expositis mandatis nihil obtinuere: dicentibus Australibus; duritiem Cæsaris, quæ flecti verbis non posset, mox armis cessuram. iamque ad sextum lapidem hostilis exercitus confederat. quæ res Imperatori relata acerbum animum faciebat.

Interim Sigismundus Salzburgensis Archiepiscopus, Iohannes Frisingensis, & Fridericus Ratisponensis Episcopi, tractaturi pacem aduentant: sed non remotè prosequebatur eos exercitus Australium, ita vt simul & bellum & pax incedere viderentur. Erat Noua Ciuitas plena tumultu: & alii in armis decurrebant, hostibus obuiaturi; alii cum Sacerdotibus & Sanctorum reliquiis excepturi nouum Archiepiscopum festinabant; quem sedis Apostolicæ natum legatum appellant. Spectaculum minime lætum: Sacerdotes & milites, cruces & lanceas, clipeos & pictas beatorum tabellas, concursantes cernere. Ingressus est autem Archiepiscopus in habitu & insignibus, quæ legato Cardinali debentur. Nam & crucem ante se detulit, & cappam & pileum rubei coloris gestauit, benedixitque populo. sed nihil horum Archiepiscopo non debitum, præter pileum. & illum fortasse Salzburgensis Ecclesia singulari priuilegio meruit, de quo nondum sumus experti. subita tamen & mirabilis mutatio huius Prælati fuit. Intrauit vt Cardinalis; mansit vt Episcopus; exiuit vt plebanus. Sequenti die Australes in conspectum se vrbis dederunt, locumq; conspicati sunt, vbi castra ponerent. Ostendentes autem apparatum ingentem, in apertis campis, structis aciebus, maximo tubarum clangore, & hominum clamore modo hanc modo in illam partem concurrebant; &, quasi obsessis illuderent, nutibus ac vocibus indicabant. Ex Cæsarianis nonnulli egredientes, cum impares se multitudini hostium cernerent, comminus congredi non præsumpserunt; sed sagittis eos eminus & bombardellis infestabant. Saxo tamen quidam, homo nobilis, magis audax quàm fortunatus, equi violentia longe à suis transportatus, cum se verteret, putaretque Cæsarianos suum sequi cursum, inter medias hostium cateruas sese reperit. id cum ex sermone circumstantium deprehenderet, nescius, veluti captus, quidnam ageret, aliquandiu substitit. postquam

quam vero nulli se cognitum animaduertit, quasi vnus ex hostibus sit, in Cæsarianos impetum facturus, vrgensque calcaribus equum aciem egressus ordinem rumpit. tum cognitus non tam fugare quam fugere, cum non posset æquari cursus, sagittis impetitur. quibus ille grauiter vulneratus ad suos rediit, neque postmodum huic bello vtilis fuit. Australes autem ea die nil amplius ausi sunt. Neque enim tam pugnaturi quàm situm experturi apparuerant.

Imperator vero commotus his rebus, iubet Oratoribus Principum dici: ne sese posthac paci medios offerant; quia tueri ius suum armis proposuisset. Erant enim hi homines suspecti Cæsari, tanquam hostibus nimis fauerent. Atque idcirco refutati sunt. simulque putabatur, si de pace agendum esset, honestius illam Episcopos perquirere posse. quod intelligentes Oratores, indignabundi abierunt, die Lunæ quæ fuit Augusti lux quinto kal. Septembris. Australes iterum in conspectum bis, cum omni exercitu, ab ea parte, quæ Viennam respicit, venientes, structis aciebus, clamore hominum maximo, tubisque sine modo clangentibus, insultum faciunt: adortique Cæsarianos, qui loci angustias ante opidum tenere confidebant, sine mora perturbant. Tantusque fuit hostium impetus, vt neque gladiis neque sagittis neque lapidibus bombardarum, neque aliis quibuscunque tormentis prohiberi potuerint, quin ad portam vsque suburbii per viam artam atque aquosam progrederentur, ægreque porta ipsa defenderetur. Nam & ingredi hostes insequendo fugientes conati sunt; & fecissent, nisi conuersi quidam robustiores, in ipsius portæ limine pro vallo se obiecissent. ibi aliquandiu acriter pugnatum est, cum Australes ingressum animosissimè peterent, Cæsariani fortissimi prohiberent. Inter quos Paumkircher, nobilis ex Stiria, quàm vasto corpore tam viribus validissimus clara suæ virtutis documenta demonstrauit: qui hostis impetum retinens cludendæ portæ præbuit facultatem. Cum illis & Capitaneus Imperialis manum confossus est; vt, qui carebat oculo, manu quoque careret. prohibiti autem hostes intrare suburbium, molendino quodam portæ propinquo negligentius custoditæ potiti sunt. Vbi & munitionem fecerunt ad Ecclesiam sancti Marci: è regione portæ bombardas locarunt. Castra ad mille passus remota posuerunt: tentoria & omnis exercitus ex muris opidi facile videri poterant. Existimati sunt, qui arma ferrent hominum duodecim millia; equitatus vix quatuor millium iudicatus est. Præcipui in exercitu fuerunt: Vlricus Comes Ciliæ, Henricus Dominus de Rosis, Vlricus Eizingerus, Austrium Capitaneus: Bernardus Comes de Schaumberg; senior fratrum de Valse, Ciues Viennenses. Ex Morauia Capitaneus Snoime. Fuerunt & aliquot alii Barones ac viri ex Austria nobiles: sed rerum summa penes hos fuit. Augebatur autem indies exercitus, confluentibus, vt fieri solet, aliis stipendii, aliis videndi causâ. sed pugnatum est hoc solum die, de mane vsque ad horam duodecimam, dure atque asperrimè; postea remissior pugna fuit. Nam clausa portâ, solum missilibus actum est. ex opido, & in opidum assiduè missi bombardarum lapides: quibus intra muros tres tantummodo perierunt; sagittis vulnerati quamplures, nullus occisus: ex hostibus admodum multi periere; in quos liberius bombardæ fulminauerunt. Sane primo congressu currus duo fuerunt ante portam, armatis onerati bombardis, quæ ad humani capitis magnitudinem lapides iacerent: quarum magister vt cumulum armatorum hostium appropinquare conspexit, dato more igne in confertam aciem quatuor simul lapides direxit, & conuerso remone curruum in opidum se recepit. Vidisses armatorum frusta per aërem volantia, simulque capita & brachia ferri; trunca quoque hominum corpora cum equis ruere: dirum & horribile spectaculum: post meridiem cum socium suum quispiam forte sepeliret, dum brachia protendit, terram ligone colligens, quam cadaueri subinduceret, ex improuiso lapide bombardæ percussus vtrasque manus amisit. In Molendino vero, quod supra captum ab hostibus diximus, adeo multos, lapi-

des ex-

des occiderunt, vt riuum ibi fluentem ſanguinolentum ac rubeum redderent. Bohemi locum illum ſub vexillo de Valſe tenebant: quorum tanta pertinacia fuit, vt quamuis extingui iuxta ſe ſocios cernerent, mori tamen potius ibi quàm vacuum relinquere mallent: deſpectum noſtro ſeculo hominum genus; qui nec ipſi mortem timerent, nec ſuis ducibus occiſi dolori eſſent.

Eizingerus autem inter hæc, vt pugnam remiſſiorem aſpicit, veritus, ne Viennenſes in aſtutia ſua propoſito excciderent, ſi forte minus fortunatas res cernerent; Viennam, qui bombardas Cæſaris in curribus receptas, ſuburbiumque Nouæ Ciuitatis obtentum, multos ex hoſtibus cæſos, referant, nuncios mittit. quibus adhibita fide, tubicines totam vrbem diſcurrentes bono eſſe animo plebem commonuerunt, victoriam in manu eſſe, dicentes. quæ res quamquam falſa eſſet, tamen ingenti gaudio ciuitatem repleuit, occaſionemque omnem abſtulit noui conſilii capſundi, quod nonnulli quæritabant. Vtcumque tamen facta haberent, Noua Ciuitas omnis..... hoſtes animum maiorem habere, intra mœnia terroribus plena eſſe omnia; extra minas creſcere. Qui frumentum in Ciuitate haberent, occultare: victui neceſſaria cuncta negare. Iam panis in foro nullus inueniri venalis, vinariæ claudi tabernæ: vultus pallere omnium: conqueri alter alteri, damnare bellum, vituperare ordinem, perditos ſe omnes: quæ ſunt in ſuburbiis, intra opidum ferri. ſi quid tardius adduceretur, rapinæ dari: mulieres vlulatu complere omnia. Verum Archiepiſcopus & ſuffraganei ..... periculoſam animaduertunt, egreſſi ad hoſtes inducias vnius diei ad componendam pacem obtinent. Cum ea die nihil egiſſent, rurſus alterius diei moram accipiunt. In hac factum eſt, vt Cæſar ad colloquium exiret. petente Comite Ciliæ, itum eſt extra portam, quæ oppoſita eſt Hungariæ. ibi occurrentes hoſtium Duces, præter Eizingerum, qui remanſerat in caſtris, vt in conſpectu Cæſaris fuerunt, deſilientes de equis mox ad genua eius ſeſe dederunt. quibus data dextra, & aſcendere equos iuſſis, Imperator & Comes Ciliæ in agrum ſeorſum egreſſi, ad horam & dimidiam collocuti ſunt. Imperatori præſidium vrbis porta, in propinquo armatis munita: Comitem tuebatur equitatus hoſtium, ad iactum ſagittæ diſpoſitus. Comitis verba, ſicut poſtea nobis in conſilio Cæſar expoſuit, in hanc ſententiam ſonuere: *Non eſſe gratum ſibi, aduerſus Imperatorem arma ferre; ſed coactum ſtatus retinendi cauſa. poſſe tamen & armatum prodeſſe, ſi Cæſar ſibi auſcultaret. imminere Cæſari graue bellum Auſtralium, Hungarorum, Morauorum: id poſſe declinari, ſi Teſtamento Alberti ſatisfieret, poneretur que Ladislaus in Poſonio, iuxta Patris voluntatem gubernandus, donec adoleſceret. Hæc ſi Cæſar faceret, diſceſſuros è caſtris Auſtrales, Morauos quieturos, & Hungaros.* Cæſar incuſare *Comitis infidelitatem:* monere, *vt rediret in viam; futurum apud ſe magno..... ſi hoc agat; ſcire, iniuſtam Auſtralium cauſam; Teſtamentum, cuius feciſſet mentionem, nunquam fuiſſe oſtenſum; nunc demum poſt annos duodecim ſurgi. iniquum eſſe, ſe priuari tutela, quam ſibi ius Patriæ atque Imperatorium gentiumque omnium crederet.*

Cum non conuenirent, ſuaſit Comes, in noctem recipienda conſilia; prorogandas in craſtinum inducias, mittendosque vtrimque conſiliarios, apud quandam Eccleſiam extra opidum, qui mediantibus Epiſcopis de pace transigerent. ſic receſſum eſt. Sequenti die Cæſar ſex Conſiliarios ad colloquium miſit: ab exercitu ſex ipſi Principes multitudinis venerunt. ibi ad meridiem coram Epiſcopis protracta res eſt, meditataque ſunt nonnulla pacis capitula. Placitum quoque, vti Cæſar rurſus extra opidum egrederetur, ac præſentibus hoſtibus capitula confirmaret. Egreſſus eſt Cæſar ad hoſtes, duabus horis ante ſolis occaſum. rurſusque Duces hoſtium ad pedes Cæſaris ſe dederunt; inter quos etiam motor rerum Eizingerus fuit. quibus iterum iuſſis equo inſidere, corona facta eſt vtriuſque partis armatorum equitum; in medio Cæſar ex vna parte cum conſilio fuit. ab altera Duces hoſtium ſteterunt, penes quos belli gerendi arbitrium erat & pacis. Ibi cum leges concordiæ exponerentur, viſæ ſunt omnes ſecundum hoſtium deſideria

compositæ. tempus erat ad deliberandum breue. neque enim vltra solis occasum, qui iam instabat, induciæ protendebantur: quas cum Episcopi ad proximam diem extendi petiuissent, minimè obtinuerunt. Ea igitur mente vtrimque discessum est, vt mox arma sumerentur. Sed aderat forte Karolus Marchio Badensis, Sororius Imperatoris; præstabilis Adolescens dignaque Patre soboles. Is vbi turbatis ..... ab inuicem partes discedere cognouit, apud Australes remansit: sequentem diem ad pacem tractandam quietum impetrauit. Cumque nouæ in horas oriuntur difficultates, vsque ad meridiem Sabbathi, quod proxima luce sequebatur, induciæ promotæ sunt. atque in his per Marchionem & Episcopos Pacis leges in hunc modum dictæ sunt: *Obsidio è vestigio soluatur: dimittaturque totus exercitus: Tertia post illam diem Rex Ladislaus extra opidum missus Comiti Ciliæ gubernandus tradatur, donec per Conuentum subditorum eius & vtriusque partis consanguineorum vnanimi consensu simul cum Cæsare decretum fuerit, vbi teneri & per quos regi debeat. In festo Martini proximo Hungari, Bohemi, Moraui, Australes apud Viennam conuentant; vbique aut Cæsar adsit aut Legatos habeat, ac de gubernatione & collocatione Regis nondum puberis apud conuentum agant tres Episcopi; duo Baioriæ Duces, duo Marchiones, alter Badensis alter Brandeburgensis, aut adsint, aut mandatarios mittant: & auditis vtriusque partis contentionibus amicabili tractatu lites diffinant, pacem ex integro reformantes. Captiui vtrinque liberi dimittantur; quæ bello rapta sunt, si extant, restituantur: iniuriarum omnis memoria deleatur. At si concordia in conuentu Viennensi facta non fuerit, nihil actionum suarum Cæsari depereat.* Hæc cum in consilio Cæsaris legerentur, peterenturque sententiæ Senatorum, fuerunt, qui in hunc tenorem verba fecerent: *Iurati sumus, tuæ mansuetudini, Cæsar: neque consulere possumus, quod in rem tuam esse non credimus. pernicioſa est & captionis plena, quæ tibi pax repromittitur. Nemo nisi victus coactusque hanc pacem accipiat. Regem, cuius tutor es, extra manum dabis: de tutela postmodum disputabis. At fiet conuentus apud Viennam; Principes illic omnia disponent. facient quidem, si potuerint; si partis vtriusque voluntatem habebunt. Verum quis Hungaros, & alios Regis subditos ad res æquas adducet? si non erit concordia, salua sunt tibi actiones, inquiunt. fatemur: sed non sunt salua castella, quæ hostes diruperunt; neque tutela Regis tibi salua est, quem Comiti tradis homini fallaci & perfido. Quis agrum possidet, aut de illo litigaturus, aduersario tradit? omnes possessioni incumbunt, quoad possunt: tu ipsum indicta incognita causa spoliabis? si placet Regem dimittere, disponito prius, quæ damnorum compensatio fiat, quæ præmia fideles, quæ pœnæ sequantur iniurios; quæ retineas, quæ restituas opida. cuncta melius retento quam dimisso Rege compones. necesse est, aiunt plerique, amplecti pacem, quæ datur. cincta est obsidione Ciuitas; quatiuntur muri vndique; victui necessaria desunt; auxilii spes nulla est: trepidat populus, hostis indies augetur; magnum dedecus, maius damnum, si capta ciuitate & Regem & nos ipsos amittamus. O imperitas voces! ô inexpertos homines! timerene hic capturam oportet, vbi opidum forti milite plenum, alto muro & fossa profunda circumdatum, & aquis muratum est perpetuo scaturientibus. Octingenti milites, absque ciuibus, in vrbe sunt; qui non solum huius opidi sed vrbis Romæ tueri possent mœnia; frumenti magna vis apud ciues habetur, quamuis multi suum obtegant. Frangemus manu triticum, si molæ defuerint: absumptis aliis carnibus, equos vorabimus: non decerunt in quatuor mensibus cibaria: nequeunt hostes tamdiu obsidionem tenere: abibunt, quamprimum nostros animos intellexerint obstinatos. nec nobis, vt quidam putant, auxilia desunt. Scit tua sublimitas, Gerziconem Bohemiæ gubernatorem iam exercitum instruxisse, quem tibi adducat: ante decimum diem ad Danubium veniet. Stirienses ante octo dies cum quatuor millibus aderunt. Georgius de Pucham, Rogerius Starhemberger, & qui tuas partes iuuant, sine mora succurrent. Quid deinde facturum credis Albertum Germanum tuum, cum te clausum audiuerit? annon ille cum Sueuis descendet? Quid insuper cæteri faciant Imperii sacri Principes? credisne te Dominum suum per iniuriam obsideri permittant? expelletur, ne dubita, perfida manus hostium; aut in campo, quod magis optan-

optandum fuerit, trucidabitur. Quod si omnia hæc defuerint, non aufferetur fugiendi facultas. quid magnificamus hostes? vnam solummodo portam obsident: tres nobis ad exitum patent: inuitis hostibus cum Rege Stiriam petere possumus, atque illinc prælium instaurare. Quanquam, etsi omnes portas inimici custodirent, irruptiones noctu facientes, si viri essemus, saluis liceret abire. Alius quippe, si hoc modo tuo loco clausus esset, in quemcunque locum bombardæ hostium dirigerentur, ibi Ladislaum inermem collocaret, ictus lapidum excepturum. Sic enim aut obmitteretur oppugnatio; aut, qui causa bell, esset, in eum pœna rediret. Magnum quidem atque horribile facinus: sed scelus scelere vincitur. periuri homines Austriæ Ducem insequuntur; Imperatorem obsident, Papæ illudunt, diuina & humana iura peruertunt. & non omni aduersus eos arte vtemur? At puer innocens conseruandus est. Immo verè nocentissimus, qui suis scriptis ausus est hos modo, modo illos incitare, & ante annos Imperium affectare, propter eum hæc tempestas orta est: pereat ipse potius quàm dignitas Imperii & Apostolicæ sedis maiestas intereat Tu si sapias has pacis leges nulla ratione suscipies. Hæc cum duo tresue dixissent, haberentque non paucos sequaces, qui etsi de Ladislao missilibus hostium obiiciendo dissentiebant, pacem tamen improbantes, resistendum inimicis summo conatu suadebant. alii abominantes illorum verba, sententiamque damnantes, in hunc modum consulebant: *Si pergis, vt nonnulli suadent, inclite Cæsar, pacem fugere, bellumque gerere; necesse est, sumptus quammaximos subeas. Nemo tibi auxilium præbebit, qui non abs te præmium petat. incerta est sors belli, caput tuum & animas nostras obiectabis periculo. Terram Austriæ tibi hæreditatem incendio dabis. Si vinceris; & rem simul, & nomen amittis. Si victor euadis, paras tibi aliquid laudis, at emolumenti nihil. neque enim viuente Ladislao tuam facere prouinciam potes. Tutorio fortassis nomine ad biennium triennium ue dominaberis. Quid tum, numquid plus bellum exhauriet, quàm tutela tibi præstare possit? nemo qui sapiat, cum pace frui valeat, ei se prælio immiscebit, cuius expensas maiores intelligat esse quàm prædas. Age, quid mali sub promissa pace continetur? Nempe quod ante tempus remittere tutelam iuberis. tutelam nostri maiores onus esse, non honorem dixerunt. Leuaris igitur pace clara, non grauaris. quin tu hodie facias, quod post biennium facere penitus oportebit. Remitte puerum istum. Qui cum venerit in manus hostium, non secus Hungariam, Bohemiam & Austriam, quàm Iunonem, Venerem ac Palladem exitiale pomum, quod Alexandri iudicio consignandum fabulæ tradunt, in contentionem adducet. Tua sublimitas domi quiescens vindictam inimicorum videbit, cum illi propter Regem sese inuicem laniabunt. Quod autem puerum morti offeras, non crudele sed horridum & abominabile penitus execrandumque tua pietas iudicabit scelus.*

Ad ea Cæsar, non est, inquit, sine nostro maximo dedecore, periurum Austriæ populum in tantum debachari potuisse, vt nos vrbemque nostram obsidione cingeret, cum perfidis eius conatibus valeremus obsistere. ibit rumor hic in omnem terram, nec nostrum quispiam nomen amplius verebitur, quando intelliget nos à nostris subditis coërceri. quis nostrum deinceps auxilium expectabit, cum nobisipsis opus sit auxilio? Quæ gens nostrum timebit Imperium, quando vilissima gens Australis insultare nobis est ausa? Contemnemur certè atque irridebimur apud omnes gentes: qui susceptis Imperialibus insulis, mox à nostris inuasi subditis, patruelis nostri tutelam dimittere compulsi fuerimus. Hæc dum mente reuoluimus, libet experiri extrema omnia, priusquam sceleratæ genti vel minimum complaceamus. Est, vt alii dixere, Georgius Regni Bohemiæ Gubernator, qui nobis ingentes copias in auxilium pollicetur. Stirienses propè diem aderunt cum exercitu. Albertus Sueuos adducet. Non silebunt alii Principes: opidum & munitum est, & annonæ plenum: hostes rerum omnium patiuntur inopiam, neque perseverare diu possunt. Suntque inter se discordes. Hungari propter inducias nequeunt interesse. Cur non forti animo dies paucos obsidionem feramus? donec venientibus auxiliis exire in hostes ac turpissimi & iniquis-

simi populi sumamus pœnas, cæteriſque gentibus oſtendamus, quàm graue ſit contra dominos erigere cornua. Liceret ſane pernicioſam gentis audaciam plectere; neque facultas abeſt, ut intelligitis. Sed cogitamus ex altera parte, qui ſint belli fructus. nemo ſatis victoriam temperare poteſt. ſiue vincimus ſiue vincimur, multas fieri cædes neceſſarium eſt: incendia, rapinæ, adulteria, neces, ex bello emergunt. Quod deteſtabilius eſt, illi maximè patiuntur, qui minimè ſunt culpabiles. Ruſtici & pauperes plebes luunt pœnas; his pecora, his vxores adimuntur. Horremus certè tantorum occaſionem præbere malorum. Abeant potius impune belli Duces, quàm multitudo eorum cauſa conteratur. Veniet etiam dies eorum: iuratus ab his Deus atque deluſus non ſinet impunitum ſcelus; neque in longum gloriabitur iniquitas impiorum. Nos Ladislaum Regem patruelem noſtrum in hanc vſque diem ſumma fide nutriuimus: abſit à nobis, vt aliquid durè ſtatuamus in eum; noſter ſanguis eſt, & caro ex carne noſtra. Petunt eum Auſtrales: habeant. atque vtinam benè inſtruant, neque his tradant à quibus vel occidatur vel imbuatur hæreſi. Nos quidem, etſi punire malefactores poſſimus, quia tamen vindicta in damnum pupilli redundaret; volumus etiam nunc tutoris officium gerere: qui cum poſſumus in Auſtrales vlciſci, Ladislai cauſa malumus obliuiſci. Amplectamur igitur pacem quæcunque offertur, neque rumoribus hominum moueamur. Qui ſapient, conſilium noſtrum ex pietate, non ex timore profectum exiſtimabunt.

His dictis placuit Imperatorem ad hoſtes exire, atque ipſis præſentibus firmare pacem. Neque in ea re defuit labor. namque cum hoſtes iam deſiliiſſent ab equis & ad manum Imperatoris recepti rurſus equos conſcendiſſent, in colloquium venientes, immutare pacis capitula nitebantur, parumque abfuit, quin ex colloquio rebus infectis diſcederetur. ſed auctori pacis gratior pax quàm bellum fuit. Quippe laborantibus Epiſcopis, & adnitente omnibus ſtudiis Marchione, conditiones, quas ſupra commemorauimus, in concordia receptæ ſunt, datis dextris confirmatæ. Promiſerunt quoque ſex hoſtium Duces, intra dies octo pacis capitula in ſcriptis redacta munire ſigillis. Idem Cæſar cum Epiſcopis & Marchione bona fide facturum ſe, ait. Parſum eſt humano ſanguini, & ruri conſultum. Hinc orta vndique lætitia & ingens gaudium: cum frater fratrem & amicus amicum alloqui poſſet. tum Cæſarianis Auſtrales miſcentur; atque ex duobus exercitibus vnus efficitur. Omnes in Cæſaris gratiam recipiuntur. duobus tamen durè reſponſum eſt: Comiti iuniori de Schaumberg improperatum, quare compater aduerſus compatrem arma ſumſiſſet; neque maximæ in ſe Cæſaris beneficentiæ memor fuiſſet. Eizingerus autem cum Cæſarem ad vrbis portam ſequeretur, veniam petens, crimenque ſuum attenuans, nihil aliud audire potuit, niſi: feciſti, quæ libuit; iudicet inter nos Deus. Atque finito colloquio Cæſar in vrbem rediit. Auſtrales relictis caſtris ad octauum lapidem abierunt.

Die Lunæ quæ fuit quarta Septembris, Comes Ciliæ cæterique Duces hoſtium cum ingenti equitatu ad crucem lapideam extra portam, quæ Viennam reſpicit, in conſpectu vrbis conſtiterunt, eo namque, vt dictum erat, ad eos duci Rex nouellus debuit. Imperator igitur accerſito puero, atque Epiſcopis aſſignato, quatuor cum eo ex conſilio miſit: Æneam Epiſcopum, Iohannem Neipergium, & duos Vlricos. hora itaque nona more theutonico ante meridiem, extra vrbem miſſus eſt, ac Comiti Ciliæ apud crucem expectanti commendatus. Eo in loco plurima verba, quæ ad pacem tenderent, facta ſunt: plures captiui libertati redditi, multæ iniuriæ remiſſæ. Incredibile dictu eſt, quo gaudio ſuum Regem Auſtrales acceperint. Eizingerus vberes præ lætitia lacrymas emittebat. Hic Bohemi puerum, ibi Moraui conſultabant; ac velut ex carcere miſſum amplexabantur: neque ſatis vidiſſe cuiquam fuit, quem mox inter ſe recipientes, clamoribus hominum atque tubarum clangoribus vndique perſtrepentibus ad balneas

ea die,

eadie, vt, ſi quid Stiricum adhuc ſuperet, totus deponeret; exinde ad villam, quam Bertoldi vocitant, vbi & arx eſt, quam Comiti Ciliæ Imperator crediderat, diebus aliquot manſurum deducunt.

Georgius Poggiebracius Regni Bohemiæ Gubernator, dum hæc aguntur, cum accepiſſet, Imperatorem ab Auſtralibus vrgeri, non expectatis amplioribus conditionibus collecto exercitu ſeptem & decem millium pugnatorum verſus Auſtriam iter dirigit. Egreſſusque primo domum Taboritas, qui eius gubernationi erant infeſti, Buduicenſes ac Dominos de Roſis aggreſſus, agros eorum deuaſtat; atque adeo vexat, vt coacti leges quas velit ab eo recipiant. nec dubium erat, quin ad Danubium vſque profectus, rapinas atque incendia miſcens, Auſtrales obſidionem ſoluere & ad propria tuenda reuerti compuliſſet. Iam enim Henricus de Roſis, qui apud Nouam Ciuitatem caſtra tenebat, patris atque fratrum querelis vocatus, cum magna copiarum parte abiturum ſe dixerat. Neque Barones Auſtriæ, qui trans Danubium agros villasque poſſidebant, manſuri vlterius putabantur. neque enim facile inuentus eſt, qui aliena quàm ſua magis curet. communibus quiſque priuata præfert. ſed cum intellexiſſet in via Georgius, obſidionem ſolutam, Regem traditum, pacem factam, indignabundus retroceſſit: atque ad ſuos verſus, En, inquit, quantum gloriæ nunc nobis amiſſum eſt, quantumque lucri hoc itinere? Nobis Auſtria ſpolium dices, nomenque æternum erat Imperatoris defenſi. ſed arbitror, illi qui conſulant, effeminatos homines eſſe atque vecordes; qui neque ad octo dies obſidionem tolerare potuerunt. Nec minus indignati ſunt Stirienſes, qui pro Domino in armis congregatos ad ſex mille viros prope diem miſſuri erant. Neque dubii videbantur, quin ſumma cum laude Imperatori ſubuenirent, nomenque ſibi grande perquirerent. ſed auditis pactionibus, quæ cum hoſte habitæ fuerant, & Cæſari & conſilio eius maledicebant: maximè verò Iohanni Vngnadio & Gualtero Zebingero turpem pacem improperabant; quos, veluti fœminas, valentes verbis, cum veniſſent in opus, animo cadere.

Interea Comes Ciliæ, quamuis Cæſari affirmaſſet, Regem ſe minime *Auſtralibus* crediturum, rogatus tamen ab eis, vt eſt fidei parum, Viennam cum eo pergit. ibi Rex in morem triumphantis excipitur, popularibus præ gaudio lacrimantibus, Clerus ei & omnis plebs cum ſenatoribus obuiam venit; pueri, innuptæque puellæ carmina in eius laudem decantabant: matronæ ornatiſſimæ extra portam effuſæ manus oſculatæ Principis ſui, benedicebant Deo; qui nobiliſſimam Alberti ſobolem eis reddidiſſet. ſoror amplexa fratrem, tangere iam ſe gaudebat, quem nunquam venturum in eius aſpectum, arbitrabatur. Erant omnia feſtiuitatis & lætitiæ plena: dies ille in omne apud eos æuum memorabilis putabatur. Iamque ſe fœlices Viennenſes, & omnibus vicinis fœliciores, iactabant: quibus datum eſſet, armis ſuum Regem recuperaſſe, per quem poſſent Bohemis & Vngaris imperare: iam ſe vertice cœlum tangere, ſublimioribus vicinos aſtris, exiſtimabant: diuinæ maieſtatis vitam adeptos. Puer in arce regia apud ſororem in poteſtate Comitis nutriendus aſſumitur.

Cæterum Auſtrales dum lætitiæ feſtiuitatique dediti ſunt, nomine Cæſaris requiruntur, vt capitula pacis ac litteras ſuis ſigillis muniant. nam ipſum, & qui fuerant tractatores concordiæ, ſuo debito ſatisfeciſſe. Comes Ciliæ, Comes de Schaumberg iunior, Vlricus de Roſis, Wolffgangus de Valſe, Vlricus Eizinger, & tres alii Barones, vice communitatis Auſtriæ, bona, vt aiebant, fide intra dies octo concordiæ chirographum ſuis ſigillis roborare promiſerant. ſed quo pacto promiſſionem cuſtodiat, qui nec iuramento teneri poteſt? Quis fallere hominem, timeat, qui Deũ contemnere ſolitus eſt? Quippe Auſtrales, quibus nulla mens fuerat, leges pacis obſeruare, dum ſatisfacere promiſſo commonentur, negant capitula pacis eo modo conſcripta eſſe, quo fuerant ſtipulata; & quamuis Epiſcopi & Marchio Badenſis, nihil aſſe-

hil asserant esse mutatum , obnoxiosque illos opponere chirographo suo sigilla, confirment; nulla tamen ratione mouentur, neque signare pacta quoquo modo consentiunt. Idq; primum malæ mentis, & impuræ fidei post compositam pacem signum fuit. Neque hac fallacia contenti Australes, vltra pergunt, datamq; fidem in dies magis ac magis violant. Res bello ablatas haudquaquam restituunt: illata damna minimè resarciunt: Ladislaum Regem in Ducali sede collocant; iurareque illi ciuitates, fidem præbere nobiles, confirmationes feudorum ab eo petere, eumque veluti regentem Principem venerari & obseruare compellunt: cum tamen conuentum esset, expectare diem sancti Martini, priusquam vlla nouitas in Austria fieret; & tunc de consensu Principum , qui puero coniuncti sanguine forent, & subditorum eius, quo pacto circa eum esset agendum, ordinaretur. sed vento similis est Australica fides, iunco fragilior marcido , nihil hosce homines pudet; dictum atque indictum pari tenore accipiunt: iuratum & iniuratum iuxta est illis. non æquum, non bonum sapiunt, lucro inhiant omnes, alieni raptores, sui tenacissimi. id demum apud eos honestum est, quod diues: id turpe, quod pauper. Vident Regem ætate admodum tenera nondum puberem indigere tutore; & administrationem ei committunt eius terræ, quam vix grandæuus Princeps benè gubernet. Quis non intelligat versutias ac nequitias gentis? furari, rapere, deuorare pupilli bona festinant; priusquam conuenientes ad Conuentum Principes, vt tanto sanguini par est, gubernatores puero tradant, prædamque de faucibus eorum eripiant.

Hungari vt intelligunt suum Regem esse Viennæ , mox ad eum mittunt Augustinum Episcopum Iaurinensem. nec diu post Dionysius Archiepiscopus Strigonienſis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Varadiensis, Vaccensis Episcopi, Nicolaus Vaiuoda, Ladislaus Palatinus, ac filius Iohannis Gubernatoris, & alii quamplures regni Proceres, & Legati communitatum, cum duobus millibus equitum eo veniunt, Regi suo non tanquam extra tutelam misso, sed veluti duræ captiuitatis solutis vinculis liberato congratulantur, &, vt ad se proficiscatur, multis precibus orant: donaque satis ampla & magnifica porrigunt: sed aliquanto minora quam fama ferantur. His responsum est : Conuentum sancti Martini expectandum esse, quia sic cum Cæsare sit conclusum. Interhæc mittit Cæsar Æneam Episcopum Senensem, Vlricum de monte Solis, qui postmodum ad Gurcensem Ecclesiam est assumptus, & Artongum de Cappel Iurisconsultum; qui visitato apud Viennam Rege , legatos Hungariæ in domo Cardinalis Strigonienſis conuenientes, ac Cæsareo nomine salutantes, cur Oratores eorum apud Florentiam non audisset Imperator, exposuerunt; & cur datus extra manus Rex fuisset. Deinde, quoniam Hungari & Coronam Regni & castra quædam ex Cæsare petebant , voluntariam esse Imperialem Maiestatem dixerunt, siue in Conuentu sancti Martini, siue ante , quando liberet, de his rebus cum eis agere. Hungari ad salutes gratias reddiderunt; de Legatis Regni non auditis paruam existimationem fecerunt: de Rege Ladislao dixerunt, non se magnipendere, quia sit illis dimissus; lætabundos se tamen Deo gratias agere, quod suum Dominum libertati traditum intuerentur. De castris atque corona responderunt, se Regem adire velle, quæ dicta essent illi referre , ac pro sua voluntate daturos responsum. Episcopus Senensis ad ea pauca subiiciens, mirari se, ait, quod Regem libertati restitutum Hungari dicerent, quasi captiuum arguerent, qui apud Cæsarem pro filio nutritus fuisset ac pudice & liberaliter educatus. Quod illi mandata Cæsaris referre vellent , id non esse ingratum. Exin sequenti die vocatis Oratoribus Imperatoris in curiam præsente Rege per Hungaros responsum est: Regiam Maiestatem Imperatorem resalutare atque amare; coronam Regni & opida quæ obtineret in Hungaria Imperator, repetere: si redderentur, beniuolentiam & gratiam duraturam ; si minus , non posse Regem suo iure carere. Ibi

Vlricus

Vlricus Sonembergius, Nos, inquit, Hungaris, quæ jussit Cæsar, exposuimus: cum tua Maiestate, Rex inclite, nihil nobis de hisce rebus agitare commissum est. Sed quæ nunc tuo nomine dicta sunt, ad verbum Cæsari referemus. Exeuntes autem Legati Cæsaris thalamum regium, per Cardinalem & alios Hungaros in aulam quandam accersiti sunt: jussitque Cardinalis tum seipsum tum cæteros Regni Prælatos & Proceres Imperatori commendari. Johannes vero Varadiensis Episcopus eloquentia pollens & animo elevato, Suadere, inquit, Imperatori, coronam & opida reddat, neque regnum nostrum irritet, cuius Rex jam liber est. Cumque dixisset Æneas, multa esse, in quibus Imperator Regno Hungariæ posset vsui esse, Et nostrum, inquit Johannes, Regnum adeo excellens est & nobile, vt benefacienti retribuere facile possit. Animaduertit Æneas, commotam hominis mentem, & impensatum esse responsum; cedendumque animo excalescenti, existimauit. Illud tamen non dimisit intactum, quod de libertate Regis Johannes ante dixerat; quaque modestia seruatus esset apud Cæsarem Ladislaus, pluribus verbis declarauit. Tum Johannes quodammodo se corrigens, non ideo se locutum, ait, quia captiuum illum & malè habitum apud Cæsarem existimauerit; sed quod jam sibi & cæteris Hungaris communior esset factus & accessu facilior.

Cum visitassent Legati Cæsaris, vt dictum est, Regem; ac verbis finitis Australes ad sinistram, Hungari vero, qui aderant, ad dextram se retraxissent, deliberaturi quid responsi dandum esset, remansissetque solus Rex in medio apud quandam fenestram, paululo meditatus, cuinam parti se jungeret; ad Hungaros denique declinauit: ac, suapte ingenio, *mihi, inquit, quia sum Hungarus, apud vos est manendum.* quod verbum mira Vngarorum exceptum lætitiâ, mille in in Regnum epistolis diuulgatum est. Id ter Æneæ Cardinalis narrauit, timens, ne satis prima allocutione comprehensus esset. Cumque solus Æneas Cardinalem adiuisset, litteras sibi Apostolicas reddidit, dixitque: summum Pontificem duabus de causis habere in eo fiduciam; &, quia magnus esset Archiepiscopus, & quia Cardinalis: atque idcirco de rebus Apostolicæ Sedis fidenter apud eum ageret; rogaretque ipsum, vt veritati assisteret, neque indignè carpi Romanam Ecclesiam permitteret. Tum vero ad Legatos Vngarorum & Australium, qui Romæ fuerant, ac se ibi malè visos fuisse retulerant, descendit: exponens quæ dicta ab his essent Apostolico culmini; &, quæ accepissent responsa; nihilque his aut factum aut dictum indignè monstrauit: sed, cum ipsi monitorium Apostolicum aduersus Australes emissum, multis modis accusauissent, respondisse Papam, quæ conuenissent Apostolicæ Maiestati; viamque nihilominus obtulisse justiciæ. Demum vero rogauit; Romanæ sedis causam apud suos tueretur, & ad ea, quæ pacis essent, apud Imperatorem & Vngaros nauaret operam. Hungaris enim cum Cæsare quietem habere conduceret: qui cum Turcis assiduis bellis, non cautè agerent, si pugnantes in fronte tergum insecurum relinquerent.

Ad hæc Cardinalis, verum esse, ait, quod Oratores Regni ex vrbe reuersi Papæ duritiem accusauissent: qui & ægrè audiuerit eos, & auditis acerbè responderit. fuisse tamen inter regnicolas, qui Papam expurgauerint; solum manere in animis Vngarorum molestiam, quod tardius sui Oratores admissi fuissent. Nam reliqua non esse admiratu aut responsione digna. paci velle se operam totis conatibus adhibere; suadere tamen Imperatori, Coronam & Castella restitueret. Inter loquendum autem videbatur Cardinalis non probare, quod Rex Ladislaus Romam fuisset adductus. Tum Æneas, atqui, inquit, ex vsu veniet aliquando puero, & Italiam, & graues & optimos illius terræ mores vidisse; docuitque apud summum Pontificem sacrumque Cardinalium cœtum quàm libentissimè visus fuisset; vtque is risum nonnunquam Papæ mouisset, & potissime

tissime paucis diebus ante recessum. Nam cum Papa longiorem illi audientiam negaret, quia plures essent audiendi Cardinales; *At Cardinales*, inquit Rex, *tecum, ô maxime Pater, semper habebis; me autem non semper habebis.*

His apud Viennam gestis Oratores ad Cæsarem reuersi sunt. Hungari quoque domum repetiuerunt: in Festo Omnium Sanctorum Regni conuentum apud Budam habituri, atque illinc instructiores reuersuri. Plurimum autem Australes & Hungari Cæsaris elidere conatus studeant: Australes ne sui delicti pœnas dare cogantur; Vngari, vt Coronam & Regni veteres fines obtineant. Non tamen vniuersi Australes Hungaris fauent: Eizingerus, & qui eum sequuntur, Bohemorum parti conjunctiores videntur: sperantes, petentibus Hungaris ac Bohemis, Regem, fieri posse, vt Viennæ, qui medius locus est, suum Principem habeant. Fiunt mox inter eos, qui dominantur apud Austriam, duæ factiones: Civitates, & inferiores nobiles, & Prælati fidem in Eizingero collocant: Comiti Ciliæ, Barones & potentiores credunt. Is verò arcem tenet & Regis curam habet, & quoniam Hungaris fauentissimus putatur, pauci sunt, qui non Vngaros arbitrentur Regem ad se ducturos. Illi autem vt illudant Australibus, aiunt, se Regem non vltra Posonium petere, vt illinc ex testamenti paterni ordinatione gubernetur. At cum fuerit ibi, prohibiturum judicant neminem, quo minus Jaurinum & ad interiora regni loca ducatur.

Per idem tempus, multa aduersus Johannem Gubernatorem dicere Hungari; Tyrannum & Regni proditorem appellare, qui duos Exercitus maximamque Regni Turcis partem prodiderit, Polonumque Regem neci obiecerit; nunc Regnum grauissimo jugo premat; neque jus dicat, neque ex bono populos regat: aduenisse suæ Tyrannidis finem, liberatum ex manibus Imperatoris Regem indies affuturum, qui superbum hominem conterat. Mos hic populi est, semper venturus amatur, odiosum est imperium vetus. maior Regni vis aduersus Johannem sentire videbatur, multumque illi Comes Ciliæ aduersus credebatur; tanquam illo ex gubernatione Regni deiecto, locum eius occupaturus.

IN

IN AENEAE SILVII Historiam nunc primum editam

I.

Consilium Scriptoris, & causa. Argumentum & modus.

QUo consilio, quave causa ad hanc historiam scribendam animum appulerit *Aeneas Sylvius*, ipse in præfatione ad Fridericum Imperatorem exponit. Jusserat Imperator Æneam, in colloquio inter paucos agitato, scribere istud bellum, quo reducem ex Italia, post susceptam Romæ coronam & matrimonium cum Leonora Lusitana initum, Fridericum Austriaci, juncto cum Bohemis, Hungaris, Moravis fœdere, anno 1452. adorti erant, & eius tutelæ Ladislaum Hungariæ Regem eripuerant. Qua in re non tam gloriæ suæ Imperator studuit (quippe adversa sua, minus speciosa cognitu narranda videbat) quàm posteritatis interesse iudicauit; ne obscura esset eventuum tot momentis ad rempublicam pertinentium memoriâ. Agebat eo tempore in Aula Imperatoria Æneas, Senensis iam Episcopus, & Legatum summi Pontificis, & Consiliarium Cæsaris interiorem, cui muneri pridem assueverat. Cumque totius negotii seriem accuratè haberet perspectam, & præclarâ Latinâ eloquentiâ polleret, non potuit eligi ad hanc provinciam obeundam idoneus magis auctor. Qui vt promto obsequio Imperatoris voluntatem & expleret & superaret, maius opus scribere instituit, *non Australicum tantum hoc bellum*, vt vocat, sed *integram Fridericianam historiam, & quæ per totam Europam memoratu digna in id tempus congruerent*, complexurus. Et sanè quàm non angustè terminos scripturæ suæ posuerit, abunde ex his quæ supersunt licet intelligere. Nam & ab initio verbosè digreditur in *descriptionem & antiquitates Austriæ*, in *repetitionem genealogicam stirpis Imperatoriæ*; in *res gestas Fridericorum & fata Suevicorum Cæsarum*: tum in progressu *itineris Italici singula quasi spatia nobilibus digressionibus*, ceu lapidibus mensoriis distinguit: narrationem *judicijs, explicationibus, epistolis, orationibus, consultationibus, topographijs* extendit: nihilque ad pragmaticæ apparatum historiæ adornandum reliqui facit. Cur autem non vlterius produxerit, sed in motibus Hungaricis stiterit abruperitve, non credo satis posse sciri. nisi forte Cardinalis factus, & subinde Pontifex Maximus, ad alia distractum animum in his retinere curis nequivit. Constet licet, *Historiam rerum vbiq. gestarum*, quam alii *Cosmographiam* appellitant, ab eo iam sedis Apostolicæ fastigium adepto compositam esse. Forte igitur de secretiore abrupti operis augusti causa suspicari liceat. Illud quoque non dissimulabimus: quamvis res & tempora Friderici ab initio ordiri, & continenti opere, quousque vita maneret, conscribere videatur voluisse Æneas, principium tamen operis non repeti, vel à nativitate, vel ab exordio Imperii, sed à coronatione Italica & matrimonio quæsito: id est, ab anno Imperii vndecimo. Vnde apparet, quo modo & temperamento verba illa accipienda sint, cum inquit in Præfatione: *non solum hoc bellum Australicum sed alia quoque de tua vita quam plurima, simulq. tuæ domus originem, & quæ nostris gesta temporibus in Europa dicimus memoratu digna, in vnam historiam congregemus*. Forte in hoc genere propositionis, etiam de arte invidiæ vitandæ, sive Tituli invidiosi declinandi, cogitandum est: de quâ mox in *Lambeciana epistola*. pag. 11.

Fridericum autem hunc Imperatorem, constanter Æneas *Tertium* vocat. Sicuti & in *Diplomatis Actisque & Monumentis publicis*, tum apud *Cuspinianum*,

& *alios*, appellari solet. Quæ auctoritas tanti nobis esse debuit, vt potius cum his in omni hoc opere loqueremur, quam eorum sententiam sequeremur, qui ἀκριβέστερον ista meditantes, *Quartum* aut *Quintum*, rationibus quidem satis idoneis, nominare malunt.

II.

De occasione & causâ huius Editionis, ex MSc. venerabili. quod describitur. De MSS. aliis.

Cæterum ut abrumperet filum tam gloriosi operis, fortunæ licuit: vt etiam in penetralibus Bibliothecarum veluti perpetuo secreto abstruderet, licere non debuit. Iniuria historiæ, iniuria eruditionis esset, si tam nobile fragmentum vsibus publicis invideretur. Esto: fuerint aliis causæ, quo minus ederent hactenus. Dubitatum fuerit, vtrum non alibi plenior productiorque extaret libellus: tenuerit aliquem opinio, quasi non decorè semper ederentur, quæ auctor noluisse videtur edere, dum noluit absolvere: timuerint aliqui offensionem nationum, de quibus memorantur nullo colore pingenda, nullâ excusatione mitiganda. Sed hi quidem melius suo nomini consuluerint, si maiorum secus facta bene faciendo emendent, & præclarè gesta imitando extendant superentve. Ego certè cum in hunc thesaurum incidissem, ne dubitandum quidem existimavi, quin perpetuam essem initurus apud viros bonos doctosque gratiam, si in tantâ gravioris historiæ in rebus huius Imperatoris inopiâ, publicæ luci simul & vtilitati quamprimum incomparabile monumentum eius sæculi consecrarem. Ne enim vel me laboris suscepti, vel Lectorem favoris huc impendendi, pœnitere queat, MSc. Codex per omnia venerandæ auctoritatis est, quem nacti sumus. Descriptus diligente & elegante manu, in membranis purissimis, nitidè compactus, inscriptus Maximiliano Friderici Imperatoris Filio & commendatus, florente adhuc Patre, à Johanne Episcopo Tridentino. Asservatus Brisaci, Victori Duci Vinariensi pro singulari monumento demonstratus oblatusque. Eius munere ad Fridericum Reichardum Mockelium Legatum Suedicum, ab eius Hæredibus ad me pervenit: & nunc ad Bibliothecam Augustam veluti postliminio redit. Initium est: *Divo Cæsari Friderico Romanorum Imperatori Augusto Eneas Episcopus* (hæc literis maiusculis rubris & nigris alternatim, tum ornatissima calligraphice primordiali litera D. fundo inaurato) *Senensis veram felicitatem expetit. Disertos ac veraces historiarum scriptores haud ornamento esse duntaxat* &c. vt impressa sunt. Finis in hæc verba: *maior regni vis adversus Johannem sentire videbatur, multumq; illi comes cilie adversus credebatur tanquam illo ex gubernatione regni deiecto locum eius occupaturus.* Duæ postremæ literæ ad formam maiorum exactæ, vt in fine solet fieri, versâ paginâ vacante. Inscriptio in facie secunda, primæ paginæ, præfationi Æneæ obversâ, priori facie vacante, hæc est, rudi genere rythmicæ ad aurium quoddam judicium exigentis syllabas, non habitâ ratione quantitatis: *Ad Illustrissimum Principem Maximilianum Divi Federici Tertij Imperatoris Augusti filium Johannis Antistitis Tridentini in sequentem historiam præfatio.* Hæc rubris literis exarata, sequitur inscriptio nigris elementis.

Accipe dicatam multo tibi tempore gestam
Historiam Divi parentis quæ facta recenset
Quam Pius Aeneas scripsit: tunc aulicus heros
Cæsareos apices magna cum laude receptos
* hic videtur deesse aliquid.
Ac nuptiali thoro: iuncta quo federe mater
Amplexibus sacris: dextra quoque data vicissim
Finibus hesperiis: cum tota venusta veniret
Honores summos quos omnis Italia defert

Inq.

Inq. ſuo ad patriam reditu: quamq. impia vulgi
Bella geſta domi: partim nobilibus acta
Atrocibus Furiis: comitis celeÿe quondam
Ac Eu Zingeri ſenis ſola perfidia moti
In dominum ſerui inſurgunt marte crudeli
Quem triumphali redimitum tempora lauro
Vrbe coronatum alma tibi roma remiſit
Nec tamen quicquam proficiunt furentibus auſis
Quam quod ladiſlaum ducunt ad funera manes
Ante immaturam preferunt etateq. virum
O quam preclare tecum rex inclyte factum
Si tantum juuenis Cæſaris in aula nutritus
Donec completos vidiſſes impuber annos
Hoc te premonitum faciat tua clara juuentus
Maximiliane maximus in millibus annis
Ne nimium præceps patris imperia linquas
Seductus levibus inaniq. turba clientum
Ne auidus regni inter incauta labaris
Sed patris imperio ductus longaq. ſenecta
Te tutum ditem faciat potentia magnum
Vt poſt fata ſui Cæſar ſias ipſe ſecundus
Vale decus mundi vale ſpes maxima noſtri.

Hinc abunde intelligitur, ſingulari ſtudio propoſitoque deſcriptum hunc codicem, nec inter vulgares manus verſatum eſſe.

Videram & in Bibliotheca Holmienſi Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Chriſtinæ *MSc. huius hiſtoriæ in chartâ*, ſed parum diligenter exaratum. *Autographum* autem, in quo multa deleta & inducta & ſuperſcripta, vt plane appareat, à cogitante & generante ſcriptum exemplum, in Cæſarea Bibliotheca Viennæ cuſtodiri acceperam: Vnde variantes lectiones mihi promiſerat *Ampliſſimus Petrus Lambecius S. Cæſ. Mateſtatis Conſiliarius Hiſtoriographus & Bibliothecarius.* Sed infinitæ occupationes viri doctiſſimi, ne voto hactenus potirer, intercesſerunt. cuius epiſtolam 28. d. Septembr. 1669. ad me ſcriptam, & ex eâ notitiam illorum MSS. Lectori hic exhibere fas eſt.

Literas tuas d. 15. Auguſti datas, recte accepi, & pro ſingulari erga me affectu, quem inde perſpexi, non ſolum maximas habeo agoq. gratias, ſed & viciſſim ad omne officiorum genus promtiſſimum me paratiſſimumq. offero. Quod igitur ad editionem Hiſtoriæ Auſtriacæ Aeneæ Syluÿ attinet, lubentiſſime eam adiuuabo communicatione variantium lectionum, quæ extant in codicibus MSti Cæſareis, dummodo quamprimum ad me mittatur exemplar impreſſum, cum quo eos conferam. Sunt enim profecto collatu digniſſimi, vtpote abſq. vllo dubio proprîâ ipſius Aeneæ Syluÿ manu exarati; ſed ſimul etiam lectu difficilimi propter frequentes lituras, quibus, vt inter componendum fieri ſolei, inquinati & conturbati ſunt. Diſcrepant etiam ijdem non mediocriter à ſe inuicem, vt videre licet ex duobus illis fragmentis, quæ Libro ſecundo commentariorum meorum de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi p. 472. & 972 inſerui. Cauſa autem huius diſcrepantiæ ſatis clare apparet, ex differentiâ Præfationum. In Præfatione enim primi Autographi, qui incipit, Hiſtoriarum ſcriptores, qui veraces ſunt, reip. maximo eſſe adiumento, nemo ſapiens inficias ibit &c. *manifeſte & expreſſe indicat Aeneas Sylvius, ſe hoc opus voluiſſe inſcribere,* Hiſtoriam Rebellionis Auſtriacorum contra Imp. Fridericum Tertium. *Poſtquam vero animaduertit, fore vt hoc modo Auſtriacos nimium irritaret, eorumq. odium & arma in ſe conuerteret, mutatâ præfatione ſimul etiam mutauit Titulum Operis, idq. inſcripſit* Hiſtoriam rerum geſtarum Imp. Friderici Tertii, *nec vt antea fecerat, ab ipſa Ladiſlai Poſthumi tutelâ & Auſtriacorum*

rum rebellione orsus est, sed generalem quandam præmisit Descriptionem Austriæ, quemadmodum apparet ex hoc secundi autographi principio: Friderici Tertii *(in vtroq; Autographo vbiuis more Italico scriptum est Federicus)* Romanorum Imperatoris, qui fuit Ernesti Ducis Austriæ filius scripturo mihi res gestas, haud ab re visum est, de situ Austriæ, de Gentis moribus, de nobilitate Maiorum pauca præmittere. *Verum enim verò nec secunda hæc compositio certas ob causas ad finem perducta & omnino elaborata est; ideoq; ea à Joanne Trithemio in libro de scriptoribus Ecclesiasticis rectè vocatur Historiarum opus imperfectum. Idem quoq; confirmat Joannes Cuspinianus in* proœmio *Descriptionis Austriæ. Extat insuper in Augustissima Bibliotheca Cæsarea etiam* Tertium *eiusdem operis imperfectum exemplar, manu Wilhelmi Bernhardi à Frideshaim A.1592. Vindobonæ descriptum, & Hugoni Blotio, quarto ante me Bibliothecario Cæsareo dedicatum peculiari quadam præfatione, in qua ad rem præsentem maxime faciunt hæc verba:* Ego, vt & multi docti, cum quibus hac de re contuli, in eam ductus sum opinionem, Autorem operi huic supremam manum nunquam imposuisse: ac idcirco perfectionem istius Historiæ vlterius non esse expectandam. *Hæc Frideshaimius. Vehementer itaq; aveo scire; quale sit illud exemplar MStum Brisacense, quo tu, Vir amplissime, vsus es, & præcipue quidem, quodnam eius sit initium, & quis finis.* Hactenus Lambeciana Epistola.

Ex hac narratione animaduertimus, Æneam non constanter, nec eodem modo, appellitasse hoc opus. Videtur &, *Austriæ* titulum imposuisse: si credimus *Cuspiniano*, qui in *Austria* sua nugatorem, qui Austriæ Chronica scripsit, refellens, *quem,*
p.8. inquit, *etiam Pius ille Syluius Friderici Cæsaris olim à secretis, in opere illo imperfecto, cui titulum fecit* AUSTRIA, *satis superq; confutauit & mendacij coarguit, ineptissimum ipsum sycophantam & nebulonem stupidissimum nuncupans*; quæ & plura sequentia verba extant sane in nostro hoc opere. *Idem Cuspinianus, in Friderico Tertio* de mol-
p.406. tionibus provincialium lectorem remittens ad *Historiam Austriæ de Friderici gestis Sylvij Æneæ, quæ* (inquit) *nondum edita, paucis est cognita.* sine dubio hoc ipsum opus intelligit. *In Mahomete Secundo* Capistranum laudans, *de quo*, inquit, *multa Pius*
p.451. *in historia de rebus Friderici Cæsaris, quæ consulto prætereo.* Alibi ita laudat: *Æneas Syl-*
p.434. *vius Friderici Tertij res gestas peculiari opere orsus, morte præuentus, absoluere non potuit.* Vbi si de hoc opere sermo est, illud supra repetendum erit: orsum esse hoc opus & præfationem quoque scripsisse, dum Episcopus Senensis adhuc esset. Ipse etiam
c.22. mentionem facit in *Europa* sua: *Austriam describere hoc loco haud necessarium existimamus, de qua propriam historiam edidimus.*

III.

De Austria Excursus Æneæ.

Promittit post *præfationem*, Austriæ descriptionem vlteriorem: *à situ, gentis moribus, nobilitate maiorum.* Orsus hinc à *nomine*, *Situm explanat*, & *præstantiam regionis* aggressus, in capite Austriæ *Viennâ* moratur. Hinc, post pauca adiecta de *baronibus*, & *nobilibus*, & *Ecclesiis*, *fabularem historiam* ex vulgari chronicario longo sermone vsque ad incestatam à mariti fratre Leopoldi coniugem pertexit. nam & hanc narrationem nugis fabulisq; *Lazius* accenset, pro verâ habitam *Cuspiniano in Austria*. Et hæc quidem commenta tum ipse arguit *Aeneas*, tum *Wolffgangus Lazius*. Addendus est *Cuspinianus proœmio in* Duces Austriæ. *De rebus Viennensibus* totum opus *Lazii quatuor libris* concinnatum, vel curiosis queat satisfacere. *Academia Viennensis* instituta exhibet plenâ manu *Amplissimus Lambecius, Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis volumine secundo.* Addatur ipse *Aeneas epist* 165. Ex *Lazio* etiam diversitas scripturæ in commentitiis illis nominibus animaducrti potest: e.g. *iudeisapta, iudaisapta; athaim, tathaim; peimau, peymonis; saurim, sauritz; pannas, pannasi; tantamo, tamto; rathan, rantam; sathan, saptan.* Ceterum de Austria cautius & accu-
lib.2. ratius incedit *Comes Fuggerus in Speculo Honoris Austriaco* Post verba illa, *cum vero*

Mat-

Marchionatus ex obitu Eberhardi ad imperium devolutus esset, Henricus Bohemorum pag. VIII.
Dux ad eum promotus est, quod imperio nonnihil obsequij, aliquid deesse omnes vident, & appositio *asteriſco* notauimus, quamuis in MSc. noſtro codice nullum lacunæ veſtigium appareat,

Pag. IX. legitur, *cum Thenone Juuauiense Archiepiſcopo. Thimo, Tiemo, Thymo, Thyemo*, dicitur, cuius martyrium exhibetur in *Salisburgenſibus Hundij tom.* 1. *p.* 58. &c. Locus Ottonis Friſingenſis ab Ænea hic laudatus extat *Chron. lib.* 7. *c.* 7. in hæc verba: *Eodem anno Guilhelmus Comes Pictauiensis, & Dux Aquitaniæ, Themo Juuauiensis Archiepiſcopus, Guelfo Noricorum Dux, Itha Marchioniſſa Leopoldi Marchionis Orientalis mater* (& enumerantur plures) *per Vngariam & Græciam pergunt, quos Alexius Imperator in arctis locis fraudulenter expoſitos, pæne omnes crudeliter extinxit.* Itha illa fuit Henrici III. Imp. filia, Henrici IV. ſoror, v. *Cuſpinianum in Leopoldo III. Pulchro.*

Eadem pagina IX. mox ſequitur: *Leopoldus pietate & libertate inſignis.* corrige, vt eſt in MSc. *liberalitate*, cuius exempla ſequuntur.

Sequitur *pag. IX* de *Leopoldo Pio*, Sexto Marchione Auſtriæ, & *Agnete* vxore, quæ fuit

Imperatoris { filia, neptis, ſoror, avia.

Regis { Soror / Mater. *Cuſpin. Auſtr.*

Quæ *eadem pag. IX.* de *Leopoldo Largo*, Ducatu Bauariæ aucto ſequuntur, v berius expoſita habes apud *Ottonem Friſingenſem Chron. lib.* 6. *c.* 22. *& ſeq. & Annal. Bauar. nouiſſ. part.* 1. *lib.* 20. *f. &* 21. *pr.*

At *pag. X. Ottonem* Epiſcopum & Hiſtoricum Patre Leopoldo Marchione Auſtriæ, matre Agnete, de quibus modo dictum, natum, merito & graui ornat teſtimonio *Aeneas.* Errauerat, *in Europa c.* 35. cum Ottonem hunc natione Friſium exiſtimauit, notatus iam hoc nomine à *Trithemio in catalogo illuſtrium virorum.* *tom.* 1. *p.* 140. Errauit & ipſe *Trithemius*, cum ætatem Hiſtorici toto ſæculo vlterius ponit, ſi non eſt mendum typographi. *G. I. Voſſ. Hiſt. Lat. lib.* 2. 33.

Quæ de *matrimonio Sororum Ottonis*, & *lite Bauarica*, pag. X. & XI. ſequuntur, v. etiam in *Annal. Bauar. nouiſſ. part.* 1. *lib.* 21. *Hieronymus Gebuilerus in commentar. hiſtor. Mſc. lib.* 3. *c.* 22. ſummatim: *Fridericus Imp.* A. D. circa 1157. *Ratiſponam Baioariæ metropolim curiam celebraturus octobri m. ingreſſus, diſcordiam inter Henricum Marchionem auſtrie, & Henricum Baioariæ Ducem his conditionibus ſedauit, vt Henricus Saxo baioariam, è qua pater ſuus propter rebellionem pulſus à Conrado rege fuerat, reciperet, Henricus vero marchio orientalis ſeu auſtriæ, quæ olim Pannonia ſuperior dicta fuerat, deinceps Ducali auſtriæ titulo gauderet, quem Ducatum tribus ciuitatibus à baioariorum principatu tum ſeparatis auxit, vnde qui prius orientales marchiones auſtriæ dicti fuerant, tunc Auſtriæ Duces nominari cœperunt, quorum etiam inſigne mutatum eſt.* Addatur *Cuſpinianus in Henrico VIII. f. vltimo Auſtriæ marchione, primo Duce Auſtriæ.*

IV.

De Priuilegiis Auſtriæ & Auſtriacorum Ducum.

Dum *compoſitionem litis Bauaricæ, & inſtitutum Auſtriæ Ducatum ex Marchionatu*, Æneas memorat, inſerit memorabilem annotationem *de magnis & ſingularibus priuilegijs*, quibus Fridericus I. Imperator terram Auſtriæ & Duces honeſtavit: & Fridericum II. Imp. ea repetiiſſe & confirmaſſe, ſignificat. Jam autem antea Henricum IV. Imp. Arneſto Auſtriæ Marchgrauio literas dediſſe, ait, in quibus *ju-*

lij Cæsaris, Claudiij & Neronis priuilegia referantur. quibus ipse Æneas graui & libero iudicio fidem abrogat.

Qua occasione & nobis, de argumento πολυθρυλήτῳ aliquid consignandum est. *Friderici I. Imp. Priuilegium* ex parte insertum est *Laudo super Ducatu Bauariæ & Marchionatu superioris Austriæ A.* 1166. *in comitiis Ratisbonensibus*, apud *Goldastum tom. vn. Constitut.* plenius autem exhibetur *insertum Diplomati Friderici II. Imp.* quo in Comitiis Veronensibus confirmatur A. 1245. apud *Eundem Goldastum, & Cuspinianum in Austria.* Æneas non retinuit ipsa verba diplomatis omnia, sed sententiam; cum quadam verborum immutatione hic inseruit. Constituerat Fridericus I I. Imperator, Regnum ex Ducatu Austriæ facere, eiusque Constitutionis Formula iam concepta erat, vt ex *Petro de Vineis* affertur à *Goldasto* & *Cuspiniano*, qui in archiuo tamen Principum non reperit, neque annus additus, vt omnino videatur citra publicationem substitisse id consilium. Maximilianus quoque Primus postea Regnum facere ex Prouinciis Austriacis, destinauerat: neque tamen exitum habuit id consilium. Patris Friderici II. Imp. exemplum imitatus est Filius *Henricus Rex Romanorum*, cuius donatio extat in *Cuspiniani Austria* anno 1228. facta. Accesserunt *aliorum Imperatorum & Regum* confirmationes, quas enumerat Carolus V. Imp. in amplissima confirmatione, apud *Cuspinianum in Austria.*

p. 302.

p. 320.

Ceterum de *Henrici IV. Imp. priuilegio*, quod nominat Æneas, maxima est quæstio. Id enim laudat *Julij Cæsaris & Neronis priuilegia*, quod postea *Fridericus III. Imp.* solenni formula, & exacto singulorum Electorum testimonio fecit, vt produximus, *in parte operis III.* Meminit & *Caroli V* priuilegium. Sed *Fugerianum Speculum*, Henrici Diploma in dubium vocat, eo quod nec sigillum cognoscatur ob vetustatem, nec stilus conueniat tempori Cæsaris & Neronis, nec sententia pertineat ad priuilegium Austriacum, quod vulgo laudatur. Quare etiam omisit illas tam incredibiles periodos, cum cetera exhiberet. Argumenta, quibus impugnat illas literas Julii & Neronis, Æneas; inuicta sunt. Monstra enim continent in stilo & re. Scilicet *feudum*, *& bannum & orientalis terra* pro Austria, voces sunt illius *sæculi.* Jam, Julius Cæsar, & Nero scripserint stilo paganorum, quem Henricus Imp. Latine interpretandum sumserit. Scilicet Julius Cæsar *Regem* se appellaret, & *annos regni sui* numeraret. Scilicet formula faciendi externos Principis Romani *Consiliarios sine quibus nihil arduum & graue explicari debeat*, temporibus antiquis conueniet. quis enim non videt aut meminit recentioris formulæ exemplum, ad quam supra ipse Æneas respexit; *proceres Austriæ sunt omnes Consiliarij Ducum Austriæ?* aut, quasi artifex talium literarum, ex recentioribus formulis, voluerit exhibere illud (vid. *Diploma Caroli V.* apud *Cuspin.*) **der Ertzhertzog von Oesterreich soll auch sein der allergeheimest Rath deß Römischen Reichs / also daß kein Sach / so in Ewigkait raicht ohn sein Wissen beschlossen werden oder beschehen soll / deßgleichen seine Nachkommen.** Igitur Æneas, *vel confictas esse Henrici Imp. literas, vel Imperatorem Cancellarii sui leuitate deceptum*, existimat. cui, vix ratio est, quæ vetet accedere. Sed, quod addit *Aeneas, Friderici vero, & ceteri, qui post eum* (Henricum IV. Imp.) *imperauere, cum Austriæ libertatem tradunt, nullam prorsus harum literarum mentionem efficiunt*: illud mirari propterea possis, quod de suo Principe, i. e. de Friderico III. Imp. non cogitauerit. Is enim An. 1442. in *Confirmatione Priuilegiorum Austriacorum*, cui Electores singuli suum testimonium apposuerunt, disertis verbis *Julii Cæsaris & Neronis literas* nominauit. Certè post id tempus Æneas hæc scripsit. Non interfuisse tamen eum illis formulis perscribendis, satis credo. quis enim ambigat, quin dubitatio eius tam grauibus fulta rationibus locum inventura fuerit? Quod amplius existimat *Aeneas, hæc ab ingenio non tam erudito quàm maligno conficta esse*: in eo assensum sustinuerim. Potius crediderim, *fuisse tam vetustum & pertinacem de honorată à Cæsaribus antiquis Austriorum virtute rumorem, vt rudioribus sæculis, vbi magna*

p. 3. *& seqq. lib. 2. c. 2. p. 163. & seq.*

p. V.

magna fingendi non tam malignitas, quàm securitas & audacia obtinet, aliquibus hoc commentum placere potuerit, si literæ tales fingerentur: quales gignere solet imperitia temporum & rerum, vix detrectandas tamen iis, qui pari ignorantiâ tenerentur. Ita, mirum & novum non esse, peccari talia à scribis aularum, exemplis quoque doceri posset, si res postularet. Sæculis itaque rudioribus talis commenti propagatio & credulitas hominum imputanda est: Examen enim historiæ & antiquitatis, fuit oppido perpaucorum hominum. Quid miramur? Capiamus à nostris temporibus, vbi omnes sapiunt, omnes eruditi sibi videntur, exemplum. Quot magnificos homines, si iocari luberet, vir eruditus aut etiam ineruditus posset confictis talibus næniis in errorem ducere? Et inter similes, quocunque fatu edita fabula, applausores habet.

Sicuti autem sub hoc ornatu comico producta fabula, peritis se frustra tendat approbare: ita res ipsa non adeo ad fidem difficilis est, si ex rumore illo, antiquitus dicto, id accipiatur, quod fieri potuisse, haud improbabile est. *Fortium aliquot virorum aut nationis virtutem militarem & fidem testimonio honoratam à Ducibus Romanis & Imperatoribus, nec incredibile nec insolitum fuerit. Huius laudis perierit formula; manserit memoria. huic vt servirent speciosius, illam reproducere amissam tentaverint aliqui, nec tempore nec ingenio idoneo.* Etsi Julium Cæsarem cum exercitu in illa loca perveniſſe, cum *Aenea* negas, *Julium* accipe *Octavium Augustum*, cui hæreditarium *Julij* nomen veteres nummi & antiqua monumenta asserunt. *Neronem* autem, accipe *Tiberium Imperatorem*; quem Neronis vocabulo appellari, non est infrequens. Vtrumque in Pannonia, cuius pars est Austria, res gessisse, constat. Mori quoque Romano, laudandi virtutem fortium ac fidelium sociorum, nihil est, quod repugnat, nisi stilus nuper ab imperitis confictus, vetere iam olim perdito. Ab illis, quos judicio suo Romani honestissimos fecerunt, ortos Austriæ Principes, invaluit. Fuit hæc fama ipsâ canitie suâ venerabilis, & admissionem facile invenit etiam ad Aularum adyta. in quibus examini traditorum accuratiori, obstitit infelicitas temporum. p. m.

In *Speculo* quoque *Fuggeriano* apparet, non esse cuivis facile tempora, & stilos iudicare, quando & gravissimus *auctor*, & cum eo *Wolfgangus Lazius*, *Tiberij Imp. Epistolam*, spuriam certe, pro genuinâ habent. Non enim est illius temporis, Austriam, dicere *provinciam orientalem*. Neque *sacri Romani Imperij auctoritate* hoc se velle, Imperator diceret. Neque Latinum erat illo tempore, *si quis contra edictum hoc nostrum præsumere audeat*. ne de aliis rationibus dicam. *in reb. Viennen. lib. 2. c. 2.*

Superest vt addamus, quomodo in Henrici IV. Imp. privilegio, *Julij Cæsaris & Neronis* privilegia ponantur. Refert Imperator, *quod Ernestus Marggravius Austriæ petierit sibi confirmari concessiones seu privilegia suo Nobili Marchionatui Austriæ ab antiquis Paganorum Imperatoribus concessa, quorum privilegiorum*, inquit, *tenores sequuntur, & primi privilegij tenor sic sonat. Nos Julius Imperator, Nos Cæsar & cultor Deorum, plagæ orientalis terræ suisq; Incolis Romanam veniam & Nostram pacem. Vobis mandamus, per nostrum triumphum, quod vos illi præcelso Senatori nostro Avunculo pareatis, quoniam nos eidem & suis heredibus suaeq; domus descendentibus donavimus vos in feudatariam possessionem perpetuo tenendam sibi & suis posteris in perpetuum relinquentes, quod nullam potestatem super eos statuere debemus. Nos eis & dictis suis successoribus largimur omnes vtilitates terræ orientalis memoratæ &c. Datum Romæ Capitali mundi die Veneris Regni nostri anno primo.* Et *secundi privilegij sic sonat tenor. Nos Nero, Amicus Deorum, & fidei eorum propalator, Præceptor potestatis Romanæ, Imperator, Cæsar & Augustus. Nos sumus deliberati cum omni nostro Senatu, quod eximi debeat illa terra orientalis ante alias terras, quia ipsa & eius habitatores ante omnes illos qui Romani Imperij subditi sunt, laudabiter eluceſcunt, ob hoc dicimus illam eandem terram in perpetuum quietam & absolutam ab omni pensione & censu qui iam impositus est vel erit in futurum ab Imperiali*

periali potestate aut à Nobis vel Successoribus Nostris, seu quibus aliis, Nos volumus etiam quod eadem terra in perpetuum libera perseveret, præcipimus etiam ex Romana potestate, quod nulla adversitate illa terra supra nominata ab aliquo molestetur. Si quis autem contra hoc faceret, in banno Romani Imperij &c. Datum ad Lateranum die Martis magni illius Dei &c. Quamobrem nos prænominatus Rex Henricus &c. illi Generoso Principi prænominato Ernesto Marggravio Austriæ & suis Hæredibus ac ipsi terræ Austriæ corroboravimus & fecimus innovari illas præscriptas literas, quæ in lingua Paganorum conscriptæ fuerant, & quas in Latinum sermonem convertimus & transtulimus, ita duntaxat, quod eædem prænominato Ernesto Marggravio & terræ suæ Austriæ ac suis posteris ac successoribus honorem & fructum apportent & inducant, ac si eisdem id seu eædem à divis & Christianissimis Imperatoribus datæ forent. Sed hæc, qualia sint, iam dictum est, & vltro intelligitur.

V.

De Fridericis Digressio.

à pag. XII. usque ad XXXIX.

Vt de FRIDERICIS tam amplam historiam intexeret Æneas, duabus se causis adductum ait: primo *propter coniunctionem Suevici & Austriaci sanguinis in Friderico I.* Imp. deinde, *quod Latini scriptores Fridericorum originem non attingere soleant.* Estque hæc nobilissima commemoratio, & Imperatoriæ Historiæ Germanicæ gravissimum supplementum, eloquentiam & prudentiam sui auctoris abunde referens. In hac historiâ Æneas, *Henricum Tertium*, Imp. vocat, qui *Quartus* vsurpari solet; & *Henricum Quartum*; qui à plerisque *Quintus* dicitur. Orditur autem inde, vnde *Historiæ Suevicæ* maius surgit opus & nobilior series: nempe à *Friderico Antiquo* Barone seu Comite Hohenstauffensi, quem Imperator Henricus Quartus Generum ascivit, & Ducem Sueuiæ fecit, Bertoldo seu Bertolfo Zæringensi hunc Ducatum, retento tantum Turego, *exfestucare* coacto, vt loquitur *Otto Frisingensis.* *Exfestucare* est, per festucam dimittere, traditi seu translati dominii vsitatissimum symbolum. Inepte enim prorsus *Crusius*, *quasi festucam ex oculo eiicere*, *abdicare*, explicat. Quod autem *Frisingensis*, & ex eo *Aeneas* hic de *Alemannis* & Lemano lacu habet, refutatur à *Francisco Guillimanno in rebus Helveticis.* Æneas quidem ipsa Ottonis verba luculente imitatur, si vtriusque narrationem conferas. Fridericus Antiquus moriens, reliquit Filios *Fridericum* & *Conradum.* quorum *Fridericus* fortiter rem gessit contra hostes Avunculi sui Imperatoris Henrici Quinti, contra Lotharium Imperatorem, contra Henricum Bauariæ Ducem, affinem suum, cuius insidias degeneres vix evasit: *Conradus* autem post Lotharium Imperator factus, ex passagio infeliciter confecto redux moritur: Ex his fratribus Fridericus, itidem reliquerat Filium *Fridericum*, qui *Luscus* appellatur: cuius Filius *Fridericus Barbarossa* Conrado Imperatori successit. Barbarossa Filium *Henricum Sextum*: hic, etiam Filium, *Fridericum II.* successorem Imperii habuerunt. Friderico II. Imperatori Filius *Conradus IV.* successor destinatus, antequam veneno tolleretur, testamento *Conradinum filium Successorem* nominavit, quem dum regna Siciliæ & cetera sibi debita recuperare conatur, *Carolus Andegavensis* captum crudelissimè interfecit. Ad hunc, *vltimum generis Fridericorum*, adeoque ad finem Suevicæ Dynastiæ, summam historiæ Fridericorum Æneas pertexuit, & ex *Frisingense* potissimum repetiit, antequam ad Austriaca rediret.

de Frid. I. lib. 1. c. 2. Annal. Sueu. lib. 8. part. 2. c. 4.

lib. 2. c. 3. f.

pag. XIV. Moguntinas turbas, quæ hic tanguntur, describit præcipuè *Vrspergensis*, *Frisingensis*, & *alij*: ex quibus diligenter colligit *Serarius in Alberto I.*

Vlrici Horningensis consilium in obsidione Limburgensi (*pag. ead.*) memorat *Otto Frisingensis de rebus Friderici I. lib. 1. c. 14.* & *Crusius A. S. lib. 9. part. 2. cap. 6.*

pag. XV. *Henrici Bauari insidiæ in Fridericum*, etiam *Ottoni Frisingensi* narrantur *lib. 1. de reb. Frid. c. 19.* Addatur narratio ex *monumentis Zuifaltensium* apud *Crusium in Annalibus Suevicis.*

lib. 9. part. c. 2. 11.

Henrici

Henrici Superbi exitum, commutatione rerum insignem, merito notat *Aeneas*. pag. XVI. Adde *Ursperg. Cuspinianus in Conrado III. Scribunt quidam, ex animi mœrore miserabiliter mortuum, quod ex amicis & nobilibus omnibus, quos amaverat, quatuor tantum habuerit, quibus confidere potuit, quum alij omnes ab eo defecissent: qui paulo ante à Dania usq; in Siciliam h.e. à mari ad mare, longè lateq; imperitabat.* p. 315.

Quem *Aeneas* vocat *Henricum de domo boni consilij*, is est Comes *Henricus de Wolfratshausen*, quem cum Comite Dachouensi (de Dachowe) cepit Fridericus postea Barbarossa dictus. vide tyrocinium & magnanimitatem Friderici apud *Otton. Frising. l. 1. de reb. Frid. c. 25.* Adde *Cruf. A S. lib. 10 part. 2. c. 1.* pag. XVII.

De passagio Conradi, ex parte felici *Otto Frisingensis* maiorem *libri I. de reb. Frid.* partem consumit. Adde *Wilhelm. Tyrens. lib. 16. à cap. 18. & lib. 17.* cum Epistola Eugenii Pontificis confer *Frising. 1, 60.* pag. XVII. & XVIII.

De *supremis Conradi, Gebuilerus commentar. histor. Msc. lib. 3. c. 21. Posthæc Conradus* circ. A. D. 1151. *omnibus rebus & in Gallia & in Germania bene compositis cum etiam jurata expeditione in proximis imperii coronam accepturus esset, non sine suspicione quorundam (quos ex Italia habuit) medicorum, quasi ex Rogerii Siculi metu submissorum, morbo corripitur, & tamen infirmitate seu corporis dolore haudquaquam fractus babenbergam pro curia illic celebranda venit. ubi XV. Kal. Mart. anni præfati prioris fortitudinis vel in ultimo mortis articulo retinens animum, non sine multorum planctu naturæ satisfecit. priusquam tamen mortem obisset, Regalia Duci Friderico postea Barbarossa dicto, cum unico filiolo suo Friderico, commendans. nam de sublimatione ipsius ad Imperium desperauerat, unde, ut vir insigni prudentia erat, Imperio melius profuturum sciebat, si præfatus fratris sui filius ob multas res præclarè gestas sibi in regno succederet. Volentibus autem familiaribus suis juxta eius ut asserebant petitionem eum ad Laureacense monasterium deferre, ibiq; in proprio fundo juxta patrem sepelire, Babenbergensis ecclesia hoc sibi contumeliosum fore judicans non permisit, verum juxta dini Henrici II. Cæsaris, conditorium sepultus est.* Quæ magnam partem ex *Ottone Frising. lib. 1. c. ult.* descripta sunt. Unde & *Crusius* hausit *A. S. lib. 10. part. 2. cap. 11.*

VI.

De Gibellinis & Guelfis.

Dum à morte Conradi Imp. ad electionem Friderici I. transit Æneas, digressionem valdè notabilem *de Guelfis & Gibellinis* interponendam judicauit, quæ à nobis in *Historia de Fridericis*, digito monstrari & indice signari debet. Quia enim singulari eligentium consilio, in Friderico I. Imperatore eligendo hoc spectatum est, ut *Duarum Familiarum, Gibelingiorum, & Guelfæ*, inter quarum factiones & turbas tam diu distrahebantur Ecclesia & Imperium, odia sopirentur per eum, qui utroque sanguine prognatus esset, opportunum fuit ista præfari de celeberrima per Germaniam & Italiam factione, ut inferretur: id potissimùm curasse eligentes Fridericum, *ut ei rempublicam committerent, qui Guelforum Gibelinorumq; sanguine prognatus pacem Germaniæ daret.* Sumsit autem *Aeneas* in hac descriptione, quædam ex *Ottone Frisingensi*, quædam aliunde adiecit. *Auentinus lib. 6.* ita tradit: *Fuisse in Suevia gentem ab Aldorff præcipuam; & huius æmulam Bebelinam siue Gibelinam (vicus est, ubi educatum Imperatorem Fridericum Primum Cæsarem Augustum aiunt) authores habeo. Hinc Friderici, Hainrici, Conradi; Illinc, Welphones, qui & Wolfhardi (quos Itali Guelphones nuncupant) procreati sunt. Hi Imperatoribus rebellare, illi obsequentissimi esse soliti. Quamobrem adhuc ab ipsis Italia fautores atq; amicos Cæsaris, Gibellinos; hostes, Guelphos vocitat.* &c. est enim longior narratio. *Gebvilerus in commentar. histor. Msc. lib. 3. c. 21. Conrado viuenti Guelforum familia Rogerii Siculi & summi Pontificis pecunia corrupti multa damna intulerunt, quo bello hæc vocalia bellica Symbola* hie Welph/ hie Gebeling/ *ortum sumserunt, quibus & posteri diutius usi sunt, papæ adhærentibus,* hie Welph/ *Cæsareanis vero,* hie Gebeling/ *clamanti-* *lib. 2. c. 2. de reb. Frid.* p. 422. & seq.

pag. XVIII. & XIX.

mantibus. Annales Bauar. nouissimi *part*. 1. *lib*. 16. *n*. 14. cum Welfonum originem repetiissent, addunt: *& ex ea quidem gente nati principes, qui cum religionem Cæsarum amicitiæ præferrent, præclaros ecclesiæ patronos dederunt. vnde natum est, vt qui Pontificiarum partium, Cæsaribus aliisq; Sedis Apostolicæ aduersariis obstitere, Guelforum nomen tulerint aduersus Gibellinos.* Iidem Annales lib. 21. n. 2. annotant: *In ista Winsbergæ obsidionali pugna* (A. 1140. cum Conradus Imp. Winsbergam Welforum opidum obsideret) *quidam aiunt, nata esse Guelforum & Gibellinorum perniciosa nomina ex tessera præliari, quæ in Welfonis acie eius appellationem vsurpauit: apud regios vero Giblingam, villam Augustensis diœcesis, in qua Dux Fridericus fuit educatus ab incunabulis. Italos vero, quibus harum vocum notio fuit incognita, existimantes, Guelfos esse, qui partes Pontificias, Giblingos autem, qui Cæsarianas tuerentur, vernaculo linguæ Italicæ genio, in factionum titulos eas voces conuertisse.* Vnde *Lexicon della Crusca: Guelfo, di parte e fazion guelfa, contraria alla ghibellina, in fauor della chiesa, contro all' Imperadore.* Sed quoniam hæc factio nondum desiit, Imperatore Friderico Primo vtrumque sanguinem participante, Itali quidam longo demum post tempore, Friderico II. imperante, orta esse hæc nomina crediderunt. *Antonius Posseuinus in Historia Mantuana lib*. 2. ita annotat: *Imperator* (Frider. II.) *vbi ministros præliorum, quiq; partes juuentute & pecunia fouerent, inquirit, magna illa & toti Italiæ perniciem minata pestis orta est, Guelforum & Gibellinorum. His Cæsarem, illis Pontificem sectantibus. Sunt, qui illa Ducum nomina opinentur, ego Furiarum. sed vtcunq; ea se res habuit, certum est, dissensionis & factionum causam,* in solo nomine fuisse. *Diffusa pernicies vniuersam Italiam cladibus, sæuitia, perfidia fœdauit. Ciuitas ciuitati contraria, prouinciæ prouinciis aduersæ erant. In familia non filio ac patri, non fratribus consensus, non consanguineis eadem voluntas suberat. Vrbes excidio, domus incendiis hauriebantur. Non fallere dabatur. Sed expressa voluntas & professio erat, colore, incessu, habitu, in seriis ac ludis, profanis & sacris, domesticis & externis distinguebantur.* Et postea in anno 1450. *Par Italorum consternatio erat, Guelphis ac Gibellinis mutuo decertantibus, ea obstinatione animorum, vt quibus non odia, nec iniuriæ essent, in suos solo nomine sæuirent.* Paulus Jouius, ad Friderici I. tempus originem refert. *Ab aduentu,* inquit, *Aenobarbi Cæsaris* (in Italiam) *supra tot acceptas bellorum clades inducta erant, Gibellinorum & Guelforum infausta nomina, quæ horribili & diuturno quodam terræ motu humana diuinaq; omnia concusserunt.* Iterum: *Guelfi à pontificibus stabant, quorum defensores erant Galli: Germanis alteri studebant, qui Gibellini vocabantur.* Quomodo Mediolani factiones instauratæ sint morte Joannis Galeacii, *Idem Jouius* memorat. vide *Eundem in Vguccione*: & exemplum in *commentariis Pij libr*. 10. *Sigonius* in rebus Friderici Primi accuratius signat tempora: *Hinc enim Gibellinorum & Guelforum nominibus ex vetere Cermaniæ dissensione desumtis exitiales Italiæ factiones manarunt, quæ sub Friderico patre exortæ, neq; omnino post sub Henrico filio obliteratæ, demum sub Friderico nepote effusius erumpentes, ingentes in multos post annos strages in Italia edidere.* Addatur *Rodericus Sanctius* (*in Hispan. Illustrat. part*. 3. *c*. 40.) *de ortu pestiferæ partialitatis in Italia, videlicet Guelforum & Gibellinorum.* Hieronymus Rubeus *Histor Ravennat*. lib. 6. de sæculo XIII. pæne medio loquens, *renovatas omni Italia Guelforum Gibellinorumq; factiones* memorat, *quæ centum abhinc annis* (ita addit) Chunrado II. (hic est, qui communiter III. vsurpatur) *vti etiam Merula memoria prodidit, originem habuerunt.* Facundè inuehitur in hanc immanitatem Gregorius X. Papa in oratione ad Florentinos, apud *Leonardum Aretinum Histor. Florentin*. lib. 3. *At vnde ista væsania? vnde hic tantus manat furor? causam profecto non leuem, non contemnendam, sed grauissimam vrgentissimamq; subesse oportet, quæ ad tam nefaria mentem voluntatemq; perpellat: Quænam est igitur hæc tam præpotens tamq; perurgens causa? Juuat enim audire, imo doleo audiuisse. Quod Guelfus est* (*inquit*), *aut Gibellinus: nomina ne ipsis quidem qui illa proferunt, nota. In his non nobilitas*

elog. Vir. bell. illustr.

Galeac. l.

p. 285. de regn. It. lib. 13. pr.

p. 240.

p. 418.

nobilitas modo, verum etiam patria plebs, cuius nec interesse quicquam potest, insanit; ac prout huius vel illius factionis est, ita alterius nomen in opprobrium jactat & capitali persequitur odio. Ea nimirum est causa, cur ciues necantur, domus incenduntur, evertitur patria, sititur proximi sanguis. ô puerilem stultitiam! ô amentiam non ferendam. Gibellinus est: at Christianus, at ciuis, at proximus, at consanguineus? Ergo hæc tot & tam valida coniunctionis nomina Gibellino succumbent? Et id vnum atq; inane nomen (quod quid significet nemo intelligit) plus valebit ad odium &c.

Albi etiam & *Nigri* dicti sunt deinceps.

VII.

Lis Danica composita.

Quæ de lite, *Petri*, *Guidonis*, *Valdamari*, super regno Daniæ, composità re- pag. XII.
fert *Aeneas*, sumsit ex vberiore narratione *Ottonis Frisingensis*. & excussit rem to- *lib. 2. cap. 5. de reb. Frid. de Finib.*
tam, allatis reliquis quoque testimoniis doctissimus *Conringius*: qui & *Saxonis* *c. 14.*
Grammatici, quædam in hac historiâ dissimulantis *(lib. 14.)* institutum examinat.
Hic illud tantum volumus notare, non eludi posse hanc historiam, obtentu nominis *Petri*, quo nemo Danorum vocatus sit. *Frisingensis* enim, disertis verbis vocans *Petrum*, addit: *qui & Sueuus*. Sicut & *Guidonem* vocatum, qui *Canutus* est, constat. Quare laudandus est candor *Stephani Johannis Stephanij*, qui in *Notis* ad illum *Saxonis* locum ita rem denarrat, vt *Saxonem* non quidem plane destituat, sed in historia Ottonem Frisingensem nec arguat, verum explicet potius, in hunc modum: *Mersburgi (Otto, Martinopolim*, Helmoldus *Marcipolim* vocant) tum *temporis comitia Imperij magna solennitate peragebantur. Ad quæ Fridericus Imperator etiam Suenonem nostrum sub specie quidem & prætextu veteris amicitiæ firmandæ, sed reuera vt vi & minis adigeret ipsum ad imperata faciendâ, quomodo euentus docuit, euocauerat. Attingit historiam hanc non ipse solum Fridericus Imperator, in epistola ad Ottonem Episcopum Frisingensem, sed & duo nobilissimi eius sæculi scriptores, Otto modo nominatus, & Guntherus Poëta: qui tamen quasi de compacto eundem errorem omnes errant*, Suenonem *perperam appellantes* Petrum: Canutum vero *Guidonem*, *Guotonem*, *Guirtonem & nescio quid non: cum forte* Cnutonem, *more illius sæculi eum vocare, in animo habuerint.* Adfert mox verba Imperatoris & ad vocem *Petri*, in parenthesi addit: *qui nobis Sueno est:* tum *Ottonis*, vbi ad illa, *Petrum, qui etiam Sueuus* annotat *(Sueno rectius)* subiectis etiam *Guntheri* verbis, non refutandæ sed stabiliendæ historiæ. Alterum exemplum Waldemari, investituram à Cæsare Friderico petentis, loco laudato ex *Radeuici lib. 1. cap. 24.* & *Guntheri libr. 7.* affert *Conringius*. Factum id ante secundam Friderici in Italiam expeditionem in campis ad Lycum prope Augustam. In vtroque Scriptore *Daci* pro *Danis* per errorem, cuius exempla plurima passim occurrunt, ponuntur. Adstipulatur historiæ *Aeneas* noster infra his verbis: *Apud Augustam supra Lichum fluuium, dum copias in Italiam traducendas instruit, rursus Adriani legatos* p. XXII.
primæ sedis Cardinales audiuit, Henricumq; Danorum regem electum recepto per procuratorem hominij juramento confirmauit. Sed error iterum est in nomine. de Valdemaro enim ista exaudiri debent. Receptum est hominium per procuratorem, hac tamen conditione imposita, vt est apud *Radeuicum, post reditum Imperatoris de Italia Regem infra 40 dies ad curiam venturum, & regni administrationem de manu Principis debitæ fidelitatis interposita securitate susceperum.* Quæ res implementum habuit An. 1163. annotante *Alberto Stadense*. *Jo. Isac. Pontanus* vtrobique non negat rem, sed propositum seruandi quæ acta erant, ex parte Daniæ inficiatur. *Rer. Dan. lib. 5. & 6.*

VIII.

Conuentus Roncaliensis duplex.

pag. XX. Solennem locum & formam *Conuentus Roncaliani* bis describit *Aeneas* noster. Primo ita: *In campo Ronchaliæ ad fluminis Padi ripam castra posuit; Scutumq; Regium, pro vetere consuetudine, in alta suspendit arbore. quo facto, eis feuda sunt ademta, qui vocati ad comitatum, domi remanserunt. inter quos Hartuicus Bremensis & Vdalricus Halberstadensis Episcopi Regalia perdiderunt; Ecclesiis apud alios, qui sequerentur Præsules, suo jure seruato.* &c. Hic conuentus actus est, cum Fridericus primum in Italiam venisset, antequam Romam peteret. qui character nimirum singularis est, vt Imperator, antequam Romam ingrediatur, conventum apud Roncalias agat: non tantum juris dicendi, & legum ferundarum causa; sed etiam servitia vasallorum recognoscendi ergo, quo pacto ad *expeditionem Romanam* propriè spectat hæc tanquam *probatio vasallorum*. *Expeditio* enim *Romana Imperatoris Germanici*, tota ordinata erat & descripta per vasallos, sive per eos, qui feuda ab Imperatore & Imperio haberent vel immediatè vel mediatè, maiora vel minora. Hi constituebant exercitum transalpinantem, si cum illis sæculis licet loqui. Hi vocati, hoc tanquam solennius suæ militiæ officium obire tenebantur, sub periculo amittendi feudi. Et licet illa recognitio vasallorum in campis Roncalianis iterabatur, quotiens conventus ibi haberetur (armato enim conventui conveniebat armatorum vasallorum recensio sive probatio) nemo tamen non videt primum talem conuentum, & propositum inaugurationis Romanæ habere aliquid singulare; & propterea Recognitionis modo descriptæ peculiari nota signari posse & fortasse debere. Incidit autem primus ille conventus Friderici I. Imp. Roncalianus in An. 1154. quem & *Sigonius* descripsit *de regn. Ital. lib.* 12. & *Guntherus in Ligurini libro* 2. & in primis *Otto Frisingensis*, qui & characterem istum singularem hoc modo notat: *Inde castra movens in campo Roncaliæ super Padum, non longè à Placentia, mense Novembri resedit. Est autem consuetudinis regum Francorum, quæ & Teutonicorum, vt quotienscunque ad sumendam Romani Imperij coronam, militem ad transalpizandum coëgerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, vniuersorumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per curiæ præconem exposcitur: quod sectantes, qui in ejus comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprensus fuerat, denuo ad præsentiam regis, aliorumq; Principum vel virorum illustrium euocatur: sicq; omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur. Hunc morem principe secuto, non solum laicorum feuda, sed & quorundam episcoporum, id est, Hartuici Bremensis & Vlrici Halberstatensis regalia, personis tantum, quia nec personis sed ecclesiis perpetualiter à Principibus tradita sunt, abiudicata fuere.*

p. 282. lib. 2. c. 12. de reb. Frid.

pag. XXIII. Alter Conuentus Roncalianus ab *Aenea* ita describitur: *Hac pace firmata* (i.e. motibus Lombardiæ compositis: *Sigonius* in An. 1157. refert lib. 12. p. 301.) *impetratis etiam atq; obtentis per reliquas vrbes obsidibus, partem exercitus in Alemanniam remisit, rursusq; Ronchalias petens, bina castra Germanorum Italorumq; ad ripas fluminis Padi vltra citraque fixit, eaq; ponte coniunxit. In quibus præter seculares principes, ex vltramontanis XII. Episcopi, ex citramontanis Cardinalis vnus Guido Cremensis, Sedis Apostolicæ Legatus, Patriarcha vnus Peregrinus Aquilegiensis, ac vnus & viginti episcopi. In eo conuentu Fridericus promulgatis ex communi consensu legibus iura Feudorum declarauit ampliauitq;: pœnas in eos decreuit, qui pacem*

pacem violarent : binos judices per singulas diœceses constituit : jura fisci admodum multa vendicauit. Placentinos, qui Cremensibus iniurij fuissent, turres deiicere, fossasque circa mœnia nouissimè factas humo complere jussit : ad quas res judicandas sanciandasque quatuor ex Bononiensi Schola Juris interpretes accersiuit doctrinâ famaq; insignes Jacobum, Martinum, Hugonem, & qui nomen ad nostrum quoque tempus transmisit Bulgarum. Hic conuentus Roncalianus potissimum Legibus ferendis occupatus fuit, & feudali præsertim jure ordinando ; Vnde & quædam hoc conuentu constituta Feudorum Juri accesserunt ; inter cetera, etiam de *regalibus* seu sacri fisci commodis. Latius exequitur omnia *Radeuicus lib.1. c.46. & lib.2. à pr. vsque ad c.9.* qui memorat hunc conuentum ideo institutum esse ut & *Leges pacis promulgarentur, & de justitia regni* constitueretur. Add. *Guntherus, lib.8. Ligurini*, & quæ *Conradus Rittershusius* ad illam historiam annotavit: Est & hic conuentus propterea celeberrimus inter eos, qui ad Roncalias acti sunt. Iuuerit, hùc referre, quæ de *origine* & *discrimine feudorum* ex consuetudine Francica repetit *Sigonius in rebus Ottonis Magni*: *de reg. Ital. lib. 7. p. 175. & seq.*

IX.

Spoletani excidij reliquiæ, in Germaniâ resurgentes:

Spoletanorum excidium tangit *Aeneas*, vberius memoratum *Ottoni Frisingensi* pag. XX. & XXI. *lib.2. de reb. Frid.c.23.* & *Sigonio de regn. Ital. lib.12. pag.291.* Ex hoc excidio, *Duces Spoletanos* in Germaniâ novam fortunæ & dignitatis seriem orsos, *Gebuilerius*, annotat *commentar hist. lib. 3. c. 22.* his verbis: *Non negamus, eadem expeditione redeuntem ex vrbe Fridericum in Spoletanos arma propter rebellionem ipsorum mouisse, captamq; & direptam vrbem Spoletum igni perdidisse. quocirca facile nobis persuademus, nec sub Conrado I. nec, Secundo, vt quidam arbitrantur, sed sub hoc Friderico Primo Spoletanos Duces tunc extorres factos atq; in Germanias captiuè abductos ibiq; dominijs assensu Cæsaris prouisos fuisse. Nam Spoletanum Ducatum Cæsar Auunculo suo Welfoni sexto, cum Marchia Tusciæ, & principatu Sardiniæ deinceps tradidit possidendum.* Præcesserat opinio de duobus fratribus Principibus de *Spoleto*, quorum vnus in Sueuia castrum *Vrslingen* fundauerit, alter in Alsatia Dynastiam *Rapolzstein* acquisiuerit. quam famam, adiectis, quæ paulo ante retulimus; corrigit.

X.

Belli Polonici causſæ, à Friderico I. Imp: susceptI:

Aeneas diligenter & breuiter eas repetit ex *Radeuici* vberiore narratione *lib.1.* pag. XXI. *c.2.* In Hæreditate Poloniæ cernenda duo Fratres tertium natu maiorem cui nomen & honor Ducis debebatur, excluserant. Is Conrado Imperatori supplex factus, restitui petierat. Et mandauit sane Conradus iniuriæ auctoribus, vt fratrem ad debitum ipsi jus admitterent. Sed non erat id ingenium ferocium hominum, vt parendum sibi, nisi malo edomarentur, crederent. Igitur Conrado morte intercepto, Fridericus Barbarossa, causam exulis & supplicis, armis agendam suscepit: cum præsertim & Imperii spreta maiestas, & fides Imperatori debita neglecta esset. *Accesit siquidem ad hæc*, inquit Radeuicus, *quod vel debitum fidelitatis sacramentum offerre, vel solitum singulis annis tributum quingentarum marcarum, publico ærario inferre jam desueuerant ; talibusq; indiciis apertè se ab Imperio desciuisse;* *lib.2.c.2.*

sciuisse, & nec clanculariam, sed euidentem rebellionem moliri protestabantur. De qua Poloniæ conditione *Helmoldus in Slauicis*, æqualis horum temporum scriptor ita testatur: *Seruit & ipsa* (Polonia) *sicut Boëmia, sub tributo Imperatoriæ majestati.* Fractus ergo armis Friderici Imp. Dux Poloniæ Boleslaus, deditione oblata ad genua victoris provolutus, *primo* jurauit pro se & omnibus Polonis, *quod frater suus exul* (Boleslaus natu maior) *ad ignominiam Romani imperij non fuerit expulsus. deinde pollicitus est dare duo millia marcarum Imperatori, & Principibus, mille, Imperatrici XX. marcas auri, Curiæ ducentas marcas argenti, ob eam negligentiam, quod ad Curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem. Deinde jurauit, vt in proxima Natiuitate Domini ad Curiam Magdeburg celebrandam venire deberet, juxta judicium & sententiam Polonorum & Boëmorum super querimonia fratris sui expulsi plenarie responsurus. Sicq; jurata Principi fidelitate sicut mos est, & de supradictis omnibus fideliter adimplendis, acceptis obsidibus, Gazimero videlicet fratre Ducis, & alijs nobilibus, gloriosam adeptus victoriam reuertitur.* Quæ verba, *Radeuici*, amplius declarant, quod supra dictum est: Poloniam Imperio illis temporibus subiectam fuisse: De quo etiam egit doctissimus *Conringius de Finibus c.18. Conradus Rittershusius* ad illa *Guntheri lib.6.v.81.*

lib. 1. c. 1.

lib. 1. c. 5.

Nec jurare fidem; nec prisco more tributa
Annua, quingentas curabant pendere marcas;

sic ait: *Nota ex hoc loco Polonorum Regem antiquitus Imperatori Romano fuisse obnoxium, adeoq; & fidelitatem ei jurare vasalli in morem, & annuum tributum quingentarum marcarum pendere solitum.* Et Jus quidem ipsum extra & supra omne dubium fuit constitutum. Sed, quia fidem seruare Poloni non induxerunt in animum, donec ad extremum cum Exulis Boleslai liberis transactum est, vt Silesiæ ad Poloniam spectantis partibus contenti essent, facile fuit Scriptoribus Polonicis, circa historiam dissimulare quædam, & supprimere, & perpetuam ἀντονομίαν jactantius quam verius asseuerare. nisi quod post Friderici II. tempora Imperio se subduxerunt, *v. Conring. de Finib. cap.29.*

v. Schickfus. Chron. Siles. lib. 1. c. 19.

XI.

Bohemia ex Ducatu in formam regni versa.

pag. XXI. & XXII.

Aeneas noster de Friderici ex Polonia reducis actis, & conuentu Ratisbonensi (qui in annum 1158. incidit) loquens hoc quoque memorat: *in Boiariam transiens apud Ratisbonam Labeslaum Bohemiæ Ducem, quod in bello Polonico egregia suæ virtutis experimenta præbuisset, & in Mediolanenses se iturum promisisset, Regio diademate honestauit. Tumq; primum Bohemia Regibus parere cœpit; lapsis post Christi Saluatoris ortum mille centum & quinquaginta tribus annis.* Videntur hæc ex *Radeuico* hausta: qui tamen diserte ponit annum N. D. 1158. quem præsignauimus: ex Comitiorum Ratisb. tempore, ad quod cum Radeuico & ipso Ænea, etiam *Guntherus* refert, *lib.6.v.446.* &c.

lib. 1. c. 13.

Hoc quoque conuentu procerum, Dux ille Boëmus,
Fama Labeslaum quem nominat, ob sua gesta
Fortiter, & bello nuper spectata Polono,
Ex Duce Rex fieri meruit, gessitq; potenti
Sceptra manu, cinxitq; nouo diademate crines.

Ad

Ad quæ hæc eſt *Rittershuſii* annotatio: *Labeſlaus (qui & Vladiſlaus & in Aug. edit. Labeſlaunus hic nominatur) ex Duce Bohemiæ Rex creatur Magdeburgi à Friderico Imp.* [Fefellit eum memoria. nam Magdeburgenſis conuentus præceſſerat Ratisbonenſem, *v. Raden.* 1, 12. pr. & *Guntherus* ipſe *lib.* 6. *v.*401. notauerat:

Signa Ratisbonam ſua fert, vbi magna coibat
concelebranda patrum ſolenni curia cœtu &c. ſubiectis dehinc eius conuentus actis, & hac regis creatione.] *ob nauatam ipſi in bello Polonico fidelem operam. Falli ergo videtur Aeneas Syluius Hiſtoriæ Bohem. c.* 24. *dum ſcribit, iccirco eum regiam accepiſſe dignitatem quod in expugnatione Mediolanenſi egregiam operam ipſi nauaſſet. Imo bellum illud Italicum poſterius fuiſſe, ſignificat hic Guntherus cum ait, hunc nouum regem ad patrias vrbes veſtigia retuliſſe, Italico pactum ſua robora bello. Illud autem annotauit idem Syluius, (de regn. Boh. c.* 22.) *Vratiſlaum quidem jam ante ab Henrico IV. Imp. regem creatum fuiſſe Moguntiæ: ceterum eius ſucceſſores vſq; ad hunc Ladiſlaum, in quem denuo illa dignitas collata eſt, regio nomine abſtinuiſſe Ducali contentos, tanquam regni decus non prouinciæ, ſed homini datum fuiſſet, proindeq; cum perſona extinctum.* Idem *& Nicolaus Ciſnerus probat in orat. de Ottone III. Imp. indeq; liquere*, ait, *illa tempeſtate Regem Bohemiæ inter Electores Imp. Rom. eſſe non potuiſſe.* Hactenus Rittershuſius. De priore Rege, *Coſmas Pragenſis, lib.* 2. *Ann. Inc. M. LXXXVI. in conuentu* Moguntiæ *Cæſar* (Henricum III. nominauerat, qui [illegible] IV. audit) *omnibus ſui regni Optimatibus, Ducibus, Marchionibus, Satrapis, Epiſcopis aſſentientibus & collaudantibus Ducem Bohemorum Wratiſlaum tam Boemiæ, quam Poloniæ præfecit, & imponens capiti eius manu ſua regalem circulum juſſit Archiepiſcopum Treuirenſem nomine Egilbertum, vt eum in ſede ſua metropoli Praga in regem vngat, & diadema capiti eius imponat.* Quæ repetuntur latius in *Bohemia Pia lib.* 2. Sequitur paulo poſt de Vladislao per Fridericum rege creato. *Dubrauius in Hiſtoria Boemica lib.* 12. cauſas fauoris Imperatorii in Ladislaum, & occaſionem, ac locum aliter refert, quem vide. Hunc *Pontis Pragenſis* longitudine & arcuum ſtructurâ celebris auctorem memorant. *Arnoldus Lubecenſis* (Chron. 6. c. 2.) de ſollennibus in coronatione Philippi Imperatoris agens, *Boiemo*, inquit, *etiam maior dignitas acceſſit, vt cum antea Ducatum teneret, titulo regio à Philippo ſublimatus, ibi & ipſe procederet coronatus, & gladij regij baiulus.* Premislaum vocant Vladislai filium. Et nunc demum interregnum in Bohemia finitum, tradunt, regibus ſibi deinceps continua ſerie ſuccedentibus. *Dubrav. lib* 15. Addatur *Goldaſti Bohem.* lib. 3. c. 10. n. 8. & 9.

p. 19 *p.* 214. *p.* 94.

XII.

Tyrocinium Equeſtre ſeu Nobile.

Non prætermiſit hoc, quamquam in feſtinato tranſitu, *Aeneas. Ad Herbipolim reuerſus* (Fridericus Imp.) *Legatos Imperatoris Conſtantinopolitani obuios habuit, matrimonium Regiæ virginis ſibi jam obligatæ offerentes. Quibus inſtantibus, Fridericum Conradi* (imp.) *filium, nepotem ſuum Sueuiæ Ducem, equeſtri baltheo more patrio cinxit; Amita juuenis Imperatrice Græcorum id poſtulante.* Sumta ſunt hæc ex *Radeuici lib.* 1. *c.* 6. qui ita proſequitur de legatis Græcis: *Indulgentiam & gratiam conſequuti, Fridericum Ducem Sueuiæ, filium Conradi Regis adhuc adoleſcentulum in præſentia ſua gladio accingi & militem profiteri poſtulant, & impetrant. Amita ſiquidem ſua Hirena Imperatrix Conſtantinopolitana, & antea & nunc multis & magnificis eundem puerum viſitauerat largitionum muneribus, idq; legatis in mandatis dediſſe traditur, ne quando niſi completo negotio in Græciam reuerterentur: aſtipulante ſibi cum magno fauore proprio marito, ob gratiam & amicitiam antiquam cum patre pueri rege Conrado habitam. Quæ Guntherus* quoque omnia expreſſit *Liguriui libro* 6. *v.* 156.

pag. XXI.

Sic

Sic tandem tuti (legati) *vix totâ mente recepta*
A ſummo petiere viro (nec tarda voluntas
Affuit) vt princeps puerum præſentibus illis
Accingi gladio Fridericum rite juberet.
Hæc amitam pueri conſortem Regis Irenen
Argolici, mandaſſe ac ſæpe rogaſſe ferebant
Aſtipulante viro, propter conſortia magni
Quo pueri patrem fuerat complexus, amoris:
Donaq; larga quidem tam nunc, quàm ſæpius ante
Miſerat egregij puero regina decoris,
Mandatumq; viris dederat, non ante reuerti,
Quàm domina poſſent ea gaudia viſa referre.

Habemus hic *morem profitendi ſiue auſpicandi* militiam, ſolenni aliquo ritu, vt accipiendo *baltheo* militari, ſiue *gladio accinĕto*. Quod genus erat *equeſtris dignitatis*, vnde *militem* facere idem hic eſt, quod *equitem* facere. *Sigonius* de Fridericō memorat, quod ſtratoris cuiuſdam inſigne facinus honoraturus, *militari cingulo donatum eum equitem eſſe juſſerit*: verum illum reſpondiſſe *ſe plebeium eſſe, & in illo ordine manere malle.* quare dona pro honore accepit. Nimirum *cinguli militaris ſymbolum*, ſeu *baltheus*, ſeu *gladius accinctus*, nobilitati etiam ſummæ addebat *decus equeſtre*: ex ignobilibus autem nobiles faciebat. Antiquiſſimi generis inſtitutum hoc putant, qui explicant illud *Taciti*: *Arma ſumere non ante cuiquam moris, quàm ciuitas ſuffecturum probauerit. Tum in ipſo concilio vel Principum aliquis, vel pater vel propinquus ſcuto frameaq; juuenem ornant. hæc apud illos toga, hic primus juuentæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ.* Ritus alio tempore plures, alio pauciores adhibiti. Apparatiſſima deſcribitur ſolennitas huius *Tyrocinij equeſtris*, apud *Johannem de Beka in Epiſcopis Traiectenſibus*, quando *Wilhelmus* Comes Hollandiæ, jam Cæſar nominatus, inſequenti ſæculo, *quia adhuc armiger erat, ſecundum ritum Chriſticolarum Imperatorum miles factus eſt* antequam coronatetur. Vocat hoc Hiſtoricus: *ſecundum Chriſtianam inſtitutionem miles effectus, atq; regulam militaris ordinis cum ſumma feſtiuitate* (feſtâ ſolennitate) *profeſſus eſt.* Inſtaurata tum eiusmodi ſolennia, quæ pæne obſoleuerant, Hiſtoricus ita oſtendit: *plerig. milites moderno tempore parcimonijs intendentes, omiſſis ſumptuoſis ſolennitatibus ſaltem per colaphum militarem dignitatem accipiunt.* Sequitur deinde, *res diuina in templo facta, Tyro à Rege Bohemiæ ad Cardinalem deductus: qui ei regulam militaris ordinis* grauiter *explicauit*, in quam *jureiurando* adactus, *ingentem ictum in collum* à Rege Bohemiæ accepit, additis *monitis* tempori & negotio congruentibus. Denique inter *concentum buccinarum, haſtiludium* nouus tyro cum Regis Bohemiæ filio commiſit, & *gladijs micantibus* per imaginem pugnæ *tyrocinium* expleuit. acceſſerunt conuiuia, & alia ſolennia. *Tyrocinij* hæc erat ſolennitas, & ad ritum auſpicandi militiam pertinebat. confer omnino *Edictum Conradini ad Panormitanos* apud *Goldaſtum tom. 3. Conſtitut.* placuit tamen ad imitationem etiam *Ordinibus Equeſtribus ad ſingularem militiam & regulam, peculiari ſub titulo & formula inſtitutis.* v. *Chriſtian. de Oſterhauſen in Ord. Johannit. Tit. 2.*

de reg. Ital. lib. 12. p. 289

Germ 13.

p. 77. & 78.

XIII.

Commoda fiſci & Regalia vindicata à Friderico I.

In *Legibus deditionis Mediolanenſis* refertur, in *formâ* quidem apud *Radevicum*: *Regalia, veluti monetam, telonium, pedaticum, portus, comitatus, & alia ſimilia, ſi qua ſunt, commune Mediolanenſium dimittet, & vltra ſe non intromittet, & ſi quis per violentiam hæc obtinere voluerit, & juſtitiam inde coram domino Imperatore*

lib. 1. c. 41.

re vel nuntio eius facere noluerit, Mediolanenses vindictam de eo pro sua possibilitate sument in persona & possessione, & regalia Domino Imperatori restituent sine fraude & malo ingenio. Aeneas noster sensum hunc ita extulit: *Mediolanenses deinceps monetam ne cudant, pedagia, telonia, portoriaq; non exigant: quin hæc & alia, quæ vocant regalia, Imperatori dimittant: qui ea occuparit, Mediolanenses in eum vindictam statuant.* Guntheri *in octauo Ligurini* hæc est paraphrasis: pag. XXII. ℣. 235.

Nauigium, portus, vectigal, siue monetam;
Vel quæcunq; sibi defendit commoda fiscus,
Nec rapient Ligures, nec si quis forte nefando
Inuasu rapuisse volet, patientur inultum.

Sigonius ita expressit: *Regalia, vt monetam, teloneum, pedaticum, portus, comitatus, commune Mediolanensium dimitteret, neq; sibi posthac ascisceret. si quis per vim retinere vellet, Mediolanenses omni ope vindicarent.* Est hæc verè Imperatoria provisio & prudentia, fisco, cuius nervis tota Imperii moles mouetur, vindicare sua commoda. Quæ Fridericus Barbarossa, etiam peculiari constitutione, Feudalibus Placitis inserta, describenda & signanda censuit. Ea enim est plerisque insita potentiæ cupido, vt onera, etiam quæ cum magno suo lucro sustinent, declinare, imperantibus omnia obsequii pignora & symbola paulatim vel denegare, vel subripere cupiant. præsertim si jam gradum ceperunt, vnde aliis queant supereminere. Etiam Galliam labefactaverat, & Regiam potentiam tantum non dissipauerat hæc consuetudo: sed bonâ quadam illius Regni fortuna factum est, vt qui vellet scribere, *qua arte Duces & Comites Galliæ præfecturas in ditiones hæreditarias commutarint, Regaliaq; sibi adscripserint*; is posset etiam alterum caput addere, *quibus demum consiliis in ordinem redacti, & antiquum regni fastigium instauratum sit.* Aliud fuit Imperatorum fatum: quos immensa munificentia non sivit metuere, ne alienata viderentur, quæ feudali vinculo Imperatoris ossibus cohærerent. Sed in his eo ventum, vt nec narratio, tantum abest, vt querela, locum habeat: Id solum in transitu mirari fas fuerit, qua sit ratione factum, vt Imperatoribus, tot feuda Imperialia, minora præsertim decesserint & quasi memoriis rerum exciderint, dum aperta non petuntur, sed vsurpantur blandimento improbæ spei in jus tandem profecturæ. Sed manum de tabula.

de regn. Ital. lib. 12. pag. 300.

Qua sint regal. 2. F. 56.

Antõ. Dad. Alteserra de Ducib. & Com. Gallia. proœm.

In his legibus deditionis, paulo ante, pro *Legatis Imperatoris*, lege, vt est in MSc. *Legati Imperatoris.*

XIV.

Mors Friderici I. Jmp. & Elogium.

Imperatorem hunc maximum, in Passagio res, more suo, id est, præclarissime gerentem obscura & ignobilis mors, abluentem aqua corpus abstulit. Fluvium Armeniæ *Serram* vocat *Vrspergensis*: ex quo plerique retinuere. *Jacobus de Vitriaco* fluuium ab incolis *Ferreum* vocari ait. *Otto de S. Blasio in appendice ad Chronic. Frising.* ita: *Cæsar Fridericus Tarsum tendens, amne quodam parte exercitus transposita refrigerandi gratia (æstus quippe erat nimius) ingressus (nandi enim peritus erat) subitaneo frigore naturalem calorem extinguente deficiens submergitur, miserabili morte Imperator terra mariq; potens finem vitæ sortitur. Fertur à quibusdam, hoc in Cidno amne accidisse, in quo & Alexander Magnus simili quidem modo, sed non morte periclitatus. Nam Cidnus Tarso contiguus est.* A. 1190. Hanc sententiam de Cydno sequitur *Aeneas* noster, & cum eo doctissimus quisque. p. XXVII. *hist. Hierosol. c. 99.* p. 215.

Ceterum in laudando hoc viro consensere, & coævi scriptores *Otto Frisingensis & Radevicus*, & horum imitator *Guntherus*, cujus celeberrimum opus extat, *Ligurini* titulo; eo quod res adversus Ligures gestas potissimum complectatur. Quam appellationem de patria viri complures acceperunt. vt ostendunt & arguunt

guunt hunc errorem primores pagellæ *Editionis Rittershusianæ*. Sunt illi scriptô-
res omnium judicio graves, candidi, veri apprimè studiosi. *Aeneas* quoque *Syl-*
v.p. XXIV. *vius* non aliter quædam in eo reprehendit, quam vt excusare eadem opera videatur.
XXV. Nam qui partium studiis dediti, non meminerunt, quæ inter dissidia Iliacos intra
XXVI. muros peccantur & extra, de Historicâ rerum fide parum videntur esse soliciti, &
alia potius, quasi arcana, consilia sequuntur. *Elogium* plenum & in summam col-
lectum habet *Radeuicus lib.2. c.76. Guntherus* de eligendi Imperatoris laudibus
agens, id muneris vsurpat *lib.1. Ligurini* v.282. &c. *Aeneæ* descriptioni hic consi-
p. XXVII. gnatæ, addantur, quæ supra posuit, cum electionem Imperatoris celebrauit. *Vr-*
pag. XIX. *spergensis* ita memoriam eius honestat: *Fuit Fridericus Imperator Vir Christianissi-*
mus, bellorum omnium triumphator, animosus, mansuetus, familiaris, quibuslibet vi-
ctis clementissimus, obliuiosus iniuriæ, statura mediocris, corpore rufus, ætate longæ-
vus: & qui corporis strenuitate non erat inferior quolibet ducatu regiminis. Hieron.
Gebuilerus commentar. MSc lib.3.c.22. in Friderico tum animi tum corporis egregie
virtutes viguerunt. nec defuerunt illi statura procera, robur & corporis agilitas ani-
musq; militaris disciplinæ ac gloriæ appetens & periculorum contemtor; quem in agen-
dis rebus tum prudentia tum summa felicitas haud quaquam destituebant. vnde pluri-
mis triumphis nobilitatur, quos cum Otto Phrisingius diligentissimè conscripserit, illos
hoc loci duximus prætereundos.

XV.

Turbæ Interregni sub Philippo & Ottone regni æmulis.

p. XXVIII. Interregnum hoc vocant eruditi scriptores, distracto inter duorum arma
& bella ciuilia perpetua Imperio, per X. aut amplius annos. Iliada malorum
hinc pullulascentium & adolescentium nemo satis descripsit distinxitve: quasi in-
ter confusa negotia, etiam calami scribentium debuerint fluctuare. Facundus &
in illâ breuitate sua copiosus est hic *Aeneas*. cui addendi sunt, inprimis quidem
Conradus à Liechtenau Abbas Vrspergensis, deinde *Arnoldus Lubecensis lib. 6. & 7.*
Godfridus Monachus in opere Freheri *Lehman. Chron. Spir. lib. 5. c. 70. vsque ad 78.*
Crus. Annal. Sueu. lib.12. part.2. Apologia Ottonis IV. Meibomij, non tam de Imperii
statu exhibendo quam de Imperatore Saxone purgando laborat. Æneas nihil,
quod in partem malorum venit, omisit: *Pontificum iras & studia, intestina in Ger-*
mania dissidia, factiones, transfugia, bella, externa auxilia & subsidia, parricidium,
novas electiones, nihil compositum, aut quamuis certo jam Cæsare, quietum. Odiorum
acerbitatem inter partes *Guelforum Ghibellinorumq; inter se desæuientium* renouatis
facinoribus auctam ostendit. De externis: *Juuabat*, inquit, *Ottonem Johannes*
Rex Angliæ, cuius ex sorore nepos erat. Friderico, qui contra Ottonem jam assum-
tus erat, suppetias attulit Rex Franciæ, *Philippus*: qui & Philippo Imperatori auxi-
lia miserat. hoc enim præcessit. sequitur ὀπίκρισις Æneæ: *nam ex his regibus, qui vno*
amico est vsus, ei alterius odium expectandum fuit. Et Philippum quidem primo *Ri-*
chardus I Rex Angliæ contra Ottonem juuerat. Nec discessit ab his consiliis suc-
cessor Richardi *Johannes*, dum potuit; secutisque temporibus collisi discordiis
Galli Angliq; contraria fere consilia, & partes diuersas in publicis sequebantur.
sicut increscentibus Hispanorum opibus, aliud par velut in pugna perpetua
consiliorum actionumq; publice compositum est: *Galli & Hi-*
spani. quorum studiis odiisq; orbis Europæus
diuerse trahi consueuit.

XVI.

XVI.

De Friderico II. Imp. judicia.

Res huius Imperatoris in luculentam ſummam redegit *Aeneas*: ſed paulo durius de Illo judicauit. Moderatius ſenſit ſcripſitque *Vrſpergenſis* eorum temporum æqualis. Si quis autem ſepoſito omni partium ſtudio cogitet, acerbiſſima diſſidia Pontificum & Imperatorum, quæ nunquam modicis, ſed per hæc tempora exitialibus detrimentis Imperium & Eccleſiam vexauerunt, tum ex his natas factiones gentium & prouinciarum, certaminum armatorum, contemtâ juris diſceptatione, libidinem & licentiam; facile reperiet viam, quâ ſit recte judicaturo incedendum. Dum enim omnia per contentiones geruntur, non poſſunt eſſe liquida, quæ judicantibus in mentem aut calamum veniunt. quod de Guelphis & Gibellinis jam ſupra intelligi potuit. Ea autem rabies adeo iterum his temporibus recruduit, vt aliqui, cum de ea loquuntur non aliud magis tempus ſibi reſpiciendum credant, quod ex ipſo etiam *Vrſpergenſi* apparet. Exacerbauit eum perpetua & conſtans Italicorum rebellio, & nunquam ſervata fides. Denique is fuit animorum in Italia & alibi habitus, vt nec virtutes, nec vitia, nec potentiam, nec infirmitatem Imperantium ferre poſſent. Strenuos Imperatores laceſſebant: inualidos conculcabant. Quo factum eſt, vt hoc ipſo ſæculo prope ad interitum Imperii veniretur. Illi affectus hominum immigrant in libros, ne tacitè quidem. Ita *Innocentius Pontifex* vltro veluti in arenam deſcendit, & *Petri de Vineis Epiſtolis*, vnde huius Imperatoris res potiſſimum repetendæ ſunt, *apologeticos* oppoſuit. Iniquis Italorum judiciis repellendis idoneus etiam auctor eſſe poteſt *Pandulphus Collenutius*, hiſtorici officio & induſtria candidius vti ſolitus. Jam, quantum eſt in *Cardinalis Nicolai Cuſani* judicio, qui Fridericum hunc ait, *poſt Carolum M. potentiſſimum ſapientiſſimum & reipublicæ Chriſtianæ vtiliſſimum Principem fuiſſe?* Addantur Apologetica *Ciſneri*, ſeu *Vita Friderici II.* auctore *Nicolao Ciſnero*.

à p. XXIIX. vſque ad XXXIII.

& Coſſin. Frid. II. extr.

XVII.

Hungaria à Tartaris deſtructa.

Non poſſumus prætermittere hoc loco, quin errorem *Aeneæ* noſtri, in tranſitu indicemus: quando invidiam huius excidii Hungarici ad Fridericum II. Imp. transferre videtur. Verba hæc ſunt, dum reprehendenda colligit in Friderico: *moribus occultè lubricis, neq; religionis amator; quippe qui Eccleſiam perſecutus eſt, & Tartaros Vngaros* (interpone *in* Vng.) *aduocaſſe creditus; quoniam Bela Rex Vngariæ parere ſibi recuſaret. Nam eo Imperante Tartari, qui & Scythæ dici poſſunt Vngariam ingreſſi fratrem Regis Colomannum occiderunt, & in Poloniam tranſeuntes Henricum Ducem Sleſiæ trucidarunt; ambasq; prouincias ita attriuerunt, vt in hunc uſq; diem eius calamitatis veſtigia extent.* Annus huic immaniſſimæ cladi ſive potius excidio Hungariæ tribuitur ab aliis 1241. ab aliis 1242. manſeruntque eruentiſſimæ beſtiæ per totum triennium in ruinis exciſæ Hungariæ. Igitur de re quidem conſtat. debetque hoc exemplum Tartaricæ vaſtationis, nunquam non ſine nota demonſtrationis & obſervationis proponi. cum præſertim obſcœni illi canes, hactenus etiam eas mutationes regnis quibuſdam invexerint; quas neque ſuſpicatus eſſet ante eventum quiſquam, & poſt eventum non niſi leui auditu tranſmittunt qui negare non poſſunt. cum tamen, vt ſtudiosè legatur & inſpectetur illa hiſtoria omnium interſit. Adeatur *Bonfinius Decad. 2. lib. 8. & Thomæ Archidiaconi Hiſtoria Salonitana cap. 37. in Johannis Lucij Dalmatia & Croatia.*

p. XXXII f. & XXXIII.

Sed quod Fridericus aduocauerit Tartaros in Vngaros, id vero temere & fal-

ſo jactatum creditumque eſt. *Primo* enim, *cauſa*, quæ hic adfertur (quod Rex Bela parere Imperatori recuſarit) falſa eſt. De Friderico I. quidem *Otto Friſingenſis* memorat, *quod Vngaris bellum indicere, ipſoſq; ad monarchiæ apicem reducere voluerit. Sed* (ita pergit) *cum aſſenſum ſuper hoc Principum quibuſdam de cauſis latentibus, habere non poſſet, ad effectum tunc perducere ea, quæ voluebat mente, non valens, ad opportuniora tempora diſtulit.* De Friderico II. id non legitur. Imo *Rex* Vngariæ Bela *regnum eius ditioni ſubiecit, dummodo defenſionis ſuæ clypeo protegere vellet.* Ita teſtatur ipſe *Imperator in epiſtolâ ad Senatum Romanum.* quæ eſt in *libro I. Petri de Vineis* 30. Igitur libentiſſimè tuliſſet auxilium Regi petenti cum præſertim non ad *defenſionem* modo, ſed *augmentum* Romani Imperii talis expeditio pertineret. Sed obſtitit optimæ voluntati ineluctabilis neceſſitas, cuius tricis à Pontifice nexis in Italiâ attinebatur. Sicut in *Epiſtolâ præcedente ad ipſum Regem Hungariæ* [illegible] dequeritur: & auxilia, filii Conradi ductu interim mittere deſtinat. Sed qui nouit res eius temporis, facilè intelligit, cur non potuerint auxilia ſubmitti. Et quia *Bonfinius* diſertis verbis notat, Vngaros ſcriptores confundere *Friderici II. Auſtriæ Ducis*, qui Bellicoſus audiit, & Friderici II. Imperatoris nomen, crederem ex tali errore fluxiſſe rumorem vanum. De illo enim *Friderico Duce*, in illa clade, querelam mouet *Rogerius de Deſtructione Hungariæ per Tartaros c. 32. & 33.* Sed *Auentinus*, diligens indagator veri, Romæ, vbi omnia in inuidiam Friderici confingi ſolebant, *natam hanc fabulam* annotat, ipſique Friderico teſtimonium præbet, quod ad Tartaricam expeditionem ſerio ſe, vt primum licuit, comparauerit; eaque fama, Tartaros, vt Hungaria excederent, adegerit, *lib. 7. Hiſtor.*

lib. 2. c. 8.

Petr. de Vin. lib. 1. c. 29.

l. d. p. 101.

in rer. Hungar. Script.

XVIII.

Conradini Parentes, mors acerba, mortis vindicta.

Conradinus ſeu Conradus (Itali enim hoc nomen ita inflexerant) revera fuit filius *Conradi IV.* Friderici II. Imp. Filii & *Elizabethæ* Ottonis Ducis Bauariæ Filiæ. Sicuti *Vrſpergenſis* & Germanici ſcriptores alii conſtanter tradunt. quâ in re defendit *Cuſpinianum Wolfgangus Hungerus in eruditis Notis.* Itali, *Blondus, Collenutius* & alii *Henrici* filium faciunt: quos ſequitur *Aeneas* noſter; *Conradini Pater, inquit, Henricus fuit, ex Conſtantia Regis Caſtellæ ſorore natus, quem Fridericus, vt ante diximus, in Apulia necari juſſit.* Poſtea iterum; *Conradinus eius Henrici filius, quem necatum à Patre diximus &c.* Nos jam ſupra (pag. 128.) Germanos ſecuti ab hac ſententiâ diſceſſimus. Rationibus *Hungeri* poteſt etiam accedere *Epiſtola* ipſius *Conradini ad Principes* Imperii apud *Goldaſtum*, vbi ita loquitur: *Cum enim magnificus Rex Conradus, diuæ memoriæ pater noſter, teſtamento ſolenniter condito, quodam tempore mortis ſuæ nos tenellum infantilum* &c. Ita *Leonardus Aretinus* diligens ſcriptor: *Succeſſorem ſibi Corradus Corradinum filium tunc admodum puerum, ſub tutela matris in Germania degentem teſtamento reliquit.* Et ſic ſemper, *Corradinum Corradi filium* vocat. Addatur *Nicolaus Ciſnerus in oratione de Conradino* habita.

p. 637. &c.

p. XXXIII. & XXXVI.

Conſtitut. tom. 2. p. 309.

Lib. 2. Hiſt. Florēt. p. 23.

Scenam Tragici exitus, & *Aeneas* quoque noſter, diligenter exhibuit, & alii graues Scriptores non perfunctoriè oſtenderunt. in quibus *Gerardus de Roo, Pamphilum Collenutium*, vt præcipuum laudat, merito. Eſt enim huius *Hiſtoria Neapolitana*, ratâ libertate & grauitate judicii, ad exemplum magnorum, & veterum Hiſtoricorum conſcripta. Huic addendus eſt *Sabellicus, Ennead. nonæ lib. 7.* verboſam hiſtoriam orſus. *Vrſpergenſi* accedunt alii, è quibus omnibus contexuit ſuam orationem *Ciſnerus.* Carolum Andegauenſem, qui facto Pontificis non jure Siciliæ regnum obtinebat, omnes crudelitatis ob ſupplicium de Conradino ſumtum accuſant: & partim varios prætextus juſtitiæ, ſub quibus ipſa juſtitia maxime vitiari

lib. 1.

vitiari solet, arguunt. Quam inanis est illa imago & forma veri judicii, cum omnium ex toto regno ciuitatum Syndici, vt de ipsorum sententia judicarentur captivi; conuocati sunt? quasi scilicet vnquam aliud responsuri sint, qui à Dominantibus in propria causa consuluntur, iis subditi, aut obnoxii, quàm id quod sciunt dominantes velle. Jam, quàm manifesta fuit cauillatio juris, cum auctoritas Augustini in patrocinium huius sæuitiæ turpissimè detorta est: qui cum vim militarem intra actus bellicos coërceat, & vi in actu bellico vtentibus violentiam reddi dicat, e.g. quando resistentes aut vim inferentes in acie & pugnis interficiuntur: captis autem misericordiam deberi vltrò statuat, præsertim si nulla perturbatio pacis metuenda sit; contra sanam hermeneuticen & omnem ciuilis & Christianæ philosophiæ rationem, formatus est casus, quasi ex mente Augustini tum demum & solùm misericordiæ locus sit, vbi nulla pacis perturbatio metuenda sit. Quod etiamsi acciperetur, sicut accipi verba Augustini non sinunt, quam absurdum est metum perturbandæ pacis fingere, vbi capti in potestate sunt, & à nocendo in posterum certis & moraliter extra periculum positis rationibus arceri possunt? Denique quod jus permittit, bello indubie iniusto captos occidere? Causa sane Conradini totius orbis judicio justissima erat, Caroli iniustissima. Qui enim armis regnum sibi optimo jure debitum ab inuasore recuperare conatur, in actu maximè licito versatur. In obscuris forte dubitationi locus est: hic justi iniustique tam clarum erat discrimen vt in dubium nisi malitiosè vocari non posset. Ludibrium est, non purgatio, quod carnifex, qui nobilissimum sanguinem hausit, ab alio mox carnifice interfectus est. De Ecclesiæ hostibus loquuntur hic qui cæco partium studio omnia Pontificum honesta & inhonesta laudare solent.

Quare & rursus maximus & incredibilis consensus non eorum modo qui tum vixerunt, hominum, sed in hunc vsque diem gentium nationumque & in his omnium cordatorum animaduertitur: quod credunt diuinam vindictam non frustra à Conradino morituro imploratam, sed toti mundo testatissimam exinde fuisse. *Aeneas* grauiter: *Neq; Caroli impunita crudelitas mansit. vix enim post Conradini cædem anni tredecim præterierant, cum non ferentes Gallicam insolentiam Siculi correptis armis omnes per insulam Gallos in vnis vesperis truci iarunt, & insula in potestatem Petri Arragonensis facta est. Nec multo post Karolus Secundus filius huius nauali prælio captus in Cathaloniam deductus est. Et, ne veteribus insistamus, ætate nostra vniuersum ad Arragonenses ipsorum q; fortunatissimum & sapientia clarissimum Alfonsum regem defecit: tanquam Deo exequi cura præcipua fuerit. Alij*, singillatim diuinam Nemesin in Pontifice Clemente IV. in Carolo Rege, in Ottocaro Bohemo, ad longam denique posteritatem obseruant. p. XXXIIX.

Volaterrani calumniam, de adulterio Conradini, vel illud arguat, quod *Fazellus*, diligens inprimis scriptor, Mamfredi id facinus & facinoris euentum accurate denarrat, & ad verum auctorem refert. *Fazel. rer. Sic. dec. post. Lib. 8. p. 447.*

Ceterum hac morte Gibellini in Italia tanquam letifero vulnere prostrati sunt, & Dominatio Sacra, quæ religionis obtentu omnem reipublicæ ordinem ab ipso Deo institutum, per ea tempora perturbabat, in immensum eualuit.

XIX.

Legationes Cæsaris in causa matrimonij contrahendi.

Finita longissimâ Fridericorum historia, Æneas Imperatoris Friderici III. res orditur, & primo quidem de *Coniuge quæsitâ*, tum de *itinere Italico*, quo & matrimonium consummatum, & *Coronatio Romana* perfecta est. p. XXXIIX. & seqq.

In dispicienda conditione matrimonii elegans & Cæsare digna cogitatio, optare virginem, omnibus naturæ, virtutis fortunæque dotibus in toto orbe lon-

ge lateque effulgentem: in qua Parentes, necessitudines, affinitates, omnia ad commendationem summa essent. Missa est igitur primum *Legatio, videndi & explorandi causa.* Quanquam enim in summa fortuna nec pueritia, nec adolescentia liberorum Regiorum, præsertim tam eminente indole præditorum latere queat, Fridericus tamen in Lusitaniam ablegandos censuit viros præstantes, quibus tanquam
p.xxxix. oculis vteretur, *Georgium Volkestortium Baronem & Vdalricum Ridrer Jurisconsultum,* qui officiosis apud regem Alfonsum Eduardi filium verbis fungerentur, eademq; operâ Sororis eius natu maioris Leonoræ formam & mores coram cognoscerent. Qui cum ea, quæ fama prædicauerat, etiam superari præsentiâ virginis retulissent, scriptæ sunt demum à Cæsare literæ ad Alfonsum Regem Lusitaniæ, in hanc sententiam: *Si Sororem Cæsari vellet in matrimonium tradere, Legatos ad Regem Aragonum eius Aunnculum, qui apud Neapolim residebat, cum potestate mitteret; idemq. futurum Imperatorem: sicq. coniugium concludi posse.* Rex cognitâ Sororis voluntate, Cæsaris matrimonium Delphino Franciæ præoptantis, *Johannem Vernandi Jurisconsultum Neapolim nauigare jubet, qui & Alfonsum Aragoniæ & Siciliæ Regem conueniat, & quod ei placeat de matrimonio faciat.*

Ex re & voto Cæsaris hoc erat, hunc rei tantæ auctorem fieri. Alfonsum enim hunc Aragoniæ & Siciliæ regem, omnium, qui tunc erant Principum decus & venerabatur Cæsar, & eximiâ charitate diligebat: imo congrediendi cum eo, & de rebus summis colloquendi cupidissimus erat. Cui desiderio hæc de matrimonio negotiatio opportunè occasionem videbatur allatura. Nec alia mens ipsius Alfonsi erat. Præstantes enim Heroum naturas occultus quidam mutuæ beneuolentiæ genius sibi inuicem conciliabat. Constitit autem inter omnes, Fridericum Cæsarem, & Alphonsum hunc, non habuisse parem inter Principes, & qui æquè totius Europæ, atque adeo totius Christianitatis commoda & jura, cum contrariis intelligeret, saperet, complecteretur. Missa est igitur ad Alphonsum Aragonium altera legatio, *Aeneas Sylvius, Georgius Volkestortius* ante laudatus, & *Michael Fulendorfius* Secretarius: qui rem de matrimonio Leonoræ confecerunt. *dotis nomine nummorum sexaginta millia promissa.* De hac legatione, hic quidem abundè *Aeneas*, sed & alibi narrat *lib. 2. commentar. in Panormit. de dict. & fact. Alphonsi R. Ad*
p.478. *hæc sponsalia* (inquit) *contrahenda nos huc ex Austria legati Cæsaris venimus remq. absoluimus, quamuis collegæ nostri Georgius de Populosa* (Volckestorff & *Michael de Plena villa* (Fullendorff/pfullendorff) *aduersi essent, qui dotis nomine minus promitti quàm par esset arbitrabantur.* Æneas scilicet non ignarus Imperatoris ingenii, de pecunia tricas non esse nectendas, satis animaduertebat.

pag. XLI. & LXV. *Ger. de Reichenst. Austr. lib. 5. p. 251. apud Freher. Script. Germ. tom. 2.*

Hac re confecta, missa est *alia Legatio* in Lusitaniam, quæ matrimonium inter Sponsos absentes, more Principibus vsitato, tradito annulo contraheret: nempe *Nicolaus Longimanus à Falckenstein* & *Jacobus Mozius*, qui cum Sponsa postea in Italiam aduecti sunt. Duo erant hi Sacerdotes. quorum *Mozius in oratione ad Regem Lusitaniæ Alfonsum* de sua legatione ita agit: *Nouit Tua maiestas antequam loquar quæ sit causa nostri aduentus, apud Neapolim quæ gesta sunt inter tuos & Cæsareos oratores. Jam diu tibi relatum est ex his quæ illic conclusa sunt. Hoc superpererat, vt ad contrahendum matrimonium per verba de præsenti, cum præfata sorore tua suos procuratores Cæsar transmitteret. His ergò satisfacturus conuentionibus & pactis, ad rem hanc nos (quamuis minimos) misit.* Et mox in alia oratione ad ipsam Sponsam Eleonoram, cui anulum pronubum cum oratoriâ explicatione porrigebat, ita agit: *Dixi quæ sum facturus, si accipis gloriosissimum dominum meum Dominum Fredericum Romanorum Regem, virum tuum legitimum ex ordine virtute sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ. Quinimo quem jam te dicis accipere, vnumq. hunc optare atq. amplecti mente. Sic dic: Ego infantula Domina Leonora recipio Fredericum Regem Romanorum, in meum maritum bonum & legitimum, sicut mandat sancta Ecclesia Romana in personâ tui Magistri Jacob Motz, sui sufficientis procuratoris*

curatoris ad hunc actum. *Et ego prænominatus M. Jacob Motz, nomine præfati Frederici Regis Romanorum, tanquam procurator eius ad hunc actum legitimè constitutus, recipio te infantissam Dominam Leonoram, in suam legitimam vxorem, sicut mandat sacra Ecclesia Romana, atq; te hoc annulo subarrabo, ad laudem & gloriam omnipotentis DEI, & ad felicem vtriusque partis statum & optimam consolationem: vt duo in carne vna longo tempore simul viuatis, generetisq; filios & filias, qui DEO & hominibus sint accepti, vobisq; senibus superuiuant. Repleantur & benedictionibus, omnium bene viuentium, fruanturq; pace æterna. In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen.* Quis autem casus in itinere Legatis moram attulerit, infra Æneas narrat. Post peracta solennia huius Legationis, Sponsæ iter in Italiam in serie historiæ sequitur: in cuius comitatu Legati Cæsaris manserunt.

Æneas interim in altero negotio Italico non segniter occupatus fuit.

XX.

Bernardini Senensis elogium.

In Jubileo, anno 1450. celebrato Nicolaus V. Pontifex Bernardum Senensem inter Sanctos solenni Cærimonia retulit. Hac occasione *Aeneas*, de eo refert aliqua. Quibus addenda sunt, quæ alibi habet. In *Europa c.* 58. inter laudes Nicolai Pontificis enumerat: quod *Bernardinum Senensem ordinis minorum professorum, qui paulo ante obierat, in numerum sanctorum retulit.* In *eodem opere c.* 64. de Vrbe Aquila agens, *Diuus Bernardinus Senensis*, inquit, *postquam Italiam omnem Christi nomen prædicando peragrasset, vitæ cursum peregit, eo in loco sepultus clare miraculis affirmatur. Fuit autem Bernardino clara inter Senenses origo, nec vera est assertio eorum qui patriam illi Massam fuisse tradunt, quamuis pueritiæ nonnulla rudimenta peregerit. Ceterum pater ac maiores sui longa serie inter nobiles Senenses habiti sunt. Vbi & ipse natus, & maiori ex parte educatus, cum adoleuisset, juri Pontificio addiscendo operam dedit. Sed cum sepultis parentibus fallaces huius mundi blanditias & inania eius esse promissa animaduertisset, distributa inter Christi pauperes substantia, diui Francisci religionem ingressus, traditam sibi regulam exactissimè obseruauit: declinansq; maiores conuentus, eorum ductor & magister effectus est, qui fratres obseruantes appellantur. Maximum autem ei studium in edocendis populis fuit. Qui cum esset facundia copiosus, & doctrina insignis, incredibili omnium attentione audiebatur, & quasi alter Paulus esset, vas electionis, in admiratione & reuerentia habitus. Tres cum populi sibi pontificem elegerunt, Vrbinates, Ferrarienses, Senenses. Sed non fuit ei consilium, linguam quæ toti posset Italiæ consulere, vnam intra vrbem concludere.* Iterum eius meminit *in Descript. German. Audiuimus sanctum Bernardinum prædicantem, cuius fama hodie redolet ex animo & magistro suo diuo Francisco similem. Is tamen cum aliquando de hominum cupiditatibus dissereret, & in eos incidisset, qui Episcopatum desiderant, Ego, inquit, neq; episcopatum neq; Cardinalatum cupio. at neq; summum pontificatum, nisi fortasse imperium simul orbis cum papatu consequi possem, tunc enim possem reip. Christianæ optimè consulere, leges statuens bonas, & legum obseruantiam inducens. at Papatus sine imperio nihil mihi nisi molestia fuerit, cum malè viuentes vellem quidem sed non possem coercere. Hæc vir sanctus jocabundus aiebat. Erat enim festiuus & vrbanus homo; & tamen in joco veritatem non prætermittebat, & altis sensibus vtebatur.* Alibi, *Bernardinum Senensem*, ait, *quem cælicolarum numero Nicolaus Quintus Pontifex Maximus adscripsit, inter concionandum fabulam huiusce modi referentem audiuimus. Accepit ex villico matrona quædam nobilis recentia cerasa, quæ in thalamum recluſa maiori ex parte cum ossibus ore auido atque hianti manipulatim vorauit: coram viro deinde allatis quæ residua fuerant cerasis, prius quam vnum comederet, terq; quaterq; momordit: quærens ex villico, quomodo cerasa ruri ederentur? cui villicus, qui per rimulam vorantem fœminam contemplatus esset quo*

pag. XL. & XLI.

de dict. & fact. Alph. lib. 2. p. 432.

p. 108.

quo tu, inquit, mulier paulo antea sola in thalamo. Erubuit mulier. Bernardinus eos bene viuere, aiebat, qui quæcunq; agerent, aperta diis atq; hominibus esse putarent. Descriptioni diligenti tanti viri, qua Æneas Jubilei memoriam, & huius operis argumentum ornare voluit, adiungenda videbantur, quæ alio loco de eodem Bernardino retulerat.

XXI.

Joannis Capistrani Elogium.

pag. XLI. XLII. XLIII. Magnum & rari exempli virum, omnium confessione, *Aeneas* non laudibus modo enarratis extollit. Sed aduersus criminatores, rationibus æquitate & prudentia plenis defendit. Exaudiri tamen & laudes illas & apologiam voluit, cum exceptione vnius facti, in quo ambitionis manifestus fuerit Capistranus. Refert ipse Æneas bis in *Europâ c.*8. & in *Historia Bohemica c.* 65. Priore loco, victoriæ contra Turcas Belgradum siue Albam Græcam acerrimè oppugnantes partæ, *tres Johannes*, ait, *habitos authores, Legatum Cardinalem, cuius auspiciis res gesta sit, Huniadem & Capistranum, qui prælio interfuere. Verum neq; Capistranus Huniadis, neque item Capistrani Huniades mentionem fecere, in eis literis, quas à DEO obtenta victoria, siue ad Romanum Pontificem, siue ad amicos scripsere: per suum quisq; ministerium DEVM dedisse Christianis victoriam affirmauit. Auaritiæ honoris humana mens facilius regnum & opes quàm gloriam partitur. Potuit Capistranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem subigere, gloriam vero spernere non potuit.* Loco posteriùs citato, de eadem re ita scribit: *Huniades & Capistranus huic bello interfuere, vterq; rem gestam scripsit, neq; alterius mentionem fecit, alteruter solidam sibi rei gestæ laudem vsurpauit. Ingens dulcedo gloriæ facilius contemnenda dicatur, quàm contemnitur. Sprouerat Capistranus seculi pompas, fugerat delicias, calcauerat auaritiam, libidinem subegerat; contemnere gloriam non potuit. Qui summo Pontifici bellum atq; exitum belli describens, nulla Huniadis, nulla Cardinalis facta mentione, totum suum esse dixit, quod gestum erat, quamuis DEVM inprimis victoriæ confessus fuerit auctorem. Nemo est tam sanctus, qui dulcedine gloriæ non capiatur. Facilius regna viri excellentes quàm gloriam contemnunt.* Quæ etiam *Comes Fuggerus* repetit: *Specul. Honor. Austr. lib.*5. *c.*10. *Vt* autem *Capistranus in Germaniam mitteretur, exactam tota Germania Francisci regulam denuo plantaturus*, Æneas apud Nicolaum Pontificem egerat, sicuti non *hic* modo fatetur; Sed *Commentarij* quoque *Pij* referunt, *lib.*1.

p.17.

XXII.

Bohemi ad tempus compositi.

pag. XLIII. Bohemorum tumescentes animos Legatione missâ composuit Fridericus Imperator: in quâ *Aeneæ* opera, vt semper, magni fuit. Orationem, quam habuit rei temporique conuenientissimam & proceribus Bohemis gratissimam, ipse consignatam reliquit, in *Historia Bohemica cap.* 58. Inde repetit *Gerardus de Roo Histor. Austr. lib.*5. & *Fuggerus in Specul. Hon. Austr. lib.*5. *cap.*6. *Dubrauius* autem plane omisit hanc Legationem. *Commentarij Pij* paucis historiam complectuntur *lib.*1.

p.201. & seq. p.570. p.478. & seq. p.17. & 18. add. *Anton. Bonfinij Hungar. dec.*3. *lib.*7.

XXIII.

Barbaræ Cilienſis Sigismundi Imp. Coniugis mors.

Quam in transitu memorat *Sylvius*, eiusque impudicitiam & æheisinum signanter describit. Fecerat & alibi: in *Histor. Bohem. c.*59. iisdem sententiis. Add. *de dict.*

de dict. & fact. Alph. lib. 3. Quid mirum, fœminam Dei & omnis honestatis contemtricen, de secundis nuptiis agitasse, antequam maritus moreretur? Hæc, inquit *Aeneas*, ægrotante Imperatore, *de retinendo Imperio solicita Henricum Ptarsconem Sterenbergium Georgium Poggiebracium, & alios plerosq; Barones, quorum auctoritas apud Bohemos potior, clanculum ad se vocat, Sigismundum breui moriturum asserit, futuras in regno turbationes nisi rei suæ quàm celerrime consulant, quietis vnicam viam esse, si se viduam rex Poloniæ ducat vxorem. id ei suasu facilè: nam quis matrimonium renuat, quod dotalia duo regna sequantur, eaq; maxima & opulentissima? Suo nomine & in Hungaria & in Bohemia oppida munitissima custodiri: Comites Ciliæ alterum fratrem, alterum nepotem auxiliâ præbituros: multos in Hungaria proceres suas partes complexuros. Placet Bohemis Imperatricis consilium, datisq; dextris fœdus ineunt. Mulier jam anus nouum coniugium mente complexa, filiam quæ in spem regni creuerat, & Alberto Duci Austriæ nupserat, ex animo dimouet, nec aliud quàm noui concubitus gaudia meditatur. Inexhaustam fœminæ libidinem: quæ tumulo quo propior est, eo genialis thori nuptialisq; facis cupidior & curiosior redditur.* Imperator cognitis fœminæ furiis, custodiæ eam commisit, & Generum Albertum commendauit Bohemis regni Successorem, principe legationis Schlickio rem conficiente, quanquam vestigia huius conspirationis alte impressa, non sine turbis extingui potuere. Repetit historiam diligenter, *Gerardus de Roo* lib. 5. & *Fuggerus Spec. Hon. Austr. lib.* 4. *c.* 8.

p. 438.

Hist. Boh. c. 83.

p. 169. & seqq.

XXIV.

Eit Zingerus iniquam iracundiam flagitiosa perfidiâ vlciscitur.

Hanc historiam, magni per omnia momenti, *Æneæ* debemus, omissam aliis. Et, quoniam Vlricus ille Eizingerus fax & turbo Austriæ fuit, & Furia huius temporis, quod narratur, igitur notabili charactere signatur, & ab ingenio, fortuna, moribus, officio describitur. Videtur enim ipse Fridericus Imperator minora & pauciora de prauitate hominis credidisse, quàm oportebat. potuisset certè, & fortè debuisset accuratius cauere, & manus ei arctius astringere. Sed grauitas & magnanimitas Imperatoris, quæ tardum & tantum non negligentem ad deteriora credenda faciebat, sæpe ei fraudi fuit. Et huc tendit etiam Æneæ judicium, quo claudit hanc historiam: *Fridericus vero, qui sibi jureiurando Viennenses obnoxios, Australesq; omnes obligatos fidelitate norat, haut arbitrari poterat rebellioni posse locum patere. Haut poterat arbitrari*, ex indole sui ingenii: at debuit arbitrari, ex speciminibus alieni ingenii non obscurè hactenus perspectis. Intelligitur etiam hinc, quanto debeant sibi studio cauere Principes, ab iis, qui contendere vltro cum dominis suis, neque de jure suo cedentibus quicquam concedere, in animum inducunt. De tali ingenio, non est satis, illud Poëtæ dicere:

pag. XLIII. & XLIV.

pag. XLV.

Durus homo, atq; odio qui posset vincere regem
Confidens, tumidusq;

Horat. l. Satyr. 7.

plerumque enim est amplius

Prauus homo, & turbis cupiat qui perdere regem.

Ex hac enim Eizingeri prauitate, *omnium malorum, quæ postea per rebellionem contigerunt, radix atq; origo* fuit, pag. XLIV.
vt rectè *Æneas* judicat.

XXV.

De præparatu Itineris Italici Cæsaris.

pag. XLIII. &c. Opus erat diligenti præparatione domi, & foris, antequam Imperator Italiam ingrederetur, quam exactissime *Æneas* describit. Et domi quidem, vt jam cœpimus dicere, non satis aduersus rebellionem omnia prouisa & mox compertum est. In Italia autem, diligentiam, vt fit, secuta fortuna est. Mittitur I. *Legatio* splendida & numerosa: *Æneas ipse Syluius*, qui ante apud Alphonsum Regem Neapolit. per 40. dies, confecto matrimonii negotio, paulo ante redierat; *Albertus Potendorfius, Georgius Volchenstorfius*, antea quoque Æneæ Collega, Barones Austriæ; *Michaël Fullendorfius Secretarius: tresq; alij equites, nobili loco nati. Matronæ nobiles & bono sanguine natæ virgines duodecim, cum his proficisci jubentur, Imperatrici seruituræ.* II. *Mandata* duplicis generis erant. *Prioris* generis ad Iter Cæsaris pertinebant: *altera*, ad excipiendam Imperatricem. Legati enim jussi sunt *de transitu Cæsaris nouos tractatus in Italia* (ita corrige errorem typographi ex MSc.) *facere*, ac *publicam Principum ac Communitatum fidem exposcere: Cæsarem in festo Diui Martini ingressurum Italiam dicere: vt apparentur itinera, hominibus equisq; necessaria disponantur. exinde Talamonem petere, ibi aduenientem Sponsam suscipere, Senasq; conducere. atq; his actis, Æneam & Michaëlem Romanum præsulem accedere, de Coronatione rursus quæ opportuna viderentur agere.* Commentarii *Pij*
p. 18. *Papæ lib.* 1. eadem omnia referunt, & de altera parte Legationis addunt: *Æneæ Michaëliq; amplius mandatum erat, Italiæ Communitatibus atq; Principibus, maxime vero summo Sacerdoti Cæsaris aduentum; qui jam dubius videbatur, vt certum ad festum Martini renunciarent, transitum peterent, commeatibus æqua pretia statuerent, atq; ad eam rem literæ præmissæ sunt.* III. Domi quoq; euocantur ad Comitatum Cæsaris implendum ornandumqume *nobiles ac Principes, vt itineri se ocyus accingant. Ciuitatibus, vt ex more suos mittant legatos imperatur.* Itaque *arma sumunt, Italiamq; petituros multi se offerunt, quibus Cæsar benignè susceptis stipendia viritim promisit.* Destinantur loca, quibus ex commoditate copiarum partitim iter ingrediantur: *Bohemi & Australes, in Austria; Vngari & Bauari in Carinthia; Sueui, Renenses, Francones, in Ferraria jungere sese Cæsari jussi.* Vt
pag. XXII. supra, Fridericus Imp. Italiam ingressurus *Henricos Austriæ & Carentanæ Duces, & Sagittarios Vngaros, Stiriensesq; manus, per montes Carnorum, & viam cui canale nomen est, in forum Julij descendere jussit. Bertholdo Duci Burgundiæ, Lotharingiis quoq; & qui ex occidentali Francia auxilio venerant* (ita corrige mendam typographi) *montem Jouis superandum imperauit. Heluetiis, Ripariolis Rhenanisq; per Clauennam & lacum Comanum iter ostendit: ipse per Tridentinum & Veronensem agrum viam fecit.* IV. Et sane, opus fuisse dilgentissima omnium rerum apparatione, vel *habitus animorum in Italia ad famam aduentus Cæsarei va-*
pag. XLV. *riè affectorum* ostenderit. De quo ita *Æneas: Inter hæc Italia jam certior facta de Cæsaris adventu, variis vndiq; completur rumoribus: timere alij, quibus secundæ res sunt: narrare quæ priscis temporibus accidissent, dum Germani Cæsarei Italiam petiuere; armis iterquæsitum, nunquam defuisse bellum, rapinas cædesq; agitatas, vastatos agros, versas vrbes, neque humanis rebus, neque diuinis parsum; ciuitatum rectores amotos, nouos inductos. Consulendum igitur paci, claudendam Friderico viam, dicere. qui procul à republica tenebantur, optare celerem introitum Cæsaris: jam finem adesse miseriarum suarum credere. non laturum Imperatorem superbiam dominantium, moderaturum vectigalia, exclusos urbibus restituturũ, sua cuiq; reddito-*

vedditurum prædicare. varia igitur agitari consilia: atque, vti voluntates sunt, sic sese homines demonstrare. Commentarii *Pij lib.* 1. ita efferunt: *Quibus cognitis, Italiæ potentes trepidare, sperare tenues, nutare principes, impleri omnia rumoribus, timeri motus, quos in aduentu Cæsarum excitatos vetustas nouerat.* In primis animum Pontificis Nicolai V. multiplex & anxia cura distrahebat, quam *Aeneas* facundè exponit. non enim decrant, qui specie prudentiæ aures eius obtundebant, figurato variè metu, à *Friderici nobilitate, altitudine animi, ambitione, Iuuenta, opibus, ab Italorum ingenio rerum nouarum cupido, à populi Romani mobilitate & studio Gibellinarum partium, ab Alphonsi Regis potentia Cæsari profecto non defutura, ab armis bellantium nunquam non Ecclesiæ timendis.* jactabantur & *vaticinia de Friderico quasi Ecclesiam oppressuro: tum de Pontifice forte in captiuitate morituro.* p. 12.

Hinc est, quod, vt referunt *Pij Papæ commentarij, Pontifex, cui Romanorum mores cogniti erant, quiq; multos nouitatis auidos intellexerat, timens populi motum, jam Cæsari nuntiauerat, & commeatuum penuriam causatus, aduentum suum in æstatem ut differret, Aeneæ vero, vt ad se quanto cyus irèt, imperauit.* De quo metu & *Platina*: *lib. 1. p. 19.* *in Nicol. V.* *Quod venturum ad vrbem Federicum Imperatorem intellexerat, tum vt coronam imperij acciperet, tum vt Leonoram Regis Lusitaniæ filiam Alphonsi neptem in vxorem duceret, portas vrbis ac turres, Capitolium, arcem S. Angeli, muris firmissimis munire cæpit, veritus credo, ne aduentante Imperatore, noui aliquid, & ab eo, & à populo Rom. oriretur: erat enim natura formidolosus. Hanc ob rem milites omnes suos cum collectitiis copiis Romam accinit.* V. Ne autem hic metus promissa ante Cæsari facta subuerteret, *industria Aeneæ Legati Cæsarei* effectum est. Apud Pontificem enim tandem prævaluerat metus, vt quoniam aperte Cæsari aduentum negare non poterat, ex obliquo suadere vellet *dilationem itineris* in æstatem: de quo *Henricum Senfileben*, in Germaniam aliis de rebus profecturum, cum Cæsare jusserat agere: & *Aeneam* ad se per literas vocauerat. Cum autem Æneas Talamone digredi non posset, ne dum Romæ teneretur, Imperatrix portum applicaret, grauissimas *ad Pontificem literas* scripsit, quorum tenorem *hic* expressit, summam *Commentarij Pij* habent. Ita metu Pontifici excusso, rata fuerunt, quæ ante de Cæsaris aduentu *lib. 1. p. 19.* ptiore Legatione conuenerant. VI. Atque interim Æneas cum Collegis, apud *Venetos de transitu egerat: vbi responso ex sententia accepto Ferrariam, deinde Bononiam, Florentiam, Senas, q; petiuerant, neq; vsquam male auditi erant.* VII. Hæc foris diligenter & feliciter præparata & apparata. *Domi non æque prouisa sunt*, quæ in rem erant. *Rectores* lecti, *qui absente Cæsare Austriam gubernarent, Comites de monte pulcro pater & filius, Georgius de Puchaim, Rodigerus de Starnberg, Sigismundus de villa Aprorum, & alij plerique Barones. ex ciuitate autem Viennensi solùm Burgimagister, judex & pauci de consulatu accersiti.* vbi *Aeneas* erratum putat in delectu Viennensium, inquiens: *sed male cum paucis transigitur, quod multorum est ciues indignati tanquam spernerentur animum inde à Cæsare alienarunt.* Nomina Gubernatorum ita assignat *Gerardus de Roo*: *Interim ipse Austriæ gubernationem proceribus quibusdam committit, inter quos Vdalricus Schaunbergicus, senior, Georgius Bucheimicus, Rudigerus Stubenbergicus, Sigismundus Ebersdorfius & Conradus Eizingerus.* Eosdem *Fuggerus Comes* nominat. Discrepant ab Ænea, qui *Starnberg* nominat, vbi illi *Stubenberg* habent. Infra accedunt duo Stiriæ gubernatores, *Johannes Heipergius & Waltherus Zelingerus.* Erratum etiam in eo, quod Eizingerus & rebelles ceteri minus timebantur quàm par erat. Vnde de consiliariis Cæsaris eximii viri, differendum iter Italicum suadebant, donec aduersus erumpentes jam turbas, remedia idonea essent reperta. VIII. Aderat etiam in hoc articulo rerum *Senfileben*, nomine Pontificis moram, vt cœptum est dici, suasurus. cuius tamen auctoritatem facile refutarunt Æneæ literæ ex Italia superuenientes, quibus intellexit Cæsar, Pontificem deposito metu, priorem animum

pag. XLIV.

pag. XLV.

libr. 5 hist. Austr. p. 202.

Spec. Hon. Austr. lib. 5. c. 7. pag. LIX.

pag. LVI. & LVIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mum & officia pridem promissa offerre. IX. Et reuera, anceps erat deliberatio, satiusne esset dimittere iter Italicum, an turbas non erupturas modo sed jamiam erumpentes tantisper negligere. Quapropter Cæsari denique assensérunt, qui in
pag. LIX. consilio erant, satius esse vel perdere Tutelam Ladislai, quam cœpta tanto apparatu, & fortasse vix vnquam resumenda, relinquere. X. Existimat tamen Æneas, Cæsarem debuisse parere consilio *Vlrici Sunnenbergeri*, qui ante iter con-
pag. L. tinuatum, *Conuentum Viennæ seditiosè institutum per submissa cito equitum præsidia disturbandum*, suaserat. quod consilium non alios impediuisse, quàm *qui sua magis emolumenta, quàm Cæsaris lucrum gloriamq; quæsuerint.*

XXVI.

Eizingeri, & rebellium flagitia dominationis.

De ingenio viri & flagitiosa iracundia, ante diximus. Quibus addi potest character, ceteris rebellionis Ducibus cum Eizingero communis; quem signat
pag. XLIX. *Aeneas* in istis: *Non amplius sedecim nominati homines fuerant, qui ab initio conspirauerunt. sed audaces & factiosi, cupidi nouitatum, assueti rapinis, in omne facinus promti, quibus vel mori vel obtinere sententiam propositum erat.* Non erat hic magnus numerus: sed vbi non desunt concitores multitudinis, facile augetur
pag. XLVII. numerus, præsertim apud populos hoc ingenio præditos, quo Australes siue Austriam habitantes describit *Aeneas*. Nunc reliqua eorum flagitia vno conspectu ostendenda sunt. I. Ordiuntur rebellionem *Conuenticulo Meilpergensi*, prætextu litis inter Liechtenstainios & Eizingerum de finibus definiendæ. Vbi semel in
pag. XLVII. vnum coacti sunt malè quietorum & malè fidoruu præcipui, non erat arduum, primam vocem reperire, Eizingero tanquam inter simillimos sui concionante. Et quoniam ausi erant, rem à Principis voluntate reuera suspensam, conscientiâ fa-
cinoris audentiores, II. *alium & ampliorem Conuentum Viennæ* instituere pergunt.
pag. LI. Quod sicut jure fieri non poterat, ita *Conuentum Viennæ habitum sine consensu Prin-*
pag. LIII. *cipis, sine Baronibus præcipuis, vim non habere*, merito Cæsar respondit. III. Sequuntur *Criminationes & Calumniæ in Cæsarem*, turbamenta animorum noua cupientium. Quanquam mendaciis nullus idoneus color obduci potuit, quin qualia essent intelligerentur. *comparatione prioris sub Alberto Imp. regiminis* præsentem statum contemnunt. Alberti liberalitas effusior fuit; Friderico, noquid de viribus dignitati & regimini necessariis prodigeret summa ratio fuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

DIPLOMATA,
ET
DOCUMENTA, VARIA,
REBUS
FRIDERICI III.
ILLUSTRANDIS:
VT ET
FIGVRAE, IMAGINES,
NUMMI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De

Iuribus & Priuilegiis Ducatus AUSTRIÆ.

Inſerta eſt hæc Conſtitutio Friderici I. Conſtitutioni Friderici II. quæ habetur etiam apud *Goldaſtum in Statut. & Reſcript. Imperial. p. 85. & ſeqq.*

In Nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen.

obberürten fryheiten vn confirmacion begriffen ernstlich vnd wellent daß sie von
gemelten Meister vnd Rate der Statt Strasburg Jr nochkummen vnd die Jren
an der übunge der vorbestimbten weltlichen gericht vnd diser Vnser Keyserlichen
declaration vnd erclerung nicht hindern noch irren sonder sie der gerülich gebru-
chen geniessen vnd gentzlich doby bliben lassen vnd hiewider nit tůn noch yemands
zu tůndt gestatten inn dehein wise als liebe eynem ieglichen sy die vorbestympt pe-
ne der püsse zu vermyden / Mit Vrkunde diß Brieffs besigelt mit Vnserm Key-
serlichen Majestat anhangendem Jnsigel / Geben zu Lüntz am Neün vnd zwen-
tzigsten tag deß Monats October nach Crists geburt Viertzehen hundert vnd im
Neüntzigsten Vnserer Riche deß Römischen im Ein vnd Fünfftzigsten deß
Keisertumbs im Neün vnd dreissigsten vnd deß Hungrischen
im Zwey vnd dreissigsten Joren.

Angeb. 2)

SCRIPTORES RERVM GERMANICARVM

à

CAROLO M. usq; ad FRIDERICVM III.

inclusivè:

Partim denuo, desiderati hactenus in Tabernis,
Partim auctiores, partim de novo

in

VNVM VOLVMEN

collecti.

unà

CVM OMNI RE DIPLOMATICA

FRIDERICI IMP.

&

Indicibus convenientibus.

Accessit etiam Præfatio

JO. SCHILTERI



ARGENTORATI,

Apud JOH. REINHOLDUM DULSSECKERUM.

ANNO D CC II.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PRAEFATIO
ad
Benevolum Lectorem.



Prandum, ut Scriptores rerum Germanicarum omnes conjunctim & quisque suâ serie & ordine collocati editi fuissent, aut adhuc vel ab Incluto Collegio S. R. Imperii Historico conjunctim & curatiùs ederentur: Sed quum istud hactenus non potuerit evenire, diversi Scriptores diversos editores nacti: quorum quidem in tabernis librariis vix, nec nisi rarò in Scrutariis appareant: consultum fuit visum, desideratos præcipuos à Caroli M. temporibus colligere, atque usque per Friderici III. tempora continuare; sed & nondum edita de hoc Imperatore adjungere. Verum enim verò quæ siniſtra fata cœptam hanc editionem manserint, & qua occasione contigerit, quod Scriptores vetustiores recentioribus postpositi, ex præfatione Kulpisiana L. B. intelligit. Id quod verò ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς dixeris. Evenit autem exinde, ut hoc vinum, per se licet generosum, hederam desiderare visum. Quamobrem ne quid detrimenti caperent hi, qui hunc librum jam tum compararunt, neve novis sumtibus venditores onerentur, consilium hoc fuit initum, ut mutato Titulo, Scriptores ipsi justo ordine collocati cernantur, quod non incommodè fieri potuit, atque hac ratione singulare scriptorum rerum Germanicarum Volumen nunc appareat.

Atque quum in textu ipso per totum Volumen nihil de novo mutatum sit, in uno tamen atque altero auctore notas, aut variarum lectionum annotationes, à Viris doctis facile desiderari præsumatur; itaque hoc ipsum, in quantum fieri potuit, in hac ipsa præfatione supplere intendimus.

):( ):(Primus

Primus itaque ſcriptor horum eſt anonymus Poëta, qui annales de geſtis Caroli M. carmine conſcripſit.

Hunc Voſſius de Hiſtor. Latinis inter hos non recenſuit, quum eodem jure quo Ennius eò referri debeat. Primus edidit Reineccius è Bibliotheca Guelferbytana. Vixit ſub Arnulpho Imp.

Alter itidem eſt anonymus ſcriptor Caroli M. à Voſſio etiam ut videtur præteritus, à Pithæo tamen primo editus, de eo vide P. Lambecii Biblioth. Cæſar. L. 2. c. 5. p. 343. ſqq. unde apparet capite minutum eſſe Mſ. Lambecianum, quum demum incipiat An. 769. pag. infr. 47. ubi pro *Tunc dominus Carolus Rex*, habetur: *Egregius Carolus* &c. ſed & deſinit in verbis: *Cal. Febr. rebus humanis exceſſit.*

Pag. 49. habetur in Pithœano: *apparuit manifeſto gladius ſuper Eccleſiam.* Sed Lambecius ex Mſ. legit: gla di & interpretatur *Gloria DEI*, ſcilicet inſtar duorum ſcutorum colore rubeo flammantium & agitantium ſuper ipſam Eccleſiam.

Pag. 55. *Cuſſiſtain.* Cuffiſtain ſine dubio legendum, Palatium Francicum & niſi per omnia fallor, ipſum illud famoſum monumentum adhuc extans, *der Eichelſtain.* V. Domini Mabillonis de re diplom. inſertum catalogum Palatiorum, v. Capiſtanium.

Pag. 83. Nithardus, Caroli M. Nepos, turmis nonnullis Caroli Calvi præfuit. Cui ex Fratribus ſine dubio opus hoc dedicavit. V. Voſſ. L. 2. de Hiſt. Lat. c. 34. St. Baluz. ad Lup. pag. 394. & T. 2. Capitular. pag. 39.

Pag. 101. & pag. 141. V. Inſtit. noſtras Jur. Publ. T. 2. pag. 36.

Pag. 104. V. Conring. de Finib. L. 1. c. 3. pag. 14.

Pag. 109. V. Inſtit. prædict. T. 2. pag. 64.

Pag. 120. Integrum hoc carmen exhibui è Mſ. obſerv. 6. ad Chron. Königsh. pag. 490.

Pag. 123. V. Voſſ. L. 2. c. 59.

Pag. 128. Fabulam de Trebata explodi Obſ. ad Chron. Königsh. 19. pag. 1059.

Pag. 138. Anno ante V. C. M CCC.] de eadem fabula gloſſema hoc eſt plane impertinens.

Pag. 151. V. inf. M. Polon. pag. 363. de hac fabula, à recentiori manu ſine dubio addita.

Pag. 338. Martini Poloni (de quo Voſſ.) extat MS. Cod. Charta-

Chartaceus in Illuſtri Obrechtina Bibliotheca: præmittitur ibi tractatio de Conditione & Statu Urbis Romæ, quæ apud Voſſium Lib. 2. cap. 60. peculiarem libellum facit ſub Titulo: Memorabilia Romæ.

Cum autem Octavianus) hæc uſque ad finem abſunt à Mſ.

Pag. ead. in Tiberio III. lin. 2. poſt verba *JEſus Chriſtus.* Mſ. habet: *& poſt paſſionem ejus annis V.*

Ibid. lin. 3. Verba hæc: *cui ſcientia literarum* &c. uſque ad verba *mortuus in Campania.* Deſunt in Mſ.

Pag. 339. in Chronol. Imperat. lin. 4. verba *& multos ſibi adjunxit* &c. uſque ad *imperavit annis quinque* deſunt in Mſ.

Ibid. Lin. 8. *unde oriundus fuit.* deſunt.

Ibid in Cajo IV. verba *qui ad Caligula* &c. uſque *diebusque octo* abſunt à Mſ.

In fine hujus Caji, Additur in Mſ. *Hic Gajus cum adverſus cunctos ingenti avaritia, libidine ac crudelitate ſæviret, Romæ in Palatio ſuo occiſus eſt.*

In Vita Claudii V. lin. 1. *imperavit annis quatuordecim* &c. uſque ad *Hic fuit patruus Caligulæ,* deſunt.

Ibid. lin. 4. *Hic quamplurimum civilis erat* &c. uſque ad *requiſivit,* deſunt.

Ibid. lin. 7. *Meditatus eſt Edictum* &c. uſque ad *ordine præpoſtero,* deſunt.

In fine hujus Claudii V. adduntur hæc: *His temporibus Fenix avis unica apparuit in Ægypto, quæ ante ſexcentos annos apparuit in Arabia, quæ uſque ad quingentos annos vivere dicitur, & poſt ſeipſam cremando in ſuo nido renaſcitur. Eſt autem ad modum aquilæ magna, creſcato capite, circa collum fulgore aureo, poſtrema parte purpureo præter caudam, cujus nitor roſeus ac cæruleus, ſicut ſcribitur.*

Ibid. in Nerone VI. *diebus novendecim,* in Mſ. legitur XXX.

Lin. 2. *Piſcabatur retibus aureis, qui ſericis funibus extrahebantur.* deſunt in Mſ.

Lin. 4. *Citharœdico & Tragico habitu,* addit Mſ. *uſus fuit,* & pro *Parricidia* in Mſ. legitur *Homicidia.*

Lin. 7. *inter viam Salariam & Numentanam,* deſunt.

Lin. 8. *lapidatus eſt,* in Mſ. legitur *à Judæis primò lapidatus*

est. Sequentia verba: *postea pertica fullonis excerebratus occubuit*, desunt.

Lin. 10. *incisione venæ & haustu veneni*, in Ms. *ex haustu veneni.*

Lin. ult. *Ideoque obscœnitatem suis* &c. usque ad *libere concubebat.* desunt.

Pag. 340. lin. 4. *pedes centum & septem*, in Mss. VI.

Ibid. in Vespasiano. lin. 2. *Hic factus est Imperator* &c. usque ad *optimis comparandus.* desunt.

Ibidem in Tito. *Et Judæos de Ierosolyma cœpit* &c. usque ad finem *in fine c.* desunt.

Ibid. in Domitiano lin. 12. *Factum est autem hoc* &c. usque ad finem *Persas debellavit.* desunt.

Pag. 341. in Nerva. lin. 2. *Iste omnia, quæ Domitianus fecerat damnavit, unde &)* desunt. Sed pergit Ms. *sub isto Johannes Evangelista* &c.

Ibid. in Trajano *imperavit annis XVIII.* in Ms. legitur XIX. Verba quæ mox sequuntur: *Iste Asia & Babylonia* &c. usque ad *in Galliis Imperator factus est.* desunt.

Ibid. lin. 6. *Romæ & per Provincias* &c. usque ad *apud Seleuciam.* desunt.

Lin. 11. *Hic solus omnium intra Urbem sepultus est, & inter Divos relatus.* desunt.

Circa finem verba hæc, *Plinius Orator & Historicus fuit, Alexander Papa martyrio coronatur*, desunt, & hæc istorum loco occurrunt in Ms. *Hujus tempore Simon Cleophas Consobrinus Jacobi Apostoli, qui ei in Episcopatu successerat, Hierosolymis Martyrio coronatur.*

Pag. 346. pro *Clarus* legitur in Ms. Carus.

Pag. 347. b. *donatistarum schisma)* abest hic passus à Ms. usque ad verba: *CPolim transiit.*

Pag. 347. in Constantino Magno. post verba hæc *atque bona acta inveniuntur.* pergit Ms. *Idem approbat B. Ambrosius & Isidor. in Chron. suis. Unde & Græci Constantinum in Catalogo Sanctorum annumerant, & festum de ipso cum solennitate agunt XXI. Maji.*

Ibid. post verba *omnia prædicta esse vera inveniuntur.* pergit

git MS. *Non enim verisimile est talem Principem iterum desipuisse, ut Baptismum à B. Sylvestro susceptum, quod corporali à lepra & specialiter à peccato mundatum cognoverat, ac Christum in baptismo se vidisse testificatus fuerat. Ipse enim in Palatio Lateratensi ad honorem Christi Ecclesiam, quæ dicitur Basilica Salvatoris, construxit, ut ex hoc Universitas hominum sciret, nullam in corde suo circa fidem Christi subpræteritione errorum remansisse vestigium. Quam S. Sylvester propterea solenniter consecravit. Quæ Dedicatio usque hodie tanquam primæ Ecclesiæ, non solum Romæ, sed in circumsistentibus Regionibus solenniter celebratur nona die Novembris. Cujus Consecrationis tempore imago Salvatoris non opere humano, sed divino tunc primùm omni populo Rom. picta in muro apparuit, quæ manet usque hodie*, &c. quæ verò ibidem sequuntur *Flavianus & Dioscorus* &c. usque ad verba finalia *qui Ecclesiasticam historiam conscripsit.* desunt.

Pag. 349. totum schema Imperatorum Romanorum & Constantinopolitanorum deest in Mſ. contra sequitur: *Valerius cum Constantino & Licinio regnavit annis duobus. Iste Constantinus Hispaniam sibi subegit, & filiam Regis Britanniæ nomine Helenam accepit in Concubinam, de quo genuit Constantinum Magnum, qui tandem in Eboraci Britanniæ obiit, & Constantinum filium suum de Concubina procreatum Imperatorem reliquit Galliarum, qui factus Imperator civibus & Exercitui & aliis acceptus fuit. Veniensque Romam contra Maxentium, quem Romani fecerant Imperatorem, in signo Crucis, quod sibi ostensum est, vicit. Sub hoc Maxentio Catharina virgo passa est.*

Ibid. in Juliano Apostata verba initialia *Julianus imperavit annis duobus, mensibus octo. Hic)* desunt.

Ibid. *Iste nepos Constantini fuit* &c. usque ad *Religionem Christianam dimitteret.* desunt.

Ibid. *Qui à Constantio Cæsar factus* &c. usque ad *quàm tormentis ad Idololatriam.* desunt.

Ibid. *Ipse etiam licentiam Judæis dedit* &c. usque ad *per Cæsaream Cappadociæ.* desunt.

Ibid. *& Comminationes futuras inferens.* desunt.

Ibid. *ut se & filium ejus de Juliano vindicaret*, in MS. legitur *ut se & filium suum.*

Ibid. Verba finalia *VICISTI GALILÆE.* deſunt.

Ibid. in Joviniano. *Corpus Juliani ſepelivit.* in MS. *Corpus S. Juliani in Pace ſepelivit.*

Pag. 354. in Juſtiniano. lin. 2. *revocavit ab errore Eutychis,* in MS. non Eutychis ſed Arthemii legitur.

Ibid. *Beliſarius Patricius* &c. uſque ad *Wandalorum gentem delevit.* deſunt.

Pag. 355. *quæ dicitur Hypante,* in Mſ. Ypapante.

Ibid. lin. 3. *Hujus Juſtiniani temporibus Reſpublica multùm proſperata* &c. uſque ad verba *Regem Gothorum ſecum adducendo.* deſunt.

Ibid. *Hoc etiam tempore* &c. uſque ad *capite truncatus moritur.* deſunt.

Ad finem hæc addit MS. *His temporibus conſtruitur Monaſterium S. Mauritii ſociorumque ejus à Sigemundo Rege Burgundiæ pro nece filii ſui, quem de conſilio novercæ peremit. Hoc etiam tempore in pago Pariſienſi claret S. Genephopha.*

Ibid. in Juſtino MS. per omnia variat.

Pag. 362. in Carolo M. verba *accepit Imperium Romanorum* &c. uſque ad *Coloniæ trans Rhenum duos pontes conſtruxit.* deſunt in MS.

Ibid. Hic terram ſanctam &c. verba *terram ſanctam, occupatam à Saracenis* &c. uſque ad *cum magno exercitu illuc uſque pervenit, &.* deſunt.

Ibid. poſt verba hæc *recepit de corona Domini,* pergit MS. *partem, quæ tunc ipſo cernente floruit, & clavum unum paſſionis Domini.*

Pag. 363. in Chronol. Pontif.

Leo, addit MS. *V.*

Ibid. Adulphus Rex Anglorum, *Aiſculphus* MS.

Ibid. argenteum unum in anno, MS. *argenteum nummum.* circa finem, Mſ. differt.

Poſt hunc Leonem ſequitur in MS. *Johannes dictus Anglicus Moguntinus, hic ut aſſeritur femina & in puellari ætate à quodam ſuo Amaſio in habitu virili Athenis ducta ſic in diverſis profecit ſcientiis, ut ſibi par non inveniretur, adeo ut poſt Romæ pertrierit.*

triennium legens magnos Magiſtros diſcipulos & auditores haberet, & cum in Urbe vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papacio per ſuum familiarem impræ-gnatur, verum tempus partus ignorans cum de S. Petro in S. Late-ranum tenderet, anguſtiata inter Coliſeum & Eccleſiam S. Cle-mentis peperit, & poſt mortua ibidem & ſepulta fuit. Quia Do-minus Papa propter eandem viam ſemper obliquat creditur à ple-riſque, quod propter deteſtationem facti hoc faciat, nec ponitur in Catalogo Pontificum propter mulierum ſexum.

Eadem exinde tranſtulit Jac. à Konigshoven in Chron. La-tin. iiſdem verbis.

Pag. 364. in Chronol. Pontif. in vita Stephani, CXVIII. verba: *Legitur etiam, quod ipſe corpus Famoſi* &c. uſque ad fi-nem deſunt in MS. ſed vid. infra pag. 365. in Sergii vita.

Pag. 364. in Chronol. Roman. Imperat. Carulus II. verba ſe-quentia *Imperator imperavit* &c. uſque ad *eò quod ſe inconſulto Imperium uſurpavit*, deſunt.

Ibid. *Comitatus Flandriæ exordium habuit* addit MS. A. 922.

Ibid. *ſed à Regum Francorum Foreſtariis regebatur*, in MS. legitur, *ſed à Regno Francorum regebatur.*

Ibid. *Hic oppidum cogitaverat facere* &c. uſque finem, de-ſunt in MS.

Ibid. in Carulo III. *qui dicitur Groſſus vel junior imperavit annis duodecim*, deſunt.

Ibid. *Demum Normanni*, in MS. *Deinde.* quæ ſequuntur verba *Danis ſibi adjunctis* &c. uſque ad *igne ferroque.* deſunt.

Ibid. *Et tandem, cum non poſſet ipſos* &c. uſque ad *dicitur Normannia à Normannis*, deſunt.

Ibid. *genuit autem Guilielmum*, MS. *Gigelinum. Guiliel-mus vero Richardum*, MS. *Gigelinus vero Richardum.*

Ibid. *Guiſchardi. Hic Apuliam & Calabriam & Siciliam devicit* &c. uſque ad fin. *ultra Ruthenos morantur*, deſunt.

Ibid. in Arnulpho. à verbis *imperavit annis octo*, &c. uſque *ad poterat adjuvari; quin.* deſunt.

Ibid. *à pediculis conſumeretur*, MS. *conſumtus eſt;* reliqua quæ ſequuntur, *Arnulpho filius* &c. uſque ad finem, deſunt.

Pag. 365. tota Ludovici III. Vita in MS. deeſt.

Ibid.

Ibid. in Berengario. *Hoc tempore à Guilielmo Pio*, in MS. legitur *ab Hugolino Primo.*

Ibid. in Conrado. *imperavit annis ſeptem. Tamen.* deſunt.

Item. *Hujus tempore Saraceni Apuliam, Calabriam, & penè totam Italiam devaſtant.* deſunt in MS.

Item quæ de Berengario LXXXIV. occurrunt, à MS. abſunt.

Ibid. in Vita Henrici. *Hujus tempore Spitigineus*, MS. habet *Spigerinus.*

Reliqua *Henricus Rex decimo octavò anno moritur* &c. uſque ad finem, deſunt. contra pluſcula de Boleslai fratre Wenceslao & ejus bonis operibus ac viſione in MS. ſequuntur.

Ibid. Hugonis vita, abeſt.

Pag. 366. in Berengario LXXXVII. verba *imperavit annis ſeptem. Hujus tempore maximum Schiſma fuit in Italia* deſunt.

Ibid. in Berengario LXXXIX. Verba *cum Alberto Filio ſuo imperavit in Italia annis undecim.* deſunt.

Ibid. *Natale Domini feſtum Papiæ celebrat*, in MS. legitur: *In Natali Domini ſolennitatem diſpenſationis celebrat.*

Ibid. in Ottone. *Exempto enim Imperio ab Italicis*, in MS. legitur: *Excepto enim* &c.

Ibid. *Ipſe verò per Lombardiam & Tuſciam potenter veniens*, in MS. legitur: *Ipſe verò per Lombardiam & Tuſciam potenter Romam veniens.*

Ibid. *Hic pacata Italia* &c. uſq; ad *in Allodio ſuo apud* deſunt.

Ibid. *Magdeburg Eccleſiam miræ pulchritudinis ad honorem S. Martini*, in MS. legitur: *Magdeburg in Eccleſia S. Mauritii eſt ſepultus.* Verba verò, quæ ſequuntur; *fabricavit, & eam maximis poſſeſſionibus ampliavit* &c. uſque ad finem, deſunt.

Pag. 368. *Palatinus Dapifer*, in MS. *Palentinus Dux Dapifer.*

Ibid. *Maguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis,*
Quilibet Imperij ſit Cancellarius horum,
in MS. ſic legitur.
Treveris ætate; ſed rerum proſperitate
Gaudet Aggrippina, ſed honore Maguntina prima.

Ibid. verſ. ult. *Hi ſtatuunt domum.* in MS. *Dominum.*

Ibid. in Henrico I. *Hic Henricus primo Dux Bavarorum in* Mſ. Bœmorum.

Pag. 369.

Pag. 369. in Henrico II. *ſecundum alios, gener ipſius* &c. uſque ad *Theatinum Principem ordinavit*, deſunt.

Ibid. *Tunc temporis Dux Godofridus* &c. uſque ad *à Româ uſque ad Aquinum*, deſunt.

Ibid. *Hoc tempore in Apulia erat* &c. uſque ad *quem dedit pro ſua redemptione.* deſunt.

Pag. 370. in Henrico III. *Et obſedit civitatem Tyburtinam* &c. uſque ad *à Saracenis viriliter abſtulerunt*, deſunt.

Ibid. *Iſte Hildebrandus Gregorius Papa effectus* &c. uſque ad *Guibertum Ravennatem Epiſcopum pro ipſo conſtituens.* deſunt.

Pag. 371. *totus à muribus dilaceratus eſt, & comeſtus* pergit MS. *Id dicitur de AEpiſcopo Mogunt. qui fuit de ordine Minorum. Idem dicitur cuidam Principi Poloniæ contigiſſe.*

Ibid. *Et hoc minus mirum judicatur* &c. uſque ad *illuvium hominis commutari exitium.* deſunt.

Ibid. *Igitur Henrico Imperatore mirabilis multitudo* &c. uſq; ad *& multi alii Nobiles & Barones.* deſunt.

Ibid. *per Aconam, quæ tunc Ptolomaida dicebatur*, &c. uſque ad *obſiderunt Ieroſolymam.* deſunt.

Ibid. *Ibi Godofridus, qui fuerat factus ibi Rex* &c. uſque ad finem, deſunt.

Pag. 372. in Henrico IV. *Hujus temporibus Robertus* &c. uſq; ad *ab omni Senatu, & populo gloriosè ſuſcipitur.* deſunt.

Pag. 373. in Conrado II. *Hic Conradus Rex in Franchenvord à S. Bernhardo*, in MS. *à S. Burchardo.*

Ibid. *Floruit hoc tempore Hugo de S. Victore*, hæc deſunt. ad finem verò pergit MS. *Foret & Magiſter Petrus Lombardus. Et A. MCLII. Gratianus Monachus de Gloſſa Civitate Tuſchiæ natus Decretum compoſuit, ut dicit Hugucio* 11. *quæſt. VI. quia fort.*

Ibid. *Fridericus I. imperavit annis triginta ſeptem*, in MS. *triginta novem.*

Ibid. *Hoc tempore veniens ad Tiburtinum* &c. uſque ad *& rediens primo anno Spoletum deſtruxit*, deſunt.

Pag. 374. *quæ in Geneſi dicitur Arath*, in MS. *Arach.*

Ibid. *Archiepiſcopum verò civitatis quaſi Ducem*, in MS. *Epiſcopum.*

Ibid.

Ibid. *Ediſſa civitas, quæ ab Agaro Rege ipſius Orthodoxo,* in MS. *quæ ab Atagaro Rege Orthodoxo.*

Ibid. *& ejus crux à Saladino,* MS. *Soldano.*

Ibid. *Hic poſt mortem Adriani Papæ* &c. uſque ad fin. *quia nondum tempus adveniſſit,* deſunt.

Ibid. *& inde à Sergio Mediolani miraculosè tranſvecta,* in MS. legitur: *& inde à S. Gregorio Mediolanum miraculosè tranſvecta.*

Ibid. *tranſportavit Coloniam,* in MS. *loco ſalarii & ſtipendii impetravit ab Imp. Coloniam.*

Pag. 376. in Ottone IV. *propter maleficium ſuum anni tributi,* in MS. *honores attributi.*

Ibid. In Friderico: *Ipſius etiam tempore Anno Milleſimo, Ducenteſimo trigeſimo ſexto, Idibus Febr.* in Mſ. legitur *Ipſius etiam tempore Anno Milleſimo, Ducenteſimo trigeſimo tertio.*

Ibid. *Hoc quoque tempore olim diſcordia* &c. uſque ad *per naves Piſanorum capiuntur.* deſunt.

Ibid. *Hic Imperator dudum cruce ſignatus* &c. uſque ad *terra ſancta relinquens.* deſunt.

Ibid. *Poſtquam autem ab Innocentio Papa* &c.

Abſunt ab MS. ſed contra ſequuntur quædam, quæ in interregno contigerunt, de Henrico Dacorum Rege An. 1250. de Conradi Imp. filio, autochiria, de Ludovico Rege Franciæ &c.

Pag. 377. in Chronol. Pontif. in Alexandro IV. *ſedit annis ſeptem, & ceſſavit* &c. uſque ad *& in Eccleſia S. Laurentii tumulatur.* deſunt contra ſequuntur pluſcula in MS. circa finem hujus Alexandri IV.

Pag. 378. in Clemente IV. *natione Provincialis* &c. uſque ad verba *mortuus eſt Viterbii* excluſivè deſunt.

Porrò in eodem MS. poſt hunc Clementem IV. ſequuntur.

Adrianus, A. 1286.

Johannes XXI. nat. Hiſpanus A. 1276.

Nicolaus III. Ao. 1278. die S. Catharinæ electus.

Martinus IV. natione Gallus.

Andreas Bresbyter: Notas ſequentes adjecit M. Freher. qui pag. ſeq. origines ſuas Palatinas allegat.

ANNA-

ANNALES
DE
GESTIS CAROLI MAGNI
POETÆ ANONYMI

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ANNALIUM DE GESTIS CAROLI MAGNI IMP.

LIBER PRIMUS.

ANN. DCC. LXXI. INDICT. VIII.

SAluator Mundi postquam de virgine nasci
Dignatus, nostri se corporis induit artus,
Euoluit septingentos rota temporis annos,
Et decies septem, sed & vnus pene peractus
Insuper annus erat; cùm jure Monarchia regni
Francorum CAROLO diuinitus est data MAGNO.
Nam Carolomannus, frater decesserat eius
Præsentis iam supremis prope partibus anni.
Et Carolus villam, quæ Carbonata vocatur,
Aduenies, summos proceres, omnesque potentes,
Fraternæ quondam partis susceperat illic,
Haud retractantes domino se subdere tali.
Exceptis tantùm paucis, quos forte prioris
Magnus amor domini cum coniuge fecerat eius
Et natis remanere, quibus comitata petiuit
Italiam, sperans se degere posse quietam
Sub regis Desiderii munimine vitam.
Rex autem Carolus celebrauit in Attiniaco
Natalem Domini, nec non Paschalia festa.

ANN. DCC. LXXII. INDICT. IX.

PAulo Romanæ defuncto Præsule sedis,
Suscepit post hunc Adrianus Pontificatum.
Et Rex Wormatiam Carolus collegit in vrbem
Francorum proceres ad concilium generale.
Cum quibus vt bello Saxones aggrederetur,
Decreuit: quoniam Saxonum proxima Francis
Adiacet ad Boream tellus: vix limite certo
Diuisi gentis fines vtriusque cohærent.
Quæ tum vicinæ quo plus regione fuere,
Tanto seiunctas animis discordia fecit.
Finitimos sed enim per agros vtrinq; solebant
Assiduè fieri cædes, incendia, prædæ.
Saxonum natura ferox, & pectora dura,
Ferre iugũ Christi nec dum dignata suaue,
Dęmonico nimium fuerant errore subacta.
Christicolæ verò iam longo tempore Franci
Catholicam tenuere fidem, multisque per orbem
Iam dominabantur populis, quibus vndiq; fulti,
Præcipuè virtute Dei, quem ritè colebant,
Hanc vnam poterant nimirum vincere gentem.
Quæ nec Rege fuit saltem sociata sub vno,
Vt se militiæ pariter defenderet vsu,
Sed variis diuisa modis plebs omnis, habebat
Quot pagos tot penè Duces, velut vnius artus (si.
Corporis in diuersa forent hinc inde reuul-
Sed generalis habet populos diuisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Deniq; Westfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorũ non longè terminus amne
A Rheno distat, Regionem Solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidã

Ostualos alio vocitant, confinia quorum
Infestant cõiuncta suis gens perfida Sclaui.
Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius. Horum
Patria, Francorum terris sociatur ab Austro,
Oceanoq; eadem coniungitur ex Aquilone.
Hanc igitur Carolus statuit sibi subdere gentem.
Nec mora, cum totis Francorum viribus ipsam
Aggressus, latè ferro vastauit & igni.
Castellum naturali munimine forte
Valde, manu quoque firmatum, quod barbara lingua
Nominat Eresburg, valido cum robore cepit.
Gens eadem coluit simulacrum, quod vocitabant
Irmensul cuius factura, simulque columna
Non operis parui fuerat pariterq; decoris.
Hoc rex euertens, mansit tribus ipse diebus
In castris iuxtà positis, tum continuato
Æstatis feruore diu, cœloque sereno,
Ardebant agri, nec in ipsis fontibus humor
Vllus erat, multo squallebant puluere riui,
Iamque fatigabat grauiter regalia castra
Aucta calore sitis, sed vis dedit Omnipotentis,
Cui placuit fani subuersio iusta profani,
Vt mediante die, subitò per concaua ficci
Cuiusdam torrentis, erat qui proximus illis,
Sufficiens exercitui prorumperet vnda.
His gestis cum Rex Wisuram veniisset ad amnem,
Obsidibus bis sex ipsa de gente receptis,
Ad patriam rediit magna cum prosperitate.

DCC. LXXIII. INDICT. X.

Missis legatis, Adrianus Papa sacratus
Auxilium Caroli studuit deposcere Magni
Aduersus Longobardos, quorum fuit illo
Tempore Rex Desiderius: nam valde premebat
Improba Romanos huius violentia gentis.
Et quia tunc illi pars maxima subdita regni
Italiæ totius erat, terrasque per illas,
Scilicet hostiles, non quenquam mittere tutò
Romanus præsul potuit, qui tramite recto
Francorum terras peteret, conscendere navem
Fecit apud Romam legatum nomine Petrum,
Vt mare circuitu longo fluctusq; pererrans
Suspectum vitaret iter. Sic sæpe videtur
Tutior Oceani feruor pelagique procella,
Quàm mentes hominum, quas turbida commouet ira.
Hic igitur Petrus Roma directus ab vrbe,
Per mare Massiliam petiit, longumq; deinde
Præteriens iter, in villa Theodone vocata
Insignis Caroli pietatem regis adiuit,
Orans deuotè satis, vt defendere vellet
Ecclesiam Petri, summus qui clauiger aulæ
Illi cœlestis dare præmia maxima posset.
Nec non Pontificis succurreret anxietati,
Romaniq; simul populi mala plurima passi,
Cui libertatis iam spes, vitæque tenendæ
Vnica post Dominum, tantùm restaret in illo.
Talibus auditis, causam Rex protinus omnem
Sollicito voluens animo, satis affore iustum
Perpendit, gratumq; Deo, si defensor vt ipse
Sedis Apostolicæ totis pro viribus esset.
Atque suo statim regno collegit ab omni
Roboris immensi variis ex gentibus agmẽ,
Quod secum ducens, Genuam peruenit ad vrbem,
Quam rapido cursu Rhodanus præterfluit amnis.
Tum gemino Longobardos inuadere bello
Decreuit, populumq; suum diuisit, & vnam
Cum Duce Bernhardo partẽ præceperat ire
Per montem Iouis: id nomen vetus indidit error.
At reliquam per Cinisium rex duxerat ipse.
Transcensis igitur horrendis Alpibus, instar
Turbinis Ausoniæ duplex exercitus arua
Irruerat, latè regnum vastans opulentum.
Iamque metus cunctos Francorum perculit ingens.
Nam Desiderium, primo qui bella parabat,
Se frustra Carolo sperans obsistere posse,
Congressu necdum facto, terrore fugauit.
Et clausum Ticino cui nunc est Papia nomen,
Regius admotis exercitus vndique castris
Obsedit, variisque modis per plurima tentans

Tentan-

Temporis hyberni ſpacio molimina toto,
Non vrbis poterat muros irrumpere ferro.

DCC. LXXIV. INDICT. XI.

TAles Italicis dum res agerentur in oris,
Saxones ſibi contiguos inuadere fines
Auſi Francorum pagum, qui dicitur Haſſi,
Prædantur, flammisq; ſimul populantur & armis.
Quos animauit ad hoc longinqua profectio Regis,
Credentes vlciſcendi ſibi tunc fore tempus
Damna prius per eum quæ maxima ſuſtinuere.
Qui tamen vſque locum, qui Frideshlar vocitatur,
Progreſſi, quandam cupierunt tradere flammis
Eccleſiam, quam ſacrauit Bonifacius illic
Martyr & Antiſtes Chriſto dilectus in æuũ.
Hoc fruſtra niſos ſacinus complere nefandum,
Inuaſit ſubitò terror diuinitus ingens,
Atque fuga turpi trepidos repedare coëgit
Ad patriam, quos non hoſtes, non arma fugârunt.
At Rex diſpoſitis legionibus ad Ticinenſem
Obſidione jugi populum bẽlloq; premendum,
Orandi cauſa Romæ loca ſancta petiuit.
Illic ſupplicibus votis ex corde peractis,
Ad Ticinum rediit, quæ jam certamine longo
Feſſa repugnandi vires amiſerat omnes.
Dedita tum Francis hæc vrbs clariſſima, cunctis
Exemplo fuerat reliquis; nam protinus omnes
Tradiderant Carolo ſeſe concorditer vrbes
Eiuſdem regni, quod jam ſibi iure ſubactũ
Diſpoſuit, quantum potuit pro tempore tali.
Adſedes etenim cupiens remeare paternas,
Accelerabat iter, ſecum ducens memoratum
Italiæ Regem, nouiter quem ceperat armis.
Hîc humanarum videas ludibria rerum,
Quàm vario curſu vitæ rota voluitur huius!
Heſterno Deſiderius diademate regni
Floruit, en hodie eſt pauper, captiuus & exul,
Filius illius, cognomine dictus Adalgis,
Cùm Longobardis in eo ſpes ampla maneret,
Diffidens rebus patriæ, ſe contulit inde
Ad Conſtantinum Græcorum ſceptra regentem.
A quo Patricius præclaro munere factus,
Hoc in honore ſuæ permanſit ad vltima vitæ.
Rex autem Carolus veniens, dum cognitus eius
Velox aduentus nec dum Saxonibus eſſet,
Fecerat vt triplex exercitus in regiones
Illorum miſſus, multis affligeret ipſos
Cædibus ac prædis, loca denique plurima vaſtans,
Hinc eſt cum ſpoliis victor regreſſus opimis.

DCC. LXXV. INDICT. XII.

REx hyemis tempus ducens in Cariſiaco,
Nomine quo quędam regalis villa vocatur,
Illuc Francorum proceres totumque Senatum
Conuocat, ac multum tractans de rebus agendis,
Et variis, quibus indiguit Reſpublica curis,
Inprimis hoc conſilium perhibetur iniſſe,
Vt iugiter bellum Saxonibus ingereretur,
Quos expertus erat fidei, vel fœderis omnis
Immemores, nunquam ſub pace quieſcere velle
Hinc ſtatuit, requies illis vt nulla daretur,
Donec gentili ritu cultuque relicto,
Chriſticolę fierent, aut delerentur in ęuum.
O pietas benedicta Dei, quæ vult genus omne
Humanum fieri ſalvum, quia nouerat huius
Non aliter gentis molliri pectora poſſe,
Diſceret vt ceruix reflectere dura rigorem
Ingenitum, mitiq; iugo ſe ſubdere Chriſti.
Ob hoc doctorem talem, fideiq; magiſtrum,
Scilicet inſignem Carolum donauit eiſdem,
Qui bello premeret, quos non ratione domaret,
Sicque vel inuitos ſaluari cogeret ipſos.

Hoc inſpiratum cordi diuinitus eius
Utile conſilium comitantur ſtrenua facta.
Quippe Duces, omnisque ſimul delecta iuuentus
Ad Duriam vicum properant: nam Rege iubente,
Illic conuentus populi generalis habetur.
At que dehinc grandi tranſimiſſo flumine Rheno,
Saxonum Carolus fines hoſtiliter intrat.
Ac primo Sigeburg caſtellum cepit, & inde
Eresburg petiit, quam captam diximus vrbem.
Sed ne præſidio Francis fore poſſet, eandem
Indigenæ deſtruxerunt: hanc deniq; rurſus
Muniuit, poſuitque ſuas illic legiones.
Inde gradu celeri Wiſuram peruenit ad amnem,
Cui iuxta montem, qui Brunesberg vocitatur,
Obuia magna fuit, cupiens obſiſtere, turba,
Ne fluuiũ tranſiret, & hoc conamine caſſo.
Fugit enim primo ſtatim certamine pulſa,
Innumerosq; die ferrum proſtrauerat illo.
Inde mouens Carolus regiones venit ad illas,
Quas Oſterlingi retinent, ſeditque locatis
Ad fluuium caſtris, qui nunc Ouacra vocatur.
Tunc illi quidam, qui de primoribus eius
Gentis erat, ſupplex occurrit nomine Heſſi,
Partis & illius pariter plebs obuia tota
Venerat, obſidibusque datis, quos iuſſerat ipſe,
Se ſeruare fidem Regi per maxima ſpondent
Iuramenta. Quibus cunctis hoc ordine geſtis,
In pagum rediit, quem dicunt nomine Bukki.
Illic occurrêre Duces ſimul Angariorum
Cum populo, ſimilique modo regalibus omnes
Dum parent iuſſis, iuramentisque fideles
Se fore confirmant, reditum parat illico victor.

Interea iuxta Wiſuram dimiſſa manebat
Pars exercituum Regis, locus ipſe vocatur
Hlidbeki, quo caſtris iidem ſedere locatis.
Sed male ſecuros res proſpera fecerat illos,
Qua rex vſus erat, cùm cunctis hoſtibus eſſet
Terrori, iam tunc audente reſiſtere nullo.
Hinc erat in caſtris cautela remiſſior illis,
Ut poſſent nimia Saxonum fraude noceri.
Sol ſummo cœli pronus vergebat ab axe,
Et veſpertinas iam tendere cœpit ad horas:
Tunc vt equis quidam deferrent pabula longè,
De caſtris prius egreſſi pariter redierunt.
His ſe Saxonum quoddam permiſcuit agmen,
Fingentum ſemet ſocios, animoque fideles.
Tum ſe quiſq; nouo blandè ſociabat amico,
Hoſtis quo ſæuus latuit ſub nomine rectus.
Adhibitumq; fidem verbis fallacibus auget
Obſequium; cuncti ſimul in commune laborant.
Pars ſubuectat onus viridis ſimul vtraque fœni.
Sic introgreſſi Francorum caſtra doloſi,
Quod vi non poterant, egerunt arte. Sed olim
Eſt dictum, Dolus an virtus quis in hoſte requirat?
Depreſſos ſomno Francos inſtanter adorti
Saxones, cædem nimiam fecere, feroces,
Donec diſcuſſo tandem torpore ſoporis,
Quidam correptis obſtare viriliter armis
Cœperunt, pugnaque dehinc vtcunque remota,
Scilicet ex pacto, quod tunc angustia talis
Dictabat, hoſtes celeri rediere recurſu.
His Rex auditis illuc properare ſategit,
Atq; ſatis velox fugientum terga ſecutus,
Proſtrauit multos auctores criminis hùius
Hinc ad Weſtualos venit, ſtatimq; receptis
Obſidibus, quos tradiderant, abſceſſerat idem.
Ac ſuſcepit ouans redeuntem Francia regem.

DCC. LXXVI. INDICT. XIII.

Cumque domum rediens Princeps iter acceleraret,
Comperit Auſoniis in partibus eſſe Tyrannum,
Nomine Hrodgaudum noua qui molimina tentans,
Nec, quem Rex illi dederat, contentus honore,
Italiæ latum voluit ſibi ſubdere regnum.
Quippe Ducem Comitemque Foroiulen-
ſibus ipſum Con-

Constituit Carolus, primo cùm clara triumpho
De Longobardis victor vexilla reuexit.
Huic nimis ingratus dono malè sollicitabat
Urbibus ex multis populos, ac fecit vt ad se
Deficerent, iusto Caroli spreto dominatu.
Hos vt comprimeret motus, nil ipse moratus,
Strenua quàm celeri raptim vocat agmina iussu.
Cum quibus Italiam properans, meritoque Tyrannum
Interitu plectens, vrbes seruare receptas
Francorum Comites, quos ipse locabat in illis,
Iussit, & vt venit velox, sic inde recessit.
Vix Alpinarum niuium iuga proxima cœlo
Illi transgresso tristis fuit obuia fama,
Eresburg referens vrbem, quam ceperat olim,
Militibusq; suis mandauerat ipse tuendam,
Saxones expugnatam cepisse, suumque
Expulsum fore presidium violenter ab illis.
Tum Sigeburg aliud multo conamine castrum
Oppugnare quidem studuit, nec vincere quiuit
Gens eadem, cupiens ab ea Regis legiones
Pellere. Sed pugnæ populus Saxonicus instans,
A tergo circumventus fuit atque fugatus,
Internis positis simul erumpentibus, atque
Incautos plaga facilè sternentibus ampla.

Hic rumor Caroli cùm primùm venit ad aures,
Conuentum procerum fieri præcepit in vrbe
Wormatia, statuitque moras innectere nullas,
Quin lueret tanti sceleris gens perfida pœnas.
Ergò suis exercitibus Rex vndique lectis,
Conatus celer hostiles præuertitur omnes,
Tentauere quibus primò defendere sese.
Nam fontes adiens, vbi Lippia nascitur amnis,
Repperit ex ipsa numerosas gente cateruas
Illic collectas, humiles, veniamque precantes,
Quod non seruassent anno promissa priori.
Cùm verò Carolus clemens ignosceret illis,
Complures, Dominũ se Christo credere velle,
Spondentes, simulacrorumque relinquere cultus,
Purgari iussit sacri baptismatis vnda,
Seruandæq; iterum fidei promissa recepit,
Obsidibus firmata datis, quibus ipse volebat.
Eresburg iterum firmat munimine forti,
Et iuxta fluuium, quem Lippia diximus antè
Castellum condens aliud, compleuit vtrumque
Militibus lectis. Tum Gallica rursus ad arua
Regrediens, hyemis tempus transegit in aula,
Nomen Heristalli dederat cui barbara lingua.

DCC. LXXVII. INDICT. XIV.

ASpirante noui placido cùm tempore veris
Horrida iam transisset hyems, Rex Nouiomagum
Aduenies, celebrauit ibi solennia Paschæ.
Tum quia Saxones suspectos semper habebat,
Haud dubitans, illos pro libertate tenenda
Artibus acturos variis quodcunq; valerent.
Et nisi continui premerentur pondere belli,
Fœdera rupturos, secum condicta frequenter,
Rursus in illorum patriam fortissima ducit
Agmina: conuentum placiti generalis habere
Cum Ducibus se velle suis denunciat illic.
Tanto concilio locus est electus agendo,
Quem Pathalbrunnon vocitant, quo non habet ipsa
Gens alium naturali plus nobilitate
Insignem, qui præcipuè redimitus abundat
Fontibus & nitidis & pluribus, & trahit inde
Barbaricæ nomen linguæ sermone vetustum.
Tunc ibi villa fuit tantùm, nunc Pontificalis
Ecclesiæ constructa nitet clarissima sedes.
Quò Carolus veniens, collectos reperit omnes

Penè

Penè duces, populumque simul, totumque Senatum
Saxonum, nisi quòd quidam Widokindus abinde
Aufugit, Regem veritus: nam conscius idē
Audacis sibimet facti, multique reatus,
Sifridum petiit, Danorum sceptra regentem.
Porro Duces illic alii cum plebe gregata
Suppliciter cuncti veniam pacemq; petentes,
Paruerant regi tali sub conditione,
Ut cuncta scelerum dimissa mole priorum,
Si pòst auderent eius violare statuta,
Libertate simul prisca, patriaque carerent.
Quorum tum Christo se credere velle professa
Magna salutiferum suscepit turba lauacrum.
Sed simulata fides versuto prodiit ore,
Quod notum multis fecere sequentia gesta.
Tunc Sarracenus quidam peruenerat illuc,
Nomine qui patrio dictus fuit Ibinalarbi.
Hic cum non paucis sociis ac ciuibus, ipsum
Qui comitabantur, fines regionis Iberæ
Linquentem, Carolo se dedidit, ac simul vrbes,
Rex Sarracenus quibus hunc præfecerat olim.
Ob hoc Saxonum tandem regione relicta,
Gallica regna petit. Post hæc Aquitania regem
Insignem Carolum tenet ad Paschalia festa.

DCC. LXXVIII. INDICT. XV.

HOrtatu Sarracen. cùm se memorati
Hispanas vrbes quasdam sibi subdere posse
Haud frustra speraret, eò sua maxima cœpit
Agmina per celsos Vuasconum ducere montes.
Qui cùm prima Pyrenęi iuga iam superasset
Ad Pompelonem, quod fertur nobile castrum
Esse Nauarrorum, veniens id ceperat armis.
Trajicienſque vado famosum flumen Iberum,
Cæsaris Augusti quondam de nomine dictam
Urbem prȩcipuam terris penetrauit in illis.
Acceptis tamen obsidibus, quos Ibinalarbi
Iam dictus, pariterque sua de gente fideles,
Illustresque viri, dederant, sic inde recessit.
Ac Pompelonem rediens, deiecerat eius
Ad terram muros, fieret ne fortè rebellis.
Cumq; Pyrenæi regressus ad intima saltus,
Milite cum lasso calles transcenderet arctos,
Insidias ei summo sub vertice montis
Tendere Vuascones ausi, noua prælia tentant.
Denique postremos populi regalis adorti,
Missilibus primò sternunt ex collibus altis.
Et Francos, quamuis armis animisque priores,
Impar fecit & angustus locus inferiores.
Rex iam præcessit, tardumque remanserat agmen,
Cura vehendarum quod rerum præpediebat.
Fit pauor hinc exercitibus, subitoq; tumultu
Turbantur, victrix latronum turba nefanda
Ingentem rapuit prædam, pluresq; necauit.
Namque Palatini quidam cecidere ministri,
Commendata quibus regalis copia gazæ
Prædones illos spoliis ditauit opimis.
His gestis, hostes vasti per deuia saltus
Accelerant fugam, fuerant quibus ardua montis
Abdita syluarum vallis loca nota profundè
Quos fuga dilapsos inuestigabilis, & nox
Instans eripuit, sequeretur vt vltio nulla.
Ac facinus tantum quoniam permansit inultum,
Tristia regali subduxit nubila menti,
Prospera quam fecêre prius complura serenam.
Aptum prȩterea se tempus habere putantes
Saxones vlciscendi quàm plurima damna,
A Francis illata sibi, quia Rex erat absens,
Infesto Rheni petierunt agmine littus.
Quem transire tamen nulla ratione valentes,
Francorum terras, in eadem parte jacentes,
Quà venêre nimis vastare ferociter ausi,
A muris vrbis, quæ dicta Duitia nunc est,
Donec peruenias, vbi Rhenus confluit idem,
Littoribusq; ferens fontes Mosella Lyæi,
Cunctas

Cunctas quas poterant villas inuadere flammis
Tradiderant, ipsis etiam non ira pepercit
Ecclesiis, nec erat hominum cædis modus vllus.
Non aliquod sexus, ætatis, conditionis
Vllius, furor immitis discrimen agebat,
Omnia sed ferrum, vel edax consumserat ignis.
Hinc non prædandi studio, sed vt vltio quædam
In Francos fieret, hoc eos gessisse probatur.
Hoc Rex Hispanis didicit regressus ab oris.
Tunc Orientales Francos, nec non Alamannos,
Obuia ferre iubet statim Saxonibus arma.
Quos cùm iam patriam redeuntes insequerentur,
In Baddenfeldun (sic est locus ille vocatus)
Adernam iuxta fluuium constanter in ipsos
Irruerant, nutuq; Dei, quem crimina tanta
In populo commissa suo damnare decebat,
Saxones tanto ceciderunt strage peremti,
Vt de prægrandi supererent agmine pauci.

DCC. LXXIX. INDICT. I.

VEre nouo Carolus causa poscente peragrans
Gallorum quondam terras, ad Vuerciniacum
Accessit vicum, quò tunc occurrit eidem
Dux Spoletanus, Hildebrandus vocitatus.
Qui preciosa ferens insigni munera Regi,
Ad sua cum magno satis dimissus honore.
At Rex intentè meditans inuadere terras
Saxonum, citius Rhenum traiecerat amnẽ.
Cui se spe vana gens ipsa resistere posse
Confidens, pariter sumtis occurrerat armis,
In quodam collecta loco Bocholt vocitato.
Sed cùm cœpissent acie confligere, statim
Terga dedit, numero Francorum territa grandi.
Accepit tunc Westfalos in deditionem.
Progressusque dehinc Wisuram peruenit ad amnem,
Atque dies aliquot mansit statione locata.
Angarios sed & Ostfalos ad se venientes
Promissam firmare fidem, qua semet eidem
Subiectos fore spondebant, animoq; fideles,
Obsidibusque datis sacramentisque coegit.

DCC. LXXX. INDICT. II.

HIs gestis, Rex Wormatiam remeauit ad vrbem.
Inde mouens oportuno sua tempore castra,
Saxonum rursus properauerat in regionẽ.
Eresburg primùm petiit, post hæc vbi fontes
Lippia flumen habet, per plurima dispositurus
In castris aliquot fertur mansisse diebus.
Hinc Orientis iter sumens ad flumen Ovacrum
Venit, & eiusdem gentis quam maxima turba
Illuc præcepto parens, occurrerat, atque
Credere se Christo simulans baptisma recepit.
Indeque festinus pergens, ibi castra locauit,
Albia qua grandis fluuius miscetur & Hora
Nam res Saxonum voluit componere, nec non
Sclauorum, medius quos Albia diuidit amnis.
Citra Saxones degunt, in littore verò
Sclauorum pagana manet gens vlteriori.
Dispositis sanè rebus pro tempore cunctis,
Ad sedes tandem studuit remeare paternas.
Tum quia præcipuo semper flagrabat amore
Petri, qui summè præclarus Apostolus extat,
Ipsius Romæ decreuit limina sacra
Quærere, vota precesque Deo persoluere curans.
Atque citus properans, assumta coniuge secum,
Et natis, vrbem peruenerat ad Ticinensem,
In qua Natalis Domini festum celebrauit.
Hic igitur statui primæ cum fine Decadis
Annorum Caroli, postquam Rex cœperat esse
Francorum solus, primùm finire libellum,
Viribus vt paruis requies solatia præstet.

ANNALIUM
DE GESTIS CAROLI MAGNI
IMP. LIBER PRIMUS EXPLICIT.
INCIPIT SECVNDVS.
DCC. LXXXI. INDICT. III.

OCtonis decies septingentisq; peractis
Annis est genitus postquam de virgine Christus,
Hic primus sequitur Carolus quo Rex pius arces
Romanas adiit Domino ducente secundò.
Tunc Adrianus eum iam dudum commemoratus
Præsul Apostolicus, cum magno lætus honore
Suscepit, populusque simul Romanus ad ipsum
Ut defensorem, libertatisque datorem,
Unanimis concurrit ouans, gratesque rependens
Illic cùm præsens foret ad solennia Paschæ,
Fonte salutifero Pippinuum nomine natum
Abluit ipsius Præsul venerabilis idem.

DCC. LXXXII. INDICT. IV.

EXoriens æstas vbi primùm gramine pulcro
Vestierat terras, poteratque exercitus aptè
Educi, quoniam molles animalibus herbæ
Dulcia præbuerant florentis pabula fœni:
Innumeris fultus populis, & milite claro,
Saxonum rursus Rex inclytus in regionem
Venit, & ad fontes fluuii, cui Lippia nomen,
Conuentum fieri procerum iussit generalem.
Illic disponens complura negocia regni,
Danorum regis Sigfridi nomine missos,
Et quos Iugurgus pariterque Caganus ad ipsum
Hunorum misere Duces, pro pace petenda,
Audiit, absoluitque, datis prudenter eisdem
Responsis. Posthac Rhenum traiecerat amnem,
Gallica seque dehinc Rex magnus in arua recepit.
Interea patriæ quondam Vuidokindus ab oris
Qui fuerat profugus, Normanorumque petiuit
Auxilium, rediens vana spe sollicitabat
Saxones, initum cum Francis rumperre fœdus
Ut conarentur, multosq; vocauit in arma
E populo, fecitque nouum consurgere bellum.
Gens quoque Sclauorum Sorabi cognomine dicta,
Audacter sumtis subitò proruperat armis,
Vicinas sibi Saxonum terras populando,
Atque Thuringorum fœcundos frugibus agros.
Qui medias Sorabi terras camposque iacentes
Inhabitant inter fluuios: hinc voluitur amnis,
Qui Sala nomen habet, finit Albia latior inde,
Ast vbi Sclauorum Carolo sunt cognita gesta,
Protinus illorum reprimendos censuit ausus,
Arcendosque sui regni de finibus hostes.
Unde Palatinis ad se tribus ipse vocatis
Principibus, quorum fuerat Camerarius vnus
Regis Adalgisus, Geilo stabuli Comes alter,
Ductores exercituum fore iussit eosdem.
Quos Orientali Francorum de regione
Collectos contra Sclauos præceperat ire.

Nec

Nec non Saxones, ſibi quos parere iubebat,
Auxilio fieri ducibus mandauerat ipſis.
Sed cùm legati per eorum ducere terras
Agmina cœpiſſent (nam ſic inuadere Sclavos
Tramite debuerant recto) ſit protinus ipſis
Cognita iam dictę grandis defectio gentis.
Ob hoc iter cœptum flectunt, primò cupientes
Saxones, numero freti, proſternere bello.
Quod nimis incautè cœptum, pariterque ſuperbè,
Francorum miſera fuerat cum clade peractum.
Namque Duces vbi compererant, quòd ſe Vuidokindus
Ad pugnam multa ſtipatus plebe paraſſet,
Et iuxta montem Suntal ſua caſtra locaſſet
Illuc infeſtis properârunt illico ſignis,
Ad prædam potius quàm pugnam ſemet ituros
Sperantes, ipſam patriam Rex ipſe quotannis
Cùm prius impugnans vires exhauſerat eius:
Immemores morum gentis ſimul ingeniique,
Quod tanto varia plus nititur arte doloq;,
Quo premitur bellis, & vita quieſcere neſcit,
Vindicta rediuiua parans conamina ſemper.
Ergo Palatinis Ducibus properantibus ad ſe,
Saxones, acie longo ſatis ordine ſtructa,
Procaſtris occurrerunt. Ibi protinus atrox
Conſeritur fundens ingentem pugna cruorem,
Francorumque truci proceres ſunt cæde necati,
Regis legati, & præclari quattuor illic
Extincti Comites, cum viginti venerandis
Nobilibusqũe viris aliis, hac clade peremptis.
At reliquus bello populus conſumtus in illo
Cenſeri numero nequit, altum deniq; montem,
Qui vicinus erat, fugiens pauciſſima turma.
Interfectus Adalgiſus, pariter quoq; Geilo
Expetiit, ſyluiſque latens euaſerat hoſtem.
Nuncius hæc triſtis narrauerat omnia Regi.
Ille ſuis exercitibus feſtinus in vnum
Collectis, ſtatim Saxonica venit arena.
Quem cùm primores eiuſdem gentis adiſſent,
Illud ſe certò non commiſiſſe probantes,
Et rex auctores facti perquireret, vnà
Eſſe reum clamant Widokindum criminis huius,
Et quos hortatu proprio ſibi conſociauit.
Nec potuit tradi, quia rurſus contulerat ſe
Ad Normannorum patriam poſt prælia geſta.
Tradita ſunt ſanè reliquorum bis duo letho
Millia, quingentiq; viri, qui tam graue bellum
Illius contra Francos geſſere ſuaſu.
Hoſque die cunctos Rex decollauerat vna
Iuxta Alaram fluuium, locus idem Ferdi vocatur.
Hac ibi vindicta Regum clariſſimus acta.
Ad propriam rediit villam Theodone vocatam.

DCC. LXXXIII. INDICT. V.

Gloria, certabat, ſibi ne conſueta periret.
Alter iam nullam ſtatuens ſperare ſalutem,
In ferrum priſca pro libertate ruebat.
Sed tandem Carolus DIVINO MVNERE victor,
Cæſis innumeris reliquos exinde fugauit.
Tranſierantque dies pauci, cùm rurſus eodem
Comperit in populo repetitum ſurgere bellum.
Scilicet in Weſtfalorum regione gregatis
Pluribus in ripa fluuii, Haſa nomine, rurſus
Audebant, animi plus quàm virtutis habentes.
Pergere Rex ad quos meditans, ſociosque recenſens,
Repperit in pugna plures cecidiſſe priori,
Ægros vulneribus multos ibi fortè receptos.
Sed ſubitò nouus ex Francis exercitus illi
Aduenit, cunctisq; ſuis legionibus auctis,
Ad debellandos ſtuduit properare rebelles.
Quà dux egregiè prudens dum cuncta pataſſet,

Virtutem, ſicut ſolet, eſt fortuna ſecuta.
Saxones iterum cæſi, longeque fugati,
Abductus captiuorum numerus fuit ingens.
Inde plagas Orientales Rex victor adiuit,
Omnia quàm latè ferro populatus & igni,
Donec ad fluuium, qui dicitur Albia, venit.
Poſt hæc ad patriam rediit. Tunc eſt ſociata
Regali thalami coniux Faſtrata vocata,
Filia Radolfi Comitis, ſata germine claro.
Hybernas in Heriſtalli tum duxerat horas,
Atq; dies, quibus hunc naſcens moriensq; redemtor
Saluauit mundum, voto celebrauerat almo.

DCC. LXXXIV. INDICT. VI.

RElliquias belli tandem fortiſſimus Heros
Conſummare volens, tanto quod tempore geſtum
Saxonum cum gente fuit, numeroſa virorum
Millia lectorum terris induxit eorum.
Ac primùm Rheni tranſcendens fluminis vndam,
Vaſtabat pagos Weſtualorum regionis.
Venit & ad Wiſuram, locus eſt vbi dictus Uculbi.
Inde Thuringorum per agros iter egerat, atque
Saxonum campos, quos Albia vel Sala tangunt
Amnes vicini, luſtrans villas ibi plures
Tradiderat flammis, donec peruenit ad illum,
Qui veteri locus eſt Schaningi nomine dictus.
Hinc in Wormatiam rediens ſe contulit vrbem.
Filius interea Regis, qui par genitori
Indole mentis erat, tum nomine dictus eodem
Cum patriis exercitibus, quos ipſe regebat,
In Weſtualorum pago cognomine Dreini,
Einſdem populi turbas ad bella paratas
Oſtendens, ſtatim certamine vicit equeſtri,
Victor & ad patrem iam dicta venit in vrbe.
Qui valida comitante manu Saxonica ſatim
Arua perens, iuxta fluuium conſederat Ambram,
Eſt ibi Caſtellum, quod Skideronburg vocitatur.
In caſtris ibidem votis ſolennibus actis
Natalis Domini, proceſſit ad Oſtia Warnæ,
Quâ fluit in Wiſuram. Nec iam fuit ylla facultas
Longius ad Boream, ſicut cupiebat, eundi.
Temporis obſtabat ſimul aſperitas hyemalis,
Atque iugis pluuiæ curſus vehementer inundans.
Ob hoc in Eresburg reſidens ſe contulit vrbem.

DCC. LXXXV. INDICT. VII.

CUmque dies reliquos brumalis frigoris illic
Ipſe manere ſuum decreuiſſet comitatum
Accerſiuit eò propriam cum coniuge prolem,
Cum quibus, vt decuit, fido firmoq; relicto
Præſidio, iuuenes animis ac viribus acres
Aſſumſit ſecum, lateque vagatus in omnes
Illius regionis agros, ſed & oppida quæque,
Cuncta ſimul flammis, ſpoliis, ac cæde feroci
Miſcuerat, cupiens animos, quos ſæpe rebelles
Expertus fuerat, tali proſternere clade.
Hæc lugubris hyems illi funeſtaque genti,
Cùm tandem finita foret, vernalis & aura
Iucundum ſpirans ornaret floribus arua,
Publicus in Padarbrunnon conuentus hatur.
Quo Rex inſignis ſolenni more peracto.
In pagum quendam, vocitat quem barbara lingua
Berdango, celeri ſtuduit ſe tramite ferre.
Tunc vbi compererat Widokindum iam memoratum,
Abbonemq; ſimul, qui de maioribus eius
Gentis erant, memores ſcelerum latitare ſuorum
Finibus in patriis, quos ſepſerat ad boream lem
Albia lata plagam iuxta confinia terræ
Danorum, mittens propriis de ciuibus ipſis
Legatos, hortatur eos, quò flectere tandem
Colla ſibi, fideique ſuæ ſe credere vellent,
Com-

Commissi veniam, nec non & PRÆMIA spondens.
Conscia sed magni dubitârunt corda reatus
His de promissis, donec firmata salutis
Spes est obsidibus missis, quos expetierunt.
Quos vt Amuluuinus quidam vernaculus aulæ
Eius adduxit, properârunt protinus ambo
Ad Regem, iam tunc fuerat qui fortè reversus
Ad villam propriam, quæ dicitur Attiniacus.
Hîc iidem proceres sacri baptismatis vnda
Perfusi, tandem Regi mansere fideles,
Ipsaque gens aliquot requieuerat inde per annos.

Interea quidam coniurauere maligni,
Vt dirum facinus scelerato corde patrarent,
Vel ferro Regem, vel qualibet arte necando.
Criminis incentor Hardradus tunc Comes huius
Extiterat. Sed vt indicio delata fideli
Factio sæua fuit, statim sedata quieuit,
Ingens valde foret licet, & nimis acriter orta.
Auctores eius priuari lumine quosdam,
Exilio reliquos damnari iusserat ipse
Rex summè prudens, cuius clementia nulli
Reddiderat dignam tali pro crimine pœnam.

DCC. LXXXVI. INDICT. VIII.

MAgni decreto Caroli, sacriq; Senatus,
Missus in occiduas exercitus exiit oras,
Subdere Brettones, gentem tunc fortè rebellem,
Insula cuius erat fœcunda Britania dudum
Patria: namque illic habitabat tempore multo.
Cumque nouas Angli sedes sibi quærere vellent,
Saxonesque simul hanc inuasere feroces,
Expulsi statim veteres cessere coloni.
Maxima pars quorum fugiens mare transiit, atque
Gallia qua fines habet extremos, ibi tandem
Fluctibus Oceani quæ proxima viderat arva
Detinuit, quibus in terris huc usq; moratur,
Indicium patriæ solo dans nomine priscæ.
Hæc à Principibus Francorum gens superata,
Soluere vectigal quamuis inuita solebat.
Cùm tentaret eo Dominorum tempore iussa
Spernere, directus multis cum millibus illuc
Dux Ardulfus eam celeri virtute repressit,
Et satis edomuit populi fera corda rebellis.
Tum Regis Regum Christi pietate iuuante,
Dispositò Carolus regno, placidaque per orbem
Undique pace data, statuit Romam proficisci,
Nec non Italiæ reliquam sibi subdere partem,

Cuius erat victum caput, & pars maxima capto
Iam Desiderio, Longobardisque subactis.
Ducatus Beneuentanæ tantùm regionis
Non illi subiectus erat, cui præfuit illo
Tempore Dux Aragisius. Eum tunc aggrediendi
Accensus studio, partesq; prouectus in illas,
Accelerabat iter, quem non tardare valebat
Vel glacialis hyems, solitis iam mensibus instans,
Vel via terribiles visu scandenda per Alpes,
Montibus in summis, vbi tectæ nubibus atris,
Ac niue perpetua, rupes ad sidera surgunt.
Transcensis quibus, Italicas intrauerat vrbes.
Ex quibus est quædam Florentia nomine dicta,
In qua virginei partus florem veneratus,
Christi sacrificum supplex celebrauerat ortum.
Inde citò Romam cursu penetrare fatigit.
Quò cùm susceptri tractans molimina belli
Paruum transigeret tempus, cupiens Aragisius
Hunc auro, quem non potuit depellere ferro,
Per natum misit proprium quàm maxima dona,
Supplicitet pacem rogitans. Sed rex sibi longè
De rebus cœptis aliter ratus esse gerendum,
Qua præbet latos Campania fertilis agros,
Illuc progressus, Capuâ consedit in vrbe,

Gesturus statim bellum, nisi Dux memora-
moratus
Prudenti sibimet fact o benè consuluisset.
Nam primò firma se clausit in vrbe Salerno.
Tum natos vtrosq; suos, quorum vocitatus
Rumoldus maior fuerat, Grimoldus & al-
ter,
Missis legatis Regi contradidit, ac se
Ipsius imperiis subiectum mente fideli
Mansurum populumque suum promiserat
omnem.
Talibus oblatis, Caroli requieuerat ardor,
Præcipueque Deum metuens, ne Christi-
colarum
Sanguinis effusi posthæc reus ipse maneret,
Abstinuit bello, non iam curans latitantem
Expugnare Ducem. Nec non & filius ipsi
Concessus maior, minor est detentus, vt ob-
ses
Esset apud Regem. Beneuentanus quoque
cunctus
Dedere se populus non distulit, obsidibusq;
Undenis pro pace datis, hoc deditionis
Confirmans fœdus, per sacramenta spo-
pondit,
Ut Francis, rerum Dominis, seruiret in
æuum.
Tunc Romam regressus ouans, ibi pectore
læto
Maxima Paschalis celebrauit gaudia festi.

DCC. LXXXVII. INDICT. IX.

Adhuc Romulea dum Rex mansisset in
vrbe,
Tassilo legatos Adrianum misit ad almum
Pontificem, quorum fuit Arnus Episcopus
vnus,
Abbas alter erat Hunricus nomine dictus,
Obnixè rogitans, idem mediator vt esset
Inter se & Carolum, pacis fideiq; sequester.
Hoc Antistes Apostolicus ratus esse decorũ,
Ut Petri de sede sacra concordia pacis
Restaurata daret Ducibus populisque quie-
tem,
Instanter Regem petiit deponere cunctas
Corde simultates. Ad quæ cùm mente be-
nigna
Annueret, Ducis ab missis inquirere cœpit
Pactio quo præsens esset firmanda tenore.
Legati nihil iniunctum de re sibi tali,
Sed Domino responsa suo, quæ Rex daret,
& quæ
Præsul Apostolicus, tantum referenda fa-
tentur.
Quapropter tanquam fallacia, fraudeque
plena,
Papa sacratus eos spreuit mandata ferentes,
Damnandos etiam statuens anathemate
diro,
Promissæ dudum fidei si rumpere fœdus
Tentarent, quod cum Carolo pepigere vo-
lentes.
Sicque relinquentes infecta negocia pacis,
Ad patriam rediere suam. Rex his quoque
gestis,
Francorum lætus remeauerat in regionem,
Conciliumque dehinc procerum generale
suorum
Intra Wormatiæ muros collegit, & illic
Decreuit, certo quo disceret experimento,
Utrumnam sibimet memoratus Tassilo
vellet
Iuratam seruare fidem, subiectus & esse.
Vnde suo regno populos perduxit ad omnes
Fortia castra nimis, ternis in partibus ipsa
Disponens, Baioarii quo tanta pauerent
Agmina; nam terrore magis, quàm sangui-
ne fusò
Christicolæ voluit plebis superare tumo-
rem.
Pippinus Regis natus cum milite multo
Italicis illuc fultus legionibus ibat,
Perque Tridentinam sua duxerat agmina
vallem
Ast orientales quos hæc in prælia misit
Francia, Saxones etiam tum signa sequentes
Regia, sic iussi, quendam Pheringa vocarum
Armati petiere locum, prope littora magni
Danubii, prisco qui nomine dicitur Ister.
Ipse super Lecchum, certus qui terminus
amnis
Est inter Baioarios, nec non Alamannos,
Urbis ad Augustæ confinia castra locauit
Stipatusq; manu valida, cùm Norica regna,
Tassilo quæ tenuit, ferro prosternere vellet,
Undeque Dux idem circumsessum fore sese
Conspiciens, supplex adiit vestigia Regis,
Deuotis vitam precibus veniamque precatur.
Qui quia natura fuerat mitissimus, illi,
Quem penitus victum vidit, humilemque,
pepercit.
Fœdera prisca tamen rursus Baioariorum
Firman-

Firmantur, populo per sacramenta coacto
Perpetuam spondere fidem, seu subditionē.
Præterea Regi duodenus traditur obses.
Regressusq; dehinc, hyberno tempore toto
Mansit in Ingelenheim, sedes vbi regia fulget.

DCC. LXXXVIII. INDICT. X.

CUm Rex in villa fieri iussisset eadem
Conuentum procerum solenni more suorum,
Cum reliquis etiam fuit illic Tassilo præsens.
Quem proprius quondam populus, cui præfuit ipse,
Criminibus magnis, maiestatisque reatu
Accusans, Regis meritò commouerat iram,
Objiciens primò, quòd fœdere deditionis
Neglecto, quo subiectum seu pectore fidū
Se fore jurauit, donis crebroque rogatu
Instigans Hunos, Francis ita fecerat hostes,
Ut vellent sumtis vastare ferociter armis
Illorum fines, Carolumque lacessere bello.
Eius vt hoc faceret Leutberga suaserat vxor.
Quæ Desiderii fuerat quia filia Regis,
Post patris exilium Francis inimica manebat,
Fœmineique gerens odii sub pectore flammas,
Mittere iam populos in summa pericula prauo
Consilio studuit, non curans, sanguine quanto
Humani generis fuso, quot vtrinque perirent
Millia, dum tantùm Francis inferre labores
Bellorum satagens, nec non dispendia rerum,
Ulcisci patrem tali ratione valeret.
Præterea dictis seu factis pluribus illi
Obiectis, quibus indicio clarebat aperto,
Quòd violata fides esset, quod fœdere spreto
Tassilò molitus fuerit contraria Regi,
Ipse nihil horum vel ceperat inficiari,
Vel poterat, sed conuictus noxæ, capitali
Damnatur pœna. Meritò sic euenit illi,
Consilium quisquis fuerit muliebre secutus.
At regis pietas damnatum protinus illum
Absoluit retrahens ipso de limine mortis
Et factum Monachū seruare Monasteriale
Propositum iussit. Juuenis quoq; natus ab illo,
Nomen habens Theodo, genitoris facta secutus,
Contemplatiuæ susceperat otia vitæ.
At verò Huni, studiis gens aspera belli,
Præfato promissa Duci complere studentes,
Instructis exercitibus cœpere duobus
Francorum regni fines inuadere quosdam.
Italiæ partes vnum penetrauerat agmen,
Quaq foro nomen dederas clarissime Juli,
Urbis ad eiusdem confinia venerat hostis,
Inuasit Baioarios exercitus alter;
Sed frustra: totus quoniam conatus inanis
Is fuerat, victique loco cæduntur vtroque.
His quoque temporibus Græcorum nobile rexit
Imperium Constantinus, qui splendidus ortu
Debitus Augustis patribus successerat hæres.
Qui iam præterito missis orauerat anno
Legatis, vt se generum dignantis habere
Susciperet natam Caroli sibi consociandā
Fœdere coniugii: sed spes frustrata petentum
More leues solitò Græcos commouit in iram.
Hinc dedit Augusto pariter sua curia tale
Consilium, penitus quo non pateretur inultum,
Quod Rex contemsit Carolus præstare petitos
Virginis amplexus illi, cui summa potestas
Mortalem vix esse parem permitteret vllum.
Ob hoc præfecto, cui procurare Sicanas
Officium fuerat regiones, nomine dicto
Theodoro, iunctis Ducibus quoque pluribus illi,
Hoc opus edicto mandauerat Imperiali,
Ut sibi contiguas vastaret protinus oras
Regni Francorum, sic incentiua moueri
Disponens belli generalis suscipiendi.
Sed cùm primores Graij sibi iussa secuti,
Hesperium littus forti cum classe petissent,
Ut Beneuentanæ villas regionis & vrbes
Depopularentur ferro flammaque voraci,
Occurrere Duces Caroli, quibus illa tueri
Cura fuit loca præcipuè Grimoldus, in ipso
Dux anno factus patre pro defuncto Aragiso.

Nec

Nec non Spoleti rector cum milite multo,
Hildibrandus, ad hoc bellum properabat agendum.
Cumque nouos hostes, opibus numeroq; potentes,
Ignotos lingua celebris iam fama referret
Aduentasse, maris traiecto gurgite vasto,
Vrbibus Italicis ex pluribus arma suasit,
Obuia ferre viros coniunctis viribus omnes,
Vt sibi consulerent prædonibus inde repulsis.
Quo motu prorsus concussa Calabria tota,
Vix vnquam fertur similes suspecta tumultus
In qua conseritur pugnæ certamen vtrinq;,
Ingenti studio sumit pars iusta trophæum
Cedit Achiua cohors, Danaûm dant terga phalanges, (lingua,
Græcorum quoniam semper gens strenua
Pigra manu tantùm facilis solet esse movendis,
Sed benè tractandis haud extat idonea bellis.
Victores igitur Caroli rediere fideles,
Hostibus innumeris cæsis; præda quoque multa,
Et captiuorum turba sua castra replentes,
Absq; graui damno magnum cepere triumphum.
Tum Baioariam se contulit in regionem
Rex Carolus, cunctisque suis cum finibus ipsam
Disponens commendauit Rectoribus aptis.
Et rediens in Aquisgrani, quam condidit ipse
Aulam magnificam, sibimet gratissima festa
Natalis Domini, sanctum quoque Pascha peregit.

DCC. LXXXIX. INDICT. XI.

GEns est Sclauorum Wilci cognomine dicta,
Proxima littoribus quæ possidet arua supremis,
Jungit vbi Oceano proprios Germania fines.
Hæc Francis inimica nimis cùm tempore multo
Esset, eis vel subiectos, vel fœdere iunctos
Sclauorum populos, sibimet regione propinquos,
Infectans odiis, bell oquoque sæpè premebat.
Nec potuit tolera re diuhoc inclytus Archos,
Sed populis secum variis, legioneq; multa
Assumta gentem studiit penetrare procacem.
Cui per Saxonum terras iter istud agenti
Albia trajiciendus erat latissimus amnis.
Illic immensum, positis in littore castris,
Est opus aggressus, celeri quod fine peregit.
Nam gemino strauit quàm maxima ponte fluenta,
Et caput ipsius vallo muniuit vtrumque,
Imponens & præsidium, ne fortè regresso
Quis prohibere viam, super alto flumine stratam,
Lignorum rupta fragili compage valeret.
Exin multorum terras inuaserat, amne
Transmisso, quas cùm ferro vastaret & igni,
Barbaricum subitò domuit terrore tumorem.
Deniq; Francorum multis vbi castra referta
Conspiciunt populis, Wilci, fortissima quamuis
Gens forer, & numero pollens, certamina belli
Omnimodis fugiens, se dedidit illico Regi.
Inprimis Rex Dragauuiti, quem nobile clarum
Præ reliquis fecit genus & maturior ætas.
Namque propinquaret cùm Rex illius ad vrbem,
Obuius ipse suo pariter processerat omni
Cum populo, Caroli sese tradens ditioni.
Sic quoque cum Ducibus gens & primoribus illa
Cuncta suis seruituram se mente fideli
Francorum Dominis, dans iuramenta spopondit.
Tum Rex obsidibus, quos iusserat ipse receptis,
Et simul hoc populo tali ratione subacto,
Tramite quo venit, memoratum rursus ad amnem
Felici cursu rediit, cunctisque reductis
Per pontem propriis legionibus, ipse reuersus,
Wormatia tempus hyemis transegit in vrbe.

DCC. XC. INDICT. XII.

Hic modò Musa nouam Caroli deprome quietem.
Est hic primus enim postquam regnaverat annus,
Quo non cum propriis foret in longinqua profectus
Militibus, seu diuersos vt sterneret hostes,
Aut aliis quoque pro causis ac rebus agendis.
Cui cùm Wormatiæ tandem residere liceret,
Illic Hunorum missos audiuit, ad illos
Ipse suos etiam misit. Nam maxima causa
Hos inter populos litem commouit atrocem,
Dum quo Regnorum confinia certa suorum
Esse loco veteri deberent jure statuta,
Ingenti studio disceptaretur vtrinque.
Hæc & origo fuit belli, quod posteriori
Tempore cum Hunis Franci gessisse probantur.
Sed Rex nec spacium torpere per ocia parvum
Dignatus semper & strenuus, indole mitis,
Est agressus iter Mœnum nauale per amnē,
Ascenditque per hunc, donec propè mœnia venit
Magna Palatinæ sedis, Salt nomine dicta.
Nascenti vicina Salæ nam fluminis huius
Riuus adhuc modicus hæc ipsa palatia cingit,
Vix raucum per saxa ciens resonantia murmur.
Dispositis ibi rebus, aqua redeundo secunda
Wormatiam petiit: qua cùm per tempora brumæ
Mansisset subitò regales funditus ædes
Illic constructas noctu consumserat ignis.
Ipse Redemtoris nati passique sacrata
Festa gerens ibidem veris transegerat ortū,
Expectans vestita foret dum gramine tellus,
Fronderent sylvæ, possent & Sole sereno,
Et cœlo, de diuersis regionibus aptè
Ad bellum gentes variæ, populiq; vocari.
Namq; nouum rursus voluit certamen inire,
Atq; labore graui modicam mutare quietem.

ANNALIUM DE GESTIS CAROLI MAGNI IMP. LIBER SECVNDVS EXPLICIT. INCIPIT. III.

DCC. XCI. INDICT. XIII.

Aurea siderei transcendere cornua Tauri,
Fulgentesque polo iam Sol intrare Laconas
Cœperat, & gelidis breuiatæ noctib. vmbræ
Auraque productæ spacio iucunda diei.
Florenti studiis, * animoque vigenti,
Dant gratum Carolo tempus, quo viribus vti
Posset, & ad bellum proprias educere turmas.
Qui post annorum centena volumina cursu
Septeno transacta, decem quoque circiter annis
Emensis nouies, postquam Deus est homo natus,
Hoc fuit aggressus Hunos certamine primo.
Nec sibi cunctandum ratus est, quin redderet illis,
Quàm meruere vicem, veteres hoc deniq; causæ
Poscebant odii. Nam gens, dum floruit illa,
Innumeris dominans aliis, quas subdidit armis,
Tum Francis inferre malum persæpe soleba nt.

Sic veteres memorare solent, quòd fundi-
tus olim
Illorum terras immani cæde furentes
Vastârint dederintque voracibus omnia
flammis
Oppida, rura, domos, vrbes, cœnobia, vil-
las.
Nam furor hostilis voluit nec parcere sacris
Ædibus, & regno vix vna remansit in illo
Mettenses intra muros constructa decenter
Ecclesia Stephani, martyr qui primus ha-
betur.
Denique continuis Francos compluribus
annis
Sic impugnabant Huni, Rex donec eorum
Attila, multorum totiens victor populo-
rum,
Fœminea periit dextra sub tartara trusus.
Namque ferunt, quòd eum vino somnoq;
grauatum,
Cùm nox omnigenis animantibus alta
quietem
Suggereret, cœptis crudelibus effera con-
iux,
Ducens insomnes odiis stimulantibus vm-
bras,
Horrendo Regem Regina peremerit ausu.
Vlta necem proprii tamen hoc est crimine
patris.
Hoc res Hunorum tristi velut omine lapsa
Post rediit retro, nec prosperitate priori
Sunt posthæc vsi. Prius oppressere profani
Christicolas Francos antiqui temporis æ-
uo,
Castigante Deo caros sibi more benigno.
Ergo patrum cladis nota mansit inusta ne-
potum
Pectoribus, seruans iræ monumenta vetu-
stæ.
Tum noua præterea de causis orta simultas
Jam dictis, animum Caroli commouit, vt
illos
Francorum totis cum viribus aggredere-
tur.
Protinus edicto producitur imperiali
Ex cunctis ingens populis exercitus illi
Copia, quas tanti belli instrumenta gerendi
Subiectis, & cunctarum validissima rerum
Poscebant, vigili cura studioque paratur.
Sed numerosa nimis quoniam produxerat
ex hoc
Agmina, per partes eadem seiunxerat, ac sic
Pannoniam, gens Hunorum quam sæua te-
nebat.
Tramite distantem longo penetrare sategit.
Tunc vnam populi partem Comiti Theo-
drico,
Atque Magenfrido, Ducibus hoc tempore
primis,
Committens, aquilonares per fluminis o-
ras
Danubii præcepit eos iter accelerare.
Ipse per australis tentabat littoris agros,
Millibus innumeris stipatus, & agmine for-
ti.
In medio fluuius cunctis alimenta vehebat
Agminibus, Regis speciosa classe repletus,
Quam Baioariis fuit ingens cura tueri.
Ipsos in ratibus descendere quippe secunda
Jussit aqua. Sic ad fluuium Rex venit Ane-
sum,
Qui medius Baioarios seiunxit & Hunos.
Hunc iuxta positis per prata virentia ca-
stris,
Communi voto ternis statuêre diebus
Suppliciter celebrare preces, ac pectore to-
to
Auxilium Regis Regum deposcere Christi.
Vt cœptis pius annueret, quo cuncta da-
rentur
Prospera, tot populis in tam longinqua
profectis,
Munitis signo fidei, contraque nefandos
Gentiles felix fieret certamen agendum.
Atq; dehinc motis memoratę prælia castris
Intulerat genti, cuius munimina statim
Pulsis præsidiis destruxerat, ex quibus vnũ
Non operis parui Cambus præterfluit a-
mnis,
Atque super montem Cumberg munitio
dictum
Altera prægrandi fuerat circumdata vallo.
Destructis vtrisq; tamen cum robore forti,
Æquatisque solo, ferro vastabat & igni
Hostiles latè terras, ad ostia donec
Perueniens Arrabonis, qua fertur in vndas
Danubii, lassis ibidem statione locata
Militibus, paruum dederat requiescere
tempus.
Sic vbi Pannoniæ fuerat pars maxima latè
Diuitiis spoliata suis, ac tradita flammis,
Incolumem victor populum Rex inde re-
duxit,
Cui fuit hostilis hæc tota profectio planè
Prospera, res in ea nec contigit vlla molestè,
Excepto, quod tanta lues eius legionis,
Quam Rex duxit, equos morbo consumsit
atroci,
Vt

Ut decimam partem vix de tot millibus huius
Expertem cladis tradant potuisse reduci.
Rex autem veniens Reginum, quam Regenesburg
Nunc vocitant, ibidem natalis gaudia Christi,
Cordeque sacratum celebrauit Pascha fideli,

DCC. XCII. INDICT. XIV.

CElsa Pyrenæi supra juga condita montis
Urbs est Orgellis, Præsul cui nomine Felix
Præfuit. Hic hæresin molitus condere pravam,
Dogmata tradebat fidei contraria sanctæ,
Affirmans, Christus Dominus quia corpore sumpto
Est homo dignatus fieri, non proprius ex hoc
Sed quod adoptiuus sit filius omnipotentis.
Responsumque Toletano dedit hoc Helipando
Pontifici, de re tanta consultus ab ipso,
Atque suum scriptis defendere dogma libellis,
Omni quo potuit studio curauit & arte
Hinc ad Catholici deductus Principis aulā
(Idem Regino nam tum hyemauit in vrbe)
A multis ibi Præsulibus synodoq; frequenti
Est auditus, & errorem docuisse nefandum
Convictus, posthæc Adriano mittitur almo,
Sedis Apostolicæ fuit hoc qui tempore Præsul.
Quo præsente, Petri correctus in æde beati,
Pontificum coram sancto celebriq; senatu,
Damnauit Felix prius infeliciter à se
Ortam perfidiæ sectam meruitque reuerti
Ad propriæ rursus retinendum sedis honorem
At Baioaricis æstiuum tempus in oris
Dum Rex duxisset, suprema pericula penè
Incurrit, nisi quòd pietas diuina resistens
Ausibus humanis, sæuas euerterat iras.
Horror inest animis tales recolentibus ausus,
Quòd fuerat rutilum Francorum tam propè lumen
Extinctum, facinus vel concepisse malignos
Tantum mente viros. Carolum nam tradere morti
Omnimodis satagunt: hinc coniuratio fertur
Inter Francorum proceres crudeliter acta.
Præcipuè Regis materno sanguine cretus,
Sed plus nequitia morum, quàm degener ortu,
Auctorem sceleris demens se præbuit huius.
Non tamen hoc odium Regem meruisse vel ipse
Hostis iure queri poterat, regina sed atrox,
Ac sęuum gestans animi Fastrada tumorem.
Insidiatores partim suspenderat illos
Informis lethi laqueus, natoque pepercit
Rex tantùm proprio, tonsumque monasteriali
Proposito purgare scelus iussit meditatum.
In Baioarica vero regione moratus,
Instabat Princeps naualem condere pontē,
Qui per Danubium bello prodesset agendo,
Quod contra sæuos olim susceperat Hunos.
Hinc & natalem Domini celebrauerat illic,
Ipsius & merito clarissima festa triumpho,
Quo pariter vicit mortis mortisque ministrum.

DCC. XCIII. INDICT. XV.

CUm Rex ad cœptum statuisset conficiendum
Belli certamen, Hunos inuadere rursus,
Comperit extinctas, Theodricus Dux legiones,
Quas per Fresonum pagum Hriustri vocitatum
Ducebat. Nam Saxonum periere dolosis
Insidiis, captæ Wisuræ propè littora pulcre.
Dissimulans igitur tanti infortunia damni,
Intermisit iter, quo disponebat adire
Pannonias, & cum Hunis committere pugnam.
Interea suasere sibi, qui nota ferebant
Talia,

Talia, quod fluuios inter, Radantia quorum
Unus habet nomen, sed & Almona dicitur alter,
Si fieret tantus fossa tellure paratus
Alueus, inductis ambos dum tangeret amnes
Gurgitibus, posset puppes vt ferre natantes.
In Rhenum de Danubio celer efficeretur,
Et facilis cursus ratibus. Radantia namque
Illic se Mœno, hic Rheno miscere probatur.
Almona Danubii rapidis illabitur vndis.
Consilium credens igitur sibi dantibus istud,
Ipse locum Princeps operi quem credidit aptum
Expetiit tanto, multis quoq; millibus illuc
Conductis operatorum, simul omnia penè
Autumni studio consumpsit tempora casso.
Attamen in longum passus duo milla ducta
Fossa fuit, pedibus tercentum lata patebat.
Sed non perfectũ poterat consistere prorsus
Hoc opus, assiduus quoniam nimis obfuit imber,
Et naturalis terram dissoluerat humor.
Egestumq; fuit quantum sudore diurno,
Rursus humi tantum rediit sub nocte relapsa.
Cumq; lutum semper madidis increscceret arvis,
Alveus & firmo constaret littore nusquam,
Ima petens immensa palus per lubrica fluxit,
Ac densum scrobibus cœnum subsedit in altis,
Cùm tamen in cœpto persisteret ipse labore,
Hunc tristi tandem fama reuocante reliquit.
Est totius enim subitò defectio gentis
Saxonum, rursus bellum narrata mouentis.
Prætetea Sarraceni permaxima damna
Intulerant, quædam regni confinia ferro
Vastantes, Ducibus Francorum deniq; cæsis,
Cum spoliis, lætoq; nimis rediere trophęo.
Tum rex aduersis commotus talibus, inde
Ad Francos rediit, natalis gaudia Christi
Deuotè celebrans Mœni prope clara fluenta,
Qua locus insignis Kiliani martyris almi
Nomine seu meritis fulget: sanctum quoque Pascha
Est in Francofurt magno veneratus honore.

DCC. XCIV. INDICT. I.

Dira veneniferæ conatus semina sectæ,
Quæ Felix infelici malè sparserat ausu,
Vellere de sacro Domini radicitus agro,
Catholicus Princeps, Synodum celebrare vocatos
Undique Pontifices iam dictam fecit ad aulam.
Nec non affuerat Stephanus cum Theophylacto:
Nam fuit Antistes sedis legatus vterque
Romanæ, quos Papa sacer mittens Adrianus,
Ritè suam seruare vicem mandauerat illic.
Tunc igitur cuncti cum decreto generali
Hanc condemnârunt hæresin, scriptusque libellus
Est illam contra, quem confirmauerat ille
Pontificum cœtus, simul & subscripserat omnis.
Annis præterea Synodum non pluribus antè
Constantinopoli celebrari fecit in vrbe
Græcorum Princeps, qui Constantinus habebat
Nomen, & eiusdem genitrix Hirena vocata.
Et condixerunt, vt septima seu generalis
Appellaretur Sed eam non nomine tali
Dignam concilium pariter cognouerat istud,
Utq; supervacuam spernendam censuit ille.
Tunc ibi regalis Fastrada migrauerat aulæ
Hac ex luce, diem tandem sortita suprema.
Cuius in Albani speciosa Martyris æde,
Juncta Moguntiacæ fulget quæ mœnibus vrbis,
Cum magno fecit sepeliri corpus honore.
Atque dehinc Carolus cunctis hoc ordine gestis,
Fœdifragis rursum Saxonibus intulit arma.
Ac geminis exercitibus decreuerat ipsos
Instructis terrore simul ferroque domare,
Ut citò gens bellis succumberet vna duobus,

Ex quibus haud vnum penitus sufferre valeret.
Regis ab australi properabant agmina parte,
Saxonum miseras latè vastantia terras.
Filius ipsius Carolus traiecerat vndas
Rheni, quem comitabatur delecta iuuentus,
Inuadens ex occidua regione rebelles.
Quos statim terror meritò peruaserat ingens:
Et magni quamuis campi per plana Kinofeld
Collecti, pugnaque forent certare parati,
Hoc animi cecidêre metu, nec spes erat illis
Vlla resistendi Francis, quos tot populorum
Agminibus fultos vinci non posse videbant.
Protinus omisso sese certamine belli
Subjiciunt Regi, juramentis quoque firmant,
Obsidibusq; datis, hæc fœdera deditionis.
Ipse regressus Aquasgrani (sic regia sedes
Inclyta nomen habet, nec non vocitatur Aquensis)
Illic more suo celebrauit tempora sancta,
In quibus est vnita Deo substantia nostra,
Morsque redemtoris mundum reparauerat omnem.

DCC. XCV. INDICT. II.

CUm nimium suspecta foret gens facta rebellis
Saxonum totiens, crebro quoque fœdere rupto,
Sub iusta Regis ditione quiescere nolens,
Haud vilum respirandi dare censuit illi
Atque rebellandi spacium fortissimus Archos,
Sed rursum terram populans hostiliter ipsam,
Eius in extremo tandem propè limite castris
Consedit positis, vicus qua nobilis extat,
Nomine Bardonwich dictus, quo iusserat ad se
Pergere Sclauorum proceres sibi fœdere iunctos.
Illic aduentum quorũ dùm fortè maneret
Opperiens, ex his extinctum comperit vnum
Rex Abodritorum fuit is, cognomine Witzan,
Jussus & vt fuerat, Regem dum vellet adire,
Incidit insidias, illi quas antè parârunt
Saxones, quoniam Francis nouere fidelem.
Hinc iræ stimulis animo commotus amaris,
Eiusdem regionis agros, villasque feroci
Quàm latè ferro populari iussit & igni.
Tunc ex Hunorum quidam primoribus illuc,
Tudun habens nomen, venit per longa viarum,
Velle fatebatur Regi qui subdere sese,
Et Christo domino deuota credere mente.
Hinc in Aquisgrani Carolus remeauerat aulam,
Ac memorata prius supplex ibi festa peregit.

DCC. XCVI. INDICT. III.

SEdis Apostolicæ sublimis culmine Præsul,
Hoc Adrianus ab hac vita decesserat anno.
Post quem sortitus summum Leo Pontificatum,
Confestim claues, quibus est confessio sancti
Conseruata Petri, vexillaque miserat vrbis
Romuleæ Carolo, pariterq; decentia dona.
Admonuitque piis precibus, quò mittere vellet
Ex propriis aliquos Primoribus, ac sibi plebem
Subdere Romanam, seruandæ fœdera cogens
Hanc fidei sacramentis promittere magnis.
Missus ad hoc Angilbertus, qui corpore sancti
Richarii clarè decoratam rexerat Abbas
Ecclesiam, pariter regalia detulit illuc,
Deuotè sancto misit quæ munera Petro.
Nam spoliata fuit Hunorum regia, Hringũ
Quam vocitant. Hanc Dux Erichus hoc ceperat anno,
Multimodos etiam Regi deuexerat inde
Thesauros, æuo quos collegêre vetusto,
Innumeris crebrò spoliatis gentibus Huni.
Ex quibus est Romam tunc maxima copia missa,

De reliquo ſummos proceres aulæque miniſtros
Multum larga manus ditauit Principis omnes.
His geſtis iterum Rex Saxonum regiones
Inuadens latè vaſtauerat, atque reuerſus
Victor Aquisgrani brumali tempore manſit.
At Dux Italiæ Pipinus, regia proles,
Adiunctis Baioaricis legionibus illi
Hunis intulerat bellum, ſic patre jubente,
Cum quibus euentu certamina proſpera læto
Trans fluuium Tizan geſſit, cunctiſque fugatis
Hoſtibus, à Francis Hunorum regia tota
Eſt æquata ſolo, quam Hringum diximus antè.
Cuius penè gazæ gentis tunc funditus omnes,
Magnus erat quarum numerus, cunctæque priorum
Diripiuntur opes Regum, quas depopulantes
Plures in variis ſacras regionibus ædes,
Temporibus multis malè congeſſiſſe feruntur.
Tunc quibus ablatis, tam clari iure triumphi
Ad patrem victor memorata venit in aula
Pipinus, regni cui theſauros ſpoliati
Attulit, exuviasq; Ducum, vexillaq; capta.
Cum quo jam dictus Tudun quoque venerat illuc,
Promiſſiſque fidem propriis adhibere ſategit,
Cum toto comitum numero baptiſma ſuorum
Percipiens, etiam per ſacramenta ſpopondit,
Se fore ſubiectum Francis, fidumque per æuum.
Sed poſtquam rediit, mutans promiſſa fidemque,
Perfidiæ luerat paruo pòſt tempore pœnas.
At Rex ſolenni voto celebrauerat illic
Tempora, quæ Chriſtus naſcens morienſq; ſacrauit.

DCC. XCVII. INDICT. IV.

CUm pulcro renitens ortu clareſceret æſtas,
Ad Regem Sarracenus cognomine Zatus
Aduenies, à ſe peruaſam reddidit vrbem,
Barzinona cui nomen: nam limite ſtructa
Conſtat in Hiſpano, vario cogenteq; caſu
Nunc Sarracenis fuerat, nunc ſubdita Francis.
Perq; Ducem tandem memoratum reddita, qui ſe
Sponte ſua pariter Carolo permiſit & vrbem,
Francorum ſubiecta fuit poſthæc ditioni.
Inde ſuum gnatum Hludowicum nomine, Regem
Tunc Aquitanorum, direxit ad obſidionem
Oſcæ, nomen habet ſic vrbs Hiſpanica quędam.
Ipſeque more ſuo rurſum Saxonibus arma
Intulit, auderent duras ne fortè leuare
Ceruices iterum, quorum vaſtauerat omnes
Extremos etiam fines, quos Albia claudit,
Et quà diffuſo miſcent ſe gurgite ſalſis
Fluctibus Oceani Wiſuræ præclara fluenta.
Cumq; rediret, Aquiſgrani deuotus adiuit
Regis Abinmagæ Maurorum filius illum,
Abdelle cui nomen erat, quem Rex ibi clemens
Cùm ſuſcepiſſet, collegerat inde Senatum,
Et quo conficeret tandem Saxonica bella,
Conſilium prudens iniit, quò tempore toto
Inſtantis brumæ regione maneret in ipſa.
Ergo ſuo ſecum comitatu protinus omni
Aſſumto, Wiſuræ poſitis in littore caſtris,
Sedit, Heriſtellique locum juſſit vocitari,
Hactenus hoc & habet nomen, terramque per ipſam
Adductos ſecum populos diuiſerat, atque
Indigenas licet inuitos dare compulit ipſis
Hybernas ſedes ſimul & ſtipendia cunctis.
Huc ex Italia venit Pipinus ad ipſum.
Hiſpanis etiam rediens Hludowicus ab oris.
Hunorum quoque legati, nec non Hadefonſi,
Aſturię regis, quam maxima dona ferentes,
Ex tam longinquis Carolum terris adierunt.
Hinc eſt in regnum proprium dimiſſus verterque

Regalis

Regalis natus: misit quoq; cum Hludwico
Abdellam, qui post patriam deductus, & illis
Est commissus, ad hoc quos tunc elegerat ipse
Et quorum fidei se credere non dubitauit.
Rex autem residens in Saxonum regione,
Præfatoq; loco, sanctissima festa peregit,
In quibus indutus processit corpore Christus,
Et posuit carnem moriens, sumsitque resurgens.

DCC. XCVIII. INDICT. V.

VEris in initio facinus commiserat atrox
Saxonum populus quidam, quos claudit ab austro
Albia seiunctũ positos Aquilonis ad axem.
Hos Northalbingos patrio sermone vocamus.
Nam pro justicia legali more gerenda
Cùm Rex legatos illuc transmitteret, ipsos
Impia fœdifragæ jugulauit factio gentis.
Cumq; Godeschalcus Regis legatus & ipse,
Ante dies missus paucos & regna tenentem
Danorum, Sigifridus erat cui nomen, in ipso
Tempore regrediens foret interceptus ab illis,
Auctores huius fuerant qui seditionis,
Pertulerat mortem pariter pro crimine nullo.
His Rex commotus Wisuram properauit ad amnem,
Inque loco, quem Munda vocant, sua castra locauit.
Atque necis legatorum iustissimus vltor,
In desertores iræ laxauit habenas,
Vastari latè sparsis legionibus illam
Præcipiens terram. Tum sæuus vbique furebat
Miles, vbiq; cruor riuis madefecerat arua,
Omnibus atque locis increuerat horrida clades,
Vulnera, mors, luctus, clamor, fuga, flamma, rapinæ,
Omnia complebant, donec cõpescuit altis
Albia gurgitibus procedere longius arma.
At Northalbingi missos impune peremtos
A se cernentes Caroli (nam regia castra
Haud traiecerunt fluuium) superaddere magnos
Disponunt ausus, Abodritos deniq; Francis
Qui tunc subiecti fuerant, ac fœdere juncti,
Nisibus extoris cœpére lacessere bello.
Ast illis Abodritorum Dux nomine Thasco,
Comperto tali motu tulit obuia signa,
Consertaque loco pugna, quem Suentana dicunt,
Quattuor hostilis prostrauit millia cœtus,
Ac victos fecit nimia cum clade reuerti.
Cumque regressus Aquisgrani Rex esset in aula,
Constantinopoli missos suscepit ab vrbe
Legatos, Augusta suis pro rebus ad ipsum
Quos misit Hirena, preces ac dona ferentes.
Nam Constantinus fuerat qui natus ab illa,
Cùm foret immensa morum grauis improbitate
A Græcis regni deiectus culmine, magnas
Nequitiæ dederat priuatus lumine pœnas.
Unus erat missus Michaël, & presbyter alter
Theophylus, quibus est tandem poscentibus actum,
Ut magna regis pietate Sisinius, olim
In bello captus, patriam dimissus abiret.
Is germanus erat præfatæ Præsulis vrbis,
Quæ caput imperii Græcorum nobile fulget.
His quoque dimissis, Hadefonsi Regis ab oris
Hispanis venêre viri, qui munera magno
Attulerant Carolo, renouantes fœdus auitum,
Semper amicitia Reges quod iunxerat ipsos,
Magna quibus dederat susceptis dona benignè,
Ac patriam tali lætos dimisit honore.
Insulæ inuasæ Baleares esse feruntur
Hoc anno, quarum Maiorica dicitur vna,
Altera nomen habet sermone Minorica prisco.
Has etenim Mauri deuastauêre piratæ.
At Rex præfata tempus celebrauit in aula,
Quo nasci voluit cœli terræque creator,
Et quo mors mortis fuit, infernumq; momordit,
Reddidit & nobis vitam de morte resurgens.

O Quàm triſte nefas mortalia pectora crebrò
Concipiunt, quàm præcipiti ſubmerſa profundo
Nequitiæ, dum non leges, non jura verentur,
Horrificos nimiùm cœci labuntur in actus.
Teſtis hic eſt annus, quo, res indigna relatu,
Crimine Romuleam ſæuo maculauerat vrbem.
Nam ſacer Antiſtes, mundo venerabilis omni,
Ciuibus à propriis pœnas Leo ſumſit atroces,
Credidimus, tormenta quidem ceſſaſſe piorum,
Jamdudum ſæuis tortoribus igne gehennæ
Damnatis, quos Imperii dum ſceptra tenentes
Fecerat elatos immenſa potentia ſecli.
Martyribus cæſis implere ſanguine Romam.
Nunc in pace noui ſceleratis auſibus Orci
Carnifices ibidem, longè licet inferiores
Jure poteſtatis, ſimili ſed mente feroces,
Temporibus tantum ſcelus admiſêre modernis,
Indicto cùm juſtitio, ſe publica vota
Cum precibus ſoluens plebs caſtigare fidelis
Deberet pariterque ſuos purgare reatus.
Tum celebrare volens Chriſti myſteria cunctis
Pro ſibi commiſſis, ſolenni more ſacerdos
Vectus equo, Lateranenſi proceſſit ab aula,
Ad tua Laurenti pergens ſacra limina Martyr,
Qua decus Eccleſiæ lectus modò ferreus auget,
Virtutis monimenta tuæ clariſſima præbens,
Quod ſuperimpoſitus prunis contemſeris ignes
Corporis, ardeſcens Chriſti magis intus amore.
Sed neq; tale tuum meritum ſedare furores
Hoſtiles potuit, quin ad tua dum properaret
Antiſtes ſummus ſuffragia ſacra petenda,
Inſidias illi ſimul & tormenta pararent.
Cùm celeraret iter, turba vallatus iniqua,
Crudelesq; manus tolerans amiſerat ipſum
Effoſſis oculis lumen, linguâ quoq; tortor
Præcidit, nudumque dehinc liquere jacentem
Seminecemque foris, fœdatum ſanguine multo,
Inq; monaſterium poſthæc deductus Eraſmi
Martyris (auctores facti ſic nempe jubebant)
Curandi ſpecie fuerat ſeruatus in ipſo.
Donec cognoſcens Winigiſus res ita geſtas,
Dux Spoletanus, Romam feſtinus adiuit,
Nocteq; ſublato per murum Præſule ſacro
In ſua cum juſtis deduxit honoribus ipſum.
Qui miſerante Deo tranſacto tempore pauco
Amiſſum recipit viſum pariterque loquelam.
Seu quia feſtinans tortor, trepidansque nefandis
Dum concurrentes metuit non talia turbas
Paſſuras, ſed velle ſuum defendere Papam,
Non quantum voluit crudelia facta peregit:
Seu, quod credendum magis eſt, antiqua Redemtor
Per meritum magni renouans miracula Petri,
Sanari ſucceſſorem donauerat eius.
Hæc Winigiſus vt ad Caroli Dux detulit aures,
Admonitus probitate viri, ſummæque colendo
Ordine ſedis Apoſtolicæ, Rex juſſit, vt alle
Glorifico Præſul deductus honore veniret.
Egit iter tamen ipſe ſuum, decreuit vt ante,
Saxonum terras adiens, ibidemque locatis
Ad Paderbrunnon multo cum milite caſtris,
Opperiebatur non paruo tempore ſummi
Præſulis aduentum. Carolus quoque regia proles;
A patre miſſus ad eiusdem confinia gentis;
Perrexit lato quà profluit Albia curſu,
Diſponenda forent dum fortè negotia quædam

Saxo-

Cum Wilcis & Abodritis, ac ſuſcipiendi
Saxones aliqui, qui ſe de partibus illis
Jam delegerunt fidei committere Regis.
Hæc ſatis egregiè peragens dum cuncta, moratus
Junior eſſet in his Carolus ſpectatque reuerſum
Dum videat natum patrio Rex magnus amore,
Venit Apoſtolicus, terrarum penè ſupremas
Jam penetrans oras. Illi via tanta peracta
Viſa brevis fuerat, quia compenſauerat omnes
Intuitu Caroli quos pertulit antè labores,
A quo cunctorum ſolamina digna malorum
Danda ſibi meritò ſpe certa credidit olim.
Namque propinquantem cùm primùm nouerat, illi
Obuius ipſe loco de caſtrorum memorato
Stipatus multis populorum millibus ibat.
Pontificemque vicem Petri, cui claudere cœlos
Et reſerare licet verbo, ſedemq; tenentem,
Suſcepit cum magnifico reuerenter honore.
Cumque dies aliquot lætos ibi duceret, idem
Inſinuans Præſul ſua quæq; negocia Regi,
Illius facilem cognouit ad omnia mentem,
Concedenda piè voluit quæcunq; precari.
Inde reducendum dignè primoribus illum
Francorum commendauit, qui iuſſa replentes,
Ingreſſi pariter Romam ſua reſtituerunt
Omnia Pontifici ruſum, qui iura regendæ
Sedis Apoſtolicæ, iuſtosque teneret honores.
Et poſt diſceſſum Papæ Rex duxit eodem
Tempora pauca loco, ſubitò cùm triſtis ad illum
Nuncius interitum procerum, mortemq; duorum
Detulit, inſignes quos fecit maxima virtus,
Unus erat Baioariæ Comes isque vocatus
Geroldus, qui cùm populum defendere Chriſti
Conatus, bello ſæuis obſiſteret Hunis,
Finiuit vitam fragilem, ſumſitque perennem.
Italici verò fuerat Dux limitis alter,
Nomen habens Erichus, qui poſt benè plurima geſta
Prælia, poſt crebro ſumtos ex hoſte triumphos,
Oppugnare Liburnorum contenderat vrbem
Tharſaticam, ciuesque loci quem robore ſemper
Inuictum nouere, dolis ac fraude necârunt.
At Carolus, quantum tempus permiſerat illud,
Saxonum rebus certo moderamine cunctis
Diſpoſitis in Aquisgrani ſe contulit aulam.
Ad quem Wido Comes, cui Brettonum regiones
Commiſſæ fuerant, gentis tam ſæpe rebellis
Detulit arma Ducum, proprio quæ nomine quiſque
Inſcripto dederat: ſignum fore deditionis
Hoc ſtatuêre ſuæ, Francis ſeruire coacti.
Nam ſociis Comes ille ſuis compluribus ipſam
Hoc anno penitus terram luſtrauerat omnem,
Corda domans belli terrore ferocia grandi.
Et iam perpetuo Brettones iure ſubacti
Parerent Francis, ſi non promiſſa fidemq;
Perfida fallacis mutaſſent pectora plebis.
Tunc quoque Sarracenus Azan cognomine dictus,
Direxit Carolo claues cui præfuit vrbis
Oſcæ (ſic illam vocitavit barbara lingua)
Magnaque dona ſimul mittens hanc tradere ſeſe
Promiſit, ſi tempus ad hoc contingeret aptum.
Tunc Hieroſolyma Monachus directus ab vrbe,
Immenſo nimium ſpacio terræq; marisq;
Tranſcurſo, Regi munus precioſius omni
Auro detulerat, mittente pio Patriarcha
Pignora ſancta loci, Chriſtus quo carne ſepultus
Morte reſurrexit victa, quo gaudia mundo
Angelus hæc cœli miſſus narrauit ab arce.
Rex quoque natalem Domini celebrauit in aula
Jam dicta, Monachumque dehinc remeare volentem
Abſoluit, comitemque ſimul coniunxerat illi

Zachariam, regalis erat qui presbyter aulæ.
Per quem magna locis misit donaria sanctis,
Atque viris inopem vitam ducentibus illic,
Et mala perpessis mundi sub nomine Christi.

DCCC. INDICT. VII.

575. MArtia cùm medios expleſſent tempora curſus,
Phœbus & initium mundi totius & anni
Arietis ætherea gradiens in ſigna tonaret,
Florigerum rediit hyemis ver aſpera pellens,
580. Frondibus exornans ſyluas, & prata virenti
Gramine, dans auibus voces, augmenta diebus.
Tum decus egregium mundi, lux clara moderni
Temporis ex aula Carolus progreſſus Aquenſi,
Oceani littus, nomen cui Gallicus extat,
585. Luſtrabat, claſſemq; mari perfecit in ipſo,
Inſeſtum quod Northmanni fecere piratæ,
Jam tunc Francorum nimium gens noxia regno.
Inq; monaſterio, ſancti quo membra quieſcunt
Richarii, celebrauit ouans ſolennia Paſchę.
590. Tramite tum cœpto properans peruenit ad vrbem
Turonicam, Martine tuam ſanctiſſime tumbam,
Qui confeſſor Apoſtolica virtute coruſcus
Effulges, adiit quærens ſuffragia ſupplex.
595. Coniugis hîc illum triſtis valetudo morari
Compulit, extremas dum vitæ clauderet horas,
Moribus & vitæ merito laudabilis omni,
Cui nomen Luidgardis erat. Tum funere dignè
Illic curato, tumulique decore peracto,
600 Ipſe Moguntiacum rediit, primisq; ſuorum
Undique collectis, ibi conuentum generalem
Fecerat Auguſti circa primordia menſis.
Tunc & in Italiam multis iter aggrediendum
Condixit populis, illuc quos pergere ſecum
605. Decreuit, quod diſtulerat non tempore longo
Agmine delecto, ſed eo comitante profectus,
Mœnia famoſæ petiit præclara Rauennæ.
Cumq; dies eſſet ſeptem non amplius illic, 610
Pipinum Regem gentis cum milite multo
In Beneuentanæ direxerat oppida terræ,
Ipſeque Romanas ibat deuotus ad arces.
Obuius huic ad Numentum Leo Papa ſacratus
Venerat, & gaudens multum, veneransque 615
recepit,
Quem defenſorem ſolum ſibi ſenſerat olim.
Dulcibus alloquiis ibi tunc epulisque peractis,
Antiſtes ſummus Regem præceſſit ad vrbem.
Poſtera cumq; dies celebris, feſtiuaque præbens
Gaudia Romanis, qua ſuſcipiendus ab illis 620
Rex tantus fuerat, Solis fulgeſceret ortu,
Pontifices Clerumque ſuum collegerat omnem
Papa. Quibus ſecum ſumtis, ad limina magnæ
Baſilicę Petri, qui ſummus Apoſtolus extat, 625
Venit, & in gradibus templi ſtipante ſacrato
Conſtitit ipſe choro: Carolum ſic aduenientem
Suſcepit, laudum modulamina dulcia cantans,
Atq; Deo grates ex toto corde rependens,
Quod moderatorem defenſoremq; dediſſet
Eccleſiæ talem, cui non ea nouerat ætas 630
Mortalem ſimilem, vel ſic virtute valentem,
Omne bonum vel deuota ſic mente volentem.
Tantus honor, talis Francorum gloria, Regem
Magnaque Romanæ comitantur gaudia plebis,
Eccleſiam Petri puro cum pectore magni 635
Intraret, fuſis lachrymis, humiliq; precatu
Implorans tanti ſuffragia ſancta patroni.
Jam quoque Solſtitii glacialis tempore crescens
Aſperitas brumæ, tandem cogebat vt illic 640
Militibus hyberna quies optata daretur.

ANNA-

ANNALIUM DE GESTIS CAROLI MAGNI IMP. LIBER TERTIUS EXPLICIT. INCIPIT QVARTVS.

DCCC. I. INDICT. VIII.

Festa dies cœlis, eadem celeberrima terris,
Virginei partus Christique refulserat ortus,
Post octingentos ex quo processerat annos,
Tectus seruilis Dominus velamine formæ.
Et iam natalis tanti cumulauerat omnem
Lætitiam Roma Caroli præsentia Regis,
Hic, cùm Missarum sacro solennia ritu
Incipienda forent, magnam processit in aulam,
Quæ corpus mundo venerandum continet omni
Petri, cui claues Christus dedit ipse polorum.
Eius & ante sacros artus cùm mente fideli,
Effusus precibus, sese Rex inde leuaret,
Ipsius imposuit capiti Leo Papa coronam.
Conclamat pariter populus, sacra personat ædes
Ingenti iubilo, vox fertur ad æthera plebis
Romanæ, sic concordi simul ore canentis,
Augusto Carolo Magno, pacemque ferenti,
Imperii merito Romani sceptra tenenti,
Gloria, prosperitas, regnum, pax, vita, triumphus.
Post laudes igitur dictas, & summus eundē
Præsul ADORAVIT, sicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis, ac nomine demto
Patricii, quo dictus erat prius, inde vocari
AVGVSTVS meruit pius, imperii quoq; Princeps.
Tempore paucorum post hæc abeunte dierum,
Ipse suum Carolus præceperat ante tribunal
Duci, iudiciumque viros legale subire,
Per quos præterito fuerat tot cladibus anno
Affectus sacer Antistes, legemq; secundum
Romanam maiestatis cogente reatu,
Damnauit pœna meritò cunctos capitali.
Sed licet indignis, interueniente benigno
Præsule, concessit vitam, tamen esset inultum
Ne tantum scelus, exilio relegauerat omnes.
Festaque transegit postquam Paschalia Romæ,
Egressus Spoletanam perrexit in vrbem.
Augustus verò quo tempore manserat illic,
Aprilis horam cum nox extrema secundam
Obscuram nimium tenebris inuolueret atris,
Ingenti subitò tellus exterrita motu
Contremuit, sonitusq; graues nimis & metuendos
Ediderat, stabilem cui sustulit ira quietem
Cœlestis, grandi sub mole latentia mundi
Intima concutiens impulsu viscera diro.
Cumque procellosus turbo penetransque cauernas
Occultas, ac venarum loca tecta sub alto
Terrarum gremio, ne quo prorumperet inde
Vis venti, patulos vsquam reperiret hiatus,
Quassatis fluctus quosdam generauit in artis.
Jamque domi maior, quàm gurgite terror in vllo
Naufragii fuerat, tremulo sua culmine quisque

Dum fugeret ſubitam minitantia tecta ruinam.
Mœnia cuncta ſimul tetro ſonuere tumultu,
Pendula criſpanti ſtridunt vt lintea flatu,
Aut dum quæ tenui ſqualebant puluere vela,
Exagitant famuli certatim diſcutientes.
Haud aliter muros omnes tremuiſſe videres.
Hic tamen Italiam terror ſpecialiter omnem
Perculerat, cuius plures ſubuerterat vrbes,
Auulſosque ruit montes radicibus imis.
Tum Romæ cecidêre trabes venerabilis ædis,
Pignoribus propriis quam Paulus Apoſtolus ornat.
Gallia nec tantæ fuit aut Germania cladis
Immunis, circa Rhenum loca deniq; motu
Plurima terrifico nimium concuſſa fuerunt.
Audiri quoque mugitus è montibus altis,
Et tetri ſonitus reddi, variique boatus,
Morborumq; lues fieri permaxima cœpit.
At Spoletanis Carolus regreſſus aboris,
Ad Ticinum rediit, cui nunc eſt Papia nomen.
Italiæ linquens fines Auguſtus, Aquenſem
Expetiit ſedẽ, manſitq; quietus hoc anno,
Perque ſui partes regni direxerat omnes
Legatos, æquo legum moderamine mandans
Juſticias facere, & varias componere lites,
Reddere ius ciuile bonis, terrere malignos.
Diuinas mundique pias ex ordine leges
Tunc exerceri mandauerat, & renouari.

DCCC. II. INDICT. IX.

HOc de longinquis Elephas regionibus anno
Primitus adductus, mira ſpectacula regno
Francorum dederat. Perſarum deniq; Princeps
Hunc Aaron. Idem fuerat cui ſubditus, Indis
Exceptis, Oriens totus, curauerat vltrò
Eius amicitiæ ſe fœdere iungere firmo.
Ac dignum duxit præ cunctis regibus ipſum
Temporis illius ſolum, cui munera larga
Præcipui cauſa tranſmittere vellet honoris.
Nam gemmas, aurum, veſtes & aromata crebrò,
Ac reliquas Orientis opes direxerat illi.
Aſcribique locum ſanctum Hieroſolymorum
Conceſſit propriæ Caroli ſemper ditioni.

DCCC. III. INDICT. X.

NObilis hic annus longi certamina belli
Tandem Saxones inter Francosq; peracti,
Firmo perpetuæ concluſit fœdere pacis.
Auguſtus pius ad ſedem Saltz nomine dictam
Venerat: huc omni Saxonum NOBILITATE
Collecta, ſimul has pacis leges inierunt,
Ut toto penitus cultu rituque relicto
Gentili, quem Dæmonica prius arte colebant
Decepti, poſt hæc fideiſe ſubdere vellent
Catholicæ, Chriſtoque Deo ſeruire per ævum.
At vero cenſum Francorum regibus vllum
Soluere nec penitus deberent, atque tributum,
Cunctorum pariter ſtatuit ſententia coactorum,
Sed tantùm decimas diuina lege ſtatutas
Offerrent ac Præſulibus parere ſuderent,
Ipſorumq; ſimul Clero, qui dogmata ſacra
Quiq; fidem Domino placitam vitamque doceret.
Tum SVB IVDICIBVS, QVOS REX IMPONERET IPSIS,
LEGATISQVE ſuis, permiſſi legibus vtinus
Saxones patriis, & libertatis honore.
Hoc ſunt poſtremò ſociati fœdere Francis,
Vt gens & populus fieret concorditer vnus,
AC SEMPER REGI PARENS ÆQVALITER VNI.
Si tamen hoc dubium cuiquam fortaſſe videtur,
De vita ſcriptum Caroli legat ipſe libellum,

Quem

Quem Francos inter clarus veraxq; relator,
A ſummo prudens Einhardus nomine ſcripſit.
Hac igitur pacis ſub conditione fideles
Se Carolo, natisq; ſuis, ſtirpique nepotum
Ipſius, iurauerunt per ſecla futuros.
Quos per ter denos & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli
PLVS REGIS PIETAS ET MVNIFICENTIA FECIT,
QVAM TERROR. Nam ſe quiſquis commiſerat eius
Egregiæ fidei, ritus ſpernendo profanos,
Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis.
Copia pauperibus Saxonibus agnita primùm
Tunc fuerat rerum, quas Gallia fert opulenta,
Prædia præſtiterat cùm Rex compluribus illic,
Ex quibus acciperent, precioſæ tegmina veſtis,
Argenti cumulos, dulcisque fluenta Lyæi,
His vbi primores donis illexerat, omnes
Subiectos ſibimet reliquos obtriuerat armis.
Et multis experta modis innotuit eius
Tam dulcis pietas, quàm formidabilis ira,
Præfatum ſtatuêre fide ſeruare perenni
Fœdus, & vlterius non id mutaſſe probantur.

DCCC. IV. INDICT. XI.

PRæſul Apoſtolicus Roma perrexit ab vrbe,
Auguſti Leo flagranti deductus amore,
Eccleſiæ quoque pro cauſis, quibus imperiali
Eſſe videbat opus munimine, rurſus adire
Francorum terras ſatagens per longa viarum.
Hic vbi terribiles primùm tranſcenderat Alpes,
Aduentaſſe virum tantum rumore volucri
Indice compererat ſtatim propè Gallia tota,
Protinus hoc etiam lætus cognouit, & illi
Obuius Auguſtus Remenſem venit ad vrbem.
Suſceptumque ſatis digno veneratus honore
Duxerat ad ſedem, cui nomen Cariſiacus.
Natalis Domini feſtis ibi ritè peractis,
Sedis Aquenſis abhinc petierunt mœnia pulcræ,
Glorificeque ſimul celebrato tempore ſancto,
Quo ſtella monſtrante Magi cognoſcere veri
In terris nati meruerunt luminis ortum,
Colloquioque dehinc, pro quo Præſul venerandus
Venerat, expleto, Rex inclytus obtulit illi
Munera, digna ſimul danti ſeu ſuſcipienti,
Hic cùm Pontificum clariſſimus illeque Regum
Temporis illius, nullo dubitante, fuiſſent.
His geſtis, propriam Præſul remeauit ad vrbem,
Seque viri ſeiunxerunt ibi corpore ſolo,
Mentis amore pio iuncti ſine fine manentes.

DCCC. V. INDICT. XII.

NAtio Sclauorum ſtudio ſatis aſpera belli,
Quos Bohemos vocitant, in ſe leuitate procaci
Irritans Francos, Caroli commouerat iram.
Quos contra miſſus multis cum millibus eius
Natus & æquivocus, bellum virtute ſagaci
Commiſit, celeri victor quod fine peregit.

DCCC. VI. INDICT. XII.

CUm pius Auguſtus Domini munimine fultus,
Legitimo cunctos tanti moderamine fines
Imperii ſeruans, placidam daret vndique pacem,
Mente ſimultatum, populo quas poſſe fideli
Tempore diſſidium vidit generare futuro.
Unde ſuos inter natos ne gignere poſſet
Poſt aliquam litem patrii diuiſio regni,

Certas ipſe dedit partes vt cuíq; volebat.
Italico Regi Baioariam ſimul omnem
Pipino adiderat: nec non Burgundia quantum
Parte ſub extrema celſas interiacet Alpes,
Cum paucis Alamannorum quoque finibus, illi
Traditur. At Carolo reliquos donans Alamannos,
Saxones ac Freſones ſubiecit eidem,
Cui ſimul ex magna fertur data Gallia parte,
Oceani donec vaſtis concluditur vndis.
Hunc in Francorum ſibimet ſuccedere regnum
Diſpoſuit, ſi non aliter Domino placuiſſet.
Subjicitur verò ſceptris Burgundia penè
Tota Pij regis Ludouici, iure tenentis
Poſt hæc Imperium, nec non Aquitania cuncta
Quæ commiſſa prius fuerat, nunc traditur illi
In regnum proprium, ſtabili ditione regendum.

Hinc omnes obteſtatus, multumq; precatus,
Admonuit ſeruare fidem, nec ſpernere pacem,
Ne proprio quiſquam tranſgreſſo limite, cauſas
Rixarum bellique daret, fuſique cruoris
Chriſticolæ plebis merito reus eſſet in ævum,
Sed facerent inter ſeſe quo firma maneret
Debita fraternas ſocians concordia mentes.
Ipſe dehinc Princeps in ſede manebat Aquenſi,
Nec poſt militiæ ſolitos exercuit vſus,
Aut aliquos iuit bellum geſturus in hoſtes.
Nam nec opus fuerat, nec eum permiſerat ætas,
Iam quibus exatiatus erat, renouare labores,
Cui grauis irrepens, & per momenta ſenectus
Singula ſuccreſcens, faceret decreſcere vires.

DCCC. VII. INDICT. XIV.

REx Sarracenæ gentis nimium truculentæ,
Atque grauis latè mundo terraque marique,
Muneribus tamen Auguſtum veneratur opimis.
Tranſmittens etiam quoddam mirabile donum
Deniq́ue tunc, inter tentoria, qualibet arte
Facta, dedit maius cunctis & pulcrius vnum.
Fama ſolet veterum quicquam ſi dicere verum,
Mirandum, collecta forent vbi carbaſa tanta,
Aut quibus orta ſeges lini tam fertilis agris,
Materies operi quæ poſſet idonea tanto
Affore. Non hominum tantam niſi millia molem
Erigerent. Spacium campi concluſerat amplum
Textilis excelſis paries hærendo columnis,
Nec ſummi culmen tecti ſuperare volatu
Viribus impulſæ magnis potuere ſagittæ.
Intus erant multi generis habitacula pulchra,
Quilibet ingrediens vt non hæc eſſe putaret
Vela mouenda loco, ſed mœnia nobilis aulæ.
Interea Nortmannorum Dux, Alfdeni dictus,
Auguſto, magna ſeſe comitante caterua,
Subdidit, atque fidem ſtuduit firmare perennem.

DCCC. VIII. INCICT. XV.

SVnt Sclaui quidam Lini cognomine dicti.
Hos contra genitore ſuo mittente profectus
Iunior eſt Carolus, cuius non Albia lata
Præpediebat iter, ſed Francorum legiones,
Fluminis eiuſdem traiecto gurgite, lætis
Auſpicijs vſus, memoratos duxit in hoſtes,
Signaq́ue gaudenti retulit victricia patri.

DCCC.

DCCC. IX. INDICT. I.

VNdiq; præsentis pax lætificauerat anni
Cunctos imperii fines, sed tristia quædam
Multis contigerant terris: nam sæuior omni
Hoste nefanda lues, pecudum genus omne peremit.
Nam cùm pastores agerent armenta gregesque
Mane foras lætos in prata virentia, serò
Ægra domum rediit vix pars pauciſſima, diræ
Signa gerens pestis macie mortisque propinquæ.
At maior numerus campi per plana iacebat,
Qua dulces animas virides efflauit ad herbas.
Jamq; cadaueribus fœtebant pascua stratis.
Extractis etiam, præsepia quæque labore
Purgari multo poterant, tum qui morituri
Cernentes animal, magis id prosternere ferro
Eligerent, statim stillans è vulnere tabo
Prodiderat toto concretum corpore virus.
Noricus ista sinus fertur specialiter esse
Perpessus, cum vicinis regionibus illi.
Præterea steriles hoc factæ tempore vites,
Impenso sibimet nulla mercede labori
Respondent, spes est auidi frustrata coloni,
Dum vineta suo pubentia fœtu
Conspicit, & vanè syluescit inutilis arbor,
Palmite diffuso nullas dum pampinus vuas
Contegit, & fructu vacua stat vinea lata.
Partibus in multis regni sic omine tristi
Bacchica non solito perierunt pocula damno,
Tempore nimirum tanto licet antè, per orbem,
Augusto, luctum, terris abeunte, futurum
Jam ostendebat casus tristissimus iste.

DCCC. X. INDICT. II.

PIpinus Rex Italiæ *
Francorum nitido lætum cùm duceret æuum,
Flore vigens simul ætatis, mentisque decore,
Cui præclara fuit virtus, cui gloria summa,
Omnia fallacis pariter cui prospera mundi
Tunc aderant, morbo vitam finiuit acerbo.
Immaturus huic obitus, iucundaque vita
Extitit, unde suo nimium de funere patri,
Omnibus & Francis gemitum luctumque reliquit.

DCCC. XI. INDICT. III.

RUrsus omnipotens caros sibi sæpe flagellis
Erudit, æternæ det vt illis gaudia vitæ,
Augusto vis iudicii veneranda superni
Omnem præteriti luctum geminauerat anni,
Ipsius assumens alium de corpore natum,
Mortalisque iubens vitæ finire tumultus.
Hic patris æquiuocus fuerat, nec nomine solo,
Indole sed mentis clara, probitateque morum,
Omnimodaque patrem virtutum dote referret,
Si rectore frui meruisset Francia tali.
Hoc quoque Bernhardo regnum concesserat anno
Italicum pius Augustus: nam filius idem
Pipini merito patri successerat hæres.

DCCC. XII. INDICT. IV.

MAxima longinquis terrarum venit ab oris
Græcorum de Principibus legatio missa.
A quibus Augustus pacem donare rogatus,
Jure piis precibus, multum quas nouit vtrique
Proficuas regno, consenserat ilico clemens,
Fœdus & inter se fidei pacisque tenendæ
Jurando partes firmârunt protinus ambæ.

DCCC.

IAm grauis Augusto morbus simul atque senectus,
Corpore, sustulerant solitum, marcente, vigorem.
Curarumque, quibus Respublica tanta gerenda
Ac seruanda fuit, non se sufferre valere
Immodicum pondus, placidę sed sola quietis
Otia, supremo labentis tempore vitæ
Vidit amanda sibi, quo procurare migranti
Hinc animæ requiem propriæ veniamque studeret.
Unde Duces ac primores solenniter omnes,
Atque magistratus, ad consilium generale
Undique collegit, natoq; suo Hludouico
Cunctorum cum consilio ius omne regendi
Tradidit imperii, successoremque paterni,
Imposito designauit diademate, regni,
Consortemque sui factum totius honoris
Augustum pariter vocitari iusserat ipsum.
Quod cum magnifico satis accepere fauore
Consilium cuncti, cùm prorsus id vtile regno
Multimodis intelligerent. Hinc aucta refulsit
Maiestas Caroli, concordia facta futuris
Hinc est temporibus, cùm tot caput extitit vnum,
Unanimi populis monstratum mente sequendum.
Hinc metus externis incussus gentibus ingens,
Nil sperare dedit Caroli de morte propinqua
Quo minui posset status, & rectissimus ordo
Regni Francorum, cuius non ante reliquit
Tam clarus Princeps regimen, quàm sumsit id alter,
Quem merito patri similem virtute putarent.
A quo non dubium, quin armis regna subacta
Cuncta simul miti regeret moderante Sophia.
Ut quondam magnus pariter Rex atque Propheta,
Qui lyrico modulante melo cœlestia dоctus
Carmina diuino completus pangere flatu
Nunc cytharis Dauid digitos fidibusque canoris,
Nunc capulis aptare manus armisque solebat,
Innumeras postquam gentes hostesque triumphis
Subdiderat propriis, meritis maturus & annis,
Se viuente, suus inssit quo filius omni
Hebræi Salomon regni fruerertur honore.
Sic Carolus noster solitus tractare vicissim
Prælia, Dæmonicos etiam subuertere cultus,
Catholicam firmare fidem, damnareque sectas
Peruersas, vt doctrinæ cœlestis vbique
Chordæ concordes in Christi laude sonarent,
Magnificè bellis regnum nimis amplificatum
Prudenti nato pacemque reliquit amanti,
Quiq; labore patris bona conquisita quietus
Sumeret, exercens diuini dogmata cultus.
Hæc ita dum fierent, passim permixta videres
Gaudia tristitiæ. Nam res ex ordine gesta,
Et ratione pia, multis cùm jure placerer,
Amplius angebant cunctos tamen intus amari
Mœstitię stimuli, quòd carni debitus omni
Ex oculis charum Carolum rapturus adesset
Terminus. Id valetudo simul cogebat & ætas.
Utque solet fieri, quoties amittitur vlla
Res bona, tunc melius cogit dolor ipse videri,
Ipsius vtilitas qualis preciumque fuisset:
Sic morum probitas animi, sic maxima virtus,
Sic pietas Caroli cunctorum mentibus hærens,
Tunc perspecta magis fuerat, cùm principe tali
Sese cernebant carituros esse per ævum
Multorumque graues sapientum pectora curæ

Morde-

Mordebant, in deterius iam iamque timentum
Lapſuras res Francorum, multas quoque clades
Post obitum tanti venturas Principis eſſe.
Vt ſub fine cadit cùm longior vmbra diei,
Et Sol Oceani properans ſe tingere fluctu
Pergit in cubitum, tegit & ferrugine vultum
Lucigenum, mixto maculis pallore nigellis,
Signa procelloſę dat noctis abinde ſequentis,
Quamuis ſuccedens, dum tramite fertur eodem,
Orbe valet pleno ſubluſtrem reddere Luna.
Haud aliter tum prudentes ſenſere futuras
Bellorum tempeſtates, meritoq; gemendas
Regni Francorum Carolo moriente ruinas.
Solvitur interea populi conuentus, & inde
Qui fuerant proceres redituri tramite longo
Ad ſedes proprias, ſibimet iam coniicientes,
Cari conſpectum Domini hunc eſſe ſupremum,
Interni gemitus dederant, animique dolentis,
Pallenti ſignum facie, mœroreque preſſa.
Compoſito plures vultu, dum fingere lætos
Se cupiunt, quò ſuſpectum reperiret in illis
Nil nouus Auguſtus, tamen & ridere volentum
Ora madent lachrymis falſa inter gaudia veris.
Non aulam tunc more ſuo complebat Aquenſem
Lætitiæ ſonus, auditur vox muſica nuſquam,
Alloquitur ſocium vix ſaltem murmure triſti
Quisq; ſuum, prodens tacitus quid pectore geſtet,
Cùm dolor imponit gemebunda ſilentia multis.

ANNALIUM DE GESTIS CAROLI MAGNI IMP. LIBER QVARTVS EXPLICIT.

INCIPIT V. DE VITA ET OBITU EIVSDEM.

DCCC. XIV. INDICT. VI.

PAngite iam laceræ carmen lugubre Camœnæ,
Dignus enim multis annus hic eſt lacrymis.
Ecce quater denis ternisq; prioribus annis,
Quid niſi proſperitas dicta fuit Caroli?
Annua cum variis ipſius geſta triumphis
Tum placuit læto, connumerare ſtylo,
At modò lugentes, obitum, nos admonet ordo,
Et tempus tanti commemorare viri.
Hic veri plangunt Elegi, nil fingere mœſtum
Eſt opus, affectus res habet ipſa ſuos.
Quis recolens, qualis fuerit modò defore terris,
Tale decus nimium non gemat & doleat?
Sed quia res conſolatur hæc ſola fideles,
Carus fortè ſuos mors quibus abſtulerit,
Pro iuſtis vt eos feliciter actibus eſſe
Confidant regni participes ſuperi:
Idcirco meritum, pro quo modò credimus illum
Vivere cum Chriſto, iure libet canere.
Materiam tantam nimis audax barbara lingua
Ingenii tenuis viribus aggreditur.
Sed me magnus amor, præſentis carminis auctor,
Ignarum fandi non reticere ſinit.

Denique ſum Carolo ſemper flagrantis amoris,
Sum quoq; perpetui debitor obſequii.
Is gentem noſtram fidei cognoſcere lucem
Fecerat, abiectis perfidiæ tenebris.
Quàm bellando diu, quàm multa pericula paſſus,
Quàm ſudore graui, quàm ſtudio vigili?
Penè recordantur populi hoc hactenus omnes
Europæ, tanti participes operis.
Nempe ſui vires regni collegerat omnes,
Ut nos dęmonicis cultibus abſtraheret.
Deniq; barbariem quiſnam mollire ferocem
Poſſet adhortantis dogmatis alloquio?
Ob hoc per Carolum clemens Deus eſt operatus,
Id quod tunc aliter non potuit fieri.
Uſus enim gemina, Saxonum ſaxea corda,
Arte, ſuadebat ſubdere ſe Domino,
Nunc terrens bello, nunc donis alliciendo,
Illic magnanimus, hic quoq; munificus.
Nec prius abſtiterat, Saxonia quàm ſimul omnis
Idola proiiciens facta fidelis erat.
Quas igitur grates illi modò poſſumus omnes,
Vel quas quiſq; ſuo ſoluere pro modulo?
Si qua meam ſcripturarum ſcintillula mentem
Artis, & illuſtrat ſi qua ſcientiola,
Nonne dabit iuſtè Carolo præconia laudum,
Per quem nanciſci tale bonum merui?
Noſtri non ſolùm fidei documenta parentes,
Sed penitus cunctos neſcierant apices.
Per Carolum nuper nobis eſt huius honeſtas,
Ac pariter vitæ ſpes data perpetuæ.
Ergo tibi primùm dignas nos dicere laudes
Da Deus, omnimodi fons & origo boni.
Muneris inde tui quamcunque retexere partem
Nos in eo, noſtri dux animi, tribue,
Quem pie Chriſte tuo multorum more ſaluti
Proſpiciens, talem præſtiteras fieri.
Nam noſtræ miſerans naturę conditionem,
Serpentis poſtquam fraus vitiauit eam,
Contuleras hominum generi ſolatia crebra
Per claros homines, atque tibi placitos,
Efficiens fortes, per quos fragiles regerentur,
Doctos, qui reliquos inſtruerent ſtolidos.
Ut lux illorum tenebras depelleret horũ,
Errantes reuocans, reſtituensque viæ,
Stantes erigerent lapſos, miſerisq; piorum
Virtus exemplo eſſet & auxilio.
Et tales ſemper dederas ab origine mundi,
Apti ſaluandis qui fuerant aliis.
Inprimis Patriarcharum, ſacer ordo deinde
Legifer, & vatum miſſus ad hoc chorus eſt.
Nec non in variis imitabile gentibus olim
Exemplar iuſti, te quoque teſte, dabant.
Sed quis per ſeruos ſeruis te conſuluiſſe,
Miretur, donum ſit licet eximium?
Cùm per te mundi Dominus plus egeris, immò
Sis paſſus minimis maxima pro famulis.
Pro quibus iniuſtis iuſtus, pro fontibus inſons,
In mortem propriam tradideras animam.
Tanta redemtor erat noſtræ tibi cura ſalutis,
Perdita ne fieret prorſus imago tui.
Unde tibi laudes modulentur cuncta creata,
Atque genu flectant, inferus, arua, poli.
Nam neque dum compleuit opus, tua gratia, tantum
Ceſſauit, ſine qua deperit omnis homo.
Sed poſt hæc eadem lucrandis omnibus extat
Cura per electos gentibus exhibita.
Oris Apoſtolici terram ſonus iuit in omnem,
Verba per extremas intonuere plagas.
Cui dedit, ætherea cœli demiſſus ab arce,
Flammantes linguas, Spiritus omnipotens.
O quàm multorum purgatas ſorde reatus
Mentes ardentes fecit amore tuo!
Ordinis eiuſdem nec non virtutis honore, gr
Et ſtudio, plures poſt fuerant ſimiles.
Qui ſimul exemplis animas, & dogmate ſacro,
Multas cœleſti reddiderant patriæ.

Quid

Quid memorem, quanti pro te tormenta necemque
Passi, lucrati hinc alios fuerint?
Hos animus constans, illos miracula visa,
Credere hæc danti commonuere tibi.
Mille modis tua magna, Deus, clementia gentes
Seruat per sanctos egregiosque viros,
Nec Reges facis expertes fore muneris huius
Dum per eos animas corrigis atq; doces,
Temporibus Carolus Rex, te donante, modernis
Quàm multis summæ causa salutis erat?
Credendi pulcrè moderandis moribus aptus,
Et mutare piè perfida corda potens.
Cuius nunc insigne genus si pandere coner,
Compellor Regum scribere catalogum.
Sed non est opus: excelsum quia non genus illi,
Sed summo generi addidit ipse decus.
De claris genitus fulsit præclarior, atque
Patribus inuictis fortior enituit.
Est quoque iam notum, vulgaria carmina magnis
Laudibus eius auos & proauos celebrant,
Pipinos, Carolos, Hludouicos & Theodricos,
Et Carolomannos, Hlotariosq; canunt.
Attamen hic quanto plus fecerit omnibus illis,
Dicet præsentis sermo sequens operis.
Vnum commemorem, tanto de germine parem
Quem sanctum Christi prædicat Ecclesia,
Scilicet Arnulfum, Francorũ qui fuit olim
Princeps ac Præsul post satis egregius.
Ductus amore Dei qui sprcuerat omnia mundi,
Quæ mulcent oculos, quæque trahunt animos,
Malens diuinas mundi quàm tradere leges,
Esse Dei famulus quàm populi dominus.
Nunc ouat in cœlis, præbens miracula terris,
Sublimis meriti signa decora sui.
Indeque nostrorum totam seriem Dominorum,
Stirpem nempe suam, protegit atq; fouet.

Præ cunctis igitur tibi cura nepotibus vna,
Quæsumus, Arnulfus sit tuus homonymus.
Fac vt regnanti Christus sit prœuius auctor,
Quo nimis ipsius indiget Ecclesia.
Qui modò iustificus Rex est, defensor & vnus
Inter tot clades, nunc quibus atteritur.
Ex illo nobis igitur tam Principe sancto
Hactenus est dominans inclyta progenies.
In quam descendit sancti benedictio Iacob,
Quam Judæ pandens ipse futura dedit.
Ut non deficeret de germine sceptriger eius,
Sed foret inde manens longa Ducum series.
Sic electa Deo mansit iam tempore longo
Hæc stirps in regno, atque diu maneat.
De qua non quisquam fortem pietateque plenum
Miretur Regem progenitum Carolum.
Cuius vt exterior virtus roburq; parentes,
Sic satis ornabat Relligionis amor.
Et quo maior eis prouenit gloria mundi,
Mens humilis tanto plus fuit ante Deum.
Sed huic naturæ quicquid benè præstitit ortus,
Hoc exercitio auxerat assiduo,
Intentus semper rebus constanter agendis,
Et disponendis consilio stabili.
Unde nec in bellis quisquam felicior illo
Tempore, nec pacis plus moderatus erat.
Et quod susccpit florens & nobile regnum,
Reddiderat duplo latius & melius.
Sicque suos, licet inuictos, vicisse parentes
Noscitur, hac multo re magis egregius.
Nam plures vnus terras populosque subegit,
Quàm totus Regum vicerit ordo prior.
Regnabant inter Rhenum Ligerimq; priores,
Ad Boream fuerat terminus Oceanus.
Australemque dabant Balearica littora finem,
Alpes & tectæ perpetuæ niuibus,
Et Francos Orientales, nec non Alamannos,
Ac Baioarios iam tenuere prius.
Fresones etiam, simul & rexere Thoringos,
Et regnum Caroli hoc habuere patres.

Pipino patre defuncto, cum fratre regebat
Id Carolomanno, sorte fruente sua.
Atq; simultates illum, rixasq; mouentem,
Hic semper multum pertulerat patiens.
Ut mirum multis fuerit, quòd viderit ira
Commotum causis nemo licet grauibus.
Annis sic geminis decesserat ille peractis,
Et regnum soli iure datur Carolo.
Quod primo victis Aquitanis gentibus auxit,
Uvasconumque simul subiiciens populum.
Et iuga cuncta Pyrenæi superauit, Hibetum
Donec ad fluuium tenderet imperium.
Italicasq; dehinc regiones subdidit omnes
Dicere quas certo quis valeat numero?
In longum decies centenis millibus, atque
Amplius, vt fertur, tenditur Italia.
Tum, quibus est ex non modica Germania parte
Subdita, Saxones addidit imperio:
Pannonias etiam victor subiecit vtrasque
Is, cum vicinis vrbibus innumeris.
Arua Liburnorum, vel quæ vocitantur ab Histro,
Nec non Dalmatiam subdidit & Daciam.
Sclauorum populos censum sibi soluere fecit
Plures, quàm quisquam dinumerare queat.
Gesserit ista quibus bellis, signando priores
Quattuor annales iam retulêre libri.

NUnc studium, mores, vsusque domesticus, eius
Corporis & habitus, quæ fuerint, referam.
Quæ quicunque sciet, iam non mirabitur, illi
Cur sic contigerint omnia læta foris.
Nam quod scire decet homines, meminisseque cunctos,
Hic quoq; lectorem commoneam breviter.
Audiat hoc omnis rector, vel præmia gestis
Pro laudabilibus quisquis habere cupit.
Interius radix operum latet exteriorum,
Mens moresque viri facta palàm generant.

Qui solet esse domi constans prudensque decenter,
Perficit is crebrò facta decora foris.
Intra se vitiis dominans, rationeq; pollens,
Exteriora sibi nulla nocere sinit.
Fortiter in cunctis facienti seu patienti
Pro meritis animi gloria proueniet.
At cui mens torpet, mores neque corrigit in se,
Illum iure manet dedecus exterius.
Sic regnum terret cunctos extrinsecus hostes,
In se quod pacem iusticiamque tenet.
At contrà si quod scelus & discordia fœdat,
Raptores auidos clade sua faciet.
Ergo domi Carolum, rationis iura secutum,
Est comitata foris gloria magna satis.
Assuescens potuit virtutibus exuperare,
Ferreque consilio cuncta pericla sua.
Et quia iusticia pacatum reddidit intus,
Externis regnum cladibus eripuit.
Artibus ipse quidem cunctis instructus honestis.
Harum doctores magnificè coluit.
A sene Leuita quodam cognomine Petro
Curauit primò discere Grammaticam.
Artis Rhetoricæ, seu cui Dialectica nomen,
Sumsit ab Alquini dogmate notitiam.
Hic etiam Leuita gradu, multumq; peritus,
Ex Anglis veniens Saxo fuit genere.
A quo præcipuè studuit totam rationem,
Et legem cursus noscere syderei.
In causis iudex iustissimus, audiit ipsas
Sæpius, & finem litibus imposuit.
In sermone satis dulcis, facundus, abundans,
Nec patrio tantùm claruit eloquio,
Sed solitus lingua sæpe est orare Latina.
Nec Græcæ prorsus nescius extiterat.
Intellexit eam melius, quàm proprietates
Illius posset voce sonare sua.
Legerat assiduè scripturæ dicta sacratæ,
Quosque libros sancti composuere patres.
Quos Augustinus cœli de ciuibus almis
Scripsit, amanter eos crebrius audierat.
Scribere tentabat: nam circumferre solebat
Secum cum paruis codicibus tabulas.

Ac

Ac ponens ipsas ad ceruicalia lecti
Regalis, nunquam fecit abesse sibi.
Inter tot curas, tantique negocia regni,
Rex exercuerat his animum studiis.
Cuius vt ingenium multum resplenduit acre,
Sic omnis motus optima temperies.
Non vnquam nimium lætus, non valde remissus,
Non multum tristis atque seuerus erat.
Non lenis hominum vitiis, non turbidus ira,
Plectebat iusta cum ratione reos.
Quod terrore magis fieri, quàm morte volebat,
Ni cùm dira rei cogeret impietas.
O qualis probitas, quàm constantissimus ordo
In cunctis eius moribus enituit!
Fortis in aduersis rebus, cautusque secundis,
Perpetuæ renuit sobrietatis iter.
Tantùm cùm natos sibi, Pipinum Carolumque,
Mors auferret ob hoc ipse nimis doluit.
Nec non Rhuotrudis, reliquis quæ filia natu
Maior erat, flevit valde gemens obitum.
Hanc & Græcorum luxerunt ditia regna,
Quòd non hac tali digna forent domina.
Sponsa fuit Constantini nam, sceptra regentis
Illius semper nobilis imperii.
Inclyta Constantinopolis de germine nostri
Optabat Caroli nobilior fieri.
Tantùm contigerant hæc infortunia Regi,
In his quæ genuit pignora clara satis.
Tum concertabat constantia cum pietate,
In Carolo virtus vtraque non modica.
Hæc casus omnes iussit tolerare decenter,
Illaque dilectæ commonuit sobolis.
Ista magnanimus fulsit virtute, sed illa
Non minus ardebat plenus amore pio.
Quocirca vicit pietas in morte suorum,
Et regem largas compulit ad lacrymas.
Nec non Romani mortem sibi fleuit amici
Pontificis, nomen huic Adrianus erat.
Nam veluti in reliquis rebus, sic optimus eius
Laudatur meritò mos in amicitiis.
Admittebat eas cautè, sed firmiter immo
Ex se seruauit fœdere perpetuo.
Unde decus regni factis & nomen amicis
Auxerat externis Regibus & populis.
Ex quibus vnus erat Hadefonsus nomine dictus,
Qui Rex Asturiæ Galliciæque fuit.
Qui dum legatos & munera mitteret illi,
Mandabat dici se proprium Caroli.
Scottorum reges ipsum Dominum vocitabant,
Ac se subiectos ipsius & famulos.
Hoc apices ab eis missi testantur ad illum,
Quorum claret amor maximus alloquio.
Persarum Princeps illi deuinctus amore
Præcipuo fuerat, nomen habens Aaron.
Gratia cui Caroli præ cunctis Regibus, atque
Illo principibus tempore cara fuit.
Augustus cum Græcorum, poscentibus vltrò
Dignatus pactum pacis inire fuit.
Unde suos ad eum legatos mittere crebrò
Curauére Leo, Nicephorus, Michael.
Transgredimur metas, dum designamus amicos,
Monstrandus magis est ipse stylo Carolus.
Hic se venatu nec non equitando frequenter,
Fecerat ignarum desidiæ penitus.
Vix illi glacialis hyems auferre valebat
Usus castrenses, gestaque militiæ.
Præterea solitus fuit exercere venatum,
Qua tunc arte magis nemo peritus erat.
Et naturali fontes feruore calentes
Illi præstabant grata lauacra nimis.
Unde locum sedis sibimet delegit Aquensis,
Plurima quo manat copia talis aquæ.
Balnea qua multo condens iucunda decore,
Annis extremis mansit ibi iugiter.
Ac secum fecit natos proceresque lauari,
Quodq; sui custos corporis agmen erat.
Eiusdem nam commoditas speciosa lauacri
Centenos homines pluſq; valet capere.
Corbore robusto fuit ipse decenter & amplo,
Incessu firmus, viuidus atque agilis.
Egregiè procerus, & hoc moderamine iusto,
Septem namq; suis longus erat pedibus.

Ipſe rotundus apex capitis, & obeſa
Naris plus paulo quàm mediocris erat.
Latè fulgentes oculi, facies quoque læta,
Et vox clara ſatis, pulcraque canities.
Uſus veſtitu patrio, ſemper peregrinum
Reſpuerat, quamuis pulcer & ipſe foret.
Bis tantùm Romæ, ſummis rogantibus ipſum
Præſulibus, longa vſus erat tunica.
Tunc etiam clamydis ſpecioſæ ſumſit amictum,
Moreq; Romano tegmina facta pedum.
Regalis habitus tantum geſtabat honorem,
Cùm celebraretur valde ſacrata dies.
Aut quoties aderant miſſi mandata ferentes
Ex longè poſitis gentibus & ducibus.
Tunc auro textam nectebat fibula veſtem,
Aurea comebat gemma pedes varia.
Diſtinctum viridi geſſit diadema ſmaragdo
Stellatus radiis Iaſpidis enſis erat.
Diſtabatq; parum reliquis in veſte diebus
A ſolito procerum, vel populi habitu.
Felici ſemper valetudine lætus ad annos
Supremos vitæ penè ſuæ fuerat,
Nam ſeruauit eam victu ſumens moderato,
Solum quod ſenſit eſſe ſalubre ſibi.
Si tamen aduerſum leuiter quicquam pateretur,
Quod iam creſcenti contigerat ſenio,
Non admittebat medicos, ſibi nempe peroſos,
Plus arbitratu cuncta ſuo faciens.
Cum reliquis intus ſpecialiter oderat illud,
Quo vertunt mentis pocula multa ſtatum.
Hinc vinum parcè potum quoque ſumſerat omnem,
Atque cibis paulo ægrius abſtinuit.
Nam vix ferre ſuum poterat ieiunia corpus,
Quæ ſibi nonnunquam noxia queſtus erat.
Cum numero ſolitus hominum conuiuia grandi,
Sed tantùm feſtis præcipuis, agere.
Porro quaterna iugem præbebant fercula cœnam,
Præter venantum quæ labor attulerat,
Aſſam qui verubus longis inferre ſolebant,
Illi gratus erat plus aliis cibus hic.
Cœnanti lector recitans non defuit vnquam,
Perque vices aliquod audiit acroama.
Res antiquorum geſtas, Regumque priorum,
Ipſe legi ſibimet fecerat aſſiduè.
Indulgere parum ſomno permiſerat illum
Mens ſemper magnis dedita conſiliis.
Et res magnificas iugiter meditatio volvens,
Reddiderat curis multimodis vigilem.
Ob hoc nocte quater fertur vel ſæpius, omni
Somno depulſo, membra leuaſſe thoro.
O quantum curis reſpublica creuerat illis,
Quàm conſeruatum floruit imperium?
Nam benè præuidit, ne qua ratione pateret
In regnum variis hoſtibus introitus.
Gallica præſtruxit, nec non Germanica claſſe
Littora, quà fluuios ſuſcipit Oceanus.
Atque quod Europam pelagus ſeiungit ab aſtris,
Et dirimit terras gurgitibus medium,
Quà rapidos ex Gallorum regionibus amnes
Aut capit ex magnæ partibus Italiæ
Oſtia ſeu portus, poſitis ſtationibus, omnes
Fecit inacceſſos hoſtibus omnimodis.
Hinc nec eo Mauri quicquam viuente mouebant,
Nec Nortmannorum tunc metus vllus erat.
Ni Centumcellæ (ſic vrbs Hetruſca vocatur)
Quod tunc à Mauris depopulata fuit.
Et quod Northmannis vaſtantibus, inſula quædam
Paruula Freſonum damna tulit grauia.
Væ tibi, væ talì modò defenſore carenti
Francia, quàm variis cladibus opprimeris,
Gentibus ecce pates populantibus vndiq; ſæuis
Et quondam felix nunc nimis es miſera.
Quippe tuis hilares exultant fletibus hoſtes,
Ditanturque tuis aſſiduè ſpoliis,

Millia

Millia cæsorum captiuaq; turba tuorum
Amplior est numero, quàm sit arena maris.
Nam Carolo moriente, tuum decus & honor omnis
Ex illo sensim fugit & interiit.
Nunc tamen Arnulfo merito sub Principe gaudes,
Qui similis tanto moribus est abauo.
Denique magnanimus, clemens, promtusque, labore
Peruigili lapsum corrigit Imperium.
Francorumque mouet veteri virtute lacertos,
Atq; vocat resides rursus in arma viros.
Sed moles immensa, diu quæ corruit antè,
Non restaurari se subitò patitur.
Illi det vitam, qui virtutem dedit amplam,
Et magnæ nobis causa salutis erit.
Vos quæ de Carolo restant dicenda, Camenæ,
Strictim veloci carmine concinite.
Cùm fuerit regno tam clarus in amplificando,
Intentus bellis continuis animo,
Ornatus operum varios tamen, & decus ingens
Fecerat, & visu mœnia pulcra nimis.
Ex quibus inprimis meritò laudatur Aquensis
Sedis mirificè condita Basilica.
Quam pie Christe tibi, sanctæque tuæ Genetrici,
Ad laudem studuit perpetuam facere.
Ingelenhem dictus locus est, vbi condidit aulam,
Ætas cui vidit nostra parem minimè.
Quorum multiplicem si quis describere laudem
Curabit, longum texet opus nimium.
Ad quæ marmoreas præstabat Roma columnas,
Quasdam præcipuas pulcra Rauenna dedit.
De tam longinqua potuit regione potestas
Illius ornatum Francia ferre tibi.
Præterea Rheni constrauit ponte fluenta,
Commoda dans vrbi tanta Moguntiacæ.
Est ibidem latus quingentis passibus amnis,
Ut pondus tanti scire queas operis.
Quodque magis stupeas, firmauerat ordine recto
Colles ingentes fluctibus in mediis.
Supposuit basibus hæc fundamenta locandis,
Et supra celsam struxerat inde viam.
Hoc opus extremis illius penè sub annis
Consumsit subitò flamma vorax penitus.
Quod reparare volens, fieret quo saxeus illic
Pons, vbi constructus ligneus antè fuit,
Prô dolor est obitu præuentus, opusque remansit
Hoc imperfectum, sic quoque semper erit.
Virtutis monumenta manent tamen eius in æuum,
In vastis stantes gurgitibus tumuli.
Congestæ saxis etenim tellureque moles
Patent elatis flumine verticibus.
Aggeribusque pari spatio distantibus ordo
Metitur lati terga decens pelagi.
Condidit & domino perplurima templa dicanda,
Exornans eadem sumptibus ex propriis.
Neglectu dilapsa prius, vel tempore longo,
In regno reparans cuncta suo nouiter.
Relligionis enim sanctæ studiosus amator,
Sectatorque fuit Catholicæ fidei.
Tempore namque suo hæreses extinxerat ortas,
Quod iam præmissis diximus antè libris.
Ecclesiam certis intrauerat impiger horis,
Fundens deuotas nocte dieque preces.
Eius & omne ministerium cum vestibus, atque
Vasis, ornatu composuit nimio.
Verus quippe Dei cultor, præponere sancto
Eius nil vnquam seruitio voluit
Nam regnum terrestre tenens, cœlestis amore
Plus multo flagrans extitit & cupidus.
Quod sibi, præ cunctis clemens, & largus egenis,
Curauit donis assiduis emere.
Nemo peregrinos illo plus fertur amasse,
Nemo pari cura suscipiebat eos.
In quo penè modum pietas excesserat eius,
Si quid in hoc nimium quisque potest facere.

Cùm

Cùm non regali ſolùm foret aduena turba
Aulæ, ſed toto iam grauis Imperio,
Ipſe pius compenſabat diſpendia rerum,
Mercedis læto perpetis intuitu.
Hac inuitati fama cùm partibus orbis
De cunctis ad eum confluerent inopes,
Non tamen in proprio ſatis exercere putabat
Regno gratuitæ largitionis opus,
Sed per legatos mittebat ad extera regna
Chriſticolis crebrò munera pauperibus.
Quos Ægyptus, Alexandrique ex nomine dicta
Urbs, inopes habuit, iuuit eos opibus.
Africa munificum, Carthagoque ſenſerat illum,
Eſt experta ſatis largifluum Syria.
Ad Hieroſolymam, ſeu cætera quæ loca Chriſti
Geſtis corporeis ſacrificata manent,
Sæpius indiguis donanda fidelibus auri
Miſit & argenti pondera non modica.
Trans mare gentiles poſitos ſolùm ſibi Reges
Ad hoc firmata iunxit amicitia,
Quatenus illorum, qui ſub ditione fideles
Eſſent, perciperent inde refrigerium.
Præque locis ſanctis aliis, ſpecialiter eius
Menti Romanæ ſedis inhæſit amor.
Nam ſanctum venerans Petrum, qui clauiger extat
Cæli, quique Chori primus Apoſtolici,
Eius ad Eccleſiam donaria maxima ſæpe
Mittens, theſauros contulit innumeros.
Atque ſui magis in toto nil tempore regni
Curauit, maius non habuit ſtudium,
Quàm ſedes Romana ſuo munimine fulta,
Ut veteri pollens nobilitate foret.
Et tamen ipſe quater tantùm peruenerat illò,
Vota precesque pia ſoluere mente volens.
Ultimus aduentus hac cauſa contigit eius,
Quod turbatus erat tunc ſtatus Eccleſiæ,
Scilicet eiecto, ſimul & tormenta Leone
Præſule perpeſſo ciuibus à propriis.
Hoc quaſi naufragio ſuprema pericula paſſum,
Vexatumque loci ſeditione ſtatum,
Ad portum placidæ ſtatuit reuocare quietis,
Illic per totam penè manens hyemem.

Tunc ibidem culmen ſuſceperat Imperiale,
Ordine quo quarto diximus antè libro.
Quod tamen inuitus, Papa cogente, recepit,
Et multis populi Romulei precibus.
Qui ſi conſilium præſciſſet Præſulis antè,
Tunc ſe ſubtraheret prorſus ab Eccleſia.
Denique ſic multis coràm iurauerat ipſe,
Quamuis illa dies valde foret celebris.
Videris hoc illi tantum cur diſplicuiſſet,
Quod mos eſt aliis Regibus appetere.
Ipſe decem poſthæc & ternos circiter annos
Auguſto lætus vixit in Imperio.
In quibus antiquas leges correxit, in ipſis
Uniri mandans diſſona quæ fuerant.
Addidit his etiam nouiter quæ congrua duxit,
Pauca quidem numero valde ſed vtilia.
Cunctorumque ſui regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.
Nec non quæ veterum depromunt prælia Regum,
Barbara mandauit carmina litterulis.
Cœpit & ingenii totis cum viribus acris
In linguam propriam vertere Grammaticam
Ardua Philoſophis etiam res hæc foret, artem
Ad hanc ſermonem cogere barbaricum.
Talibus à ſtudiis non regni maxima cura,
Non ætas grauior, tum reuocauit eum.
Computus annalis fuerat notiſſimus illi,
Quem rimabatur mente ſatis vigili.
Sydereos ortus, curſus, obituſque notabat,
Nullus cum punctus Zodiaci latuit.
Et ventis bis ſex, totidem quoque mensibus ipſe
Francorum lingua nomina compoſuit.
Illi namque prius menſes dixere Latini,
Et partim linguæ nominibus propriæ.
Ventorum verò proferre vocabula tantùm
Nôrant eloquio quattuor antè ſuo.
Nonne vides, quantum ſudârit in artibus iſtis,
Prælia vix ab eo quælibet acta putes?
Rurſus ſi numeres eiuſdem bella, triumphos,
Armis tot regna ſubdita, tot populos,

Otia

Otia mireris, quando vel parua legendi,
Vel quod discendi contigerit spatium?
Cùm operis differs huius finire laborem,
Dum Caroli trepidas dicere, mens, obitum,
Sit licet hoc nobis mœstum, sit triste, sed ordo
Exigit, idque nihil nos reticere iuuat.
Quin potius dulces lachrymæ lugentibus esse,
Atque sui gemitus ipsa querela solet.
Ipsius vt regni Hludouicus filius hæres,
Et consors factus, patre iubente, fuit
(Namque hunc Augustum sumto diademate dici,
Vt regeret secum, iusserat imperium)
Ipse dehinc morbo pariter defessus & æuo,
Alterius vitæ tendit ad introitum.
Venatum tamen ex aula perrexit Aquensi,
Autumni lapso tempore iam medio.
Hinc in prædictam rediens se contulit aulam,
Disponens in eo tunc hyemare loco.
At mensis veniens Jani de nomine dictus,
Actibus hunc subitò febribus implicuit.
Abstinuitque cibis, statim sic pellere morbos,
Vel saltem leuius ferre suos solitus.
Sed dolor accedens lateris, iam tempus ad esse
Eius decessus fecerat haud dubium.
Cumque dies senos decumberet, inde secutus
Septimus huic vitæ vltimus extiterat.
In quo percepto venerando corpore Christi,
Adiungi meruit ciuibus æthereis.
In templo situs est ibidem, quod condidit ipse,
Quali cum luctu nemo referre valet.
Post octingentos Christi nascentis ab ortu
Hic annus quartus extitit & decimus.
Ipse die quinta decesserat ante Calendas
Mensis, quo Numa rex Februa constituit.
Multa propinquantis fuerant præsagia finis,
Atque rei tantæ congrua prodigia.
Denique defectus Solis Lunæq; frequenter
Annis continuis contigit ante tribus.
Septenis autem color est in Sole diebus
Visus, lucigenam comaculans faciem.
Porticus immensæ molis collapsa, repentè
Aulæ iam dictæ omne decus minuit.
Quemque decem Rheni pontem construxerat annis,
Horis consumsit flamma tribus penitus.
Nam nisi quæ labens fluuius subtraxerat igni.
Hastula nec saltem parua superfuerat.
Ipseque Danorum contra Regem Godefredum
Vltima disponens bella senex agere,
Ibat per patriam multo cum milite nostram,
Exiit & castris exoriente die.
Nam tum pallenti spargebat luce serenum
Aëra sol superis partibus appropians.
Cernitur à cunctis subitò delapsa ruisse
De cœlo species syderis igniuomi,
Vibratamque facem longo traxisse volatu,
Donec in læuam decidit ipsa plagam,
Hoc admirantem sonipes, quo vectus abibat,
Elisit casu præcipiti grauiter.
Denique regalis chlamydis hinc fibula rupta,
Disruptusque simul baltheus est gladii,
Excussumque manu telum, quod fortè gerebat,
Inuitus longum iecerat in spatium.
Præterea tremor hoc aulæ prædixit Aquensis,
Terrificans cunctos motibus insolitis.
Idque domus Regis crepitu laquearia crebro
Tactaque signabat fulmine Basilica,
In qua per gyrum lucens epigramma canebat,
Ædem quis tantam condiderit Domino.
Idcirco Carolus Princeps ibi commemoratus
Extremi versus in serie fuerat.
Sed quibus est scriptum, Princeps, mirabile dictu,
Sponte sua penitus dispereunt apices,
Deletique sui vestigia nulla relinquunt,
Mensibus haud multis ipsius ante obitum.

Quod quia vis quædam cunctis incognita fecit.
Tristitiam multis omen hoc intulerat.
Jure mori doluit signis exterritus orbis
Hunc, cui post similem non habiturus erat.
Sed nec in antiquis ducibus, seu Regibus, illo
Omnimodis quisquam clarior enituit.
Romani multis ducibus multisque sub annis,
Italiæ populos vix sibi subdiderant.
Unus hic in spatio perpauci temporis omnem
Subiecit victor, disposuit Dominus.
Adde tot Europæ populos, quos ipse subegit,
Quorum Romani nomina nescierant.
Ob hoc mirificos Caroli qui legeris actus,
Desine mirari historias veterum.
Non Decii, non Scipiadæ, non ipse Camillus,
Non Cato, non Cæsar maior eo fuerat.
Non Pompeius huic merito, vel gens Fabiorum
Præfertur, pariter mortua pro patria.
Terrea forsan iis fuerit par gloria, sed nunc
Cœlestis Carolus culmen honoris habet.
Illic Dauidicæ pollet virtutis honore,
Cum Constantino atque Theodosio.
Illic antiquum gaudet, quod vicerit hostem
Eripiens multos ipsius à laqueis,
Illic congaudent illi saluata per ipsum
Munere Christe tuo millia spirituum.
Quis numeret, quantas animas, dum credere fecit
Saxonum populos, reddiderit Domino?
Quot nunc Ecclesiæ fulgent, vbi fana colebant
Antiqui, quot sunt structa monasteria?
Quot laudes in eis, vel quot tibi vota fideles
Reddunt, tot Carolo præmia, Christe, dabis
Judiciique dies cùm venerit vltima magni,
Qua reddes omni quod meruit homini.
O quam lætus erit, sibimet commissa lenta
Præsentans grandi multiplicata lucro?
Nullus Apostolicis tunc iure propinquior illo,
Ut res ipsa docet, cœtibus esse valet.
Nam cùm Judaico præcesserit agmine Petrus
Stipatus, cuius dogmate crediderat:
Paulus totius, licet si dicere, mundi
Gentes saluatas duxerit ore suo:
Andreas populos post se producet Achivos,
Joannes Asiæ proferet Ecclesias:
Mattheus Æthiopes, niueos baptismate factos,
Indorum Thomas ducet ad astra greges:
Tum Carolum gaudens Saxonum turma sequetur,
Illi perpetuæ gloria lætitiæ.
O vtinam vel cunctorum sequar vltimus horum,
Qui nostri salui de populo fuerint!
O si Christe velis hædum transferre sinistrum,
Me pius vt dextris consocies ouibus.
Quo non mortalis psallam tibi carminis odas,
Sed laudem valeam dicere perpetuam.
Amen.

KAROLI MAGNI
FRANCORVM
REGIS ET IMP.

Vita descripta, vt videtur, magna parte à monacho coenobii Egolismensis S. Eparchii ex Annalibus illis plebeio & rustico sermone compositis, quos & Reghino Abbas Brumiensis ad annum DCCCXIIII. sequutum se ait, nonnullis interpolatis, quibusdam etiam additis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A PRIMO Rege Francorum dicemus proſapiam Domini præcelſi Regis Magni Caroli, quem Deus amavit & exaltauit, & magnum principem & amabilem cuncto populo Chriſtiano per vniuerſum mundum fecit. Igitur tempore Valentiniani Imp. qui ſeptimus Auguſtus fuit à Conſtantino Magno diuo Auguſto quem ſanctus Papa Silueſter baptizauit, quo tempore ſanctus Hieronymus claruit, Franci adhuc pagani primum Reges habere cœperunt de ſemetipſis. Primus itaque Rex Francorum fuit nomine Faramundus filius Marcomiris eiuſdem gentis illuſtris viri. Poſt Faramundum regnauit Clodio filius eius. Poſt Clodionem regnauit Meroueus filius eius. Poſt Meroueum regnauit Childericus filius eius. Quo tempore exortus eſt beatus Eparchius ex ciuitate Petrocoria patre Felice Aureolo Comite eiuſdem ciuitatis. Poſt Childericum regnauit Clodoueus filius eius, qui primus de Regibus Francorum credidit in Chriſtum, & baptizatus eſt à Sancto Remigio Epiſcopo cum omni exercitu ſuo & vniuerſo populo Francorum. Poſt Clodoueum regnauit Childebertus filius eius cum tribus fratribus ſuis Theodorico, Clodomero & Clotario: quo tempore ſanctus Eparchius in Egoliſma virtutibus claruit, &, ipſo Childeberto regnante, poſt ſeptuageſimum annum ætatis ſuæ in pace ad Dominum migrauit. Eo tempore Anaſtaſius Imperator Auguſtus Imperii infulas tenebat. Quo tempore regnauit cum Childeberto Theodebertus nepos eius filius Theoderici, & claruerunt ſanctus Gregorius Papa primus, & Gregorius Epiſcopus Turonenſis, & ſanctus Aredius Abbas, & Nicetius Epiſcopus Lugdunenſis. Poſt Childebertum regnauit Clotharius frater eius qui ſanctam Radegundem in matrimonio habuit. Poſt Clotharium regnauit Chilpericus filius eius cum tribus fratribus ſuis Cariberto, Guntranno, & Sigeberto qui habuit Brunichildem in matrimonio. Poſt Chilpericum regnauit Clotarius filius eius. Clotarius iſte genuit Dagobertum & filiam nomine Blitildem, de qua Blitilde fuit generatio domni Caroli. Nam iſta Blitildis ſoror Dagoberti regis habuit virum in coniugio nobilem inter Francos nomine Ansbertum, de quo genuit filium nomine * Arnaldum. Arnaldus genuit Arnulfum, qui poſtea derelicto ſeculo factus Epiſcopus Metis ciuitatis. Arnulfus antequam eſſet clericus habuit vxorem nomine Beggam, filiam Pippini maioris domus, & genuit ex ea * Anſegiſilum. Anſegiſilus genuit Pippinum vetulum breuem, qui fuit abauus domni Caroli Regis. Pippinus vetulus Dux Francorum genuit Carolum ſeniorem & Ducem cognomento Martellum. Carolus Martellus genuit Pippinum pium qui de illa linea generationis eleuatus eſt primus à Francis in regem. euacuata omnino linea de genere Faramundi. Pipinus Rex genuit domnum regem Auguſtum Imperatorem Carolum. Domnus Carolus genuit domnum Ludouicum Imperatorem. Ludouicus genuit Carolum caluum ex Judith regina. Sed reuertar ad ordinem regum. Poſt Clotarium regnauit Dagobertus filius eius, quo tempore ſanctus Elegius Epiſcopus claruit. Cui Dagoberto fuit Pipinus maior domus vir egregius, cuius Pipini filiam nomine Beggam accepit in vxorem Arnulfus vir nobiliſſimus pater Anſegiſili. Poſt Dagobertum regnauit Clodoueus filius eius qui habuit ſanctam Baltildem in matrimonio, quo tempore ſancti Benedicti corpus translatum eſt de Beneuento in Franciam, in villa Floriaco. Poſt Clodoueum regnauit Clotarius filius eius. Poſt Clotarium regnauit Theodoricus frater eius, cui Ebroinus fuit maior domus, & Leodegarius ſanctus

* al. Buotgiſum

* al. Anſgiſum vel, Anſgiſum

Episcopus claruit, quem interemit ipse Ebroinus. Quo tempore Pipinus vetulus fuit maior domus in Austrasiis cum Regibus Childerico & Childeberto iuniore. Qui Pipinus consensit nobilibus Francis interficere Ebroinum: Et ipse Pipinus propter vis Childericum regem Austrasiorum à Francis occisum, prælium fecit cum Theuderico rege Francorum, & deuicit eum, & cum eo postea concordans, maior domus extitit in Francia, & bella multa contra Sueuos & alias gentes fortiter fecit; & ipse Pipinus breuis de vxore sua * Calpiade genuit Carolum Martellum. Post Theudericum verò regem regnauit Clodoueus filius eius. Post Clodoueum regnauit Childebertus iunior frater eius. Post Dagobertum defecit genus regale à prudentia, & regnauit post ipsum Dagobertum Daniel clericus insensatus frater eius, quem Franci, mutato nomine, vocauerunt Chilpericum. Chilpericus ille ineptus mouit exercitum contra Carolum Martellum, qui tunc iuuenis erat in Austrasiis maior domus & dux cum Clotario rege, & victus est in bello Chilpericus & victor extitit Carolus Martellus. Tunc Eudo dux Aquitanorum in auxilium Chilperici insensati mouit exercitum contra Carolum Martellum, & victus est ab eo in prælio, cœpitque Carolus Martellus inimicum suum Chilpericum regem insensatum, sed immemor malitiæ suæ reddiditei regnum suum. Post Chilpericum Regem insensatum regnauit solo nomine, Theudoricus insensatus consanguineus eius. Post Theudoricum regnauit solo nomine Childericus insensatus, frater eius, & defecit totum genus regale. Childerico insensato deposito de solio, & facto clerico in monasterio, Franci cum consilio domni Papæ Zachariæ & nobilium Romanorum, Deo volente, vno consensu & vna voluntate eleuauerunt sibi in Regem Pipinum pium filium Caroli Martelli. Hic Pipinus pius fuit pater domni Caroli Imperatoris Magni. Itaque post Pipinum pium regnauit domnus Carolus filius eius, quem postea Romani elegerunt sibi Aduocatum sancti Petri contra Reges Langobardorum. Deinde ipsum domnum Carolum elegerunt sibi in Patricium Romanorum. Deinde eleuauerunt in Imperatorem & Augustum. Tenuitque dominus Carolus, Deo largiente, in potestate sua omnem terram de monte Gargano vsque in Cordubam ciuitatem Hispaniæ. Pipinus vero pius pater domini Caroli, postquam eleuatus est in regem, regnauit septem annos, & obiit septingentesimo sexagesimo octauo anno ab Incarnatione Domini: & ipso anno omnes Franci magno gaudio exultantes eleuauerunt sibi in regem Dominum Carolum Magnum magno ab Incarnatione Domini DCCLXVIII. Sic enim computantur anni ab origine mundi vsque ad incarnationem Domini secundum LXX. interpretes. Ab Adam vsque ad diluuium fuerunt anni duo millia ducenti XLII. A diluuio vsque ad Abraham anni nongenti XLII. Ab Abraham vsque ad Moïsem anni quingenti quique. A Moïse vsque Salomonem anni quadringenti LXXXVIIII. A Salomone usque ad restaurationem templi sub Dario Rege Persarum, anni quingenti XII. A restauratione templi vsque ad aduentum Domini, anni quingenti XLVIII. Et ab initio mundi vsque ad Incarnationem domini secundum LXX interpretes sunt anni quinque millia CC. Secundum veritatem Hebraicam ita computantur. Ab Adam vsque ad Noe fuit prima ætas, & habuit annos mille & sexcentos & XVI. Secunda ætas à Noe vsque ad Abraham habuit annos ducentos XCII. Tertia ætas de Abraham vsque ad Dauid habuit annos nongentos XLII. Et simul iuncti anni trium ætatum fiunt duo millia octingenti vndecim. Quarta ætas à Dauid vsque ad captiuitatem in Babilone, habuit annos quadringentos LXXIII. Quinta ætas à destructione templi vsque ad aduentum Domini, habuit annos quingentos LXX. Et fiunt simul ab Adam vsque ad Christum Dominum anni tria mil. nongenti LI. A natiuitate Domini vsque ad transitum sancti Martini sunt anni quadringenti XLV. A transitu sancti Martini vsque ad transitum Clodouei Regis Francorum, qui primus fuit Christianus de Regibus Francorum, sunt anni CXII. A transitu sancti Martini vsque ad transitum sancti Eparchii Egolismensis patroni sunt anni

* Alpaide.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

centum viginti. Natus est enim sanctus Eparchius tempore Merouei Francorum regis pagani, qui fuit auus Clodouei Regis Francorum primi Christiani, tempore Theodosii iunioris Diui Augusti Imperatoris. Vixit per tempora Theodosii, Martiani, Leonis, Zenonis, Anastasii & Justiniani Imperatorum, & per tempora Regum Francorum, Merouchi, Childerici, Clodouei & Childeberti. Obiit tempore Justiniani Imperatoris, & Childeberti Regis Francorum, octogesimo anno ætatis suæ. A Natiuitate Christi vsque ad primum annum regni Domini Caroli sunt anni septingenti sexaginta octo.

Anno igitur ab incarnatione Domini DCCLXVIII. Ipso anno, quo Pipinus pius obiit, duo filii eius Domnus Carolus & Carlomannus eleuati sunt in regnum vno die simul, id est VII. Idus Octobris, Domnus quidem Carolus in Nouiomo; Carlomannus Suessionis ciuitate. Et celebrauit eo anno glorioſus domnus Rex Carolus natale domni in Aquis villa, & Pascha in Rodomo ciuitate. Tunc domnus Carolus glorioſus Rex perrexit in Aquitaniam. Waldus voluit rebellare per totam Wasconiam & Aquitaniam, & cum paucis Francis dissipatum est iniquum cõsilium eius. Et in ipso itinere iunxit se Magnus Rex Carolus germano suo Carlomanno in loco qui dicitur Duasdiues. Inde Carlomannus reuersus est in Franciam, & domnus Carolus benignissimus Rex iuit ad * Egolismam ciuitatem; & inde sumpsit plures Francos, qui ciuitatem ei ipsam aspiciebant cum omnibus vtensilibus & præparamentis eorum, simulq; Launum Episcopum eiusden ciuitatis, qui fuerat Capellanus domni Pipini regis patris sui, quem ipse Rex Pipinus Episcopum fecerat de ipsa ciuitate. Et abiit super flumen Dornoniam, & ædificauit ibi castrum quod dicitur Fronciacus: & inde misit exercitum suum, qui persequerentur Waldum ducem. Et duxit eos Lupus Wasco princeps, sicut sciebat locos: captusque est Waldus & vxor eius, & adductus est ad domnum Carolum. Domnus Carolus recepto Waldo & præparato castro Fronciaco rediit ad Egolismam, vbi postulante Launo Episcopo fecit in monasterio sancti Eparchij auctoritatem præcepti de terris, quæ ibi fiũt contentione erant, id est, super fluuium Tolneram, Magmacum, Iuuenacum, Vasnacum, Monterionem, Visacum, Roliacum super fluuium Notram, Baudidanem villam, Camilon, Cauannarum, Vlciacum, Roliacum minorem, Torciacum, Sertis Tomolatum super fluuium Dornoniam, montem villam, Baciacum, Triacum, Marletum. Quod præceptum Bartholomæus cancellarius eius scripsit, & ipse domnus Rex manu sua firmauit, & de anulo suo sigillauit. Erat eo tempore in ipso monasterio sancti Eparchij canonicalis habitus. Inde glorioſus Rex Carolus reuersus est in Franciam, & celebrauit natale domini in villa, quę dicitur Duria, & Pascha in Leodico vico publico. Deinde habuit Synodum in Warmaciam ciuitatem, & Carlomannus & Berta Regina iunxerunt se in loco Polassa. Et Berta Regina perrexit per Baioariam in partes italiæ, & celebrauit domnus Carolus Natale & Pasca in Warmatia. Tunc domnus Carolus Rex Synodum habuit ad Valentianas, & ipso anno Carlomannus Rex frater eius defunctus est in villa Salmontiaco. Et domnus Rex Carolus venit ad Carbonacum villam, ibique venerunt ad eum Wailerius Archiepiscopus & Folradus Capellanus cum aliis Episcopis ac Sacerdotibus, Warinus & Adalardus comites cum aliis primatibus Carlomanni. Vxor verò Carlomanni cum paucis Francis in partes Italiæ perrexit, & præclarus ac glorioſus Rex Carolus celebrauit Natale in villa Attiniaco, & pasca in Aristallio villa. Deinde Synodum tenuit ad Warmatiam, & inde perrexit Saxoniam, & Eresburgum castrum cepit, perueniitq; vsque ad Ermensul, & ipsum fanum destruxit, & aurum & argentum, quod ibi reperit, abstulit: Fuitque siccitas magna ita vt aqua deficeret in supradicto loco, vbi Ermensul stabat. Et dum vellet ibi stare tres dies glorioſus Rex ad destruendum fanum ipsum, & valde homines & iumenta sitirent, subita Christi gratia, media die cuncto exercitu quiescente, apparuit eis torrens ebulliens salubres aquas, & cunctus exercitus & iumenta eorum sufficienter recreati sunt: & tandiu ebulliit aqua viua, donec

* al. Ecolesmam

donec fanum destructum est. Tunc magnus rex Carolus super fluuium Wisoram veniens, ibi habuit placitum cum Saxonibus, & receptis obsidibus XII. reuersus est in Franciam, & celebrauit Pascha & natale domni in Aristallio. Inde perrexit ad hiemandum in Teodonis-villa. Ibi venit ad eum missus domni Apostolici Adriani Petrus per mare vsque Arelatum, & inde per terram, & inuitauit gloriosum regem & Francos eius pro diuino seruitio & iustitia sancti Petri contra Desiderium regem & Longobardos. Et ideo maritime venit, quod Romanis clausæ fuerant viæ à Longobardis. Et præcelsus Rex Carolus sumpto consilio vna cum Francis quid ageret, promisit se auxilium Romanis præbiturum. Tenuitque cum Francis generaliter Synodum in Genua ciuitate: ibique exercitum diuidens, perrexit ipse per montem

al. Cenisium * Cesusium, misitque Beroardum auunculum suum per montem Iouem cum aliis eius fidelibus, & tunc ambo exercitus ad clusas se coniunxerunt. At Desiderius Rex obuiam venit domno Carolo Regi. Domnus verò Carolus vna cum Francis castrametatus est ad easdem clusas, misitque scaram suam per montana. Hoc sentiens Desiderius clusas reliquit, & domnus Rex Carolus vna cum Francis, auxiliante Domino & intercedente beato Petro, sine læsione vel aliqua conturbatione clusis apertis Italiam intrauit, & Papiam vsque peruenit: Et dum pro defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ ibi intenderet, dimissa Marca, & contra Saxones nulla fœderatione suscepta, ipsi Saxones cum magno exercitu exierunt super confinia Francorum, peruenerunt q; ad castrum quod dicitur Buriaburg. Confiniales verò de hac causa solliciti, castellũ ingrediuntur & defendunt. Gens autem Saxonum cum sæuiret deforis, & incendio cuncta cremarent, venerunt ad quandam basilicam in loco, qui dicitur Friedislar, quem sanctæ memoriæ Bonefacius martyr consecrauerat, & per spiritũ prophetiæ prædixerat, quod nunquam incendio cremaretur. Et cœperunt Saxones cum nimia intentione aduersus eandem certare basilicam, quemadmodum eam quolibet ingenio igne cremare potuissent. Dum hæc agerentur aparuerunt quibusdam Christianis qui erant in castello, similiter & quibusdã paganis, qui in ipso aderant exercitu, duo iuuenes in albis, qui ipsam basilicam ab igne protegebant. Et propterea ibidem non potuerunt neq; interius neq; exterius ignem accendere, nec aliquod damnum inferre basilicæ, sed nutu diuinæ maiestatis pauore perterriti, in fugam conuersi sunt, nemine persequente. Inuentus est autem postea vnus ex iisdem Saxonibus mortuus iuxta ipsam basilicã genibus curuis adeliuus supra pedes, habens ignem & ligna in manibus velut ore flando eandem basilicam igni tradere voluisset. Domnus vero Carolus Rex obsessa Papia Desiderium Regem ibi inclusit, & ibi Natale Domini celebrauit, & Pascha Romæ. Reuersus verò domnus Carolus Rex à Roma iterum Papiam obsedit, & fortiter cœpit, & Desiderium Regem cum vxore & filia, & cum omnibus thesauris palatij eius accepit. Veneruntq; ibi omnes Longobardi de cunctis ciuitatibus Italiæ, & subdiderunt se dominio gloriosi Regis Caroli. Adalgisus verò filius Desiderij regis fuga lapsus, mare introiuit, & Constantinopolim perrexit. Gloriosus itaque domnus Rex Carolus Italia subiugata, custodia Francorum in Papia relicta, magno triumpho, Deo adiuuante, cum vxore sua & reliquis Francis reuersus est in Franciam. Peruenienſque in locum qui dicitur Ingilheim, misit quatuor scaras in Saxoniam; Quæ inierunt tres pugnas cum Saxonibus, &, auxiliante Domino, victores extiterunt, & cum præda magna illæsi iterum reuertuntur ad propria. Et celebrauit gloriosus Rex Carolus natale & Pascha in villa Carisiaco. Tunc habuit Synodum in villa Duria, & inde abiens ad partes Saxoniæ, Sigisburgum cepit castrum, & Eresburgum reædificauit super Wisoram fluuium. Venitque ad locum qui dicitur * Brunisgurgo, &

Brunisberg ibi præparabant Saxones bellum, volentes defendere ripam supradicti fluminis. Francis vero præliantibus, auxiliante Domino, Saxones fugiunt & Franci ambas ripas obtinent. Et Domnus Rex Carolus diuiso exercitu suo sumpsit secum quos voluit, & perrexit vsque Obaccrum fluuium, ibique omnes Austrelendi Saxonum cum Assione duce venientes dederunt obsides iuxta quod placuit, & iurauerunt sacramenta, se

ta, se fideles esse partibus domni Regis Caroli. Inde reuertente domno mitissimo Rege Carolo, venerunt Angarij in pago Bocenci, vna cum Brunone & reliquis optimatibus eorum, & dederunt ei obsides. Inde reuertens inuenit aliam partem de suo exercitu super fluuium Wisoram continentem ripam quam iussi fuerant. Saxones vero cum eis pugnam fecerant in loco qui dicitur Litca, & Franci, Deo volente, habuerunt victoriam, & plures de Saxonibus occiderunt. Quo audito dominus Rex Carolus iterum irruit super Saxones, & magnam stragem ex eis fecit, & prædam multam conquisiuit super Westfalos: & obsides ei dederunt sicut & alii Saxones. Et obsidibus receptis, & multa præda acquisita, & tertio facta strage Saxonum, domnus Rex Carolus ad propria reuersus est. Rotgaudus verò dux Langobardorum fraudauit fidem suam, & omnia sacramenta rumpens, volebat Italiam rebellare. Abiens vero domnus Rex Carolus in Italiam, celebrauit Natale Domini in villa Scladistad, & Italiam ingressus venit in partes Foroiulienſium, & Rotgaudum ducem occidit, & in Tarauisium ciuitatem Pascha celebrauit. Et Foroiulio & Tarusio captis cum reliquis ciuitatibus quæ rebellauerunt, misit in eis Francos, & cum prosperitate reuersus est Franciam. Saxones iterum rebellauerunt ruptis sacramentis & obsidibus dultgtis mentitis, & Eresburgum castrum per mala ingenia & iniqua placita capientes Francos expulerunt, & castrum destruxerunt. Similiter voluerunt facere de Sigisburgo castello. Sed dum per placita Francos qui intus erant non potuissent illudere, sicut fecerant alios de Eresburgo, prepararuerunt pugnas & machinas vt castrum vi caperent, deoq; volente Petrarias quas parauerunt, in suo plus damno senserunt quam illi de castello. Item præparauerunt clitas ad debellandum per virtutem castrum, sed Dei virtus superauit illorum virtutē. Quadam autem die cum bellum præpararent aduersum Francos, qui ipsum castrum custodiebant; apparuit manifeste gladius super Ecclesiam quæ est infra ipsum castrum, videntibus cunctis tam à foris quam etiam deintus: Ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantium & agitantium super ipsam Ecclesiam. Cum hoc signū vidissent pagani qui a foris erant, statim confusi sunt: Et magno timore perterriti fugere cœperunt ad castra. Et omnis multitudo eorum fugam arripientes, alij ab aliis inuicem interficiebantur: Et qui retro respiciebant propter pauorem, ab antecedentibus lanceis confodiebantur, & diuersos ictus inter se perpessi sunt omnes & diuina vltione iudicati. Et quantum super eos Dei virtus propter salutem Christianorum operata est, nullus narrare potest. Et quanto plus illi pauore perterriti sunt, tantò magis Christiani confortati omnipotentem Deum laudabant, qui dignatus est ostendere potentiam suam super seruos suos. Ita Francis viriliter resistentibus, Saxones nihil præualuerunt, & Franci persecuti eos interfecerunt vsque ad flumen Lippiam, & cum victoria reversi sunt. Cum autem in Warmacia domnus Rex Carolus hæc audisset, tenuit ibi synodum & publicum placitum: & consilio habito, introiuit cum summa festinatione, Deo adiuuante, in Saxoniam. Et perterriti Saxones omnes ad locum vbi Lippia consurgit, venerunt ex omni parte, & domno Regi Carolo per Wadium manibus suis reddiderunt patriam, & spoponderunt se esse Christianos, & iterum subditi sunt ditioni domni Regis Caroli. Domnus autem Rex Carolus reædificauit Eresburgum castrum, & fecerunt aliud castrum super Lippiam, vbi venientes Saxones vna cum vxoribus & infatibus, innumerabilis multitudo, baptizati sunt in nomine Patris & filij & Spiritus sancti & obsides dederunt domno Regi Carolo sicut voluit. Disponensque domnus Rex Francos per castella Saxoniæ, reuersus est in Franciam, & celebrauit Natale domini in Aristallio & Pascha in Niumaga. Anno sequenti domnus Rex Carolus publicam synodum habuit ad Paderbrunen. Ibi conuenerunt omnes Francі & omnes Saxones, excepto quod Widochindus rebellis extitit, & cum paucis aliis sociis suis in Normandiam confugit. Ad idem placitum venerunt Sarraceni de Hispania tres Reges, Ibnalarabi & filius Deuizefi qui Latine Ioseph nominatur, & gener eius Alatuiz. Ibique multitudo Saxonum baptizata est, & secundum

al. dutum fecerunt. morem illorum omnem ingenuitatem illorum, & alodem manibus * gurpierunt, si amplius immutassent secundum malam consuetudinem illorum, sed semper erunt in fidelitate domni Regis Caroli. Celebrauit idem domnus Rex Carolus Natale in villa * Doteiaco, & Pascha in Aquitania in villa Cassinogilo. Inde abiit partes Hispaniæ per duas vias, vnam per Pampilonam, per quam ipse magnus Rex perrexit vsque Cæsaraugustam. Ibique venerunt de Burgundia & Austria & Baioaria & Prouincia & Septimania & Langobardorum pars magna, & ad ipsam ciuitatem coniunxerunt se exercitus ex vtraque parte. Ibique recepit obsides de Ibnalarabi & de Abutauro regibus, & de multis Sarracenis. Et Pampilona destructa Hispaniam & Wasconiam sibi subiugauit atque Nauarram, & reversus est in Franciam. Et audientes Saxones quod domnus Rex Carolus tam longè esset partibus Hispaniæ, persuasione supradicti Widochindi vel sociorum eius secundum consuetudinem malam rebellati sunt. Quod domnus Rex Carolus audiens in Autissiodoro ciuitate mox misit scaram Franciscam in Saxoniam ad resistendum Saxonibus. Illi verò rebelles peruenerunt vsque Durtiam prædantes secus Renum, & multas malitias facientes, Ecclesias Dei incendentes, & in sanctimonialibus exercentes quod dictu nefas est. Cumque audissent de reuersione domni regis Caroli, & de scara eius quam misit obuiam illis, mox reuersi sunt per Longeue in partes Saxoniæ, & scaræ Francorum non occurrerunt obuiam eis, sed vestigia eorum obseruantes consecuti sunt eos super fluuium Adarnia, in loco qui dicitur Liesi, vbi pugna incepta & valde bene finita, auxiliante domino, Franci victores extiterunt, & multitudo Saxonum ibi cæsa est, & fugientes alij cum magna contumelia reuersi sunt Saxoniam. Et celebrauit eo anno clementissimus Rex Carolus natale domni & Pascha in villa Aristallio. Deinde iter agens ad partes Neustriæ, peruenit in villa quæ dicitur Compendio. Et dum reuerteretur ad partes Austriæ, Hildebrandus dux Spolitanus cum multis muneribus obtulit se in præsentia magni regis Caroli in villa Virciniaco. Habuitque Rex synodum in villa Duria, & transiit in Saxoniam ad Lippia. Saxones verò moliti sunt rebellare in loco

Doteiaco.

al. Bohbot * Botolz, sed non præualentes fugerunt & Francis aperta est via. Qui introeuntes in Westfalos conquisierunt eos omnes. Cumque domnus Rex Carolus ad locum qui dicitur Mediofalli coniunxisset, ibi Saxones venientes dederunt ei obsides & sacramenta iterum firmauerunt. Reuersusque est gloriosus Rex Carolus in Franciam, & celebrauit natale & Pascha in Warmatia ciuitate. Iterum iter peregit ad disponendam Saxoniam, & peruenit ad Eresburgum, & inde ad locum vbi Lippia consurgit, ibique synodum tenuit. Inde iter egit ad partes Albiæ fluuij, & in ipso itinere, in præsentia domni Regis Caroli, omnes Bardongauenses & multi de Nordleudi baptizati sunt in loco Otaim vltra Obacrum fluuium. Ibi omnia disposuit tam Saxoniam quam & Sclauos, reuersusque est in Franciam. Tunc ipse præclarus Rex Carolus iniit consilium vt pergeret Romam orationis causa, vna cum vxore sua domna * Aldeardi regina, & celebrauit natale in Papia ciuitate. Et supradictum peragens iter celebrauit Pascha Romæ, & ibi Pipinus filius eius baptizatus est ab Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit. Et duos filios domni Regis Caroli Pipinum & Ludouicum ipse Papa vnxit in regem: Pipinum in Italia, Ludouicum in Aquitania. Et domnus Rex Carolus Mediolanis ciuitatem peruenit, & ibi baptizata est filia eius * Gisla ab Archiepiscopo Thoma, qui & ipse eam à sacro baptismo manibus suscepit. Inde Rex clementissimus Carolus reuersus est in Franciam. Tunc misit Papa Adrianus Formosum & Damasum Episcopos ad Tassilonem ducem Baioariorum vna cum missis domni Regis Caroli Riculfo Diacono & Eberardo magistro pincernarum ad commonendum & contestandum, vt reminisceretur priscorum suorum, & vt non aliter faceret nisi sicut iureiurando iamdudum promiserat ad partem domni Pipini Regis & domni Caroli Regis filij eius vel Francorum: con-

Hildegarde

al. Gisela

cor. sensitque Tassilo dux Baioariorum vt sumptis obsidibus à domno Rege Carolo ab eius veniret præsentiam. Quod non renuit domnus Rex Carolus. Et coniunxit se Tassilo Dux in præsentia domni Regis Caroli ad Warmatiam ciuitatem. Ibi renouauit sacramenta, deditq; XII. obsides electos, vt omnia conseruaret quæ Pipino Regi iureiurando promiserat in causa clementissimi Regis domni Caroli: & obsides recepti sunt in Carisiaco villa de manu * Simberti Episcopi. Sed non diu præfatus dux promissiones quas fecerat conseruauit, & celebrauit domnus gloriosus Rex natale domni & Pascha in supradicta Carisiaco villa. * al. Ingberti

Sequenti anno domnus Rex Carolus Renum transiit, & * in Colonia sinodum tenuit. Ibi omnes Saxones venerunt excepto rebelle Widochindo: & illuc conuenerunt Normandi nuntij Regis Sigefridi. Similiter Auari conuenerunt illuc missi à Cagano & Vigurro. Ibi peracto placito reuersus est domnus Rex Carolus in Franciam. Et cùm reuersus fuisset, iterum Saxones statim, solito more, rebellati sunt suadente Widochindo, & ignorante hoc domno Rege Carolo, Ludouicus filius eius misit missos suos ad Algisum & Geilonem atque Woradum Comites, vt mouerent exercitum Francorum & Saxonum super Sclauos qui rebelles fuerant. Et supra nominati missi in via audientes quod Saxones rebellati fuissent, coniungentes ad scaram Francorum irruerunt super Saxones, & commiserunt bellum. Et fortiter pugnantes multos Saxones interemerunt, & victores extiterunt, ceciderunt que Adalgisus & Geilo. Hoc audiens domnus Rex Carolus sub celeritate illuc coniunxit & peruenit vsq; ad locum vbi Arola confluit in Wisoram. * al. vbi Lippia oritur

Iterum omnes Saxones conuenientes subdiderunt se potestati domni Caroli, & reddiderunt omnes malefactores illos, qui ipsum rebellium maxime terminauerunt. In eo autem prælio occisi sunt de Saxonibus quatuor millia quingenti. Widochindus autem fuga lapsus est in partes Normandiæ. His peractis domnus Rex Carolus reuersus est in Franciam, & celebrauit natale & Pascha in villa quæ dicitur Tendone villa. Tunc obiit regina benemerita domna * Aldegardis pridie Cal. Maij in vigilia Ascensionis Domini. Iterum rebellant Saxones, & domnus Rex Carolus super eos ad Teotmalli venit. Ibi Saxones præparauerunt se ad pugnam in campo: Sed viriliter domno rege Carolo pugnante, Saxones terga vertunt & Franci victores existunt: ceciditque ibi multitudo Saxonum ita vt pauci fuga euaserint. Inde victor gloriosus Rex Carolus venit ad Paterbrunnien. Ibi iterum coniunxit exercitum suum & super Saxones pergit ad fluuium qui dicitur Hasa: Vbi, bello inito, plusquam sex millia Saxonum ceciderunt, & Franci victores extiterunt. Inde dominus Rex transit ad Albiam fluuium, reuersusque est in Franciam & in eodem anno obiit bonæ memoriæ domna Berta regina. Cumque Rex Carolus Warmatiam peruenisset, sociauit sibi in matrionium domnam Fastradam Reginam, & celebrauit natale & Pascha in Aristallio villa. Saxones iterum rebellant solito more, & cum eis aliqua pars Fresonum. Domnus fortis Rex Carolus super Saxones Renum transit ad * Lippiam, & vastando Saxoniam peruenit vsque ad * Huculin. Ibi consilium iniit, quia nimia inundatio aquarum erat, vt per Toringam de Orientali parte intraret super Ostfalaos, & filium suum Carolum misit cum scara, qui per rexit per Thoringam vsque ad fluuium Albiam, & inde ad Strangturd, & inde ad Scaidingi. Ibi prælio facto victor existens, cum gloria reuersus est Franciam, dimisso in Saxonia Carolo filio suo. Westfalai verò congregauerunt se ad Lippiam. Quo audito filius Domni Caroli obuiam eis accessit cum scara sua. Et inito bello, victor extitit Carolus filius domini Regis Caroli: ceciderunt que in eo prælio de Saxonibus plusquam septem millia hominum. Carolus vero illæsus remeauit ad genitorem suum in Warmatia ciuitate. Ibi domnus Rex Carolus iniit consilium vt hiemis tempore iter ageret in Saxoniam, quod & factum est. Et celebrauit Natale in * Cidrioburgi super fluuium Ambra. Inde abiens in Saxoniam peruenit vsque ad * Rimia super fluuium Wisora vbi confluit * Warana, & propter nimias in- * Lipsiam al. Huculud * Kidrioburg in pago Varne Gunaga in villa Luidi Rimea V Vahama

inundationes aquarum, reuersus est Eresburgum, & vxorem suam domnam Fastradam Reginam vna cum filiis & filiabus suis ad se venire iussit. Ibi tota hieme resedit & Pascha celebrauit. Et ibi residens multoties scaras misit super Saxones, & ipse super eos insurrexit, & deprædauit eos, & castra eorum cœpit, & loca eorum munita abstulit, & vias mundauit. * Synodum autem * suum tenuit ad Paterbrunne. Inde iter peragens viis apertis nemine contradicente, per totam Saxoniam quocunque voluit, ambulauit, venitque in * Bardingauin. Et misit post Widochindum & Albionem & vtrosque ad se conduxit, & firmauit vt non se subtraxissent nisi in Franciam ad eum venissent petentibus illis * securitatem si venissent, quod & factum est. Inde reuersus in Franciam misit illis obsides per missum suum Amaluuonem. Quos cum recepissent, cum ipsis adiunxerunt se ad Domnum Regem Carolum ad villam Attiniacum ibi baptizati sunt Vindochindus & Abio vna cum socio eorum, & tunc tota Saxonia subiugata est. Eo anno in ipsa villa celebrauit Natale & Pascha. Deinde misit exercitum in Britannia vna cum misso suo Audulfo Sinescalco, & ibi * multa castella conquisierunt & loca firma & multa palustria & Incæsu, & Cupitaneos Britonum repræsentauerunt in Sinodo domni Regis Caroli in Warmatiam. Tunc prospiciens se ex omni parte pacem habere, consilium sumit orationis causa pergeret, & ad limina beatorum Apostolorum iter pergendi & causas Italicas disponendi & cum missis imprimis placitum habendi de conuenientiis eorum, quod & factum est & celebrauit Natale domini in Florentia ciuitate. Igitur gloriosus Rex Carolus veniens Romam receptus est honorifice à domno Apostolico Adriano, & aliquot dies ibi moratus est. Argisus dux Beneuenti misit filium suum Romaldum domno Regi Carolo cum multis muneribus, postulans vt non intraret Beneuentum, & faceret omnes voluntates domni Regis Caroli. Sed hoc Apostolicus minimè credebat neque optimates Francorum: & consilium fecerunt cum domno Rege Carolo vt Beneuentum intraret ad causas firmandas. Et ita factum est. Et dum Capuam venisset, reliquit Aregisus dux Beneuenrum, & in Salerno se reclusit: Et timore perterritus, non fuit ausus videre faciem domni Regis Caroli, sed misit ei ambos filios suos Romaldum & Grimaldum cum multis muneribus & obsidibus vt obtemperarent petitioni eius. Domnus verò gloriosus Rex Carolus vna cum sacerdotibus & optimatibus suis prospexit, vt non deleretur illa terra, nec desertarentur Episcopia & monasteria, elegitque XII. obsides & tertium decimum filium Ducis Grimaldum. Et acceptis muneribus, iurauerunt omnes Beneuentani domno Regi Carolo. Et reuersus est Rex piissimus Carolus & celebrauit Romæ Pascha cum domno Apostolico. Ecce orta est contentio per dies festos Paschæ inter cantores Romanorum & Gallorum. Dicebant se Galli melius cantare & pulchrius quam Romani. Dicebant se Romani doctissime cantilenas Ecclesiasticas proferre sicut docti fuerant à sancto Gregorio Papa, Gallos corrupte cantare, & cantilenam sanam destruendo dilacerare. Quæ contentio ante domnum Regem Carolum peruenit. Galli verò propter securitatem domni Regis Caroli valde exprobrabant cantoribus Romanis. Romani verò propter auctoritatem magnæ doctrinæ, eos stultos, rusticos & indoctos, velut bruta animalia, affirmabant, & doctrinam sancti Gregorij præferebant rusticitati eorum. Et cum altercatio de neutra parte finiret, ait domnus piissimus Rex Carolus ad suos cantores: Dicite palam, quis purior est & quis melior, aut fons viuus, aut riuuli eius longe decurrentes; Responderunt omnes vna voce, Fontem, velut caput & originem, puriorem esse: riuulos autem eius, quantò longius à fonte recesserint, tanto turbulentos & sordibus ac immunditiis corruptos. Et ait domnus Rex Carolus, reuertimini vos ad fontem sancti Gregorij, quia manifeste corrupistis cantilenam Ecclesiasticam. Mox petiit domnus Rex Carolus ab Adriano Papa cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum & Benedictum Romanæ Ecclesiæ doctissimos cantores, qui à sancto Gregorio eruditi fuerant, tribuitque Anti-

Concilium vero publicum Lardingouui

credētas quod relasi fuissent.

multos Brittones conq. vna cum castellis & firmitatis ebrum locis palustribus seuet incesis.

Antiphonarios ſancti Gregorij, quos ipſe notauerat nota Romana. Domnus verò Rex Carolus reuertensin Franciam, miſit vnum cantorem in Metis ciuitate, alterum in Sueſſionis ciuitate, præcipiens de omnibus ciuitatibus Franciæ magiſtros ſcholæ Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis diſcere cantare. Correcti ſunt ergo Antiphonarij Francorum, quos vnuſquiſque pro arbitrio ſuo vitiauerat, addens vel minuens, & omnes Franciæ cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciſcam: Excepto quod tremulas vel vinnulas, ſiue colliſibiles vel ſecabiles voces in cantu non poterant perfectè exprimere Franci naturali voce barbarica, frangentes in gutture voces quam potius exprimentes. Maius autem magiſterium cantandi in Metis ciuitate remanſit. Quantumque magiſterium Romanum ſuperat Metenſe in arte cantilenæ, tanto ſuperat Metenſis cantilena cæteras ſcholas Gallorum. Similiter erudierunt Romani cantores ſupradictos cantores Francorum in arte organandi. Et domnus Rex Carolus iterum à Roma artis Grammaticæ & computatoriæ magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & vbique ſtudium literarum expandere iuſſit. Ante ipſum enim domnum Regem Carolum, in Gallia nullum ſtudium fuerat liberalium artium. Per ipſos dies Paſchæ venerunt Romam ad domnum piiſſimum Regem Carolum miſſi Taſſilonis ducis Epiſcopus * iſarnus & abbas Henricus, petieruntq; Apoſtolicum vt pacem faceret inter domnum Regem Carolum & Taſſilonem ducem Baioariorum. Et domnus Apoſtolicus multum ſe interpoſuit poſtulando piiſſimum Regem. Cui ipſe reſpondit, hoc ſe voluiſſe, & per multa tempora quæſiſſe, & minime inuenire potuiſſe: & profitebat ſtatim fieri. Voluitque mox in præſentia Papæ cum ipſis miſſis pacem firmare. Et renuentibus miſſis, quia non auſi fuiſſent de eius parte vllam firmitatem facere, cùm cognouiſſet Apoſtolicus inſtabilitatem & mendacium eorum, anathema poſuit ſupra ducem eorum, & ſuos conſentaneos, ſi ipſe dux ſacramenta, quæ promiſerat Pipino & domno Carolo Regi, non adimpleſſet. Et obteſtatus eſt ſupra dictos miſſos, vt conteſtarentur Taſſilonem, vt non aliter faceret, niſi inomnibus obediret domno Regi Carolo & filiis eius ac genti Francorum, ne ſanguinis effuſio proueniret, vel læſio terræ ipſius. Et ſi ipſe dux obdurato corde verbis Apoſtolici minime obediret, tunc domnus Rex Carolus & ſuus exercitus abſoluti eſſent ab omni periculo peccati, & quicquid in ipſa terra de incendiis eueniret, vel de qualicumque malicia, hoc ſuper Taſſilonem & eius conſentaneos eueniret, & domnus rex Carolus ac Franci innoxii ab omni culpa exinde permanſiſſent. His verbis expletis, miſſi Taſſilonis abſoluti ſunt. Tunc in inuicem ſibi domnus Apoſtolicus, & domnus Rex glorioſus Carolus vale dicentes, benedictione aſſumpta, & oratione peracta in Franciam cum gloria reuerſus eſt, adducens ſecum, cantores Romanorum & Grammaticos peritiſſimos & calculatores. Peruenitque idem miſſus Rex Carolus ad coniugem ſuam domnam Faſtardam reginam in ciuitate Warmatia, & ibi ad inuicem gauiſi ſunt lætificantes, ac domini miſericordiam confidantes: Vbi Synodum congregauit, & deinde miſit ad Taſſilonem, vt omnia impleret ſecundum iuſſionem Apoſtolici, vel ſicut iuſtitia erat, eo quod ſub iuramento promiſſum habebat, vt in omnibus obediens & fidelis eſſet ei & filiis eius & Francis, & ad eius præſentiam veniret. Quod renuit & venire contempſit. Tunc domnus Rex Carolus ſentiens iuſtitiam ſuam, pergit Baioariam, venitque in loco qui dicitur Lecfeld, ſuper ciuitatem Auguſtam. Et iuſſit fieri alium exercitum de Auſtraſiis & Toringis & Saxonibus, & coniunxerunt ſuper Danubium fluuium in loco qui dicitur Faringa. Et tertium exercitum iuſſit fieri de Italicis, vt filius eius Pipinus Rex veniret vſque ad Triantum, & ipſe ibi maneret, & exercitum ſuum ſuperiter in ante mitteret vſque ad Bauzarum. Taſſilo videns ſe circundatum ex omni parte, videnſque quod omnes Baioarij plus eſſent fideles domno Regi Carolo quam ſibi, & cognouiſſent iuſtitiam domni Regis, & magis vellent iuſtitiam conſeruare, quam contrarij eſſe, contriſtatus vndeque tradidit ſeipſum domno Regi Ca-

Arnulf.

rolo manibus in manibus in vassaticum, & reddidit ei ducatum sibi commissum à domno Pipino Rege, & confessus est se in omnibus peccasse & male egisse. Et de nuo renouans sacramenta dedit XII. electos obsides, & tertium decimum filium suum Theudonem. Receptisque obsidibus & sacramentis, reuersus est domnus glorioſus Rex Carolus in Franciam, & celebrauit Natale & Pascha in villa, quæ dicitur Ingilenhaim.

Domnus igitur Carolus habuit Synodum ad iam dictam villam Ingilenhaim, ibique venit Tassilo ex iussione eius, sicut & cæteri vassi, dixerúntque fideles Baioarij, quod Tassilo fidem suam saluam non haberet, sed postea fraudulentus apparuit suadente vxore sua Liutberga. Quod & Tassilo denegare non potuit, sed confessus est postea se transmisisse ad Auaros, vt sibi consentirent contra domnum Regem, & homines suos, quando iurabant, iubebat vt aliter in mente retinerent, & sub dolo iurarent. Et quia dixerat si decem filios haberet, ante voluisset omnes amittere quam placita sic manerent sicut iurauerat, & quia dixerat, melius se esse mori quam ita viuere. Et dum incriminarentur eum de multis aliis infidelitatibus Franci, & Baioraij, & Langobardi, & Saxones, & quia in exercitu dereliquerat domnum Pipinum Regem, & omnes acclamarent eum esse reum mortis, & vt tali sententia damnaretur, Domnus piissimus Rex Carolus motus misericordia, ob amorem Dei, & quia consanguineus eius erat, continuit vt non moreretur. Et interrogauit Tassilonem, quid agere vellet. Ille vero postulauit licentiam sibi tonsorandi, & in monasterium introeundi, & pro tantis peccatis pœnitentiam agendi, vt suam saluaret animam. Similiter filius eius Theodo iudicatus est: & monachi ambo facti sunt in Olto monasterio, vbi sanctus Bonefacius requiescit. Pauci vero Baioarij, qui in aduersitate domni Regis Caroli perdurare volebant, missi sunt in exilium. Eodem anno commissum est bellum inter Græcos & Langobardos, id est à ducibus Spolitanis Hildebrando & Grimaldo quem posuerat domnus Rex ducem super Beneuentum. Fuitque Winigisus Francus missus domni Regis Caroli cum paucis Francis ex parte Langobardorum, & victoriam habuit. Auari quoque bellum inierunt cum Francis, qui erant in Italia, & victi cum confusione fugati sunt, & victoriam Franci habuerunt. Tertia pugna commissa est inter Auaros & Baioarios in campo Hiboſe, & missi domni Regis Caroli * Garamandus & Audacrus cum paucis Francis fuerunt ex parte Baioariorum, & Auari victi sunt. Et hæc omnia dolo Tassilo & vxor eius Deo odibilis Liutberga consiliati fuerant. Quarta fuit pugna cum Auaris & Baioariis. Ibique fuerunt missi domni Regis Caroli, & victoria fuit Christianorum domno protegente. De Auaris occisi sunt ad decem millia, & alii in Danubium fluuium submersi sunt, dum gladium fugiunt. Post hæc domnus Rex Carolus ad Reganesburg peruenit & ibi fines vel marcas Baioariorum disposuit, quomodo saluæ contra Auaros esse potuissent. Inde reuersus celebrauit Natale & Pascha in Aquis Palatio. Inde iter egit in Sclauaniam, & ad locum Wilze peruenit, & vna cum consilio Francorum & Saxonum transiit Renum, & venit ad Albiam fluuium, ibique duos pontes construxit, & ad vnum fecit castellum ex ligno & terra ex vtraque parte. Inde pergens vltra, Sclauos sub suo dominio conquisiuit. Fuerunt in exercitu eius Franci & Saxones & Fresones, qui nauigio per Labola fluuium cum quibusdam Francis ad eum coniunxerunt. Fuerunt etiam Sclauſ cum eo * Sabubi nec non Abotriti. urbi & Abotri, quorum dux fuit Witzan. Ibi obsidibus & sacramentis ab eis susceptis, domino ducente, in Franciam reuertitur, & celebrauit Natale & Pascha in Warmatia. In anno sequenti nullum fecit iter, sed in eadem ciuitate celebrauit Natale & Pascha. Inde in itinere ad Baioariam * Renesburgum peruenit. Ibi Regenesburg exercitu coniuncto cum consilio Francorum, Saxonum & Fresonum, destinauit iter, cum Dei adiutorio, in partes Auarorum propter nimiam maliciam, quam fecerant contra sanctam Ecclesiam & populum Christianum vnde iustitias per eos impetrare non valuerunt. Et properans ad Anisam fluuium, ibi constituerunt

Lega-

Letanias facere per triduum, & missarum solemnia celebrare pro salute exercitus & victoria & adiutorio Domini nostri Iesu Christi, & vindicta super Auaros. Domnus vero Rex Carolus de Australi parte Danubij iter egit cum Francis & plurima turma Frisonum de Aquilonali parte Danubij abierunt, & venerunt omnes ad Auaroru firmitates. Domnus vero Rex Carolus ad Cummeoberg. Alij vero in loca quæ dicitur Campi, quia sic vocatur ille fluuius, qui confluit in Danubium. Et cum Auari viderent vtrasque ripas exercitum continere, & nauigia per medium fluuium venire, terrore adeo perteriti dereliquerunt loca firmissima, & fugerunt. Et, Christo ducente populum suum, vterque exercitus peruenit ad fluuium Raba, prostraueruntque Auarorum innumerabilem multitudinem, & reuerse sunt ex vtraque ripa ad propria, magnificantes Deum pro tanta victoria. Et celebrauit domnus Rex Carolus Natale & Pascha in Regenesburg. Ibi tenuit Synodum, vbi primo condemnata est hæresis Feliciana: quam Angilbertus ad præsentiam Adriani Apostolici adduxit, & confessione facta suam hæresim iterum abdicauit. Eodem anno nullum iter exercitale factum est, sed fecit ponteem super nauigia flumina transeuntem, anchoris & funibus ita cohærentem, vt iungi & dissolui posset. Ibi Natale & Pascha celebrauit ipso anno. Anno sequenti domnus Rex Carolus de Ragenesburg iter fecit nauigio vsque ad fossatum magnum inter * Alamanniam & Radantiam. Ibi cum muneribus magnis missi Apostolici præsentati sunt, & nunciatum est ei Saxones iterum rebellasse. Inde per Radantiam nauali itinere abiit in Mochin, & Natale celebrauit ad sanctum Gilianum in Wirzenburg, & Pascha in Franconofurt, & ibi congregata est Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia eius. Ibi fuerunt missi domini Apostolici Adriani Theophilactus, & Stephanus Episcopi: & ibi tertio damnauerunt hæresim Felicianam. Quam damnationem per auctoritatem sanctorum patrum in libro conscripserunt, quem librum omnes sacerdotes propriis manibus subscribendo confirmarunt. Ibi obiit Fastrada regina, & ad sanctum Albanum sepulta est. Pseudosynodus Græcorum quam falso septimam vocabant pro imaginibus reiecta est à Pontificibus. Inde motus est exercitus in Saxoniam per duas turmas. In vna fuit domnus gloriosissimus Rex Carolus, in altera misit Carolum filium suum per Coloniam. Saxones autem congregati præparauerunt se ad bellum in campo † Sinitfelt. Sed cum audissent, se ex duabus partibus esse circundatos, timore pleni promiserunt se esse Christianos & fideles domno Regi Carolo. Et Rex ad palatium Aquis rediit, ibique Natale & Pascha celebrauit. Habuitque placitum suum ad locum * Cussistain in suburbio Maguntiæ vrbis. Saxones verò fecerunt irritum placitum suum de habenda Christianitate & fide Regis tenenda, & domnus Rex Carolus in Saxoniam intrans, peruenit ad fluuium Albin in loco cum * Luini: vbi facto prœlio Winutzin Abodritorum Rex à Saxonibus occisus est. Ibi venerunt missi Tuduin, qui in gente Auarorum magnam potestatem habebat, qui dixerunt quod idem Tuduin cum terra & populo suo se Regi subdere vellet. Rex verò afflictis Saxonibus valde & cæsis gladio triginta millibus pugnatorum ex eis, terra vastata, & acceptis obsidibus, rediit Aquis, & ibi natale & Pascha celebrauit. Alio anno Adrianus Papa obiit, & Leo mox vt in locum eius successit, misit Legatos cum muneribus ad Regem. Claues etiam confessionis sancti Petri & vexillum vrbis Romæ, ei direxit. * Eenricus autem dux Furiuliensis misso in Pannoniam Wonomirro Sclauo principe suo * Ringum ducem Auarorum interficere fecit, & Caganum & Jugurram spoliare fecit, & thesaurum multitudinem multa prolixitate seculorum àregibus Auarorum collectum domno Regi Carolo Aquis Palatio misit. Quo thesauro accepto gratiarum actiones Deo largitori omnium bonorum peregit, & inde magnam partem ad limina Apostolorum misit per Angilbertum dilectum suum abbatem, & reliquam partem optima-

* Alemanniam & Radantiam
† Sinitfelt
* Cussistain
* Luini
* Sed et Heinricus
* Ringum

optimatibus suis & clericis & monachis largitus est. Ipso anno Tuduin secundum pol-
licitationem suam, cum multitudine Auarorum ad Regem venit, & se ei dedit cum
populo & patria sua, & ipse populus eius Christiani facti baptizati sunt, & honora-
fice muneribus ditati redierunt. Rex collectis exercitibus Saxoniam ingressus, Pi-
pinum filium suum Regem Italiæ in Pannoniam misit. Qui Pipinus commisso bello
cum Auaris victor extitit, & diu resedit in Ringo villa, & cum multis thesauris
rediit ad domnum Regem Carolum patrem suum in Aquis palatium, & celebrauit
ibi domnus Rex Carolus Natale & Pascha. Tunc Barcinona ciuitas Hispaniæ quæ
iampridem à nobis desciuerat, per Zatum præfectum ipsius reddita est. Nam ip-
se ad Palatium veniens domno Regi semetipsum cum ciuitate commendauit. De-
inde gloriosus Rex facta expeditione in Saxoniam trans omnes paludes & inuia loca
vsque ad Haduloba (hoc enim loco nomen vbi Oceanus Saxoniam adluit) transi-
Et tota Saxonum gente in deditionem per obsides accepta, reuersus est Aquis pa-
tio. Ibi Abdella Sarracenus filius Ibimauge Regis à fratre regno pulsus in Mau-
legatus ritania exulans ei se manibus commendauit. Ibi venit Theoctistus *filius Nicetæ
qui tunc Siciliam regebat, portans imperatoris epistolam, quem magnifice su-
scipiens post paucos dies absoluit. Et Nouembrio mense mediante, ad hiberna-
dum cum exercitu Saxoniam intrauit: Positisque castris apud Wiforam fluuium,
locum castrorum Heristelli vocari iussit. Illuc venerunt legati Auarorum cum mu-
neribus multis. Inde Abdellam Sarracenum cum filio suo Ludouico in Hispania
reuerti fecit, & filium suum Pipinum ad Italiam misit: ipse ad disponendam Saxo-
niam totum hiemis tempus impendit, & ibi natale Domini & Pascha celebrauit.
al. Hadefosi Venit autem ad eum legatus * Adefonsi Regis Galliciæ & Asturiæ nomine Froia
præsentans papilionem miræ pulchritudinis. In ipso quoque Paschæ tempore
Nortliudi trans Albiam sedentes seditione commota, legatos eius qui ad iustitias fa-
ciendas apud eos conuersabantur, quosdam occiderunt, quosdam ad redimen-
dum reseruauerunt: ex quibus aliqui fugerunt, cæteri redempti sunt. Rex Ca-
rolus collecto exercitu de Heristelli ad locum qui dicitur Minda perrexit, & contra
desertores inter Albim & Wiforam peragrauit totam Saxoniam. Nortliudi cum
Trasicone duce Abodritorum & Eburiso legato domni Regis commisso prælio vicit
sunt, & cæsi ex eis quatuormilia. Cæteri qui euaserunt de pacis conditione tra-
ctauerunt. Et Rex acceptis obsidibus, reuersus est in Aquisgrani palatium. Ibi
legationem à Constantinopoli susceptt, eratque legatus Michaël patricius Frigiæ
& Theophilus presbyter epistolam Herenæ Imperatricis deferentes, quia filius e-
ius Constantinus Imperator anno superiore à suis comprehensus excæcatus est. Hac
tamen legatio tantum de pace fuit. Quos cùm absoluisset, absoluit etiam cum eis
& Sisinnium fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi, iamdudum in Italia
DCCXCV- prælio captum. Hoc anno, id est ab incarnatione Domini DCCXCVIII. in-
III. dus Martis à superioris anni Iulio vsque ad huius anni Iulium nusquam in toto
cælo videri potuit. Tunc insulæ Baleares à Sarracenis & Mauris depræda-
multas sunt. Adefonsus Rex Galliciæ & Asturiæ prædata Olisippona vltima Hispaniæ
ciuitate, insignia victoriæ suæ βοάνους, * mulos, captiuósque Maiotos do-
mno regi Carolo per legatos suos Frolam & Basiliscum hiemis tempore misit, &
in ipso palatio domnus Rex celebrauit Natale & Pascha. Romani vero Leonem
Papam lætania maiore excæcauerunt, & linguam ei ampurauerunt. Qui in ca-
stodiam missus, noctu euasit per murum, & ad legatos domni Regis, qui tunc
erant in basilica sancti Petri, Wirundum scilicet Abbatem & Winigisum Spoleta-
num Ducem, venit, & Spoletium ductus est. Domnus Rex profectus in Saxoni-
am transit Hrenum ad Lippiam, & in Padabruno positis castris, inde Carolum filium
um suum cum medietate exercitus direxit ad Sclauorum colloquium, & vt rec-
peret Saxones qui de Norliudis in Bardingauium venerant. Ibi Leonem Papam cum
summo honore suscepit, & reuerso prosperè filio suo, Leonem Papam cum hono-
re di-

re dimisit Romam, & ipse reuersus est Aquisgrani palatium. Ibi venit ad eum Daniel legatus Michaelis præfecti Siciliæ, & cum magno honore dimissus est. Eodem anno gens Auarorum à fide quam promiserat, defecit, & Hericus dux Foroiulienſis post tot res prospere gestas iuxta Tarsaticam Liburniæ ciuitatem insidiis oppadiaro-rum occisus est, & Geraldus comes Baioariæ præfectus, commisso prælio cum Auaris, cecidit. Insulæ Baleares quæ anno priore deprædatæ sunt à Mauris & Sarracenis, postulato & accepto à domno Rege auxilio, tradiderunt se illi & defensæ sunt à prædonibus. Nam prælio facto Franci Mauros & Sarracenos prostrauerunt, & signa sublata domno Regi repræsentauerunt. Wido comes qui in Marca Britanniæ præsidebat, vna cum sociis Brittanniam ingressus, totam eam recepit in deditionem, & domno Regi Carolo de Saxonia reuerso arma ducum qui se dediderant inscriptis singulorum nominibus, præsentauit, & sic tota Britannia Francis subdita fuit. Tunc Monachus quidam de Hierosolimis veniens, benedictionem de reliquiis sepulchri Domini, quam patriarcha miserat domno Regi Carolo detulit. Azan præfectus ciuitatis quæ dicitur Osca, claues vrbis per Legatum suum cum muneribus misit. Celebrauit domnus Rex Natale domini in eodem Palatio, & absolutum Hierosolimitanum monachum reuerti fecit, mittens cum eo Zachariam presbyterum de Palatio suo, qui donaria eius per illa loca sancta deferret. Et medio Martio mense Aquisgrani palatio digrediens, litus Oceani Gallici perlustrauit, & in ipso mari quod tunc piratis infestum erat, classem instituit & præsidia disposuit. Pascha in Centulo apud sanctum Richarium celebrauit. Inde iterum per litus Oceani Rotomagum ciuitatem profectus est, ibique Sequana amne transmisso, Turonis ad sanctum Martinum orationis causa peruenit: Moratus est ibi dies aliquot propter aduersam domnæ Liutgardæ coniugis valetudinem, quæ ibidem defuncta & humata est. Inde per Aurelianos & Parisios mense Julio regressus Aquisgrani reuersus est. & pridie Nonas & VII. Id. Julias insolito more aspera pruina fuit, sed nil incommoditatis fructibus attulit, Mense Augusto Magontiam veniens, iter in Italiam condixit & Rauennam peruenit. Ibi ordinata in Beneuentanos expeditione, post septem dierum inducias Romæ iter conuertit, & exercitum cum Pipino filio suo in Beneuentanorum terras prædatum ire iussit. Romam verò venienti occurrit pridie Leo Papa & Romani cum eo apud Nomentum duodecimo ab vrbe lapide, & summa cum humilitate summoque honore susceptt. Prandensque cum eo in loco præfato, statim eum ad vrbem præcessit, & crastino in gradibus basilicæ beati Petri Apostoli stans, missis obuiam Romanæ vrbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quam ciuium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse cum clero & Episcopis equo descendentem graduſque ascendentem suscepit: dataque oratione, in Basilicam beati Petri psallentibus cunctis introduxit. Facta sunt hæc die VIII. Kal. Decemb. Post VII. verò dies Rex conuocata, cur venisset Romam omnibus patefecit, & exinde cotidie ad ea quæ erant facienda operam dedit. Inter quæ vel maximum & difficillimum erat, de discutiendis Papæ obiectis criminibus. Et dum nullus probator criminum esse potuit, domnus Papa coram omni populo in Basilica beati Petri Euangelium portans, ambonem conscendit, & inuocato sanctæ Trinitatis nomine, jureiurando ab obiectis criminibus se purgauit. Eadem die Zacharias cum duobus monachis, uno de monte Oliueti, altero de sancto Saba de Oriente reuersus Romam venit, quos Patriarcha ad regem misit. Qui benedictionis causa claues Sepulchri dominici ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis & montis Oliueti cum vexillo detulerunt: quos Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & Aprili mense remuneratos absoluit, celebrauitq; Natale Domini Romæ. Ipsa autem sacratissima Natalis domini cum Rex ad missam ante confessionem beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, domnus Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum est: CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO MAGNO

GNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM VITA ET VICTORIA. Antea enim domnus Carolus vocabatur ab omnibus, Rex Francorum & Patricius Romanorum: ſed poſt laudes à domno Apoſtolico more antiquorum principum adoratus eſt, atque ablato Patricii nomine, Imperator & Auguſtus eſt appellatus. Poſt pauces autem dies juſſit eos qui Papam anno ſuperiori dehoneſtauerant exhiberi, & habita de eis quæſtione ſecundum legem Romanam, vt maieſtatis rei, capite damnati ſunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem interceſſit, & vita & membra eis conceſſa ſunt, ſed pro facinoris magnitudine exilio deportati ſunt. Huius factionis principes fuere Paſchalis nomenculator & Campulus ſacellarius & multi alii Romanæ vrbis nobiles. Ordinatis deinde Romanæ vrbis & Apoſtolici totaq; Italiæ non tantum publicis, ſed etiam Eccleſiaſticis & priuati rebus (nam tota hieme non aliud fecit Imperator) miſit iterum in Beneuentanos expeditionem cum Pipino filio ſuo. Ipſe poſt Paſcha VII. Cal. Maij Roma profectus, Spoletum venit. Et dum eſſet ibi, II. Cal. Maij. hora noctis ſecunda terræ motus maximus factus eſt, quo tota Italia grauiter concuſſa eſt: Quo motu tectum baſilicæ beati Pauli Apoſtoli magna ex parte cum ſuis trabibus decidit, & in quibuſdam locis vrbes monteſq; ruerunt. Tremuerunt eodem anno quædam loca circa Renum fluuium & in Gallia & Germania, & facta eſt peſtilentia propter mollitiem hiberni temporis. Imperator de Spoletio Rauennam veniens, aliquot dies ibi moratus Papiam petiit. Ibi nunciatur ei legatos Aaron Ammiralmummini Regis Perſarum Piſas intraſſe. Quibus obuiam mittens, inter Vercellis & Eporeiam, eos ſibi fecit præſentari. Unus enim ex eis erat Perſa de Oriente legatus Regis Perſarum: alter Sarracenus de Africa legatus Ammirati Abraham, qui in confinio Africæ in foſſato præſidebat; Qui Iudæum quem Imperator ante qnadriennium ad Regem Perſarum cum Lanfredo & Sigimundo miſerat, reuerſum cum magnis muneribus nuntiauerunt. Nam Lanfredus ac Sigimundus ambo defuncti erant. Tunc ille miſit Arcanbaldum notarium in Liguriam, ad claſſem parandam, qua Elefans & quæ cum eo deferebantur, ſubucherentur. Ipſe verò celebrato Natali ſancti Joannis baptiſtæ apud Eporiam, Alpes tranſgreſſus in Galliam reuerſus eſt. Ipſa æſtate capta eſtà Chriſtianis Barcinona ciuitas Hiſpaniæ jam biennio obſeſſà, & † Zatus præfectus eius, & alii complures Sarraceni comprehenſi. Et in Italia Teate ciuitas à Francis capta & occenſa eſt, eiusque Præfectus Roſelmus comprehenſus. Caſtella quæ ad ipſam ciuitatem pertinebant, in deditionem accepta ſunt. Zatus & Roſelmus vna die ad præſentiam Imperatoris deducti exilio damnati ſunt. Menſe Octobrio Iſaac Judæus de Africa cum Elefante reuerſus portum Veneris intrauit. Et quia propter niues non potuit tranſire Alpes, Vercellis hiemauit. Et Imperator Aquiſgrani palatio Natale Domini celebrauit. * Helena igitur Imperatrix miſit de Conſtantinopoli legatum Spararium nomine Leonem de pace confirmanda inter Francos & Græcos. Timebant enim Græci ne piiſſimus Imperator Carolus ſuper eos irruens, & Imperator viciſſim propter ipſum abſoluto illo, miſit Jeſſe Epiſcopum Ambianenſem & * Elingandum comitem in Conſtantinopoli vt pacem cum Græcis confirmarent. Celebratum eſt Paſcha Aquiſgrani palatio. Menſe autem Julio venit Iſaac cum Elefante & cæteris muneribus, quæ à Rege Perſarum miſſa ſunt, & Aquiſgrani omnia Imperatori detulit. Nomen Elefantis erat Abulabaz. Ortona ciuitas Italiæ in deditionem accepta eſt. * Luceria quoque frequenti obſidione fatigata, & ipſa in deditionem venit, præſidiumq; Francorum in ea poſitum eſt. Imperator ætatis tempore in Ardenna venatibus operam dedit, & miſſo Saxonum exercitu Tranſalbianos Saxones vaſtauit. Tunc Grimoaldus Beneuentanorum dux in Luceria Winigiſum comitem Spoletii, qui præſidio præerat, aduerſa valetudine fatigatũ obſedit, & in deditionem accepit, captumq; honorifice habuit, & Imperator Aquiſgrani Natale Domini celebrauit. Ipſa hieme circa ipſum Palatium & finitimas regiones terræ motus factus eſt, & mortalitas ſubſecuta eſt. Winigiſus à Grimaldo redditus eſt, & miſſi domni

Imperа-

Zatum

Florena

al. Hemgaldum

Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt: Et venerunt cum eis legati Nikifori Imperatoris, qui tunc rempublicam regebat (Nam Heirenam post aduentum legationis Franciæ deposuerunt) quorum nomina fuerunt, Michael Episcopus, Petrus Abbas, Calistus Abbas, Candidatus Abbas. Qui venerunt ad Imperatorem in Germaniam super fluuium Sala, in loco qui dicitur Salts, & pactum faciendæ pacis in scripto susceperunt. Et dimissi cum epistola Imperatoris Romam regressi, & Constantinopolin reuersi sunt. Imperator autem in Baioariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Decembrio mense Aquisgrani reuersus est, & ibi celebravit natale Domini & hiemauit. Æstate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albiam & in Wimuadi habitabant Saxones, cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos transalbianos Abodritis dedit. Eodem anno Godofredus Rex Danorum venit cum classe sua, nec non & omni equitatu regni sui ad locum qui dicitur Slietorp, in confinio Regni sui & Saxoniæ. Promisit enim *al. Lielltorp.* se ad colloquium Imperatoris venturum, sed consilio suorum territus propius non accessit, sed quicquid voluit per legatos mandauit. Nam Imperator super Albiam fluuium sedebat in loco qui dicitur * Ondulstetin, & missa ad Godefredum legatione pro perfugis reddendis, medio Septembrio Coloniam venit. Dimissoque exercitu primo Aquisgrani, dein Ardennam petit, & venationibus indulgens, Aquisgrani reuersus est. Medio Nouembrio allatum est ei Leonem Papam natale Domini cum eo celebrare velle, vbicunque hoc contingere potuisset. Quem statim misso ad sanctum Mauritium Carolo filio suo, honorificè susciperе iussit. Ipse obuiam illi Remorum ciuitatem profectus est, ibique susceptum, primò Carisiacum villam, vbi natale Domini celebrauit, deinde Aquisgrani perduxit. Et donatum magnis muneribus per Baioariam ire volentem reduci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius hæc erat. Perlatum est ad Imperatorem æstate præterita Christi sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum. Propter hoc misit ad Papam, petens vt huius famæ veritatem inquireret. Qui accepta occasione exeundi, primo in Longobardiam, quasi pro inquisitione ista profectus est, inde ad Imperatorem veniens mansit cum eo dies VIII. reuersusque est Romam. *al. Hodunstetē*

Non multò post princeps Hunorum * Capcanus propter necessitatem populi Imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum, quia propter infestationem Sclauorum in pristinis sedibus esse non poterat. Quem Imperator benignè suscepit (erat enim Capcanus Christianus in Baptismo nomine Theodorus) & precibus eius annuens, muneribus donatum redire permisit. Qui rediens ad populum suum pauco tempore transacto diem obiit. Misitque * Capcanus vnum de optimatibus suis petens sibi honorem antiquum, quem Capcanus apud Hunos habere solebat. Cuius precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius regni iuxta priscum eorum ritum Capcanum habere præcepit. Eodem anno misit filium suum Carolum in Sclauoniam ad illos qui vocantur † Beheimi, qui omnem patriam illorum depopulatus, ducem eorum nomine Lechoneogo occidit. Inde regressus in silua Vosegum venit ad Imperatorem, in loco qui dicitur Camp: Nam Imperator mense Julio de Aquisgrani profectus Theodonis-villam, & per Metis transiens Vosegum petiit. Ibi venationi operam dans, post reuersionem filii castellum profectus * Adrumetici, ibi aliquantum tempotis moratus ad hiemandum in Theodonis villa palatio suo secedit. Ibi ad eum ambo filii sui Pipinus & Ludouicus venerunt, & ibi celebrauit Natale Domini. Statim post Natale venerunt duces Venetiæ Wilericus & Beatus & Paulus dux Ioderæ & Donatus eiusdem ciuitatis Episcopus legati Dalmatiarum cum magnis donis. Et facta est ibi ordinatio ab Imperatore de ducibus & populis tam Venetiæ quam Dalmatiæ. Illisque absolutis conuentum habuit Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace constituenda & conseruanda inter filios suos, & *al. Capcanus* *Capcanus* *al. Behehimi* *ad Rumoriel*

dimisione regni facienda in tres partes, vt sciret vnusquisque illorum, quam partem tueri & regere debuisset, si superstes ei viveret. De hac partitione testamentum factum est & jureiurando à Francis confirmatum, & constitutiones pacis conservandæ causa factæ. Atq; hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni Papæ vt his sua manu subscriberet, per Einhardum missa. Quibus Pontifex lectis & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. Imperator vero dimisso vtroque filio in regnum sibi deputatum, ipse per Mosellam & Renum, Nouiomagum nauigauit, & ibi sanctum quadragesimale jeiunium, & sanctum Pascha celebrauit. Inde Aquisgrani veniens misit Carolum filium in * Sclauoniam qui dicuntur Sorabi super Albiam fluuium. In qua expeditione Miliduohc Sclauorum dux interfectus est. Duoque castella Carolus tunc ibi fecit, vnum super ripam fluminis Salæ, alterum juxta fluuium Albin: Sclauisque pacatis, Carolus regressus in loco qui dicitur Solli super ripam Mosæ fluminis, venit ad patrem. Iterum in Beheim Sclauaniam misit Carolum filium cum Baioariis & Alamannis & Burgundionibus sicut anno superiore, vastataque terra Sclauorum cum gaudio regressi sunt. Eodem anno Pipinus de Italia misit classem in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant, cuius aduentum Mauri non expectantes, fugerunt. Vnus tamen de Francis * Adelmarus comes ciuitatis Genuæ, imprudenter contra eos dimicans occisus est. In Hispania verò Nauarri & Pampilonenses qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, in fidem reuersi sunt domni Imperatoris. Tunc classis à Nicephoro Imperatore cui Niceta patricius præerat, mittitur ad recuperandam Dalmatiam, & legati qui dudum ante quatuor fere annos ad regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti ad Tarusianum portum nullo aduersatiorum sentiente regressi sunt, & Imperator in Aquisgrani celebrauit natale Domini.

terram Sclauorum

Hadumarus al.

Anno superiore IIII. Non. Septemb. fuit Eclipsis Lunæ, & stabat Sol in sexta decima parte Virginis, Luna autem in sexta decima parte Piscium. Hoc autem anno id est ab incarnatione Domini DCCCVII. prid. Kal. Febr. fuit Luna XVII. quando stella Jouis quasi per eam transire visa est. & III. Id. Febr. fuit Eclipsis Solis media die stante vtroque sidere in vicesima quinta parte Aquarii. Iterum IIII. Kal. Mart. fuit Eclipsis Lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & Sol stetit in vndecima parte piscium, & Luna in vndecima parte Virginis. Et stella Mercurii XVI. Kal. April. visa est in Sole quasi parua macula nigra: tamen paululum superius medio centro eiusdem sideris, quæ octo dies à * Francis conspecta est. Sed quando primam intravit vel exiit, nubibus impedientibus minime potuit adnotari. Iterum mense Augusto XI. Kal. Sept. eclipsis Lunæ facta est hora noctis tertia, Sole posito in quinta parte Virginis, & Luna in quinta parte Piscium Sicque ab anni superioris Septembrio vsque ad anni præsentis Septembrium ter obscurata est Luna & Sol semel. Ratbertus missus Imperatoris qui de Oriente reuertebatur, defunctus est, & legatus regis Persarum nomine Abdella, cum monachis de Hierusalem qui legati erant Thomæ patriarchæ, quorum nomina fuerunt Georgius & Felix (quorum Georgius Abbas in monte Oliueti patria Germanus proprio nomine Engelbaldus dicebatur) peruenerunt ad Imperatorem munera deferentes, quæ Rex Persarum miserat Imperatori, papilionem & tentoria atrii vario colore facta miræ magnitudinis & pulchritudinis, omnia ex bisso cum funibus. Præterea pallia serica preciosissima, odores, aromata & balsama, & horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo XII. horarum cursus ad clepsidram vertebatur, cum totidem æreis pillulis quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cimbalum tinnire faciebant. Erantque in ipso XII. *Caballarii qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impetu egressionis suæ XII. fenestras quæ prius erant apertæ, claudebant: & alia multa erant in ipso horologio, quæ nunc enumerare longum est. Præterea candelabra duo ex auricalco miræ magnitudinis & proceritatis. Quæ omnia Aquis palatio

a nobis conspicitur

al. equites

plario ad Imperatorem delata sunt. Imperator legatum & monachos per aliquantum tempus secum retinens, in Italiam direxit, atque ibi eos tempus nauigationis expectare jussit. Eodem anno Burchardum comitem stabuli sui cum classe misit in Corsicam, vt eam à Mauris, qui superioribus annis illuc prædatum venire consueuerant, defenderet. Mauri autem, solito more, de Hispania egressi, primo Sardiniam appulsi sunt, ibique Sardis prælio inito, victi sunt, & occisi sunt * quinque milia Maurorum. Inde in Corsicam peruenerunt. Ibi cum Burcardo præliantes, victi & fugati sunt, amissis tredecim nauibus. Illo anno Mauri in omnibus locis aduersâ fortuna periclitati sunt, sicut ipsi testabantur, eo quod anno superiore contra omnem justitiam de Datalaria insula sexaginta monachos asportatos in Hispaniam vendiderunt, quorum aliqui per liberalitatem domni Imperatoris Caroli itemum in sua loca conuersi sunt. Niceta verò patricius qui cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pipino rege, & indutiis vsque ad mensem Augustum constitutis, statione soluta Constantinopolim regressus est. Et dominus Imperator celebrauit Aquis Natale & Pascha. Ipso tempore hiems molissima ac pestilens fuit, & vere inchoante, Imperator Nouiomagum profectus est, vbi quadragesimale jeiunium & Pascha celebrauit, & regressus est Aquis. Et quia nuntiabatur Godofredum Regem Danorum in Abodritos cum exercitu traiecisse, Carolum filium suum ad Albiam cum valida Francorum & Saxonum manu misit, jubens væsano regi resistere, si Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Sed Rex Danorum statiuis per aliquot dies in littore habitis, & expugnatis aliquot Sclauorum castellis & captis, audito aduentu Francorum cum damno reuersus est. Drascomem ducem Abodritorum jam pepulerat à loco, & Godelaibum alium ducem dolo captum patibulo suspenderat, & duas partes Abodritorum sibi vectigales fecerat: sed optimos militum suorum & manu promptissimos amisit, & filium fratris sui nomine Reginoldum, qui in oppugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfectus est. Filius autem Imperatoris domnus Carolus Albiam ponte junxit, & ad Linones & Smeldingos qui & ipsi ad Godofredum defecerant, celeriter venit, & populatis illis circumquaque, transito iterum flumine cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit. Erant cum Godofredo in expeditione Sclaui qui dicuntur Wilzi, qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abodritis habere solebant, sponte se copiis coniunxerunt: qui similiter ad propria fugerunt. Gotefridus verò destructo emporio, quod in Oceani littore constitutum lingua Danorum Reric dicitur, & magnam regno illius commoditatem vectigalium persolutione præstabat, translatis inde negotiatoribus ad portum * Liestrop veniens, vallum ibi constituit ab Orientali maris sinu quem illi Oesterfalt vocant, vsque ad Occidentalem Oceanum totam Ægidoræ fluminis Aquilonalem ripam munimento prætexens, dimissâ vna tantum porta, per quam carri & equites emitti & recipi possent. Interea Rex Nordanimbrorum * id est de Irlanda insula Britanniæ, nomine Eardulfus regno & patria pulsus ad Imperatorem venit, dum adhuc Nouiomago moraretur. Et patefacto aduentus sui negotio Romam proficiscitur, Romaq; rediens per Legatos Leonis Papæ & domni Imperatoris in regnum suum deductus honorifice receptus est. Legatus Papæ fuit Aldulfus diaconus de ipsa Britanniæ natione Saxo, & missi Imperatoris fuerunt duo Abbates Hruotfridus notarius, & Nantarius de sancto Otmaro. Imperator verò ædificatis per legatos suos duobus castellis ad Albim fluuium, & præsidio in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquisgrani hiemauit, & ibi celebrauit Natale domini & sanctum Pascha. Tunc classem de Constantinopoli missâ primo Dalmatiam, dein Venetiam appulit. Inde ad insulam Comiadum accessit, & commisso prælio * cum castellanis Francorum victa & fugata Venetiam rediit. Paulus autem dux, qui classi præerat, cum de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi hoc sibi esset iniunctum, apud dominum Pipinum Regem Italiæ moliretur agere, Wilarenus & Beatus duces Venetiæ insidias ei parabant, & ille eorum fraude cognita discessit. At in Occiduis partibus

Scieftzbrop

de Britannia

contra præsidium al.

bus domnus Ludouicus Rex Hiſpaniam intrans Dertoſam ciuitatem in ripa Hiberi fluminis obſedit: & poſt menſis vnius circulum, cum eam videret non poſſe cito capi, & omnis Hiſpania de Sarracenis contra eum congregaretur, dimiſſa obſidione cum incolumi exercitu in Aquitaniam ſe recepit. Miſſis verò Papæ & Imperatoris de Irlanda reuertentibus, Aldulfus diaconus vnus ex eis captus eſt à piratis, & ductus in Britanniam, & à quodam regis Cœnulfi homine redemptus Romam reuerſus eſt. Cæteri ſani in Franciam reuerſi ſunt. Tunc deprædata eſt à Græcis qui Orobiotæ vocantur, Populonium ciuitas Tuſciæ. Mauri quoque de Hiſpania Corſicam ingreſſi in ſabbato ſancto Paſchæ ciuitatem quandam diripuerunt, & præter Epiſcopum & paucos ſenes & infirmos nihil in ea reliquerunt. In terra Gotefridus Rex Danorum per negociatores quoſdam mandauit ſe audiſſe, quod Imperator eſſet ei iratus propter exercitum in Abodritos anno ſuperiore ſeductum vt ſuas vlciſceretur iniurias, & quia obiiciebatur & fœderis irruptio, petiit vt conuentus comitum Francorum & ſuorum juxta terminos Regni ſui trans Albiam fieret, profeſſus ſe emendare velle domno Imperatori ſi quid contra eum egiſſet. Timebat enim ne domnus Imperator Carolus exercitũ Francorum mitteret ſuper Danos. Non refutauit Imperator, colloquiumq; trans Albiam habitum cum primoribus Danorum in loco qui dicitur Melac, ſed non bene finito placito diſceſſum eſt. Traſco vero dux Abodritorum petiit auxilium ab Imperatore, poſtquam filium ſuum poſtulanti Gotefredo obſidem dederat, qui miſit cum eo Saxones ſuper Wilzos & agros eorum igni & gentem ferro dauaſtauerunt, & cum præda reuerſi ſunt. Iterum Franci cum Saxonibus Smeldingorum maximam ciuitatem expugnant, & his ſucceſſibus omnes qui ab Imperatore defecerant, ad ſuam ditionem reuertuntur.

His ita geſtis Imperator de Ardenna Aquis reuerſus menſe Nouembri, Conſilium habuit de Spiritu ſancto procedente à Patre & filio. Quam quæſtionem Johannes quidam monachus Hieroſolymis primo commouit. Cuius definiendæ cauſa Bernarius Epiſcopus Cormaricenſis, & Aſius Epiſcopus Warmantiæ, & Adalardus Abbas monaſterii Corbeiæ miſſi ſunt Romam ad Leonem Papam. Agitatum eſt & in eodem conſilio de ſtatu eccleſiarum & conuerſatione eorum qui in eis domino ſeruiunt. Nec aliquid tamen definitum eſt propter rerum, vt videbatur, magnitudinem. Imperator autem cùm ei multa de jactantia & ſuperbia Regis Danorum nunciarentur, ſtatuit trans Albiam fluuium ciuitatem ædificare, Francorumque in ea ponere præſidium. Cumque ad hoc per Galliam atque Germaniam exercitum congregaſſet, armisque ac cæteris ad vſum neceſſariis rebus inſtructos per Freſiam ad locum deſtinatum ducere juſiſſet, Traſco dux Abodritorum in emporio Reric ab hominibus Godefridi per dolum interfectus eſt. Sed Imperator poſtquam locus ciuitati conſtituendæ fuerat exploratus, Ægbertum comitem huic negotio exequendo præficiens. Albiam traiicere & locum juſſit occupare. Eſt autem locus ſuper ripam Sturiæ fluminis vocabulo Eſſelfelt, & occupatus ab Ægberto & comitibus Saxonicis circa Idus Martias, & muniri cœptus eſt. Ipſo tempore Aureolus comes * de genere Felicis Aureoli Petragoricenſis Comitis qui in commercio Hiſpaniæ atque Galliæ trans Pyreneum contra Oſcam & Cæſar-Auguſtam reſidebat, defunctus eſt, & Amoroz præfectus Cæſar-Auguſtæ & Oſcæ miniſterium eius inuaſit, & in caſtellis illius præſidia diſpoſuit: miſſaque ad Imperatorem legatione, ſeſe cum omnibus quæ habebat in deditionem illi venire velle promiſit. Tunc eclipſis Lunæ VII. Kal. Jan. contigit. Et Amoroz Cæſar-Auguſtæ præfectus poſtquam Imperatoris legati ad eum peruenerunt, petiit vt colloquium fieret inter ipſum & Hiſpanici limitis cuſtodes, promittens ſe in eo colloquio cum ſuis omnibus in Imperatoris ditionem eſſe venturum. Imperator autem hoc annuit, ſed multis interuenientibus cauſis, remanſit imperfectum. Mauri verò de tota Hiſpania cum maxima claſſe primo Sardiniam, deinde Corſicam appulerunt, & nullo in ea inuento præſidio, inſulam pene totam ſubegerunt. Interea Pipinus Rex

deſunt hæc in pluribus ex.

Rex perfidia ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terra marique jussit appetere. Subiectaque Venetia ac ducibus eius in deditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Et cum Paulus Cefalaniæ prefectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum aduentaret, regia classis ad propria regreditur. * Rotrudis filia Imperatoris quæ natu maior erat VIII. Id. Jun. obiit. Imperator verò Aquisgrani adhuc agens, & contra Gotefredum regem expeditionem meditans, nuntium accepit classem ducentarum nauium de Nortmannia Frisiam appulisse, totasque insulas Fresiaco litori adiacentes esse vastatas, & jam exercitum illum incontinenti esse, ternaque prælia cum Fresonibus commissa, & Danos victores tributum victis imposuisse, & vectigalis nomine centum libras argenti à Fresonibus jam esse solutas, regem verò Gotefredum domum esse reuersum, & reuera ita erat. Imperator valde concitatus congregauit exercitum de omnibus regionibus imperii sui, & ipse sine mora à Palatio exiit volens primitus classi occurrere, deinde transmisso Reno in loco qui dicitur Lippia, copias, quæ nondum conuenerant expectabat. Ubi dum aliquot dies moraretur, Elephas ille quem ei rex Sarracenorum Aaron miserat, morte subita moritur. Congregato exercitu, celeriter ad Alaram fluuium contendit, & castra posuit juxta * fluuium Corug, qui in Wisoræ fluuio coniungitur, & Gotefredi regis præstolatur aduentum. Nam ille Rex Daniscus inflatus vana spe victoriæ, jactabat se congredi velle in acie cum domno Imperatore. Dum Imperator per dies XV. ibi eum expectaret veniunt ad eum nuntii qui dixerunt, quod classis quæ Fresones vastabat regressa est, & Gotefredus Rex à suo satellite interfectus est: & quia castrum * obuoki Albiæ flumini appositum, in quo erat Odo legatus Imperatoris & Orientalium Saxonum præsidium, captum est à Wilzis: & quod Pipinus Rex filius eius obierat. Duæ quoque aliæ legationes venerunt ei, vna de Constantinopoli, altera de Corduba pacem facere cum eo. Quibus ille acceptis, & disposita pro temporis conditione Saxonia, reuersus est in Franciam. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt pene nullus tanto exercitui superesset. Et non solum ibi, sed etiam per omnes Imperatori subiectas prouincias mortalitas boum valde grassata est. Imperator Aquisgrani veniens, mense Octobri memoratas legationes audiuit, & pacem fecit cum Niceforo Imperatore, & cum Ambulaz rege Hispaniæ: Nam Nicifero Venetiam reddidit, & Adimricum Comitem olim à Sarracenis captum Ambulaz remittente, recepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt. Sol * VIII. Id. Junij & pridie Kal. Decemb. Luna XI. Cal. Julij & VIII. Cal. Januar. Corsica vero insula iterum à Mauris capta est, & Ammorroz ab Ambulaz filio Abdirraman de Cæsar-Augusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. Gotefredo Danorum rege mortuo, Emmingus filius fratris eius in regnum successit, & pacem cum domno Carolo Imperatore fecit.

Hrudtrude

al. confluentē eius

holsbuoki

al. VII.

al. XVIII.

Absolutō itaque & dimisso Arsafio Spatario legato Nicifori Imperatoris, eiusdem pacis confirmandæ gratia legati ab Imperatore Constantinopolin mittuntur, Haido Episcopus Baslensis, & Hug Comes Turonicus, & * Aigo comes de Foro-Julij, & Leo quidam Spatharius natione Siculus, & Wilericus Dux Veneticorum: quorum alter ante annos X. Romæ ad Imperatorem cum ibi esset de Sicilia profugus, & redire volens in patriam remittitur: alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinoplim ad dominum suum duci jubetur. Condicta inter Imperatorem & Hemmingum regem Danorum pax propter hiemis asperitatem qua inter partes commeandi via claudebatur, in armis tantum jurata servatur, donec redeunte veris temperie, apertis viis, congregati sunt ex vtraq; parte Francorum & Danorum duodecim primores ex vtraq; parte super fluuium Egidoram in loco qui vocatur † datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pacem firmauerunt. Primores de parte Francorum hii fuere: Wala Comes filius Bernardi, Burchardus Comes, Ulrocus Comes, Vodo Comes, Bernardus Comes, Egberdus Comes, Theodoricus

Aio Langobard

Comes

Comes, Abo Comes, Osdag Comes, Wignan Comes. Imperator pace confirmata cum Emingo, placitum suum habuit Aquis, & in tres partes regni sui totidem exercitus dimisit, vnum trans Albiam in Linones quos vastauit, & castellum Heobuoki superiori anno à Wilzis destructum in ripa Albiæ fluminis restauravit: Alterum in Pannonias ad controuersiam Hunorum & Sclauorum finiendam: Tertium in Britones ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus prosperè gestis, incolumes regressi sunt ad Imperatorem. Ipse autem propter classem quam anno superiore fieri imperauit videndam, ad Bononiam ciuitatem maritimam accessit. Farumque ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam restaurauit, & in summitate eius nocturnum ignem accendit. & inde ad Scaldim veniens fluuium in loco qui dicitur Gant, naues ad eandem classem ædificatas aspexit, & medio Nouembrio Aquas rediit, & obuiauerunt ei legati Emmingi regis Aiouim & Hebbi, cum muneribus & pacificis verbis. Venerunt etiam Aquas de Pannonia duci principes Auarum & Tudun & alii Cazauci & primores Sclauorum circa Danubium habitantium cum muneribus. Carolus verò filius domni Imperatoris qui maior natu erat, obiit 11. Non. Decemb. Imperator Aquis hiemauit. Non multo post Hemmingus Danorum Rex defunctus est. Cui cum succedere voluissent in regno Sigefredus nepos Gotefredi regis & Anulo nepos Herioldi & ipsius Regis, commisso inter se prælio ambo moriuntur. Pars tamen Anulonis adepta victoria, fratres eius Herioldum & Raginfredum Reges sibi constituit, & omnes in eis consenserunt. Cæciderunt in eo prælio ex vtraque parte decem millia nongenti XL. Niceforus Imperator post multas & insignes victorias in Moesia prouincia commisso cum * Bolgris prælio moritur, & Michael gener eius Imperator factus est. Qui legatos domni Imperatoris Caroli qui ad Niceforum missi fuerant, Constantinopoli suscepit & absoluit. Cum quibus & legatos suos direxit Michaelem Episcopum & Arsaphium & Theognostum protospatarios & per eos pacem à Niceforo inceptam confirmauit. Nam Aquisgrani venientes ad Imperatorem scriptum pacis ab eo in Ecclesia susceperunt, & Græca lingua laudes ei dixerunt Basileum eum appellantes. Et reuertentes Romam in Basilica sancti Petri eiusdem fœderis libellum à Leone Papa denuo susceperunt. Tunc Imperator generali conuentu Aquis solemniter habito, Bernardum filium Pipini nepotem suum in Italiam misit, & propter famam classis quæ de Africa & Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, Walanem filium Bernardi patruelis sui cum illo esse jussit, quoadusque rerum euentus securitatem nostris adferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit: & ea quæ ad Sardiniam est delata, tota deleta est. Tunc classis Normannorum Hiberniam Scotorum insulam aggressa, commisso prælio cum Scotis, innumerabilis multitudo Normannorum extincta est, & turpiter fugiendo reuersi sunt. Pax facta est cum Ambulaz Rege Sarracenorum & cum duce Beneuentanorum Grimoaldo, & tributi nomine XXV. millia solidorum auri à Beneuentanis soluta. Tunc expeditionem fecit ad Wilzos, & ab eis obsides accepit. * Eroldus autem & Reginfredus Reges Danorum missa ad Imperatorem legatione, pacem petunt, & fratrem suum Emmingum sibi remitti rogant. Hoc anno Idibus Maij post meridiem eclipsis solis fuit, & Imperator Aquisgrani hiemauit. Incipiente quoque verno Amalharium Treuerensem Episcopum & Petrum Abbatem monasterii Nonantulas propter pacem confirmandam cum Michaele Imperatore Constantinopolim misit. Deinde habito Aquisgrani generali conuentu, filio suo Ludouico Regi Aquitaniæ coronam imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit, & Bernardum nepotem suum filium Pipini filii sui Italiæ præfecit, & Regem appellari jussit. Concilia quoque jussu domni Caroli Imperatoris super statum Ecclesiarum corrigendum, per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt. Quorum vnum Mogontiaci, alterum Remis, Tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelati congregatum est. * Constitutiones quæ in singulis factæ sunt, coram Imperatore perfectæ sunt,

Bulgaris

Marieldus

vet. Collatio coram Imperatore in illo conuentu habita quæ qui

sunt, quas qui nosse voluerit, in ipsis ciuitatibus inuenire poterit, quanquam & in Archiuo Palatij exemplaria illorum habeantur. De hoc conuentu Imperator misit primores Francorum & Saxonum trans Albiam ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis facerent secundum petitionem Regum illorum, & fratrem eorum redderent. Occurrerunt ipsis sedecim de primatibus Danorum, & iuramentis factis ex vtraque parte, pax confirmata, & Regum frater eis redditus est. Dani vero euntes ad Westarfoldam, quæ regio vltima regni eorum inter Septentrionem & Occidentem sita contra Aquilonem Britanniæ summitatem respicit, perdomuerunt ipsam regionem. Cumque reuerterentur, alij Dani cum filiis Gotefredi regis insidias eis parantes congressi sunt cum eis, & eos de regno expulerunt. Mauris præterea de Corsica ad Hispaniam cum præda multa redeuntibus, Ermengarius comes Emporitanus in Maiorica insidias posuit, & octo naues eorum cepit, in quibus quingentos & eo amplius captiuos Christianos inuenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centum-cellas Tusciæ ciuitatem, & prouinciam Narbonensem vastant. In de Sardiniam aggressi, commisso cum Christianis prælio victi sunt, & multis suorum amissis, fuga reuersi sunt. At Michaël Imperator Bulgaros bello appetens victus est, & domum reuersus deposito diademate Monachus efficitur, dicens se esse indignum Imperio, quia victus fuerat. In cuius locum Leo Imperator constituitur filius Patricij pardi. Crumas verò Rex Bulgarorum, qui Niceforum Imperatorem ante duos annos interfecerat, & Michaelem de Moesia fugauerat, secundis rebus elatus, cum magno exercitu Constantinopolim obsedit, & iuxta portam ciuitatis castra posuit. Quem ante mœnia vrbis equitantem, Leo Imperator, eruptione facta super eum irruens, grauiter vulneratum fugere compulit, & in patriam turpiter redire, vbi de ipso vulnere post tres dies mortuus est. Domnus verò piissimus & gloriosissimus Imperator Carolus dum Aquisgrani hiemaret, anno septuagesimo primo ætatis suæ, regni autem quadragesimo septimo, subactæ autem Italiæ XLIII. ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est anno XIIII. quinto decimo Cal. Feb. rebus humanis excessit, sepultus Aquis in Basilica sanctæ Dei genitricis quam ipse construxerat. Corpus eius aromatizatum est, & in sede aurea sedens positum est, in curuatura sepulchri, ense aureo accinctus, Euangelium aureum tenens in manibus & genibus reclinatis humeris in cathedra, & capite honestè erecto ligato aurea cathena ad diadema. Et in diademate lignum sanctæ Crucis positum est. Et repleuerunt sepulchrum eius aromatibus, pigmentis & balsamo, & muscо, & thesauris multis in auro. Vestitum est corpus eius vestimentis Imperialibus, & sudario sub diademate facies eius operta est. Cilicium ad carnem eius positum est, quod secreto semper induebatur, & super vestimentis Imperialibus peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat. Sceptrum aureum & scutum aureum, quod Leo Papa consecrauerat, ante eam posita sunt dependentia. & clausum & sigillatum est sepulchrum eius. Nemo autem referre potest quantus planctus & luctus pro eo fuerit per vniuersam terram: etiam inter paganos plangebatur quasi pater orbis. Maximus verò planctus inter Christianos fuit, & præcipue per vniuersum regnum eius. Oleo autem sancto inunctus ab Episcopis, & viatico sumpto, & omnibus suis dispositis, commendans domino spiritum suum, obiit in pace anno octingentesimo quarto decimo ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi. Qui viuit & regnat solus Deus in secula seculorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

THEGANI CHOREPISCOPI TREVIRENSIS OPVS DE GESTIS DOMNI LVDEWICI IMP.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

WALAFRIDI STRABONIS ABBATIS AVGIENSIS AD THEGANVM PRÆFATIO

Hoc opusculum in morem Annalium, Thegan natione Francus Treuirensis Ecclesiæ Chorepiscopus breuiter quidem & vere potius quam lepide composuit. In cujus quibusdam sententiis quod effusior & ardentior in loquendo videatur, vt vir nobilis & acris animi, de indignitate vilium personarum dolor suggessit, tacere non potuit, præterea nimius amor justitiæ & executoris eius Christianissimi Imperatoris, Zeli naturalis exaggerauit dolorem. Vnde, quantum sit, opus eius pro bona voluntate non fastidiendum pro quantulacunq; rusticitate. Nouimus & nos virum multa lectione instructum, sed prædicationis & correctionis studiis occupatum. Huic opusculo ego STRABO *quasdam incisiones & capitula inserui, quia sanctæ memoriæ Ludouuici Imperatoris gesta, & laudes sæpius audire cupio vel proferre, vt facilius volentibus scire, singula pateant titulorum compendio.*

I. *Series regij generis Francorum à beato Arnulfo vsque ad Carolum magnum & eius consecratio.*

II. *De Hiltigarda & filiis eius tribus.*

III. *De Ludouuico juniore duobus & de bonitate eius cum exemplis antiquorum.*

IV. *De Irmengarda regina & filiis ex ea natis.*

V. *Mors Pippini & Karoli filiorum Imperatoris Karoli.*

VI. *Qualiter Karolus Imperator Ludouuico cum consensu Francorum regni summam commisit.*

VII. *Quid circa vltima tempora idem Imperator fecerit, & mors ac sepultura eius.*

VIII. *Ludouicus patri succedens qualiter res paternas distribuit.*

IX. *Legatos diuersos & maxime Græcorum suscepit & absoluit.*

X. *Quomodo decreta patrum suorum roborauerit.*

XI. *Beneuentanorum legatio censum professa.*

XII. *Bernhardus Pipini filius patruo se subdidit.*

XIII. *Quomodo legatis in totum regnum directis quæq; emendanda didicit & correxit.*

XIV. *Habito in Saxonia placito Danorum legatos & Bernhardum suscepit & remisit.*

XV. *Contra Sclauos exercitum misit & vicit.*

XVI. *Qualiter Stephanus Papa Leoni succedens in Franciam venit, & Remis Regi occurrit.*

XVII. *Quomodo idem Papa eum Imperatorem consecrauit, & mutuis donis se honorarunt.*

XVIII. *Mortuo Stephano Paschalis successit.*

XIX. *De moribus Pij Imperatoris & & quotidiano vsu & multiplici laude eius.*

XX. *De incongrua ignobilium ad Ecclesiasticas dignitates promotione & vitiis.*

XXI. *Lotharium pater Imperatorem designauit.*

XXII. *Coniuratio Bernhardi contra Imperatorem detecta atque deuicta.*

XXIII. *Plenitudo Imperatoris pro morte Bernhardi.*

XXIV. *Imperator fratres suos habitum mutare fecit.*

XXV. *Murmanus Britto occiditur, & Irmengardis moritur.*

XXVI. *Judith in regnum assumpta.*

XXVII. *Exercitus contra Lidait missus.*

XXVIII. *Quando Lotarius Irmengardam accepit vxorem.*

XXIX. *Lotarius in Italiam missus.*

XXX. *Purgatio Paschalis Papæ de obiectis coram legatis Imperatoris: quo mortuo successit Eugenius Papa.*

XXXI. *Imperator rursus Britanniam vastauit.*

XXXII. *Legati Bulgarum suscepti & remissi.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXXIII. *Herioldus Nortmannus cum suis Christianus effectus.*
XXXIV. *Exercitus obuiam Saracenis missus.*
XXXV. *Imperator Karolo filio suo Alamanniam & Retiam dedit.*
XXXVI. *Quam vim Pippinus cum perfidis primoribus patri intulit, & dehonestatio Judith ac fratrum eius.*
XXXVII. *Qua auctoritate Imperator inimicos deuicit & Reginam accepit.*
XXXVIII. *Vbi se Bernhardus purgauit de obiectis.*
XXXIX. *Prima eruptio Ludeuuici contra patrem, quæ reconciliatione sancta est.*
XL. *Lotharius ab huius eruptionis consilio se immunem voluit approbare.*
XLI. *Quando Pippinus à patre jussus ire in Franciam fuga relapsus est.*
XLII. *Quæ gesta sunt apud campum mendacij.*
XLIII. *Quam grauia sustinuit piissimus Imperator maxime apud Compendium.*
XLIV. *Inuectio in Hebonem & similes.*
XLV. *Legati Ludeuuici ad Lotharium pro patre mittuntur.*
XLVI. *Collocutio eorum apud Megantiam.*
XLVII. *Legati Ludeuuici ad patrem veniunt.*
XLVIII. *Qualiter liberatus est a Lothario Imperator & Hebo comprehensus.*
XLIX. *De Indulgentia Pij Imperatoris & patientia.*
L. *De ignobilibus consiliariis vitandis vel supprimendis.*
LI. *Reuocatio Judith Imperatricis de Italia.*
LII. *Gesta apud ciuitatem Canallonum à Lothario.*
LIII. *Ammonitio patris ad Lotharium per legatos directa.*
LIV. *Quomodo ad patrem Lotharius reuerti consensit.*
LV. *Quibus pactis ab inuicem discesserunt & quæ pœna perfidorum.*
LVI. *Hebo à gradu Episcopali detectus.*
LVII. *Mittuntur legati Imperatoris à Lugduno ad Lotharium.*
LVIII. *Mors Berngarij & conclusio libelli.*

Expliciunt Capitula.

INCIPIT OPVS THEGANI CHOR. EPISCOPI TREVIRENSIS DE GESTIS DOMNI LVDEWICI IMPERATORIS.

REGNANTE Domino nostro Jesu Christo Anno incarnationis eius octingentesimo tredecimo; qui est annus regni glorioſi & orthodoxi Imperatoris Karoli quadragesimus quintus, illius Karoli qui de prosapia Sancti Arnulfi Pontificis Christi ortus est, sicut paterno relatu didicimus, & multæ testantur historiæ: Sanctus Arnulfus cum esset in iuuentute dux genuit Ansgisum ducem. Ansgisus dux genuit Pippinum seniorem & ducem. Pippinus senior & dux genuit Karolum seniorem & ducem. Karolus senior & dux genuit Pipinum, quem Stephanus Pontifex consecrauit & vnxit in regem. Pippinus rex genuit Karolum, quem Leo Papa Romanus consecrauit & vnxit ad Imperatorem in Ecclesia, vbi beatissimum corpus principis Apostolorum Petri requiescit, die natalis Domini nostri Jesu Christi.

II. Qui cum in iuuentute erat supradictus Imperator sibi nobilissimi generis Sueuorum puellam nomine Hiltegardam, quæ erat de cognatione Gothefridi ducis Alamannorum. Gothefridus dux genuit Houchingum, Houchingus genuit Nebi, Nebi autem genuit Immam, Imma verò peperit Hilthegardam beatissimam reginam

reginam. Postquam eam supradictus Imperator in matrimonio assumpsit, genuit ea tres filios, quorum vnus vocabatur nomine patris sui Karolus, alter vero Pippinus qui erat Rex super Italiam: Tertius vero vocabatur Ludeuuicus, qui erat Rex super Aquitaniam. Dum viuebat pater eorum cum eis, feliciter & vtiliter instruebat eos liberalibus disciplinis & mundanis legibus.

III. Sed ille qui iunior natu erat, semper ab infantia sua timere Deum & amare didicerat, & quicquid super se habebat propter nomen Domini pauperibus distribuebat. Erat enim optimus filiorum eius, sicut ab exordio mundi frequenter iunior frater seniorem fratrem meritis præcedebat. In filiis primi parentis generis humani primo declaratum est, quod Dominus in Euangelio suo Abel iustum nominauit. Abraham duos filios habuit, sed iunior melior seniore effectus est. Iesse multos filios habuit, sed nouissimus qui erat pastor ouium, ad regni gubernacula super omnem Israëlem Domino iubente in regem electus & vnctus est. De cuius semine olim Christus promissus incarnari dignatus est. Talia & similia enumerare prolixum est.

IV. Suprafatus vero Ludeuuicus postquam ad ætatem peruenit, desponsauit sibi filiam nobilissimi ducis Ingorrammi, qui erat filius fratris Ruthgangi sancti pontificis. Supradicta vero virgo Irmingarta vocabatur, quam consilio & consensu patris reginam constituit, atque ex ea tres filios habuit adhuc patre viuente, quorum vnus vocabatur Lotharius, alter Pippinus, tertius æquiuocus eius Ludeuicus.

V. Imperator autem magnus Karolus bene & vtiliter regebat & diligebat regnum suum. Anno regni eius quadragesimo secundo obiit Pippinus filius eius anno ætatis suæ XXXIII. Sequenti vero anno Karolus primogenitus eius, & regina supradicta Hiltegarta obiit. solus Ludeuuicus ad regni gubernacula remansit.

VI. Supradictus vero Imperator cum iam intellexisset appropinquare sibi diem obitus sui (senuerat enim valde) vocauit filium suum Ludeuuicum ad se cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco positis, habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani palatio, pacifice & honeste ammonens vt fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes à maximo vsque ad minimum, si eis placuisset vt nomen suum, id est Imperatoris, filio suo Ludeuuico traderet. Illi omnes responderunt Dei esse admonitionem illius rei. Quo facto in prima die Dominica ornauit se cultu regis & coronam capiti suo imposuit, incedebatque clare vestitus & ornatus sicut eum decuerat. Perrexit ad Ecclesiam quam ipse à fundamentis construxerat, peruenitque ante altare in eminentiori loco constructum cæteris altaribus & consecratum in honorem Domini nostri Iesu Christi, super quod coronam auream aliam quam ipse gestabat in capite suo, iussit poni. Postquam diu oraucrunt ipse & & filius eius, locutus est ad filium suum coram omni multitudine pontificum & optimatum suorum, ammonens eum imprimis omnipotentem Deum diligere & timere, eius præcepta seruare in omnibus, Ecclesias Dei gubernare & defendere à prauis hominibus: Sororibus suis & fratribus qui eorum natu iuniores, & nepotibus & omnibus propinquis suis indeficientem misericordiam semper ostendere præcepit, deinde sacerdotes honorare vt patres, populum diligere vt filios, superbos & nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere, cœnobiorum consolator & pauperum esse. Fideles ministros & Deum timentes constitueret, qui munera iniusta odio haberent. Nullum ab honore suo sine causa discretionis eiiceret, semetipsum omni tempore coram Deo & omni populo irreprehensibilem demonstraret. Postquam hæc verba & alia multa coram multitudine filio suo ostenderat, interogauit si obediens voluisset esse præceptis suis. At ille respondit: Libenter obedire, & cum Dei adiutorio omnia præcepta quæ mandauerat ei pater, custodire. Tunc iussit eum pater vt propriis manibus coronam quæ erat super altare eleuaret, & capiti suo imponeret ob recordationem omnium præcepto-

præceptorum quæ mandauerat ei pater. At ille iussionem patris implenit. Quo fa-
cto audientes missarum solemnia ibant ad palatium. Sustinuit enim filius patrem
eundo & redeundo quamdiu cum eo fuerat filius. Non post multos dies magnifice
donis honorauit eum pater suus, & dimisit eum ire in Aquitaniam. Antequam
diuisi essent, amplexantes se & osculantes propter gaudium amoris flere cepernnt.
Ille perrexit in Aquitaniam, & Dominus Imperator tenuit regnum & nomen suum
honorificè sicut dignum erat.

VII. Postquam diuisi fuerant, Dominus Imperator nihil aliud cepit agere ni-
si in orationibus & eleemosinis vacare, & libros corrigere. Nam quatuor Euange-
lia Christi quæ intitulantur nomine Matthei, Marci, Lucæ & Iohannis in vltimo
ante obitus sui diem cum Græcis & Syris optime correxerat. Sequenti verò anno
qui est annus regni eius XLVI. mense Ianuario accepit Dominum Imperatorem de-
bris post balneum. cumque per singulos dies laboribus ingraueſceret, nihil or-
medens neque bibens, nisi modicum aquæ ad recreationem corporis septimo die
postquam laborare cœpit, iussit familiarissimum Pontificem suum Hiltibaldum
venire ad se vt ei sacramenta Dominici corporis & sanguinis tribueret, vt exitum
suum confirmaret. Quo facto laborauit in infirmitate diem illum & noctem se-
quentem. In crastinum verò luce adueniente, sciens quod facturus erat, extensa
manu dextera virtute qua poterat signum sanctæ crucis fronti imprimens & super
pectus & omne corpus consignauit. Nouissimè autem colligens pedes suos, exten-
dens brachia & manus super corpus, clausit oculos psallens hunc versum leniter: In
manus tuas commendabo spiritum meum. Statim post hæc in senectute bona ple-
nus dierum perrexit in pace, ipsóque die humatum est corpus eius in Ecclesia quam
ipse construxerat Aquisgrani palatio anno ætatis suæ LXXII. Indict. VII.

VIII. Post obitum glorioſissimi Imperatoris Karoli perrexit Ludeuuicus ad
partibus Aquitaniæ, & venit Aquisgrani palatium, & suscepit omnia regna quæ
Deus tradidit patri suo sine vlla contradictione. Qui est annus incarnationis Do-
mini octingentesimus decimus quartus, qui est primus annus regni eius, post pa-
trem sedit in supradicto palatio, & in primis cum maxima festinatione iussit offerri
re sibi omnes thesauros patris in auro, in argento, in gemmis preciosissimis, & in
omni supellectili. Dedit sororibus suis partem earum legalem, & quicquid re-
manserat dedit pro anima patris. Maximam partem thesauri misit Romam tem-
poribus beati Leonis Papæ, & quicquid super hoc remanserat, sacerdotibus & pau-
ribus aduenis, viduis orphanisque omnia distribuit, nihil sibi reseruans præter ta-
nam mensam argenteam quæ triformis est in medio quasi tres clipei in vnum con-
iuncti: ipsam sibi retinuit ob amorem patris, & tamen eam alio precio redemit
quod pro patre tradidit.

IX. Hoc facto legati venerunt ad eum ex omnibus regnis & prouinciis, & ex
ceteris nationibus, & omnes qui sub ditione erant patris sui, nuntiantes pacem &
fidem erga eum obseruare, & spontaneum obsequium non coacti obtulerunt. Inter
eos venerunt legati Græcorum cum Amalhario Treuirensi Episcopo, qui erat le-
gatus piæ memoriæ Karoli ad principem Constantinopolitanum, cuius nomen mo-
do non occurrit. Illi venientes in solio patris collocatum dominum Ludeuuicum
inuenerunt, quia sic Deus ordinauit. Ille eos benigne suscipiens, & dona eorum
cum gratiarum actione accipiens, & colloquium familiare interim quousque cum
eo erant, habebat. non post multos autem dies magnis honoribus decorauit eos,
& dimisit ire ad propria, & ante eos misit missos suos præparare eis quicquid de-
rabant ad opus eorum quousque forent in regno.

X. Eodem anno iussit supradictus princeps renouare omnia præcepta quæ fuit
temporibus patrum suorum gesta erant & Ecclesiis Dei, ipse manu propria ea cum
subscriptione roborauit.

XI. Interim venerunt legati Beneuentanorum qui omnem terram Beneuen-
tan

suæ potestati tradiderunt, & multa millia aureorum per annos singulos ad censum tradere promiserunt : quod ita perfecerunt vsque in hodiernum diem.

XII. Eodem tempore venit Bernhardus filius fratris sui Pippini, & tradidit semetipsum ei ad procerem, & fidelitatem ei cum juramento promisit. Suscepit eum libenter dominus Ludeuuicus, & magnis eum ac honorificis donis honorauit, & permisit iterum ire in Italiam.

XIII. Eodem tempore supradictus princeps misit legatos suos supra omnia regna sua inquirere & inuestigare si alicui aliqua in justitia perpetrata esset, & si aliquē inuenissent qui hoc dicere vellet, & cum verissimis testibus hoc probare potuisset, statim cum eis in prouinciam eius venire præcepit. Qui egressi inuenerunt innumeram multitudinem oppressorum aut ablatione patrimonii aut exspoliatione libertatis. quod iniqui ministri Comites & loco positi per malum ingenium exercebant. Omnia supradictus princeps destruere jussit acta quæ impie in diebus patris sui per iniquorum ministrorum ingenia facta fuerant. Patrimonia oppressis reddidit, iniuste ad seruitium inclinatos absoluit, & omnibus præcepta jussit facere, & manu propria cum subscriptione confirmauit. Fecit hoc diu tempore.

XIV. Alio anno regni sui habuit generale placitum suum in partibus Saxoniæ & ibi multa bona constituit, & legatio Danorum ad eum venit postulans pacem, & omnes qui in circuitu erant paganarum nationum ad eum venit, & supradictus Bernhardus ibi ad eum venit, quem dimisit ire iterum in Italiam. Dominus Ludeuuicus, postquam confirmauit confinia regni sui illis in partibus, rediit ad sedem suam Aquis, ibique hiemem transegit.

XV. Anno sequenti misit exercitum suum contra Sclauos in Oriente positos, qui valde oppresserunt eos & victores Deo donante extiterunt. Hoc facto vnusquisque rediit ad propria.

XVI. Eodem anno Leo Papa Romanus obiit & Stephanus post eum successit, qui statim postquam pontificatum suscepit, jussit omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludeuuico, & dirigens legatos suos ad supradictum principem, nuncians ei vt libenter eum videre voluisset in loco vbicunque sibi placuisset. Quod audiens magno tripudio repletus cepit gaudere, & confestim jussit missos suos obuiam ire sancto Pontifici cum salutationibus maximis & seruitia præparare. Perrexit post missos dominus Ludeuuicus obuiam supra dicto Pontifici, obuians ei in campo magno Remensium. Descendit vterque de equo suo, & princeps se prosternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertia vice erectus salutauit Pontificem istis verbis dicens, *Benedictus qui venit in nomine Domini* Deus dominus & illuxit nobis. Et respondit Pontifex, Benedictus sit Dominus Deus noster qui tribuit oculis nostris secundum David regem videre. Amplexantes enim se & osculantes pacifice perrexerunt ad Ecclesiam, qui cum diu orauerunt, erexit se Pontifex & excelsa voce cum clero suo fecit ei laudes regales.

XVII. Postea Pontifex honorauit eum magnis honoribus & multis, & regi-nam Irmengardam, & omnes optimates & ministros eius, & in proxima die Dominica in Ecclesia ante missarum solemnia coram clero & omni populo consecrauit eum & vnxit ad Imperatorem, & coronam auream miræ pulchritudinis & preciosissimis gemmis ornatam, quam secum apportauerat, posuit supra caput eius. Et Irmengardam reginam appellauit Augustam, & posuit coronam auream super caput eius. Quamdiu ibi erat beatissimus Papa, quotidie colloquium habebant de vtilitate sanctæ Dei Ecclesiæ. Post quod dominus Imperator eum honorauit magnis & innumeris donis tripliciter & amplius quam suscepisset ab eo, sicut semper solebat agere, magis dare quam accipere, dimisit eum ire Romam cum legatis suis, quibus præcepit vbique in itinere suo honestum exhibere seruitium.

XIIX. Postquam Romam venit non post multos dies supra modum claruit

Dei manifestatione in nonnullis miraculis, quod ipse verus erat, viuens Dei cultor. Post eum successit Paschalis Papa.

XIX. Inde reuertens dominus Imperator venit Aquisgrani palatium ad sedem suam. Pollebat enim de die in diem virtutibus sacris, quod prolixum est enumerare. Erat enim statura mediocri, oculis magnis & claris, vultu lucido, naso longo & recto, labris non nimis densis nec nimis tenuibus, forti pectore, scapulis latis, brachiis fortissimis, ita vt nullus ei in arcu vel lancea sagittando æquiparare poterat, manibus longis, digitis rectis, tibiis longis & ad mensuram gracilibus, pedibus longis, voce virili, lingua Græca & Latina valde eruditus, sed Græcam magis intelligere poterat quam loqui, Latinam vero sicut naturalem æqualiter loqui poterat. Sensum verò in omnibus scripturis spiritalem, & moralem, nec non & anagogem optime nouerat. Poëtica carmina gentilia quæ in iuuentute didicerat respuit, nec legere nec audire nec docere voluit. Erat fortis in membris suis agilis & impiger, tardus ad irascendum, facilis ad miserandum. Quotiens mane in cottidianis diebus ad Ecclesiam perrexerat causa orationis, flexis genibus fronte tetigit pauimentum, humiliter diu orans, aliquando cum lachrymis: & omnibus moribus bonis semper ornatus intantùm largus, vt antea nec in antiquis libris nec in modernis temporibus auditum est, vt villas regias quæ erant sui & aui & tritaui fidelibus suis tradidit, eas in possessiones sempiternas & præcepta constituxit, & annuli sui impressione cum subscriptione manu propria roborauit. Fecit enim hoc diu tempore. Erat in cibo potuque sobrius, & indumentis suis moderabilis. nunquam aureo resplenduit indumento nisi tantum in summis festiuitatibus, sicut patres eius solebant agere. Nihil illis diebus se induit præter camisiam & feminalia nisi cum auro texta, lembo aureo, baltheo præcinctus & ense auro fulgente, ocreas aureas, & clamidem auro textam, & coronam auream auro fulgentem in capite gestans & baculum aureum in manu tenens. Numquam in risu exaltauit vocem suam, nec quando in festivitatibus ad lætitiam populi procedebant themelici scenæ & mimi cum coraulis & citharistis ad mensam coram eo. tunc ad mensuram coram eo ridebat populus, ille numquam vel dentes candidos suos in risu ostendit. Quotidie ante cibum eleemosinarum largitionem exhibuit, & vbicunque erat Xenodochia secum habebat. In mense autem Augusto quando cerui pinguissimi sunt, venationi vacabat usque dum aprorum tempus aduenerat.

XX. Omnia prudenter & caute agens nihil indiscrete faciebat, præterquam quod consiliariis suis magis credidit quam opus esset: quod ei fecit psalmodiæ occupato & lectionum assiduitas, & aliud quod ille non incipiebat. Quia iamdudum illa pessima consuetudo erat, vt ex vilissimis seruis summi Pontifices fierent, & hoc non prohibuit, quod tamen maximum est malum in populo Christiano, sicut testatur Regum historia de Jeroboam filio Nabath, qui erat seruus regis Salomonis, & post eum principatum habebat super decem tribus filiorum Israël. Refert enim scriptura de eo in hæc verba: Non est reuersus Jeroboam de via sua pessima, sed è contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum, & propter hanc causam peccauit domus Jeroboam, & euersa est & deleta de superficie terræ. Postquam tales culmen accipiunt, numquam sunt sicut antea tam mansueti & sic domestici, vt non statim incipiant esse iracundi, rixosi, maliloqui, obstinati, iniurioſi & minas omnibus subiectis promittentes, & per huiusmodi negotia cupiunt ab hominibus timeri & laudari. Turpissimam cognationem eorum à jugo debitæ seruitutis nituntur eripere & libertatem imponere. Tunc aliquos eorum liberalibus studiis instruunt, alios nobilibus fœminis coniungunt, & propinquas eorum filios nobilium cogunt accipere. Nullus cum eis æquanimiter viuere potest, nisi hi soli qui talem coniunctionem habent: cæteri vero cum maxima tristitia, gemendo, flendo, ducunt dies suos. Propinqui autẽ supradictorum postquã aliquid intelligunt, senes nobiles dete-

dent

dent atque despiciunt, sunt elati, instabiles, inuerecundi, vnicuique tamen partium bonum remanet postquam à se sanctam verecundiam proiicit. Domini conatur. Ibi enim præcipit dicens: Quod si Episcopus pauperes parentes habuerit, tribuatur eis quasi pauperibus vt non res Ecclesiastica pereat. Librum sancti Gregorii qui prætitulatur Pastoralis, nolunt audire. Nullus enim credere potest quomodo se continent, nisi hi soli qui hoc malum sine vlla intermissione patiuntur. Propinqui vero eorum postquam aliquid intelligunt, quod maximum periculum est dantibus & accipientibus, ad sacrum ordinem pertrahuntur, & licet aliqui sint periti, tamen superat eorum doctrinam criminum multitudo, sic plerunque vt pastor in Ecclesia aliquos negligentes noxios ausus non est canonica iustitia prouocare propter crimina propinquorum, & illud sacrum ministerium plerumque à nonnullis valde despicitur, propter quod à talibus exhibetur. Et ideo omnipotens Deus cum regibus suis & principibus hanc pessimam consuetudinem à modo & deinceps eradicare & suffocare dignetur, vt amplius non fiat in populo Christiano. Amen.

XXI. Supradictus verò Imperator denominauit filium suum Lotharium, vt post obitum suum omnia regna, quæ ei tradidit Deus per manus patris sui susciperet, atque haberet nomen & Imperium patris: & ob hoc cæteri filij indignati sunt.

XXII. Ipso eodemque anno Bernhardus filius Pippini & ex concubina natus per exhortationem malorum hominum extollens se aduersus patruum suum, voluit eum à regno expellere, habebatque impios consiliarios hinc inde. Quod audiens Dominus Imperator perrexit Aquisgrani palatio & peruenit Cauillonis, vbi obuiam venit Bernhardus cum consiliariis suis impiis, & commendati sunt. Imperator vero celebrauit ibidem Natalem Domini, & inde reuertens venit ad sedem suam Aquis, & post Pascha habuit magnum conuentum populorum, & omnes inuestigauit infidelium nequissimas conspirationes huius rei. Inuenti sunt autem nonnulli in hac seductione esse lapsi ex vtraque parte Francorum atque Longobardorum, qui omnes iudicati sunt ad mortem præter Episcopos, qui postmodum depositi in confessione eorum facti sunt. Hoc fuit Anshelmus Mediolanensis & Woluodus Cremonensis & Theodulfus Aurelianensis. Illud iudicium mortale quod cæteris factum est, Imperator exercere noluit, sed consiliarij Bernhardum luminibus priuarunt, similiter & exhortatores suos Egitteum Reinhardum & Reginharium qui erat filius filiæ Hardiati, qui erat dux Austriæ infidelissimus, qui iamdudum insurgere in Dominum Karolum voluit, & ei regnum minuere, qui eodem supplicio deputatus est, sicut filiæ suæ filius sustinuit cum consentaneis suis.

XXIII. Tertio die post amissionem luminum Bernhardus obiit. Quod audiens Imperator magno eum dolore fleuit multo tempore, & confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & iudicio eorum pœnitentiam suscepit propter hoc tantum quia non prohibuit consiliarios hanc crudelitatem agere. Ob hanc causam multa dedit pauperibus propter purgationem animæ suæ.

XXIV. Eodem tempore iussit fratres suos tonsurari, Drugonem, Hugonem & Theodoricum ad discordiam mitigandam, & liberalibus disciplinis iussit instrui, quos postmodum honorifice constituit, Drugoni Episcopatum dedit & Hugoni cœnobialia monasteria.

XXV. Tunc perrexit dominus Imperator in partes Brittanniæ cum exercitu, & ibi Murmannus dux eorum interfectus est, & omnem terram eorum suæ ditioni subegit. Inde regrediens inuenit Irmingardam reginam febricitantem, quæ non post multos dies obiit in pace.

XXVI. Sequenti vero anno accepit filiam Welfi ducis qui erat de nobilissima stirpe Bauarorum, & nomen virginis Iudith quæ erat ex parte matris nobilissimi generis Saxonici, eamque reginam constituit. Erat enim pulchra valde. Eodem anno Ingulenheim villa regia generale placitum suum habuit.

XXVII. Sequenti anno exercitum suum misit aduersus Orientales Sclauos, quorum dux nominabatur Liduit, quem in fugam verterunt, & terram illam vastauerunt. Inde regredientes venerunt domum.

XXVIII. Sequenti anno habuit palatium suum generale *, & ibi Lotharius filius suus primogenitus ex regina suscepit in coniugium filiam Hugonis Comitis, qui erat de stirpe cuiusdam Ducis nomine Edith, qui erat timidus super omnes homines. Sic enim cecinerunt ei domestici sui, vt aliquando pedem foris sepem ausus ponere non fuisset. Iam tunc imminebat ei infidelitas, quam per suggestionem supradicti soceri sui & aliorum iniquorum multorum ostendit in patre. Inde regrediens Lotharius venit Wormaciam cum vxore.

XXIX. Sequenti anno habuit generale placitum suum Attiniaco palatio. Inde direxit filium suum Lotharium cum coniuge Irmingarda in Italiam. Dominus vero Imperator perrexit inde & venit ad Franconofurt, ibique natalem Dominicum celebrauit.

XXX. Postea misit legatos suos Adalungum venerabilem abbatem & presbyterum, & Hunfridum qui erat dux super Rethiam, in partibus Romæ propter quandam insolentiam quam Romanorum populus super Romanum Pontificem Paschalem dixit, imputantes ei quod nonnullorum homicida fuisset. Qui supradictus Pontifex cum iuramento purificauit se in Lateranensi patriarchio coram supradictis legatis & populo Romano cum Episcopis XXXIIII. & presbyteris & Diaconibus quinque. Illis missis abeuntibus statim supradictus Papa obiit, cuius funus Romanus populus in Ecclesia B. Petri Apostoli humari noluit antequam Eugenius Papa postea cum successit, & ipse iussit sepelire corpus eius in loco, quem ipse viuus construxerat.

XXXI. Anno sequenti Imperator perrexit alia vice in Britanniam, & omnem terram illam plaga magna vastauit propter infidelitatem eorum.

XXXII. Alio anno erat Aquisgrani palatio cum magno exercitu, & ibi venerunt legati Bulgarorum ferentes dona : quos benigne suscipiens dimisit ire ad propria.

XXXIII. Sequenti vero anno erat in palatio Ingulenheim, & ibi ad eum venit Eriolth de Danis, quem Dominus Imperator eleuauit de fonte baptismatis, & vxorem eius eleuauit de fonte Domina Iudith Augusta. Tunc dominus Imperator magnam partem Frisonum dedit ei, & donis honorificis ornauit eum, & cum legatis suis dimisit eum ire in pace.

XXXIV. Alio anno direxit exercitum obuiam Sarracenis. Sequenti vero anno perrexit de Ingulenheim, & post generale placitum peruenit ad Commercacum.

XXXV. Alio anno venit Wormaciam, vbi & Karolo filio suo, qui erat ex Iudith Augusta natus, terram Alamanicam & Reticam & partem aliquam Burgundiæ coram filiis suis Lothario & æquiuoco suo Ludouuico tradidit, & inde illi cognati vna cum Pippino germano eorum.

XXXVI. Alio vero anno perrexit Dominus Imperator de Aquisgrani palatio, & peruenit ad Compendium, ibique venit ei obuiam Pippinus filius eius cum magnatibus primis patris sui, Hilduino archicapellano, Ieffe Ambianensi Episcopo, Hugone & Mathfrido, & multis aliis perfidis, & voluerunt dominum Imperatorem de regno expellere. quod prohibuit dilectus æquiuocus filius eius. Supradicti impii obiicientes ei multa contraria dixerunt Iudith reginam violatam esse à quodam duce Bernhardo qui erat de stirpe regali & domini Imperatoris ex sacro fonte bapismatis filius, mentientes omnia, suscipientes reginam Iudith, eamque vi velantes & in monastrium mittentes, & fratres eius Conradum & Rudolfum tondentes & in monasterium mittentes &c.

XXXVII. Ipso anno peruenit Dominus Imperator ad Nouiomagum castrum, quod situm est super fluuium quod dicitur * Valum, & multitudo hominum ex omni-

Vahalis

omnibus regnis suis venit ad eum , inter quos venerunt supradicti aduersarij eius , & superauit eos Dominus Imperator , & dimisit eos atque commendauit. Et Lotharius filius eius cum iuramento fidelitatem promisit , vt post hac nunquam talia committere debuisset. Et ibi Jesse iusto iudicio Episcoporum depositus est. Ibi fuit æquiuocus filius eius qui in omnibus laboribus patris adiutor eius extitit. Inde venit Dominus Imperator Aquis ad sedem suam , & supradicta coniux venit ibi obuiam ei , quam honorificè suscepit iubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum iusto iudicio.

XXXIIX. Sequenti vero anno in palatio Theodonis erat cum filiis suis Lothario & Ludeuuico , & ibi supradictus dux Bernhardus purificauit se de obiecto stupro , postquam nullus inuentus est qui ausus fuisset cum armis iam dictam rem ei imponere.

XXXIX. Alio vero anno post Pascha auditum est , quod æquiuocus filius eius cum consilio Lotharij voluisset visitare patrem inhoneste , & venit vsque ad monasterium sancti Nazarij , & modico tempore ibi residens vsque dum pater eius Moguntiam veniens & coadunato exercitu secutus est eum. Filius vero eius supradictus reuertens domum expectauit aduentum patris, & voluit se defendere. Pater itaque veniens iussit cum venire ad se : quem benigne suscipiens habuerunt colloquium pacificum , & non post multos dies cum gaudio magno amore diuiserunt se. Filius domi sedebat , & pater reuersus est in Franciam.

XL. Cum ergo venit ad palatium Franconofurt , ibi obuiam ei venit Lotharius filius eius , postulans patrem vt semetipsum purificare licuisset , quod nec per voluntatem eius nec per exhortationem frater eius vllas molestias patri fecisset. sed quod verum hoc sit , nonnullis est cognitum.

XLI. Interim quo Rex ibi manebat , auditum est quod Pippinus filius eius aliquam commotionem patri facere voluisset. Qui concite perrexit Lemouicam ciuitatem obuiam ei , iussitque filium ire cum vxore & liberis in Franciam. In primis audiens imperium patris incipiebat ire vsque Theotuuadum palatium , inde reuertens perrexit in Aquitaniam , & Imperator rediens venit ad Aquis sedem suam & fuit ibi non multum tempus. Inde digrediens venit Wormaciam ante sanctum tempus quadragesimale.

XLII. Post Pascha audiuit quod iterum filij sui ad eum venire voluissent non pacifice. qui congregauit exercitum & perrexit obuiam eis vsque in campum magnum qui est inter Argentariam & Basileam , qui vsque hodie nominatur campus mendacij , eo quod ibi plurimorum fidelitas extincta sit. Filij autem eius perrexerunt ei obuiam cum Gregorio Romano Pontifice , & quicquid postulabant nihil erat eis pater consentiens. Non post multos dies venerunt ad colloquium Imperator & iam dictus Pontifex : qui non diu loquentes , honorauit eum Pontifex in primis magnis & innumeris donis. Postquam vterque rediit ad tabernaculum , misit Imperator dona regalia per Alungum venerabilem abbatem & presbyterum supradicto Pontifici. Tunc consiliati sunt nonnulli vt Imperatorem derelinquerent, & ad filios eius peruenirent, in primis illi qui eum antea offendebant cæteris sequentibus. Quadam nocte maxima pars dimisit eum , & tentoria eorum derelinquentes peruenerunt ad filios. In crastinum vero aliqui qui remanserant , venerunt ad Imperatorem : quibus præcepit dicens. Ite ad filios meos : Nolo vt vllus propter me vitam aut membra amittat. Illi infusi lachrymis recedebant ab eo. Iam tunc separatam ab eo habebant vxorem suam , cum iuramento confirmans, vt nec ad mortem nec ad debilitatem eam habere desiderarent. Quam statim miserunt partibus Italiæ in ciuitatem Dartonam ibi eam habentes. Non multo tempore postea susceperunt patrem , & duxerunt eum secum illis , quo facto diuiserunt se ibi. Pippinus perrexit in Aquitaniam , Ludeuuicum in Bauariam.

XLIII. Lotharius vero duxit secum patrem ad Compendium palatium , & ibi valde afflixit eum cum Episcopis & cæteris nonnullis. Insserunt enim eum ire in

monasterium , &ibi esse omnibus diebus vitæ suæ. Quod ille renuens non consensit voluntati eorum. Omnes enim Episcopi molesti fuerunt ei , & maxime hi, quos ex seruili conditione honoratos habebat cum his qui ex barbaris nationibus ad hoc fastigium perducti sunt.

XLIV. Elegerunt tunc vnum impudicum & crudelissimum , qui dicebatur Hebo Remensis Episcopus , qui erat ex originalium seruorum stirpe , vt cum immaniter afflixisset cum confinctionibus cæterorum. Inaudita locuti sunt, inaudita fecerunt cottidie improperantes ei. Abstulerunt ei gladium de femore suo indicio seruorum suorum induentes eum cilicio Tunc impletum est elogium Ieremiæ Prophetæ dicentis : Serui dominati sunt nostri. O qualem remunerationem reddidisti ei ! Fecit te liberum , non nobilem , quod impossibile est post libertatem : vestiuit te purpura & pallio , & tu eum induisti cilicio. Ille pertraxit te immeritum ad culmen pontificale. Tu eum falso iudicio voluisti expellere à solio patrum suorum. Crudelis , cur non intellexisti præcepta Domini , Non est seruus supra Dominum suum ? Quamobrem contempsisti præcepta Apostolica illius , qui ad tertium cœlum raptus erat , vt inter Angelos disceret , quod hominibus ille sic præciperet : Omnibus potestatibus subiecti estote. Non est potestas nisi à Deo. & iterum alius dicit : Deum timete. Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore, non tantum bonis & modestis , sed etiam discolis , hoc est enim gratia. Tu vero Deum non timuisti , nec Regem honorasti. Si vnusquisque gratiam Dei adipisci potest talia faciendo , profecto iram Dei habebit talia contemnendo. Crudelis , quis otiliarius tuus fuit , aut doctor tuus ? Nonne ille qui est rex super omnes filios superbiæ ? qui dicebat creatori suo, Hæc omnia tibi dabo , si procidens adoraueris me ? O Domine Iesu , vbi erat Angelus tuus , qui omnia primogenita Ægypti vna nocte deleuit : & ille qui in castris Assiriorum sub Sennacherib rege iniquo centum octoginta quinque millia perfidorum extinxit testante Esaia Propheta ? Aut ille, qui Herodem iuuenem concionantem percussit , & statim scatere cœpit vermibus ? Et tu terra , quæ eum sustinuisti illo in tempore quare non aperuisti os tuum , vt deglutires eum , sicut iam olim fecisti Dathan & Abiron ? Tu non intellexisti triformem legem tuam quæ dicit , Cibaria & virga & onus asino , panis & disciplina & opus seruo ? Tibi vaticinauit Zacharias Propheta , Non viuas , quia mendacium locutus es in nomine Domini. Deus manifestauit malitiam tuam, & conseruauit illius regnum & gloriam suam. Crudelis adhuc imperfectum est canonicum iudicium tuum. Necesse est enim , vt perfectum fiat iudicium ad maiorem ignominiam tuam. Patres tui fuerunt pastores caprarum , non consiliarij principum. Tu cum cæterorum iudicio Iesse à sacerdotio depositi. Nunc iterum reuocasti eum in gradum priorem. Aut tunc , aut nunc falsum iudicium exhibuisti. Imitator eius fuisti , de quo Poeta in lib. VI. Æneidos canit :

Infœlix Theseus Phlegrasque miserrimus omnes
Admonet & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti & non temnere Diuos.
Vendidit hic auro patriam dominumque potentem
Imposuit , fixit leges precio atque refixit.

Quid possum tibi amplius dicere ? Nam si linguam habuissem ferream , & labia ænea , omnes nequitias tuas explicare nec enumerare potuissem. Sed si aliquis poëtico carmine facinora tua rimari voluisset , forsitan Smyrneum vatem vetustum Homerum Mincianumque Maronem cum Ouidio superare potuisset. Sed temptatio piissimi principis quam pertulit à nequissimis , nihil ob aliud creditur fuisse, nisi vt probaretur eius bonitas , sicut & patientia beati Iob. Sed magna discretio erat in persecutoribus vtriusque. Qui beato Iob insultabant , reges fuisse leguntur in libro beati Thobiæ. Qui istum vero affligebant , legales serui eius erant ac patroni suorum.

XLV

XLV. De Compendio postea duxerunt piissimum principem ad Aquisgrani palatium. Hoc audiens æquiuocus filius eius, recessit à Bavvaria magno dolore compulsus ob iniuriam patris. Qui veniens ad palatium Franconofurt, statim mox direxit legatos suos Gozbaldum abbatem & Morhardum palatinum comitem, postulans & imperans, vt erga patrem humaniorem exhiberet sententiam. Quod frater eius Lotharius benigne non suscepit. Postquam illi legati reuersi sunt, statim alios destinauit ad patrem, qui prohibiti sunt ne eum viderent.

XLVI. Postea perrexit Lotharius de Aquisgrani palatio, & peruenit Moguntiam, ubi obuiam venit ei frater, & colloquium inæquale habuerunt ibi propter hoc, quia omnes quos Lotharius habebat secum aduersarii erant patris sui iniuste, quos autem Ludeuuicus habebat secum fideles erant patri suo ac sibi. Inde reuertens Lotharius venit Aquispalatium, celebrauitque ibi natalem Domini adhuc clauso patre.

XLVII. Post sanctum diem Epiphaniæ iterum Ludeuuicus misit legatos suos ad patrem, Grimoldum venerabilem abbatem atque presbyterum, & Gebehardum nobilissimum atque fidelissimum ducem, qui venientes Aquis, consensit eis Lotharius, vt viderent patrem cum insidiatoribus, quorum vnus vocabatur Otgarus Episcopus, alter vero Richardus perfidus. Venientes legati ad conspectum principis, & humiliter prosternentes se pedibus suis salutauerunt eum ab æquiuoco filio suo. Secreta vero noluerunt ei indicare propter insidiatores præsentes, sed aliquo motu signorum fecerunt eum intelligere, quod æquiuocus eius hoc consentire noluisset, scilicet supplicium patris.

XLIIX. Illis missis abeuntibus statim Lotharius compulit patrem, vt cum eo veniret ad Compendium: qui consentiens filio perrexit cum eo. Hoc audiens Ludeuuicus coadunata multitudine secutus est eos, qui cum non longe abesset ab eis, Lotharius dimisit patrem, & recessit ab eo cum consiliariis suis impiis. Ludeuuicus vero filius eius peruenit ad eum, & honeste suscepit, & reduxit iterum ad Aquis sedem suam, & Deo jubente restituit eum in regnum & locum suum. Et ibi simul sanctum Pascha Domini celebrarunt. Hoc audiens Hebo statim fugam iniit, sed comprehensus coactus perductus est ad præsentiam principis, qui commendauit eum ad custodiendum.

XLIX. Eodem anno, qui est annus regni eius XXI. omnibus indulgentiam præstitit, qui eum coacti reliquerunt. Et hoc non fuit ei oneroſum vel graue, qui est piissimus Imperatorum, quod antea pepercit inimicis suis, implens Euangelicum præceptum quo dictum est: Dimittite & dimittetur vobis. Præmium bonum & magnum præparat ei Deus, qui hoc præceptum implet. Quem enim diligit corripit, & flagellat omnem filium quem recipit, & qui sponte correptiones eius non suscipit, filius eius fieri non potest.

L. Sed summopere cauendum est, ne amplius fiat vt serui sint consiliarii sui, quia si possunt, hoc maxime construunt, vt nobiles opprimant, & eos cum vilissima propinquitate eorum exaltare studeant. hoc non condecet sanctæ dignitati suæ, quoniam hoc raro contigerat temporibus sanctæ memoriæ genitoris sui, vt aliquis talibus ad honorem conscenderet, quin eum maxima cum disciplina regebat, ne superbire inciperet. Hoc exemplum nunc exercere opus est, quando in temporatione erat mitissimus principum, hi tales tam molesti ei fuerunt. Qui eis immeritis omnem benignitatem exhibuit. Quid subiectis faciant, nulli interrogare opus est.

LI. Postquam prævaluit Imperator, misit fideles legatos suos partibus Italiæ, vt reducerent coniugem suam sæpe mendaciis afflictam. Qui venientes susceperunt eam honorificè, & perduxerunt eam cum jucunditate & lætitia ad præsentiam principis, qui erat tunc temporis Aquisgrani palatio.

LII. Lo-

LII. Lotharius vero residens in ciuitate Cabullonum, vbi multa mala commiserat exspoliando Ecclesias Dei, fideles patris sui vbicumque comprehendere potuerat, præter legatos tantum, martyres exhibuit. Insuper & sanctimonialem fœminam, quæ erat soror ducis Bernhardi nomine Gerbirch, jussit in vase vinatico claudere, & proiicere in flumen Ararim, de quo poeta canit:

Aut Ararim Pardus bibat aut Germania Tigrim.

ibi eam diu affligens extinxit judicio impiorum consiliariorum, implens psalmodicam prophetiam: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.

LIII. Post hoc misit Imperator legatos suos ad Lotharium Marcuuardum venerabilem abbatem cum cæteris fidelibus suis cum epistolis exhortatoriis, quibus admonuit eum imprimis, vt recordaretur omnipotentis Dei & mandatorum eius, vt auerteret se à via sua praua, & intelligeret quam districtum judicium esset Deum contemnere in præceptis suis. Dicit enim Deus inter alia præcepta honora patrem & matrem, & qui maledicit patri vel matri, morte moriatur. Hoc præceptum non per Prophetas mandauit, neque per Apostolos, sed ipse Deus sonbendo obseruare præcepit, & quam graue sit hoc prætermittere in libro Deuteronomii, postmodum ostendit dicens: Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat & luxuriæ atque conuiuio: lapidibus eum obruet populus ciuitatis & morietur vt auferatur malum de medio vestri.

LIV. Postquam Lotharius locutus fuisset cum supradictis missis, legationem eorum grauiter ac dure susceptt, & minas eis promisit, quod adhuc non est impletum, neque postmodum fiet. Illi redeuntes ab eo venerunt ad Imperatorem, nunciantes ei omnia quæ viderant & audiuerant. Inde pater eius ingemiscens congregauit multitudinem copiosam, & perrexit post eum, vbi audierat eum esse. Venerunt eius filii obuiam ei, Pippinus ab occidente, & Ludeunicus ab Oriente, vterque cum magna multitudine ad obsequium patris. Cumque appropinquarent ad Aurelianensium ciuitatem, vbi erat Lotharius prope cum seductoribus suis impiis, de quibus superius mentio facta est, acquiescere exhortationibus patris noluit, sed quadam nocte elongauit se ab eo quasi fugiendo. Tunc Imperator misit legatos suos post eum Baradadum Episcopum Saxonicum & Gebehardum nobilissimum ducem & Berengarium sapientem propinquum suum: qui venientes ad eum, statim jam dictus Episcopus præcepit ei sub edicto omnipotentis Dei & sanctorum eius, vt alienaret se à societate impiorum seductorum eius, vt licuisset fideles Imperatoris ostendere, si voluntas Dei esset, vt discordia eorum pacificaretur an non. Post legationem Episcopi supradicti duces protulerunt, quod ei imperatum fuerat. Quos statim rogauit ad modicum tempus egredi foras, & statim reuocauit deprecans eos, vt ei consilium darent de omnibus actibus suis. At illi instruxerunt eum vt veniret ad præsentiam patris cum cæteris seductoribus suis, promittentes pacem. Et ille cum illis promisit venire. Inde reuertentes legati venerunt ad principem nuntiantes ei quicquid gestum erat.

LV. Postquam venit Lotharius, vbi erat Imperator pater eius sedens in pauilione suo, qui erat extensus valde in altum in campo magno, vti eum exercitus omnis contemplabatur, & filii eius fideles steterunt juxta eum. Tunc venerunt Lotharius cecidit ad pedes patris, & post eum socer eius Hugo timidus. Tunc Matthfridus & cæteri omnes, qui primi erant in facinore illo, postquam surrexerunt de terra, confessi sunt se valde deliquisse. Post hæc Lotharius iurauit patri suo fidelitatem, & vt omnibus imperiis suis obedire debuisset, & vt iret in Italiam, & ibi maneret, & inde non exiret nisi permissione patris. Tunc jurauerunt & cæteri. Post

Post hæc piissimus princeps indulgentiam dedit eis, si hoc iuramentum conseruarent. Dimisit eos habere patrimonia, & omnia quæ habebant, præter quod ipse manu propria tradidit eis. Diuiserunt se ibi, & Lotharius perrexit in Italiam cum consentaneis suis, & statim Mathfridus, qui erat maximus incentor omnium illorum malorum, mortuus est & cæteri nonnulli. Hi vero qui remanserant, febre correpti sunt.

LVI. Imperator vero inde regrediens, venit ad palatium Theodonis, & ibi optam hiemem peregit. Post natalem Domini altero anno habuit conuentum magnum populorum, & ibi Hebo turpissimus rusticus venit, quem alij Episcopi firmiter amouere non ausi sunt, timentes quod eorum proditor existere debuisset. Et ideo suaserunt ei vt sibi ostenderet ministerium sacerdotale minime posse habere, quod ita fecit, & ideo sic plane dimissus est. Quod adhuc omnino emendare opus est, quia melius est iustum iudicium sanctorum patrum exercere in eo, quam falsam pietatem sub obtentu religionis demonstrare.

LVII. Ipso anno perrexit Imperator ad partes Lugdunensium, vbi obuiam ei venerunt filij sui Pippinus & Ludeuuicus qui natu iuniores erant. Ibi sedebat Imperator cum filiis suis quo adusque legati sui in Italiam venirent ad Lotharium. Inde reuersus est Imperator & venit ad Aquis sedem suam, & Pippinus reuersus est in Aquitaniam, Ludeuuicus perrexit ad partes Austriæ.

LVIII. Eodem anno in ipso itinere obiit Berengarius dux fidelis & sapiens, quem Imperator cum filiis suis luxit multo tempore. Iste est annus XXIII. regni Domini Ludeuuici piissimi Imperatoris, quem conseruare & protegere diu in hoc sæculo feliciter commorantem, & post hæc discurrentia tempora perducere dignetur ad societatem omnium sanctorum eius, ille qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

NITHARDI ANGILBERTI FILII KAROLI M. IMP. EX BERTHA FILIA NEPOTIS.

De

Dißenſionibus Filiorum Lodhvvici Pii
ad annum vſq; DCCCXLIII.

LIBRI QUATUOR.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

NITHARDI ANGILBERTI FILII KAROLI MAGNI IMP. EX BERTHA FILIA NEPOTIS

De dissensionibus filiorum Lodhuuici Pij ad annum vsque DCCCXLIII.

Libri quatuor.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CVM, vt optime, mi Domine, nosti, iam pene annis duobus illatam à fratre vestro persecutionem vos vestrique haudquaquam meriti pateremini, ante quam Cadhellonicam introissemus ciuitatem, præcepistis vt res vestris temporibus gestas stili officio memoriæ traderem. opportuna quidem placidaque res, fateor, fuerat præcepta, si otium tanti negotii vt digne exsequeretur, fuisset concessum: Nunc autem si quid minus vel incultius quam oportuerit pro rerum magnitudine huic operi inueneritis insertum, tanto facilior venia à vobis vestrisque mihi debetur, quanto me nostis eodem turbine quo & vos, dum hoc opus peregerim, esse agitatum. Præterire autem ea quæ temporibus pij patris vestri gesta sunt, dispositeram, sed facilius cuilibet legenti altercationum vestrarum veritas patebit, si quædam quæ suo in tempore contigisse nouimus, summotenus prælibauero. Aui quoque insuper vestri venerandam memoriam per omnia obmittere ratum minime videtur. Ac per hoc textus hinc sumat exordium.

KAROLVS bonæ memoriæ & merito Magnus Imperator ab vniuersis nationibus vocatus, hora videlicet plus minus diei tertia, in senectute bona decedens omnem Europam omni bonitate repletam reliquit. Vir quippe omni sapientia & omni virtute, humanum genus suo in tempore adeo præcellens, vt omnibus orbem inhabitantibus terribilis, amabilis pariterque & admirabilis videretur: ac per hoc omne imperium omnibus modis, vt cunctis manifeste claruit, honestum & mirabile effecit. Nam super omne quod ammirabile fateor fore, Francorum barbarorumque ferocia ac ferrea corda quæ nec Romana potentia domare valuit, hic solus inolerato terrore ita repressit, vt nihil in imperio moliri præter quod publicæ vtilitati congruebat, manifeste auderent. Regnauit feliciter per annos duos & XXX. imperiique gubernacula nihilominus cum omni felicitate per annos quatuordecim possedit. Heres autem tantæ sublimitatis Lodhuuuicus filiorum eius iusto matrimonio susceptis nouissimus, cæteris decedentibus successit: Qui vt pro certo patrem obiisse comperit, Aquas ab Aquitania protinus venit, quo vndique ad se venientem populum, absque quolibet impedimento suæ ditioni addixit, de ceteris qui sibi creduli videbantur, deliberatis. Initio quidem imperij susceptæ pecuniam immensi numero à patre relictam trifariam diuidere iussit, & vnam partem in causam suorum expendit, duas vero inter se & sorores suas à patre iusto matrimonio susceptas diuisit, quas & instanter à palatio ad sua monasteria abire præcepit. Fratres quoque adhuc tenera ætate Drogonem, Hugonem & Theodoricum participes mensæ

effecit, quos & in palatio vna ſecum nutriri præcepit, & Bernardo nepoti ſuo filio Pippini regnum Italiæ conceſſit. Qui quoniam ab eo paulo poſt defecit, capitur & à Bertmundo Lugdunenſis prouinciæ præfecto luminibus pariter & vita priuatur. Hinc autem metuens ne poſt dicti fratres populo ſollicitato eadem facerent, ad conuentum publicum eos venire præcepit, totondit ac per monaſteria ſub libera cuſtodia commendauit. Quo pacto filios ſuos iuſto matrionio iunxit, & vniuerſum imperium inter eos ita diuiſit, vt Pippinus quidem Aquitaniam, Lodhuvvicus autem Baioariam, Lodharius vero poſt diſceſſum eius vniuerſum imperium haberet, cui & vna ſecum Imperatoris nomen habere conceſſit. Interea Irmengardis regina materque illorum deceſſit, ac paulo poſt Lodhuvvicus Imperator Iudith in matrimonium ſumpſit, ex qua Karolus creatur. Karolo quidem nato, quoniam omne imperium inter reliquos filios pater diuiſerat, quid huic faceret, ignorabat. Itaque anxius pater pro filio rogaret, tandem Lodharium conſenſit ac ſacramento ſtatus eſt, vt portionem regni quam vellet, eidem pater daret, tutoremque ac defenſorem illius ſe fore contra omnes inimicos eius in futuro jurando firmauit. Inſtigante autem Hugone cuius filiam in matrimonium Lodharius duxerat, ac Matfredo ceteriſque, ſero ſe hoc feciſſe penituit, & quemadmodum illud quod fecerat annullare poſſet, quærebat. quod patrem matremque minime latuit, ac per hoc hinc inde quod pater ſtatuerat, Lodharius diruere, & ſi non manifeſte, occulte ſtudebat. Ad quod Bernardum quendam ducem Septimaniæ pater in ſupplementum ſibi ſumens, Camerarium conſtituit, Karolumque eidem commendauit, ac ſecundum à ſe in imperio præfecit. Qui dum inconſulte republica abuteretur, quam ſolidare debuerat, penitus euertit. Per idem tempus Karolo Alamannia per edictum traditur. Tum tandem Lotharius, quaſi iuſta querimonia reperta, tam fratres quam & vniuerſam plebem veluti ad reſtaurandum Reipublicæ ſtatum animabat. Quamobrem pariter cum omni populo patri ad Compendium ſuperuenienti Reginam velauerunt, * fratribus eius Conradum & Rodulfum totonderunt, atque in Aquitaniam ſeruandos Pippino commiſerunt. Bernardus quoque Hugonis lapſus in Septimaniam ſe recepit. Eribertus frater eius captus ac luminibus priuatus in Italiam cuſtodiendus traditur. Et Lodharius quidem eo tenore Reipublicæ adepta, patrem & Karolum ſub libera cuſtodia ſeruabat, cum quo monachos, qui eidem vitam monaſticam traderent & eandem vitam illum aſſumere ſuaderent, eſſe præceperat. Res autem publica, quoniam quiſque cupiditate illectus ſua quærebat, cotidie deterius ibat. Quamobrem tam monachi quos ſupra memorauimus, quam & cæteri qui quod factum fuerat, dolebant, illum percunctari coperunt, ſi Reſpublica eidem reſtitueretur, an eam pro viribus erigere ac fouere vellet, maximeque cultum diuinum quo omnis ordo tuetur ac regitur. Quod quia facile confeſſum, in reſtauratione eius ocius conſenſum eſt: aſſumptoque Guntbaldo quodam monacho, ſub ſpecie religionis in hoc negotio ad Pippinum Lodhuvicumque filios eius occulte direxit promittens, ſi in reſtauratione vna cum his qui hoc cupiebant, adeſſe voluiſſent, regnum vtriſque ſe ampliare velle ac per hoc perfacile cupidéque paruere, conuentúque condicto, regina & fratres eius eidem reſtituuntur, ac plebs vniuerſa ditioni eius ſe ſubdidit. Hinc hi qui cum Lotharioſenſerunt in concilium deducti, & ab ipſo Lodhario ad mortem diiudicati aut, vita donata, in exilium retruſi ſunt. Lodharium quoque ſola Italia contentum, ea pactione abire permiſit, vt extra patris voluntatem nihil deinceps motum regno temptaret. Cumque ſe hæc ita haberent & Reſpublica paululum reſtaurata videretur, confeſtim Guntbaldus monachus quem ſupra memorauimus, quia multa in reſtitutione eius laborauerat, ſecundus in imperio eſſe volebat, quodque Bernardus, vt præmiſſum eſt, olim fuerat, ſumma induſtia iterum eſſe certabat. Pippinus quoque & Lodhuuuicus, quanquam eis regna ſicut promiſſum fuerat, audita fuiſſent, tamen vt imperio poſt patrem primi eſſent vterque laborabat. Ar illi pro

fratres

quos tunc Reſpublica tractabatur, voluntati eorum obſiſtebant. Per idem tempus Aquitania Pippino dempta Karolo datur, & in eius obſequio primatus populi, qui cum patre ſentiebat, iurat. Quod quidem hi quos ſupra retulimus grauiter ferentes, vt reſpublica inutiliter tractaretur, diuulgant, populumque quaſi ad iuſtum regimen ſollicitant. Walanam, Eliſachar, Mathfridum, cæteroſque qui in exilium retruſi fuerant, cuſtodia emittunt, Lodharium vt rempublicam inuadat, compellunt. Inſuper autem & Gregorium Romanæ ſummæ ſedis Pontificem, vt ſua auctoritate liberius quod cupiebant perficere poſſent, ſub eadem ſpecie magnis precibus in ſupplementum ſuæ voluntatis aſſumunt. Quamobrem Imperator vna cum omni quod habebat Imperio, tres reges filiique eius aduerſus eum cum ingenti exercitu, inſuper Papa Gregorius cum omni comitatu Romano, Eliſazam confluunt, iuxtaque montem Siguualdi caſtra ponunt, ac variis affectionibus populum vt à patre deficeret, filii compellunt. Nouiſſime quibuſdam fuga lapſis, cum perpaucis pater capitur. Uxor ab eo demta in Longobardiam exilio mittitur, ac Karolus vna cum patre ſub magna cuſtodia ſeruatur. Gregorius ſiquidem Papa itineris penitudine correptus tardius quam vellet Romam reuertitur. Et Lodharius quidem iterum eo tenore imperium adeptum quod iniuſte facile iteratus obtinuit, iterato facilius iuſte amiſit. Nam Pippinus & Lodhuvvicus videntes quod Lodharius vniuerſum imperium ſibi vindicare, illoſque deteriores efficere vellet, grauiter ferebant. Inſuper autem dum huc Lambertus atque Mathfridus, quis illorum ſecundus poſt Lodharium in imperio haberetur, ambigerent, diſſidere cæperunt. Et quoniam quiſque eorum propria quærebat, rempublicam penitus negligebant. Quod quidem populus cernens moleſtus erat. Occurrebat inſuper etiam filiis verecundia & pœnitudo, quod patrem bis honore priuauerant; vniuerſæ plebi, quod bis Imperatorem dimiſerant, ac per hoc hinc inde in reſtitutione eius conſentiunt, & vndique ad ſanctum Dionyſium, vbi tunc Lotharius patrem & Karolum ſeruabat, affluere contendunt. Cernens Lodharius prædictam animoſitatem vires ſuas excedere, antequam coueniant, arma ſumit: patrem ac Karolum dimittit, itinereque arrepto Viennam petit. Plebs autem non modica quæ præſens aderat; etiam iamque Lothario pro patre vim inferre volebat. Rege recepto, baſilica Sancti Dionyſii vna cum Epiſcopis & omni clero confluunt, laudes Deo deuote referunt, coronam & arma regi ſuo imponunt, & ad cætera deliberaturi contendunt. Lodharium pater perſequi diſtulit, ſed legatos qui eum citra Alpes feſtinare iuberent, poſt illum direxit. Pippinum ad ſe venientem benigne excepit, gratias in eo quod pro reſtitutione ſua laborauerat, egit: ac reuerti eum in Aquitaniam, vt petiuerat, permiſit. Hinc inde fideles qui euaſerant & rempublicam regere conſueuerant, confluunt, cum quibus itinere arrepto, Aquis* hiemantum petit, tandemq; Lodhuvvicum venientem gratanter excepit, quem & vna ſecum cauſa præſidii eſſe præcepit. Interea hi qui Judith in Italia ſeruabant, audientes quod Lodharius fugam inierat, & pater imperium regebat, arrepta Judith fugam ineunt, Aquis proſpere perueniunt, gratum munus imperatori deferunt. Veſtem tamen haud eſt thoro regio recepta, donec ſe criminibus obiectis innoxiam, quia criminator deerat, ſacramento vna cum propinquis coram plebe effecit. Per idem tempus Mathfridus & Lambertus cæterique à parte Lodharii penes marcam Britannicam morabantur: ad quos pellendos miſſus eſt Vodo & omnes inter Sequanam & Ligerim degentes: qui manu valida collecta, hinc atque inde conuenerunt. & hos quidem paucitas, & per hoc ſumma neceſſitas, vnanimes effecit: Vodonem autem & ſuos maxima multitudo ſecuros, diſcordes & inordinatos reddidit. Quapropter prælio commiſſo, fugerunt. Cecidit Vodo & Odo, Viuianus, Fulbertus ac plebis innumera multitudo. Quod quidem citato curſu Walores Lodhario notantes, mandant vt quantotius poſſet illis cum exercitu occurrat: qui libenter paruit, & Cauillonum collecta manu valida venit, ciuitatem

vitatem obsidione cinxit, prœliando triduum obsedit, & tandem vrbem captam vna cum Ecclesiis incendit. Gerbergam more maleficorum in Ararim mergi præcepit. Gozhelmum & Senilam capite puniuit. Warino autem vitam donauit, & vt se deinceps pro viribus iuuaret, iureiurando constrinxit. Hinc autem Lodharius & sui duobus prœliis feliciter gestis magnanimes effecti vniuersum imperium perfacile inuadere sperantes, ad cætera deliberaturi Aurelianensem vrbem petunt. Quod pater audiens, è Francia manu valida collecta, insuper Lohuvvico filio suo cum vniuersis qui trans Renum morabantur, in auxilium sibi assumpto, tantum facinus à filio in Imperium commissum vindicaturus perrexit. Lodharius quoque eadem spe qua Francos abducere consueuerat, animatus, ire obuius rarum abxit. Ac per hoc hinc inde confluunt, supraq; fluuium * iuxta villam quæ Caluiacus dicitur, castra ponunt. Sed Franci eo quod Imperatorem bis reliquerant, pœnitentia ne correpti, & vt deinde tale quid committerent turpe iudicantes, ad defectionem impelli dedignati sunt. Quamobrem cum nec fugæ, nec prœlii locum videns, ea pactione nouissime prœlium diremit, vt infra dies statutos Alpibus excederet, ac deinceps, sine patris iussione, fines Franciæ ingredi non præsumeret, & extra patris voluntatem in eius imperio deinceps nihil moliri temptaret: quod & ita fecit. & suos seruaturos, tam is quam & sui sacramento firmauerunt. His ita compositis, pater, vt & cum quibus consueuerat, imperium regebat. Videns autem quod populus nullo modo diebus vitæ suæ illum relinquere vti consueuerat, veller-conventu Aquis hieme indicto, portionem regni his terminis notatam Karolo dedit, id est à mari per fines Saxoniæ vsque ad fines Ribuariorum, totam Frisiam, & per fines Ribuariorum Comitatus Moilla, hæc craham, molant, masagouuui. deinde verò quicquid inter Mosam & Sequanam vsque Burgundiam vna cum Viridunensi se consistit: & Burgundia, Tullensem, Odornensem, Bedensem, Blesensem, Parisiensem, vtrosque Barrenses, Brionenses, Tricasinum, Autesioderensem, Senonicum, Wastinensem, Milidunensem, Stampensem, Castrensem, Parisiacum; & deinde per Sequanam vsque in mare Oceanum, & per ipsum mare vsq; in Frisiam. omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, Fiscos & omnia infra prædictos fines consistentia, cum omnibus ad se pertinentibus in quacumque regione consistebant & sui iuris esse videbantur, vna cum auctoritate diuina atque paterna pacto filio suo Karolo dedit, firmumq; vt permaneret Dei omnipotentis clementiam exorauit. Hilduinus autem Abbas Ecclesiæ sancti Dionysii, & Gerardus comes Parisius ciuitatis, cæterique omnes prædictos fines inhabitantes conuenerunt, eidemq; sacramento Karolo firmauerunt. Quod quidem Lodharius & Lodhuvvicus audientes, grauiter ferebant. vnde & colloquium indixerunt. Ad quod venientes, cum nihil ex his indignari se posse viderent, callide dissimulantes quippiam de contra patris voluntatem moliri velle, discesserunt. Veruntamen ob id colloquium commotio non modica exorta est, sed facile quieuit. Hinc autem Carisiacum mediante Septembrio venit, seditionemque quandam similiter perficile sedauit, ac præfato Karolo arma & coronam, nec non & quandam portionem regni inter Sequanam & Ligerem dedit, Pippinum ac Karolum, vt videbatur, vnanimes effecit, & deinde Pippinum in Aquitaniam abire cum gratia permisit: Karolum vero in partem regni quam ei dederat, direxit. Quo veniens, omnes hos fines habitantes ad illum venerunt, & fidem sacramento commendati eidem firmauerunt. Eodem tempore nuntiatur, quod Lodhuvvicus à patre suo desciuisset, & quicquid trans Renum regni continebatur, sibi vindicare vellet. Quod pater eius audiens, indicto conuentu, Magontiam conuenit, ac traiecto exercitu, fugere illum in Baioariam compulit. Post Aquis exultans rediit, quoniam, quocumque se verterat, nutu diuino victor erat. Veruntamen ingruente senili ætate, & propter varias afflictiones pene decrepita imminente, mater ac primores populi, qui in voluntate patris pro Karolo laborauerant, metuentes, si infectis rebus decederet,

odia fratrum vsque ad internecionem sibi insurgere, ratum duxerunt vt quemlibet è filiis pater in supplemento sibi assumeret, & si post discessum eius cæteri concordes esse nollent, saltem hi duo vnanimes effecti, valerent resistere inuidorum factioni: cumque necessitate instante, ac per hoc assiduis meditationibus in hac electione versarentur, vniuersorum sententia consensit, si Lodharius certum se in hoc negotio præbere vellet, cum eo fœdus iniri debere. Nam, vti præmissum est, idem patri matrique ac Karolo jurauerat, vt partem regni quam vellet pater, eidem daret, & eandem se consentire & protegere illi contra omnes inimicos omnibus diebus vitæ suæ deberet. Quamobrem missos deligunt, & in Italiam ad Lodharium mittunt, promittentes, si patris voluntatem deinceps erga Karolum conservare vellet, omnia quæ in illum hactenus deliquerat, remitti, & omne regnum, absque Baioaria inter illum & Karolum diuidendum. Quæ quoniam Lodhario & suis rata videbantur, vtraque ex parte sic velle ac sic se perficere, jurauerunt. Ergo ad vrbem Vangionum conuentu indicto conuenerunt, in quo Lodharius humillime ad pedes patris coram cunctis procidit, dicens: Noui me coram Deo & te, Domine pater, deliquisse. Non regnum, sed indulgentiam, & vt gratiam tuam merear, quæso. Idem autem vt pius ac clemens pater & delicta postulanti indixit, & gratiam roganti concessit eo scilicet pacto, vt deinceps nihil quolibet modo contra suam voluntatem nec in Karolum, nec in regnum alicubi egisset. Dein benigne illum excepit, ac deosculans, gratias Deo pro filio quem auersum reconciliauerat, egit. Ad prandium deinde conuersi sunt, in crastinum de cæteris quæ sui juraverant, deliberaturi. Die autem altera concilium ineunt. hinc pater, vt sui juraverant, perficere cupiens, * Ecce, fili, vt promiseram, regnum omne coram te est: diuide illud prout libuerit. Quod si tu diuiseris, partium electio Karoli erit. Si autem nos illud diuiserimus, similiter partium electio tua erit. * Quod idem per triduum diuidere vellet, sed minime posset, Josippum atque Richardum ad patrem direxit, deprecans vt ille & sui regnum diuiderent, partiumque electio sibi concederetur. Insuper vero, in ea fide quam illis jurauerant, testati sunt, quod pro nulla re alia, nisi sola ignorantia regionum, id peragere differret. Quamobrem pater, vt æquius valuit, regnum omne absque Baioaria cum suis diuisit: & à Mosa partem Australem Lodharius cum suis elegit: quinimo & accepit: Occiduam vero vt Karolo conferretur, consensit, & vna cum patre coram omni populo ita se velle, annunciauit. Hinc autem pater fratres, prout valuit, vnanimes effecit, rogans ac deprecans, vt inuicem se diligerent, & vt alter ab altero protegeretur adhortans exorat, & quod fieri desiderat, optat. Quibus peractis, benigne & pacifice Lodharium in Italiam ditatum remissionis gratia ac regni muneribus, remittens, sacramenta quæ sæpe jurauerat, quotiens in illum deliquerat, quotiens delicta eidem donauerat, in memoriam reducens, ac piis visceribus monens, contestabatur, ne saltem id quod tunc * nouisse peregerant coramque cunctis ita se velle confirmauerat, frustrari quolibet modo permittat. Eodem tempore vt Pippinus decessisset pater nuntium acceperat, & pars quædam populi quid auus de regno vel nepotibus juberet, præstolabatur: pars autem, arrepto filio ejus Pippino, quia natu maximus erat, Tyrannidem exercebat. Quapropter his ita vt præfatum est, cum Lodhario perfectis, collecta manu valida, per Cauillonem, Clarummontem vna cum Karolo ac matre pater petit, ac partem populi qui illum præstolabatur, inibi benigne recepit. Et quoniam olim regnum Aquitaniæ Karolo donauerat, vt illi se commendarent, hortando suasit, iussit. Qui omnes commendati eidem sacramento fidem firmauerunt. Post quod quomodo Tyrannos compesceret, contendit. Per idem tempus Ludhouuicus à Baioaria, solito more, egressus Alamanniam inuasit cum quibusdam Toringis & Saxonibus sollicitatis. Quamobrem

nouissime

pater eius ab Aquitania reuocatus , dimisso videlicet Karolo vna cum matre eius Pictauis, ipse vero sanctum Pascha Aquis celebrauit ; & sic vno eodemque itinere Toringam petiit : A qua Lodhuuuico filio eius pulso , per Sclauos itinere redempto, cum in Baioariam fugere compulit. Quo peracto, Kal. Iulij ad Vangionum vrbem conuentum indixit , ad quod Lodharium filium suum ab Italia venire præcepit , cum eo cæterisque sibi credulis de Lodhuuuico deliberaturus. Cumque ista haberent, & Lodharius in Italia, Lodhuuuicus trans Renum & Karolus in Aquitania esset, Lodhuuuicus Imperator paterque illorum in insula quadam iuxta Magonciacum XII. Kal. Iulij obiit. Quem Drogo frater & Episcopus atque archicapellanus eius , Metis ciuitate sua apud sanctum Arnulfum , vna cum Episcopis, Abbatibus, Comitibusque congruo honore sepulturæ tradidit. Vixit per annos IIII. & LX. Rexit Aquitaniam per annos VII. & XXX. Imperiale vero nomen per annos VII. & XX. & per menses sex obtinuit.

Explicit Liber primus.



INCIPIT

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

EXPLICITIS pro tempore ac viribus, dissensionum vestrarum initiis, è quibus quique Lector scire cupiens, quamobrem post obitum patris vestri Lodharius vos fratremque persequi statuerit, decernat, colligat, & si iuste egerit, cognoscat; hinc iam qua virtute ac industria hoc exsequutus sit, prout memoria viresque suppleuerint, notare curabo. Vos vero difficultates, quæ ex eadem molestia paruitati meæ obstiterint, inspicere deposco. Et si quid in hoc opere neglexero, vt ignoscatis, quæso.

AVDIENS Lodharius patrem suum obisse, confestim nuntios vbique, præsertim per totam Franciam mittit, qui se venturum in imperium, quod olim fuerat illi datum affirment: promittens vnicuique honores à patre concessos se concedere, & eosdem augere velle. Dubios quoque fidei sacramento firmari præcepit. Insuper autem iussit vt quantotius possent, obuia n illi procederent. Nolentibus vero, capitale supplicium vt prædiceretur, indixit. Ipse autem pedetemptim, quo se res verteret antequam Alpes excederet, scire volens. * Ergo cupiditate terroreque illecti vndique ad illum confluunt, & hoc cernens spe viribusque magnanimis effectus, quibus artibus vniuersum imperium liberius inuadere posset, deliberare cœpit. Lodhuuuicum quoque, quem itineri suo contiguum esse prospexit, vt primum in illum manum mitteret, ratum duxit; & vt eundem viribus annullaret, operam omni virtute adiecit. Interea ad Karolum in Aquitaniam legatos callide dirigens mandat erga illum, sicut pater statuerat, & sicut erga filiolum ex baptismate oportebat, benevolum esse. Verum tamen, vt nepoti suo filio Pippini, donec cum eo loqueretur, parceret deprecatus est. Et his ita compositis, ad vrbem Vangionum iter direxit. Eodem tempore Lodhuuuicus pater exercitus inibi causa custodiæ reliquerat, & Saxonibus sollicitatis obuiam illis perrexerat. Quamobrem Lodharius paruo conflictu custodes fugere compulit. Renum cum vniuerso exercitu transiens, Franconofort iter direxit, quo insperate hinc Lodharius, hinc Lodhuuuicus confluunt, paceque sub nocte composita, alter inibi, alter vero quo Moin in Renum confluit, castra haud fraterno amore componunt. Cumque Lodhuuuicus viriliter resisteret, & Lodharius illum absque prælio sibi subigere diffideret, sperans Karolum facilius superari posse, ea pactione prœlium ditemit, vt III. Idus Nouembr. eodem loco rursum conueniant, &, ni concordia statutis interueniat, quid cuique debeatur, armis decernant. Et his ita omissis, Karolum sibi subigere contendit. Per idem tempus, Karolus Bituricas ad Placitum quo Pippinum sui iurauerant venturum, venerat: ad quod quidem, ex omnibus nuntio recepto, missos, videlicet Nithardum & Adelgarium, delegit, & vti ocius valuit, ad Lodharium direxit, mandans ac deprecans, vt memor sit sacramentorum, quæ inter se iurauerant, & seruet quæ inter illos pater statuerat: Insuper etiam fraternæ filiolique conditionis meminerit. haberet sua sibi, & quod illi pater suo consensu concesserat, absque conflictu vllo habere permittat; promittens si hoc faceret, fidelem se illi & subiectum fore velle, ita vt primogenito fratri esse oporteret. Insuper etiam quicquid hactenus in illum deliquerat, pollicitus est se ex corde remittere, deprecatus ne amplius suos sollicitet, ne regnum sibi à Deo commissum perturbet. Cederent vndiq; paci atque concordiæ, & hoc se sua suorumq; ex parte ratum videre, ac per hoc conseruare velle, mandauit. Quod si alter hoc ita esse non crederet, quocunque vellet modo, ex his illum certum se efficere promisit. Quæ quidem Lodharius simulans se benigne suscipere, legatos tantum salutationis causa redire permisit, ac per suos se responsurum de cæteris esse, respondit. Insuper etiam quoniam ad illum se vertere frustrata fide noluerunt, honoribus quos pater illi dederat, priuauit, ita quod fratri facere cogitaret, nobis indicium dabat. Interea omnes inter Mosam &

Sequanam degentes ad Karolum miserunt mandantes, vt antequam a Lodhario præoccuparentur, veniret: aduentum eius se præstolaturos promittentes. Quamobrem cum paucis Karolus hoc iter accelerans ab Aquitania Carisiacum venit, & a Carbonariis & infra ad se venientes benigne susceptit. Extra vero Herenfridus, Gilsebertus, Bouo ac cæteri ab Odulfo decepti firmatam fidem negligentes defecerunt. Eodem tempore missus ab Aquitania venit, nuntians quod Pippinus cum his qui parti suæ fauebant super matrem Karoli irruere vellet: ac per hoc Karolus Francos inibi omittens, mandat si illos frater suus donec reuerteretur opprimere vellet, obviam sibi procedere. Insuper ad Lodharium, Hugonem, Adelhardum, Gerhardum & Hegilonem direxit, cunctaque quæ tunc nuper illi mandauerat replicans, non & pro Deo deprecatus est, ne suos sibi subtrahens regnum quod Deus pater suo consensu illi dederat, amplius diripet. Et his ita compositis, in Aquitaniam festinus perrexit, superque Pippinum & suos irruens, fuga illos abire compulit. Eodem tempus, cum Lodharius à Ludhouuico reuerteretur, & omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Mosa traiecta, ratum duxit, vt Sequanam vsque procederet. Quo dum tenderet, Hilduinus Abbas sancti Dionysii & Gerardus Comes Parisii ciuatis à Karolo deficientes fide frustrata ad illum venerunt. Quod quidem Pippinus filius Bernardi regis Longobardorum ceterique cernentes, elegerunt potius more seruorum fidem omittere, iuramenta contemnere, quam ad modicum tempus facultates relinquere, ac per hoc, fide relicta, quos supra memorauimus secuti, eidem se dederunt. Hinc quoque Lodharius magnanimis effectus Sequanam excessit, præmittens more solito, qui ad defectionem inter Sequanam & Ligerem degentes partim minis, partim blanditiis subducerent. Ipse quoque vti consuerat lento itinere subsecutus, Caramtenam ciuitatem tendebat: Cumque Teodericum Ericum, & hos qui illum sequi deliberauerant, ad se venturos didicisset, spe multitudinis suæ fretus, Ligerem vsque vt produceret, deliberauit. Karolus quoque à fuga, qua Pippinum & suos dispersérat, reuersus, & quoniam matrem vbi tuto relinqueret non habebat, pariter ad Franciæ partes properabant. Audiens autem Karolus interea, quod hi omnes, quos supra memorauimus, ab eo defecissent, & Lodharius cum ingenti exercitu persequi illum vsque ad internecionem statuissét, hinc autem Pippinus, & hinc Brittones infesti erant, quid facerent, consilium conuocant, ineunt, deque his omnibus facile deliberaturi, facile consilium perfacile inuentum est, & quoniam nihil præter vitam & corpora reliquum habebant, elegerunt potius nobiliter mori quam regem proditum derelinquere. Quamobrem obviam Lodhario pergunt, atque Aurelianensem vrbem hinc inde peruenti, castra ponunt distantes ab inuicem plus minus leuuas VI. legatos inuicem dirigunt. Et Karolus quidem sola iustitia pacem petebat: Lodharius verò quoquo artu ubique prælio illum decipere ac superare posset, operam dabat. Quod cum peragere, strenue resistentibus, diffideret, sperans vires suas, vti cœperant, cottidie accrescere, * quæm * cum Karolo decreuissent facilius illum subiugari posse arbitrabatur. Hac autem spe deceptus, ea pactione prælium diremit, vt cederet Karolo Aquitania, Septimania, Prouincia & decem Comitatus inter Ligerim & Sequanam videlicet modo, ut his contentus interim inibi esset, donec Atiniacum VIII Id. Maii conueniant, * qua se quidem communi consensu vtrorumque vtilitatem procurare ac statuere velle promisit. Primores quoque partium Karoli cernentes negotium vires suas excedere, maximeq; timebant ne forte prælio commisso in tanta paucitate regem suum saluare difficile possent. (Erat enim spes cunctis non modica indolis eius.) Quamobrem statutis eo tenore consentiunt, vt deinceps Lodharius Karolo ita fidus amicus sit sicut frater per iustitiam fratri esse debet; & regna quæ illi deputabat, quieta habere faceret; ac interim super Lodhuuicum hostiliter ire dedisset: aliter autem, iure quod iurauerant absoluti esse deberent. Quidem arte & regem suum à periculis subtrahunt, & se mox à sacramento absolu-

vunt.

uret. Nam antequam idem qui hæc iurauerant, domo egrederentur, aliquos ex his qui aderant, subducere ab illo temptauit, & in crastino quosdam suorum recepit. Insuper & in regna quæ illi deputauerat statim direxit, & in quantum potuit, ac illi se subderent, perturbauit: & vt è Prouincia ad se venientes exciperet, perrexit, & quemadmodum Ludouuicum dolo an vi superare posset, intendit. Interea Karolus Aurelianensem vrbem veniens Teotbaldum & Warinum cum quibusdam è Burgundia ad se venientes gratanter ac benigne excepit. Hinc autem obviam Bernardo, sicut mandauerat, Niuernensem vrbem petit. Sed Bernardus, more solito, ad illum venire distulit dicens se cum Pippino suisque sacramento firmasse, vt neuter absque alterius consensu cum quolibet quodcunque pactum inire deberet. Quamobrem testatus est, ad illos se ire velle, & si efficere posset vt vna secum deuenirent, bene; sin aliter, soluto iuramento, infra dies quindecim ad illum reuersurum, suæque ditioni se commissurum esse promisit. *Quamobrem Karolus Bituricas iterum obuiam illi venit. Quo Bernardus veniens cum neutrum fecisset, grauiter Karolus ferens seductiones quas patri fecerat & hactenus illi faciebant, timens ne aliter illum comprehendere posset, subito in illum irruere statuit. Sed hoc Bernardus, quanquam tarde præsensit, fugam iniit ac vix euasit. Karolus autem quosdam è suis strauit, quosdam saucios ac semiuiuos reliquit, quosdam vero inlæsos cepit ac more captiuorum custodiri præcepit. Suppellectilem autem vniuersam diripere permisit. Hinc quoque Bernardus humilior effectus paulo post supplex ad Karolum venit dicens, & fidelem se illi fuisse, & tunc, si liceret, esse voluisse, & deinceps, quanquam hac contumelia affectus esset, in futurum fore minime diffideret. Quod & si quilibet aliter dicere vellet, armis se *ob* propulsaturum promittit. Quibus Karolus credulus effectus, ditatum muneribus & gratia in societatem amicitiæ suscepit, & vt Pippinum ac suos, vti promiserat, subditos sibi efficere temptaret, direxit. Et his ita compositis, Cenomannicam vrbem adiit, Lantbertum Ericumque vna cum cæteris recepturus. Cumque ille illos inibi perhumane reciperet, protinus ad Nomenoïuum ducem Brittanorum mittit, scire cupiens si suæ se ditioni reddere vellet. Qui adquiescens consiliis plurimorum, Karolo munera mittit ac sacramento fidem deinceps seruandam illi firmauit. Quibus peractis, quoniam tempus placiti quod Attiniacum condixerant, appropinquare videbatur, quid consulte ac solida fide sibi suisque agere oporteret, Karolus anxius erat. Ergo participes secretorum conuocat, rem omnibus notam replicat, ac quemadmodum à tanta calamitate congruentius se suosque exui posse existimarent, vt aperiretur, deposcit, seque in omnibus publicæ vtilitati & *parere velle: insuper etiam si oporteret pro ea mortem subire, minime differre fatetur. Quibus cum vndique vires creuisse viderentur, reminiscentes insidiarum, quas Lodharius temporibus patris sui patri & Karolo inferre studuerat, quas etiam post obitum patris, fratribus suis absque medio struebat; occurrebant insuper sacramenta, quæ tunc nuper fefellerat, aiebant se omnem iustitiam ab eo libenter consequi velle, sed his indiciis nil boni sperare posse. Idcirco sibi vndique consultum videri, quocumque modo posset, ad conductum placitum venire minime differret. Quod si frater suus, vti promiserat, communem vtilitatem quærere ac statuere vellet, hoc omnibus notis placere, & vt gratanter reciperetur, congruum esse. Sin aliter, fretus iusticia, ac per hoc auxilio diuino suorumque fidelium, & quicquid regni pater suus amborumque fidelium consensu illi dederat, obtinere omni virtute non negligat. Ergo omnes Aquitanos, qui suæ parti fauebant, vna cum matre post se venire præcepit: insuper quicumque è Burgundia nec non & inter Ligerem & Sequanam sui iuris esse vellent, similiter fecit. Idem autem ipse vna cum his, qui per præsens aderant, quamquam difficile videretur, præfatum iter arripuit. Cumque Sequanam veniisset, repperit Guntboldum, Warnarium, Arnulfum, Gerardum, necnon & omnes à Carbonariis & infra, Comites, Abbates, Episcopos ob

hoc videlicet à Lodhario inibi relictos, vt si absque suo consensu transire vellet, minime posset, accedebat insuper quod amnis inundans vada vbique denegauerat. Custodes autem fluminis omnes naues aut contriuerant, aut certe submerserant. Gerardus quoque pontes quoscunque repperit, destruxit. Igitur supra modum transitus difficilis effectus non modicam transire cupientibus importabat molestiam. Cum autem tot difficultatibus animi multimodis agitarentur, consilijs tandem mercatorum, naues ab hostio quo Sequana mare influit feruenti æstu abductas propterque Rotomacensem vrbem expositæ nuntiantur. Quo veniens, harum duas minus de xxx. Karolus armato milite complet, idemque ingressus præmittit, qui se venturum prænuntient, vnicuique volenti delicta cedens, nolentibus ademtem vt abeant, regnumque à Deo sibi datum illi relinquunt. Quæ dum spreuissent, classisque appropinquare videretur, crucem in qua iurauerant, & Karolum vt cognouerunt, relicto litore protinus fugerunt. Quos, quoniam quod in tranciendo equi moram fecerant, consequi nequibat, ad Sanctum Dionysium laudis obsecrationisque causa iter direxit. Quo veniens comperit quod hi quos fuga dispersserat, in vnum vnà cum Arnulfo & Gerardo cæterisque coissent, & super Teobaldum, Warinum, Otbertum, cæterosque qui, vti mandatum fuerat, ad Karolum veniebant, irruere vellent. Quamobrem ad sanctum Germanum causa orationis perrexit, ac per totam noctem iter faciens, aurora diluescente vbi Luna Sequanæ confluit, Warinum cum sociis saluum recepit, ac sic vno eodemque itinere Senonicam adiit vrbem. Hinc noctu consurgit per Vttam iter faciens, spetransque, vti nuntiatum illi fuerat, quos supra memorauimus in eodem saltu consistere. Disposuerat enim vbicumque & qualitercumque posset, supra illos irruere Quod & vtique fecisset, nisi sollicitis vitæ mors imminens pro foribus nunciaretur. Quamobrem pene cuncti supra modum exterriti, quo quisque valuit, fugam iniit. quos quoniam Karolus consequi non potuit, sociis equisque sessis, nam Domini quieti indulgens Tricasinorum ciuitatem in crastinum adiit. Eodem tempore dum hæc quæ præmisimus à Karolo exsequerentur, Lodharius, vti postea fatum est, dolo an vi Ludhouuicum aut subdere, aut, quod mauult, perdere posset, tota mente tractabat. In quo negotio congrue Otgarium Magontiæ sedis Episcopum & Adhelbertum Metensium Comitem conuocat. Habebat enim vterque Ludhouuicum ad mortem vsque exosum. Jam enim Adhelbertus ex infirmitate, qua pene per annum detentus fuerat, velut in supplementum fratricidii respiraverat. Erat enim eo in tempore ita prudens consilio, vt sententiam ab eo prolatam non quilibet mutare vellet. Cuius instinctu Lodharius collectam hinc inde infinitam multitudinem Renum traiecit præmittens, more solito, qui minis blanditiisque pendulam plebem subducere temptarent. Timens autem populus qui cum Lodhuuico erat, ne tantum exercitum ferre valeret partim defecti ad Lodharium transeunt, partim fugam ineunt ac Lodhuuicum desolatum relinquunt. Qui, quoniam omne suffragium aliud vndique deerat, cum perpaucis abiit, & in Alsatiam se recepit. Quod quoniam Lodhuuico contigit, minime deinceps Lodharius aliquid illum præualere putauit. Igitur Adhelbertum ducem quem supra * Comitem * memorauimus, ob hoc inibi reliquit, vt & populum sacramentis sibi firmaret, & si Ludhouuicus ad Karolum ire vellet, nullo modo posset. Ipse vero, quoniam Karolum Sequanam transire repperit, obuiam ire parabat; velocitate quidem præmittit, rei veritatem, vbi & cum quibus esset, scire cupiens. Mira ne ac merito notanda res Karolo in eodem sancto sabbato contigit. Nam neque ipse, neque quilibet in suo comitatu quicquid, absque quod corpore gerebant & absque armis & equis, habebant. cumq; de balneo quidem egrederentur, & eadem vestimenta quæ exuerat, induere pararet, repente ab Aquitania missi pro fontibus adstiterant qui coronam & omnem ornatum tam regium quàm & quicquid ad eam tum diuinum pertinebat, ferebant. Quis non miretur paucos & pene ignotos viros

uos, tot terrarum ſpatia, dum vbique omnes rapinæ inſiſterent, tot talenta auri gemmarumque infinitam multitudinem ferre inlæſos valuiſſe, &, quod maxime mirandum fateor fore, qualiter ad definitum locum vel certe ad ſtatutam diem & horam venire poterant, cum nec idem Karolus, vbi ſe ſuosque * oporteret, ſciebat? Quo quidem euentu haud aliter quam munere ac nutu diuino viſum eſt euenire potuiſſe: ac per hoc commilitonibus ſtuporem iniecit, omnesque maximam ad ſpem ſalutis erexit. Hinc vero Karolus cunctaque cohors exultans ad feſta celebranda ſeſe conuertit. Expleto autem quod cæperat, miſſos Lodharii benigne excipiens conuiuari vna ſecum præcepit. Quibus & vt in craſtinum redirent, iniunxit per ſuos ſe reſponſurum de eo, quod frater ſuus illi mandauerat, promittens. In legatione vero Lodharii querebatur, cur abſque ſuo conſenſu terminos, quos illi ſtatuerat, excederet, & quia fecerat, ſaltem vbique illum reperirent, mandat vt interim eo loco quieſcat, donec illi mandaretur ſi ad ſtatutum locum, an alio vbi congruentius illi videretur, venire deberet, Karolus per ſuos è contra ſe ob hoc ſtatutos terminos exceſſiſſe reſpondit, quoniam de omnibus bonis ſua ex parte illis promiſſis ac jureiurando firmatis nihil ſtabile eſſe permiſit. Nam ſuorum horum, vltra quod firmatum fuerat, ſollicitatos quosdam ſuo juri adjecit, quosdam vero vita priuauit. inſuper regna quæ ſubiecta illi efficere debuit, in quantam valuit, perturbauit, &, quod maximum eſt, in fratrem hoſtiliter irruit: nec non & ſuffragium à paganis illum quærere compulit. Verumtamen, quamquam ſe hæc ita haberent, in conuentum quod communi conſenſu ſtatuerant, venire ſe velle mandauit, vbi ſi communem vtilitatem, vti promiſerat, quærere ac ſtatuere vellet, ſibi placere: ſin aliter, de regno quod Deus paterque ſuus ſuorum conſenſu illi dederat, conſiliis ſuorum fidelium in omnibus, ſecundum Dei voluntatem, pareret ſe innotuit. Et his ita compoſitis, idem iter arripuit, atque ad præfatum locum pridie quam venerat, præuenit. Quo quidem Lodharius veluti ex conſulto, venire diſtulit: Verumtamen miſſos variis quærimoniis refertos frequenter mittebat, ſi forte ex improuiſo Karolus ſupra illum irruere poſſet, cauebat. Interea legati à Lodhuuico venerant nunciantes, quod ſi ſciret quomodo fieri poſſet, in illius adiutorium venire vellet. Quo ſe Karolus & indigere reſpondit, gratias congruæ voluntati egit, & vt hoc accelerare ſtuderent, protinus præfatos miſſos remiſit. Cumque quatuor vel eo amplius dies inibi aduentum Lotharii præſtolaretur, & ille venire differret, concionem aduocat, concilium iniit, quidnam conſultius deinceps illi agendum videretur, deliberaturus. Quidam autem aiebant, quoniam mater ſua vna cum Aquitanis veniebat, obuiam illi ire debere. Sed maxima pars erat obuiam Lothario iter arripere ſuadebant, aut certe, vbicunque vellet, aduentum illius præſtolari debere dicebant, ob hoc quidem maxime, quoniam ſi quoquo modo aliorſum inflectere cepiſſet, cuncti fugam illum iniſſe jactarent, & hinc Lodharium & ſuos audentiores fieri debere, atque hi qui adhuc cauſa timoris neutri ſeſe copulauerant, ad illum affluere vndique ſperabant, quod & euenit. Quamquam difficile, præualuit tamen ſententia priorum. Quamobrem Cadhellonicam Karolus adiit vrbem, ibique matre vna cum Aquitanis recepta, repente nunciatur quod Lodhuuicus cum Adelberto duce Auſtraſiorum prælio commiſſo viciſſet, Remoque traiecto ob illius adiutorium quantocius poſſet, veniret. Quod cum ocius vniuerſis caſtris * omnibus notum fieret, cuncti alacri animo vt illi obuiam irent, ſuadebant. Lodharius * quoque hæc ita ſe habere deprehenderet, circumfuſæ plebi Karolum fugam iniſſe, perſequique illum quantocius poſſet, velle denunciat. Quo quidem nuncio fidos ſibi alacriores reddidit, dubiis autem quibusque & affluendi audaciam iniecit, & firmiores ſuæ parti reddidit. Cumque Karolus à Lodhario perſequi ſe didiciſſet, quoniam in difficili loco aquis paludibusque circumfuſis caſtra poſuerant, vt abſque qualibet difficultate, ſi Lodharius vellet, congredi poſſent, protinus obuiam illi perrexit. Quæ quidem Lodhario

* quamquam

vti

vti nunciata sunt, castra posuit, ac veluti fessis equis biduo requiem dedit. Ite
rato itaque cum hæc eadem feciſſent, missosque inuicem frequenter mitterent,
sed nihil proficui deliberate possent, tandem appropinquantes Lodhuuicus & Ka
rolus conueniunt, deque his omnibus in eodem conuentu, quæ Lodharius absq
quolibet moderamine erga se suosque sæuiebat, dolendo conferunt, quidve de
ceps agendum oportunius videretur, in crastinum deliberaturi. Aurora siquidem
deluceſcente conueniunt, concilium ineunt, in quo multum de tanta calamitate
conqueruntur. Cumque alteruter quæ quantaue & qualia passi à fratre fuerant,
referre desiissent, vniuersis visum vnanimiter parique consensu, tam ex sacro sa
cto ordine Episcoporum, quam & laicorum viros nobiles, prudentes benevolos
deligant, per quos, quæ pater inter illos statuerat, & quæ post obitum ab illo pos
sint, mandent: insuper obsecrent vt memor sit Dei omnipotentis, & concedat pa
cem fratribus suis vniuersæque Ecclesiæ Dei : cederet cuique quod * patēr ip
que consensu juste debebatur. Insuper etiam vt justis precibus acquiesceret, ob
ferrent illi quicquid absque equis & armis in vniuerso exercitu habere videba
tur. Et si his monitis obsecrationibusque acquiescere vellet, placere: sin alitēr,
aiebant se diuino ex munere suffragium absque dubio sperare posse, si omne quod
justum est, vellent, & hoc fratri offerre humiliter studerent. Quæ quoniam me
rito rata videbantur, protinus expleta sunt. Sed hæc veluti pro nihilo ducta Lod
harius spreuit, per suos, se nihil absque prælio velle, mandauit. Confestimque
obuiam Pippino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, iter arripuit. Quod cum
ocius didicissent Ludhouuicus & sui, supra modum rem grauiter ferentes: (Erant
enim vndique grauiter tam itineris longitudine, quam & præliis variisque difficul
cultatibus & maxime equorum inopia attriti) verumtamen quamquam se hæc ita
haberent, timentes ne forte si ab auxilio fratris frater deficeret, posteris suis insa
gnam memoriam reliquissent. Quod quidem ne facerent, elegerunt omni pœnæ
riæ, etiam, si oporteret, morti potius subire, quam nomen inuictum amittere.
Quamobrem ex eadem magnanimitate mœstitia oppressi, inuicem se adhortantes,
gaudentes velociterque vt Lodharium cito consequi possent, ibant. Cumque *
atque insperate propter vrbem Alciodorensem vterque exercitus alter ab altero vi
derentur, confestim Lodharius verens, ne forte fratres sui absque dilatione supra se
irruere vellent, armatus castra aliquantulum excessit. Quod quoniam fratres sui
facere illum cognouerunt, quosdam castrametentes relinquunt, quosdam secum ar
matos assumunt, & absque dilatione obuiam procedunt. Missos inuicem mitten
pacemque sub noctem componunt. Castra autem ab inuicem distabant plus mi
nus leuuas tres, & intererat paucula palus saltusque: ac per hoc erat vtrique ad al
terum difficilis accessus. Quapropter aurora deluceſcente, Lodhuuicus & Ka
rolus ad Lodharium mittunt: mandant valde sibi displicere, quod illis pacem ab
que prœlio denegauerat. Quod etiam, quoniam vellet, & absque qualibet frau
de si fieri deberet, esset. Et primum quidem jejuniis ac votis Deum ipsorum
deinde, si ille transire ad illos voluisset, locum transeundi se daturos promittunt,
vt omni impedimento sua suorumque ex parte ablato, absque qualibet occulta
deceptione congredi possent. Quæ & si vellet sacramento firmare præceperunt. At
si nollet, vt eadem illis concederet atque firmare rogaret, petunt. Is autem non
solito, per suos se responsurum promisit, & vt legati egressi sunt, protinus obuiam
iter arripuit, ac locum quo castra poneret, Fontaneum petit. Eadem autem die
fratres sui post Lodharium iter accelerantes, antecesserunt illum, & propter vicinum
quod Tauriacus dicitur, castra posuerunt. Crastina die exercitus præparati ad
prœlium, castra aliquantulum excesserunt * Præmittes Lohuuicus & Karolus Lod
hario mandauerunt, vt memor esset fraternæ conditionis, sineret Ecclesiam Dei &
vniuersum populum Christianum pacem habere, concederet illis regna à patre sibi
consensu concessa, haberet sua sibi non merito, sed sola misericordia à patre illi re
licta

lita, & in munere offerebant illi, quicquid in vniuerſo exercitu absque armis & equis habere videbantur. At ſi id nollet, cedebant illi vterque portionem regni, alter vſque Carbonarias, alter vero vſque Renum. Quod & ſi renueret, vniuerſam Franciam æqua lance diuiderent, & quicquid horum vellet, ſuæ ditionis eſſet. Ad quod Lodharius, more ſolito, per ſuos ſe quicquid placeret notare reſpondit, mittensq; per præſens Drogonem, Hugonem, Hegibertum, mandat, non illos aliquid tale antea illi mandaſſe, ad quod conſiderandum ſpatium habere ſe velle, aiebat. Re autem vera Pippinus non venerat. illum hac dilatione expectare volebat. Verumtamen Ricuinum, Hirmenaldum & Fredericum ſacramento firmare præcepit, quod nulla re alia has inducias peteret quam præter quod commune profectum tam illorum, quam & vniuerſæ plebis, ſicut juſtitiam inter fratres & populum Chriſti oportebat, quærere volebat. Quo quidem ſacramento Lodhuuicus & Karolus credulitate effecti, eadem die & in craſtinum, inſuper etiam vſque in horam ſecundam diei tertij, quod euenit VII. Kalend. Julii, pace vtrorumque ex parte jureiurando firmata, ad caſtra redeunt, miſſam vero ſancti Joannis in craſtinum celebraturi. Pippino quoque eadem die Lodharius in ſupplementum recepto mandat fratribus ſuis, quoniam ſcirent illi Imperatoris nomen magna auctoritate fuiſſe impoſitum, vt conſiderent quatenus eiusdem nominis magnificum poſſit explere officium. Inſuper autem haud ſe libenter vtrorumque quærere profectum. Interrogati autem ſi quiddam horum, quæ mandauerant, recipere vellet, vel ſi quamlibet finitiuam ſententiam illis mandaſſet, nihil ſibi horum fuiſſe iniunctum reſponderunt. Quamobrem cum omnis ſpes juſtitiæ ac pacis ſua ex parte ablata videretur, mandant illi, ſi melius non inueniſſet, aut reciperet vnum horum quæ illi mandauerant, aut noſſet illos in craſtinum (quod contigit, ſicut præfatum eſt, VII. Kalend. Julii. hora videlicet diei ſecunda) ad omnipotentis Dei judicium, quod illis absq; illorum voluntate mandauerat, eſſe venturos. Quæ quidem Lodharius, ſolito more, inſolenter ſpreuit, & viſuros ſe quid agere deberet, reſpondit. Dum hæc ſuper Ligerim juxta ſanctum Fludualdum conſiſtens ſcriberem, Eclipſis ſolis hora prima feria XV. Kal. Nouembris in Scorpione contigit. His ita omiſſis diluculo Lodhuuicus & Karolus conſurgunt, verticem montis caſtris Lodharii contigui cum tertia vt videtur, exercitus parte occupant, aduentumque eius & horam ſecundam vt ſui jurauerant, exſpectant. Cumque vtrumque adeſſet, prælium ſuper Riudam Burgundionum, magno certamine committunt. Et Lodhuuicus quidem ac Lodharius in loco qui Brittas dicitur, ſtrenue confligunt : Quo ſuperatus Lodharius, terga vertit. Pars autem exercitus, quam Karolus in loco, qui Fagit vulgo dicitur, excepit, protinus fugit : Pars vero, quæ in Solennat Adhelardum * ceterosque quibus haud modicum ſupplementum, Domino auxiliante, præbui, appetiit, ſtrenue conflixit. Quo & vtrique vicerunt. Sed nouiſſime omnes à parte Lodharii fugerunt. Quo finem primi certaminis dedit Lodharius, terminetur liber ſecundus.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

QVIA ME SINISTRVM quiddam ex genere noſtro vt audiam, pudet, re-
ferre † præſertim, quam maxime piget. Quamobrem imperio haud-
quaquam maleuole contempto, vt finis optatus libri ſecundi affuit, per
omnia finire hoc opus animus decreuit. Sed ne forte quilibet quocun-
que modo deceptus, res noſtro in tempore geſtas, præter quam exactæ ſunt, narra-
re præſumat, ex his quibus interfui libellum vt adderem acquieui.

PROELIO QVIDEM vti præfatum eſt ſtrenue peracto, quid de palantibus per-
ageretur Lodhouuicus & Karolus in eodem campo deliberare cœperunt. Et qui-
dam ira correpti, perſequi hoſtes ſuadebant: Quidam autem & maxime reges, miſe-
rantes fratris plebisque & vt judicio Dei & hac plaga repreſſi ab iniqua cupiditate
reſipiſcerent, & Deo donante, deinceps vnanimes in vera juſtitia deuenirent, piis
viſceribus, ſolito more, optabant. In quo negotio Dei miſericordia vt præſtolare-
tur, ſuadebant. Quibus cætera multitudo aſſentientes à prælio & præda diſceſſerunt,
& fere mediante die, ad caſtra redeunt: quid deinceps conſultius acturum videretur,
deliberaturi. Fuit quidem ingens numerus prædæ & ingens cædes inſuper ammira-
bilis immo & merito notabilis miſericordia tam regum quam & vniuerſorum. Nam
diuerſis pro rebus diem dominicum inibi acturos ſe deliberarunt, in quo, miſſa per-
acta, amicos & inimicos, fideles & infideles pariter ſepulturæ tradebant. Plaga corre-
ptos ac ſemiuiuos eodem modo pro viribus ex animo refouebant. Poſt hos qui fuga
euaſerunt, miſerunt offerentes ſi reuera ſana fide vellent, omnia delicta remitti. Poſt
hæc reges populique ſuper fratre populoque Chriſtiano dolentes, percontari Epi-
ſcopos cæperunt, quid agere ſuper hoc negotio deberent. Quamobrem vnani-
mes ad concilium omnes Epiſcopi confluunt, inuentumque in conuentu publico
eſt, quod pro ſola juſtitia & æquitate decertauerint, & hoc Dei judicio manifeſtum
effectum ſit: Ac per hoc immunis omnis Dei miniſter in hoc negotio haberi tam
ſuaſor, quam & effector deberetur. At quicunque conſcius ſibi aut ira, aut odio,
aut vana gloria, aut certe quolibet vitio quiddam in hac expeditione ſuaſit, vel gel-
ſit, eſſet vere confeſſus ſecrete ſecreti delicti, & ſecundum modum culpæ diiudicare-
tur. Verumtamen in veneratione ac laude tantæ declarationis juſtitiæ, pro remiſ-
ſione delictis mortuorum fratrum ſuorum in eo, quod imperfecti peccatis inter-
venientibus ſe nouerant, vt in multis volentes nolenteſque delinquebant, ut ſuo
adiutorio ab his exuti liberarentur. Inſuper autem vti hactenus in juſtitia adiu-
tor & protector illis Deus extitit, ita vt deinceps vbique exiſteret: proque his omni-
bus triduanum jeiunium iniunctum immoque libenter ac celebre celebratum eſt.
His ita rebus peractis, Lodhuuicus vt Renum peteret, decreuit. Karolus autem
diuerſis pro rebus, & maxime propter Pippinum, vt illum ſibi ſubdere ſtuderet,
in Aquitaniam vt proficiſceretur ratum duxit. Nam Bernardus dux Septima-
niæ quanquam à loco prædicti prœlii plus minus leuuas tres defuerit, neutri in
hoc negotio ſupplementum fuit. Victoriam autem vt Karoli eſſe didicit filium
ſuum Wilhelmum ad illum direxit, & ſi honores quos idem in Burgundia habuit,
eidem donare vellet, vt ſe illi commendaret, præcepit. Inſuper jactabat ſe poſſe,
nec non & aiebat quod Pippinum vna cum ſuis Karolo fœdere quo valeret ſub-
dere vellet. Quam legationem benigne excepit, & ſicut poſtulauerat per omnia
conceſſit, monens vt de Pippino & ſuis quod promiſerat, in quantum poſſet,
vt perficeretur, operam daret. Cumque aduerſa vndique propulſa viderentur,
ac ſpes proſperitatis cuique hinc inde faueret, Ludhouuicus cum ſuis Renum
petiit, Karolus vero cum matre Ligerem adiit. Res autem publica inconſul-
tius quam oporteret omiſſa, quo quemque voluntas rapuit, perfacile omiſſus
abſceſſit: Quod quidem Pippinus audiens, paulo ante delideratum cum illo
fœdus

fœdus inire distulit. Bernardus quidem ad illum venit, sed vt illi se commendaret, minime acquieuit. Quidam tamen à Pippino desciuerunt: & hoc tantum præfata expeditio Karolo profuit, quod illos sibi fœderatos recepit. Interea Adhelardus cæterique quos Karolus ad Francos direxerat scire cupiens si ad illum reuerti vellent, Carisiacum venientes quo illi, vt missos dirigeret, mandauerant, perpaucos obvios habuerunt, qui hoc dicebant, si idem Karolus ad præsens esset, ad illum venire minime differrent: aliter autem, nescire aiebant vtrum viueret an non. Jactaverant enim hi qui partis Lodharii sentiebant, in prœlio Karolum cecidisse, Lodhuuicum vulneratum & fuga lapsum abisse. Quapropter inconsultum aiebant in incertis rebus aliquod fœdus cum quolibet iniret debere. At Guntboldus ceterique coadunati supra præfatos Karoli missos irruere se simulabant. Et vtique fecissent, si ausi essent. Quapropter ad Karolum Adhelardus & ceteri miserunt, mandantes vt quantocius posset, venire satageret, quatenus & illis adiutorium præberet, & si Franci, vti aiebant, ad illum venire vellent, scire posset. Ipsi vero Parisiacam ciuitatem adeunt, aduentum Karoli præstolaturi. Quod cum Karolo nunciaretur, protinus his in partibus iter direxit. Ad Sequanam autem vt peruenit, Adhelardum vna cum cæteris in Spedonna obuiam habuit, & quamquam propter conventum, quod cum fratre in Lingonicam vrbem Kal. Sept. condixerat, quoniam imminebat, anxius esset, rarum duxit vt saltem citato cursu per vrbem Beluacensem, ac deinde per Compendium & Suessionis, hinc per Remensem & Cadelonensem, Lingonicam peteret vrbem quatenus eo tenore id quod cum fratre statuerat, obseruare studeret, & si quilibet è Francis ad illum venire vellet, posset. Franci vero eandem paucitatem quam & Aquitani spreuerant, spernentes, variis fictionibus illi se per præsens subdere distulerunt. Quod vt Karolus cognouit, præfatum iter accelerare cæpit. cumque Suessionicam peteret vrbem, monachi de sancto Medardo occurrerunt illi, deprecantes vt corpora sanctorum Medardi, Sebastiani, Tiburtii, Petri & Marcellini, Maurii, Marthæ, Audifax & Abacuc, Onesimi, Meresinæ & Le[cadiæ, Mariani, Pelagii, & Mauri, Floriani cum sex fratribus suis, Gildardi, Sereni & domni Remigii Rotomagorum Archiepiscopi in basilicam vbi nunc quiescunt] & jam tum maxima ex parte ædificata erat, transferret. Quibus acquiescens inibi remansit, & vt postulauerant, beatorum corpora propriis humeris cum omni veneratione transtulit. Insuper & villam quæ Bernacha dicitur, rebus eiusdem Ecclesiæ addidit. His ita peractis, Remensem vrbem petiit. Quo cum venisset, nuncium recepit quod Lodhuuicus ad conuentum quod in Lingonicam vrbem condixerant, venire non posset eo quod Lodharius in regnum illius hostili manu irruere vellet. Mandauerant etiam huc auunculi eius, nec non & Gislebertus comes Mansuariorum si in illis partibus iisset, ad illum se vna cum cæteris esse venturos. Ergo tam pro fratris adiutorio, quam & vt hos, si ad illum venire vellent, recipere posset, ad sanctum Quintinum iter direxit. Quo quidem Hugonem, sicut mandauerat, obuiam habuit: & inde in partes Traiecti iter direxit. Lodharius autem vt hæc audiuit, omisso Lodhuuico quem paulo ante persequi statuerat, à Wormacia ad conuentum quod Teotonis villam indixerat, iter arripuit. Et qualiter super Karolum irrueret, intendit. Quod cum Karolus in Wassiticum didicisset, Hugonem & Adhelardum † & Gissebertum vna cum cæteris fœdere quo valerent sibi adnecterent direxit. Rabanonem etiam ad Lodhuuicum dirigens, mandat qualiter pro suo adiutorio illis in partibus isset: quod Lodharius audiens, illo omisso, supra se cum omnibus copiis ire pararet: monensque ac deprecatur vt quantocius posset, solito more adiutorium illi præbere studeret. Insuper autem Exemenonem venerabilem Episcopum ad Lodharium direxit, solito more humiliter præcepit vt roget, vt obsecret, meminerit quod frater filiolusque eius sit: Meminerit quæ pater inter illos statuerat, quæ tam is quam & sui inter illos jurauerant: Meminerit quæ nouissime judicio Dei inter illos voluntas eius declarata sit. Et si horum

Hic locus in vet. ex. emendatus est recentioris librarij manu, qui videtur quadam deleuisse, alia in textu, non nulla in margine addidisse vt ea quæ inclusa sunt his notis [] Et vero quadam deesse manifestum est.

f. vt

omnium recordari nolit, ceſſet à perſecutione ſanctæ Dei Eccleſiæ, miſereatur pauperum, viduarum orfanorumque, & regnum à patre ſuo conſenſu ſibi datum vt ingrediatur, omittat, ne forte iterato populum Chriſtianum ad cædem mutuam confluere compellat. Et his ita compoſitis, idem ipſe Pariſiacam vrbem adiit tam fratris ſui Lodhuuici aduentum, quam & cæteros fideles ſuos, quos vndique convocauerat, præſtolaturus. Quod cum Lodharius didiciſſet, ad eandem vrbem iter direxit. Habebat enim tam Saxonum, quam & Auſtraſiorum, necnon & de Alamannis partem haud modicam ſecum, horumque auxilio præmaxime confiſus ad ſanctum Dionyſium venit. Repererat autem inibi naues plus minus xx. inſuper quoque Sequana, vti menſe Septembrio ſolet, exigua erat tranſitumque perfacilem præſtabat. Quamobrem jactabant ſe ſui facile tranſire poſſe. Et hoc vtique ſimulabant ſe maxime velle. Ergo Karolus quoſdam Pariſium & Milidonem cuſtodiri præcepit: quosdam vero vbicumque vada & nauigia eſſe nouerat, reſidere iuſſit, ipſe è regione ſancti Dionyſii juxta ſanctum Fludualdum, caſtra in meditullio poſuit, vt & Lodhario ſi ita oporteret, tranſitum prohibere, aut ſi alicubi ſuper ſuos irruere vellet, illis ſuccurrere poſſet. Et vt perfacile dignoſceretur, quo in loco adiutorium præberi deberet, more maritimo ſigna in locis congruis atque cuſtodias depurauit. Inſuper autem Sequana (mirabile dictu) dum nos nuſquam eo in tempore infra duos menſes pluuias eſſe nouimus, repente aëre ſereno tumeſcere cæpit, ac ſponte his in locis vada vbique prohibuit. Cumq; hæc ita haberent, cernens Lodharius tranſitum inibi vndique ſibi prohibitum, eo tenore cum Karolo pacem inire ſe velle mandauit, vt fœdus quod Karolus cum fratre ſuo Lodhuuico ſacramentis firmauerat, omiſiſſet. Et ille econtra fœdus quod cum Pippino nepote ſuo ſimiliter ſacramentis firmauerat, omitteret, & haberet Karolus à Sequana
f. vſque partem Occiduam * absque Prouinciam & Septimaniam, eſſentque quaſi pace perpetua fœderati. Re autem vera ſeſe vtrosque facilius decipere poſſe putabat, omneque imperium hac arte inuadere ſperabat. At Karolus reſpondit ſe fœdus quod cum fratre ſuo neceſſitate coactus inierat, minime violare velle. Inſuper vt à Moſa vſque ad Sequanam regnum quod pater illi dederat, nequaquam congruum videretur vt illi committeret, præſertim cum tanta nobilitas illum ſecum de his regionibus eſſet, quos in ſua fide deceptos eſſe minime oporteret. Quamobrem quoniam hiems aderat, haberet quique honores quos pater illis dederat, ſi vellet, mandauit, donec veris tempore vellent cum paucis, vellent cum omni comitatu, omnes conueniant: & ne ſtatutis aut ſtatuendis concordia concutiatur, quid cuique debeatur, armis decernant. Quæ quidem Lodharius, more ſolito, ſpreuit & à ſancto Dionyſio obuiam Pippino qui ab Aquitania ad illum veniebat, Senones iter direxit. Karolus autem econtra, qualiter Lodharium in adiutorium ſuum recipere poſſet, intendit. Interea nunciatum eſt Karolo quod ſocer ſuus Hildegardis Adelgarium quendam ex ſuis captum haberet, & in vrbe Laudunenſi vna ſecum cuſtodire feciſſet. Quapropter expeditos ad hoc opus Karolus ſibi delegit, ac protinus decedente jam die, his in partibus feſtinus perrexit. Diſtabat enim vrbs eadem plus minus leuuas xxx. Per totam ſiquidem noctem iter faciens, impediente gelu prætualido, hora fere diei tertia inſperate ſubito ſoroti & civibus cum infinita multitudine nunciatur Karolus adeſſe; omnisque vrbs militibus circumdata fore. Quo quidem nuncio exterriti, quoniam nec euadendi aderat ſpes mœnia tuendi, pacem ſub vna eademque nocte petunt: Adelgarium confeſtim reddunt, & vt ſe vrbemque absque conflictu in craſtinum dedant, cum omni ſubiectione promittunt. Dum hæc agerentur, milites moram huius rei gratuiter ferentes, inſuper laboris tædio, quod præteritæ noctis paſſi fuerant, permoti, in occidium vrbis ruere vndique cœperunt, effetq; proculdubio protinus flammis rapinisq; tradita, ni idem Karolus miſericordia ſuper Eccleſiarum Dei fororisq; nec non & populi Chriſtiani permotus minis atq; blanditiis horum animos mitiga-

uit

mo labore compescere studuisset: Quos cum abscedere fecisset, vt soror postulauerat, concessit, & Salmonciacum ab vrbe discessit. Crastina quoque die Hildegardis ad fidem suam, sicut spoponderat, venit, vrbemque inlæsam absque conflictu sui juris restituit. Sororem suam siquidem Karolus benigne excepit, & omnia quæ hactenus erga illum deliquerat, illi donauit; multisque verbis blande illam allocutus, omnem benignitatem quam frater sorori debet si deinde beneuola erga illum esse vellet, ei perhumane promisit, ac quo voluit, illam abire concessit. Vbi sua jura statuit, & ad suos quos circa Parisium omiserat, his ita peractis rediit. Nomenoium autem Lodharius Pippino recepto quid agere deberet, anxius erat. Nam Karolus partem exercitus Sequanam traiecit, & in saltum qui Pertica vulgo dicitur, direxit. Quos quoniam Lodharius vel se vel suos impedire timuit, primum insectari statuit. Qua quidem re sperabat se & hos facile dedere, & hoc terrore sibi residuos subiugare, maximeque † Nominoium Brittannorum ducem suo subdere dominatui posse. Sed frustra hæc omnia expleturus adiit, dum nihil horum ad effectum perduxit. Nam exercitus Karoli omnis ab eo saluus euasit, insuper ex suis neminem recepit, & Nomenoius omnia quæ illi mandauerat, insolenter spreuit. His ita se habentibus, repente nuntium accepit, quod Lodhuuicus & Karolus vna cum ingenti exercitu alter alteri studeret. Cumque se vndique rebus aduersis circumseptum videret, maximo ambitu inaniter expleto, à Turonis redire cæpit, & fatigato exercitu tandem fessus Franciam peruenit. Pippinus autem quod se illi sociauerat, pœnitudine correptus, Aquitaniam se recepit. Interea audiens Karolus quod Otgarius Maguntiæ sedis Episcopus vna cum cæteris Lodhuuico fratri suo transitum ad se prohibuisset, iter per Tullensem vrbem accelerans, Elisazam, ad Zabarnam introiit. Quod cum Otgarius didicisset, vna cum ceteris litore relicto abiit, & quo quisque valuit, ocius se abdidit. Ergo XVI. Kal. Martii Lodhuuicus & Karolus in ciuitate quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgo dicitur, conuenerunt, & sacramento quæ subter notata sunt Lodhuuicus Romana, Karolus vero Teudisca lingua jurauerunt. Ac sic ante sacramenta circumfusam plebem alter Teudisca, alter Romana lingua alloquuti sunt. Lodhuuicus autem quia maior natu, prior exorsus sic cœpit. Quotiens Lodharius me & hunc fratrem meum post obitum patris nostri insectando vsque ad internecionem delere conatus sit, nostis. Cum autem nec fraternitas, nec Christianitas, nec quodlibet ingenium, salua justicia vt pax inter nos esset, adiuuare posset, tandem coacti rem ad judicium omnipotentis Dei detulimus, vt suo nutu quid cuique deberetur, contenti essemus. In quo nos, sicut nostis, per misericordiam Dei victores extitimus. Is autem victus vna cum suis quo valuit, secessit. Hinc vero fraterno amore correpti, nec non & super populum Christianum compassi, persequi atque delere illos noluimus, sed hactenus, sicut & antea, vt saltem deinde cuique sua justicia cederetur, mandauimus. At ille post hac non contentus judicio diuino, sed hostili manu iterum & me & hunc fratrem meum persequi non cessat. Insuper & populum nostrum incendiis, rapinis cædibusque deuastat. Quamobrem hanc necessitate coacti conuenimus. Et quoniam vos de nostra stabili fide ac firma fraternitate dubitare credimus, hoc sacramentum inter nos in conspectu vestro jurare decreuimus. Non qualibet iniqua cupiditate illecti hoc agimus, sed vt certiores, si Deus nobis vestro adiutorio quietem dederit, de communi profectu simus. Si autem, quod absit, sacramentum quod fratri meo jurauero violare præsumpsero, ab subditione mea, nec non & à juramento quod mihi jurastis, vnumquemque vestrum absoluo. Cumque Karolus hæc eadem verba Romana lingua peroraset, Lodhuuicus quoniam maior natu erat, prior hæc deinde se seruaturum testatus est.

Nomenoium

Pro don amur & pro Xp̃ian poblo & nostro commun saluament dist di en auant in quant des sauir & podir me dunat si saluarai eo cist meon fradre Karlo &

in adiudha & in cadhuna cosa si cum om per dreit son frada saluar dist ino quid il mi altre si fazet & abludher nul plaid nunquam prindrai qui meon vol eist meon fradre Karle in damno sit. Quod cum Lodhuuicus expleſſet, Karolus Teudiſca lingua ſic hęc eadem verba teſtatus eſt. In godes minna induithes xp̄anes folches ind unſer bedhero gealtnisi son thesemo dage * frammordesso fram * so mir got geuuiz ei indi madh furgibit so halt ihtis an minam bruher scal inthi utha zermigsoso maduo indimit luherem in nothe in mit hing nege gango theminam uuillon * imo ce scadhen uuerhen. Sacramentum autem quod vtrorumque populus quique propria lingua teſtatus eſt, Romana lingua ſic ſe habet: Si Lodhuuigs sagrament que son fradre Karlo jurat, conſeruat, & Karlus meos sendra de suo part non los tanit, si io returnar non lint pois ne io ne neulſcui eo returnarint pois in nulla aiudha contra Lodhuuig nun li iuer. Teudiſca autem lingua: Oba karl then eid then er sineno broudher Ludwige geſuor geleiſtit, indi Luduuig min herro then er imo geſuor forbrihchid, ob ih ina neſ aruuendenne mag, noh ih, noh thero, noh hein thenihes iruuenden mag uuidhar karle imo ce foilus tine uuirdhit. Quibus peractis Lodhuuicus Remo tenus per Spiram, & Karolus juxta Waſagum per Vuizzunburg, Warmaciam iter direxit. † Æſtas autem, in qua præfatum exactum eſt prœlium, fuit frigida nimis & omnes fruges perſero collectæ ſunt. Autumnus vero & hiems naturalem ordinem peregerunt. Ac eadem die qua prædicti fratres nec non & primores populi præfatum pepigerunt pactum, ſubſequente gelu nix multa cecidit. Stella cometis menſe Decembrio & Januario, nec non & Februario vſque prælatum conuentum apparuit. Per piſces centrum aſcendit, & inter ſignum quod à quibuſdam lyra, à quibusdam vero Andromeda vocatur, & arctur * b* actiorem hoc concilio expleto defecit. His paucis de temporum ſideriſque ſerie delibatis, ad hiſtoriæ tramitem reuertamur. Cumque Wormatiam veniſſent, miſſos deligunt quos protinus ad Lotharium & in Aquitaniam mittunt, & horum, nec non & Karlemanni aduentus inter Wormatiam & Maguntiacum præſtolaretur, ſtatuunt. Hic quoque haudquaquam ab re quoniam jucunda ac merito notanda videntur de qualitate horum regum, & vnanimitate qua interea deguerint, pauca referre libet. Erat quidem vtriſque forma mediocris cum omni decore pulchra, & omni exercitio apta. Erat vterque audax, largus, prudens pariter & eloquens, omnemque præmiſſam nobilitatem excedebat fratrum ſancta ac veneranda concordia. Nam conuiuia erant illis pene aſſidua, & quodcunque precium habebant, hoc alter alteri perhumane dabat. Vna domus erat illis conuiuii, & vna ſomni. Tractabant tam pari conſenſu communia, quam & priuata. Non quicquam aliud quilibet horum ab altero petebat, niſi quod vtile ac congruum illi eſſe cenſebat. Ludos etiam hoc ordine ſæpe cauſa exercitii frequentabant. Conueniebant autem quocumque congruum ſpectaculo videbatur, & ſubſiſtente hinc inde omni multitudine, primum pari numero Saxonum, Waſconorum, Auſtraſiorum, Brittonorum, ex vtraque parte, veluti inuicem aduerſari ſibi vellent, alter in alterum veloci curſu ruebat. Hinc pars terga verſa protecti vmbonibus, ad ſocios inſectantes euadere ſe velle ſimulabant. At verſa vice, iterum illos quos fugiebant, perſequi ſtudebant, donec nouiſſime vtriq; reges cum omni juuentute ingenti clamore, equis emiſſis aſtilia criſpantes exiliunt, & nunc his, nunc illis terga dantibus inſiſtunt: eratq; res digna pro tanta nobilitate nec non & moderatione ſpectaculo. Non enim quiſpiam in tanta multitudine ac diuerſitate generis, vt ſæpe inter pauciſſimos & notos contingere ſolet, alicui aut læſionis aut vituperii quippiam inferre audebat. His ita ſe habentibus Karlemannus cum ingenti exercitu Baioariorum & Alamannorum ad patrem ſuum Magontiam venit. Bardo vero, qui in Saxoniam miſſus fuerat, ſimiliter fecit, nuntians quod Saxones mandata Lodharii ſpreuiſſent, & quicquid Lodhuuicus & Karolus illis præcipe-rent, libenter id facere vellent. Lodharius quoque miſſos, qui ad ſe directi fuerant, inconſulte audire diſtulit. Quod tam Ludhouuicus quam & Karolus, nec non

non & vniuerſus exercitus ægre tulerunt, & qualiter iidem ipſi ad illum peruenire poſſent, intendunt. Ergo XVI. Kal. Aprilis illis in partibus viam dirigunt, & Kaſolus quidem Waſagum iter facile ingreſſus, Lodhuuicus vero terra Renoque per Bingam, Karlemannus autem per * Einrichi ad confluentem in craſtinum hora fere ſexta venerunt, protinusque ad ſanctum Caſtorem orationis cauſa pergunt, miſſam audiunt, ac deinde iidem reges armati naues conſcendunt, Moſellam otius tranſiciunt. Quod cum Otgarius Moguntiæ ſedis Epiſcopus, Hatto Comes, Heriolfus ceterique viderunt quos Lodharius ob hoc inibi reliquerat, vt illis tranſitum prohibuiſſent, timore perterriti, litore relicto fugerunt. Lodharius quoque vt fratres ſuos Moſellam tranſiſſe in Sinciaco didicit, confeſtim & ipſe abire & regno & ſede non deſtitit, donec ſe ſuper ripam Rodani cum paucis, qui ſe ſequi deliberauerant, cæteris omiſſis, excepit. Qua finem ſecundi certaminis dedit Lodharius, terminetur liber tertius.

Explicit liber tertius.



INCI-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INCIPIT LIBER QVARTVS.

NON SOLVM me, vti præfatum eſt, ab hoc opere narrationis quieſcere delectat, verum etiam quo ab vniuerſa republica totus ſecedam, mens variis querimoniis referta, aſſiduis meditationibus anxia verſat. Sed quoniam me de rebus vniuerſis fortuna hinc inde junxit, validisq; procellis mœrentem vehit, qua portum ferar, immo vero penitus ignoro. Interim autem ſi aliquod tempus otioſum reperero, quid oberit ſi, vti juſſum eſt, facta principum procerumque noſtrorum ſtili officio memoriæ mandare curabo? Ergo harum rerum operi quarto inſiſtam, & ſi in cæteris rebus futuris prodeſſe nequiuero, ſaltem in his erroris nubeculam proprio labore poſteris detergam.

VSQVE LODHVVICVS & Karolus Lodharium à regno ſuo abiſſe certis indiciis cognouere, Aquis palatium, quod tunc ſedes prima Franciæ erat, petentes, ſequenti vero die quid conſultius de populo ac regno à fratre relicto agendum videretur, deliberaturi. Et primum quidem viſum eſt, vt rem ad Epiſcopos facerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent, vt illorum conſultu, velut numine diuino, harum rerum exordium atque auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam merito ratum videbatur commiſſum eſt. Quibus ab initio geſta Lodharii conſiderantibus, quomodo patrem ſuum regno pepulerit, quoties populum Chriſtianum periurum ſua cupiditas effecerit, quoties idem ipſe hoc quod patri fratribusque jurauerat, fruſtrauerit, quoties poſt patris obitum fratres ſuos exhereditare atque delere temptaſſet, quota homicidia, adulteria, incendia, omnigenaque facinora vniuerſalis Eccleſia, ſua nefandiſſima cupiditate perpeſſa ſit: Inſuper autem neque ſcientiam gubernandi Rempublicam illum habere, nec quodam veſtigium bonæ voluntatis in ſua gubernatione quemlibet inuenire poſſe, ferebant. Quibus ex cauſis non immerito, ſed juſto Dei omnipotentis judicio, primum à prœlio, & ſecundo à proprio regno fugam illum iniſſe aiebant. Ergo omnibus vnanimiter viſum eſt atque conſentiunt quod ob ſuam nequitiam, virdicta Dei illum ejecerit, regnumque fratribus ſuis melioribus ſe, juſte ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaquam illis hanc licentiam dedere, adnec palam illos percontati ſunt, vtrum illum per veſtigia fratris ejecti, an ſecundum Dei voluntatem regere voluiſſet. Reſpondentibus autem, in quantum nouiſſe poſſe Deus illis concederet, ſecundum ſuam voluntatem ſe & ſuos gubernare & regere velle, aiunt: & auctoritate diuina, vt illud regatis, monemus, hortamur atque præcipimus. Hinc autem vterque illorum duodecim è ſuis ad hoc opus elegit, quorum vnus extiti, & ſicut illis congruum vt inter illos hoc regnum diuideretur viſum eſt, contenti ſunt. In qua diuiſione non tantum fertilitas aut æqua portio regni, quantum affinitas & congruentia cuiuſque aptata eſt: Eucnitque Lodhuuico omnis Friſia, &c.

ſic Get. ex. quod nuper admodum quidam ſic ſupplere tentauit: Et Orientalia regna ceſſerunt, omnia ſcilicet Germania vſque ad Reni fluenta & aliquæ ciuitates trans Renum cum adiacentibus pagis.

Karolo vero * *

ſic Get. quod & idem nuper ſic ſupplere conatus eſt. Karolus vero accepit occidentalia regna à Britannico Oceano vſque ad Moſam fluuium, in qua parte ex tunc & mòdo nomen Franciæ remanſit.

Quibus peractis quique illorum è populo qui ſe ſequutus eſt, ſuſcepit, ac ſibi, vt deinceps fidelis eſſet, ſacramento firmauit. Et Karolus quidem Moſam regnum ſuum ordinaturus traiecit: Lodhuuicus vero, Saxonum cauſa Coloniam petiit, quorum caſus quoniam maximos eſſe perſpicio prætereundos minime puto. Saxones quidem, ſicut vniuerſis Europam degentibus pater, Karolus, magnus Imperator ab vniuerſis nationibus non immerito vocatus, ab idolorum varia cultura [illegible] ac ſa-

ac diuerſo labore ad veram Dei Chriſtianamque religionem conuertit, qui ab initio tam nobiles quam & ad bella promptiſſimi, multis indiciis perſæpe claruerunt. Quæ gens omnis in tribus ordinibus diuiſa conſiſtit. Sunt enim inter illos qui Edhilingi, ſunt qui Frilingi, ſunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc ſunt Nobiles, Ingenuiles atque Seruiles. Sed pars illorum, quæ nobilis inter illos habetur, in duabus partibus in diſſenſione Lodharii ac fratrum ſuorum diuiſa, vnaque eorum Lodharium, altera vero Lodhuuicum ſecuta eſt. His ita ſe habentibus, cernens Lodharius, quod poſt victoriam fratrum populus qui cum illo fuerat, deficere vellet, variis neceſſitatibus aſtrictus, quocumque & quomodocumque poterat ſubſidium quærebat. Hinc rempublicam in propriis vſibus tribuebat, hinc quibusdam libertatem dabat, quibusdam autem poſt victoriam ſe daturum promittebat. Hinc etiam in Saxoniam miſit, Frilingis Lazzibuſque, quorum infinita multitudo eſt, promittens, ſi ſecum ſentirent, vt legem quam anteceſſores ſui tempore quo idolorum cultores erant, habuerant, eandem illis deinceps habendam concederet. Qua ſupra modum cupidi nomen nouum ſibi, id eſt Stellinga impoſuerunt, & in unum conglobati, dominis è regno pene pulſis, more antiquo, qua quisq; volebat lege viuebat. Inſuper autem Lodharius Nortmannos cauſa ſubſidii introduxerat, partemque Chriſtianorum illis ſubdiderat, quibus etiam vt ceteros Chriſtianos deprædarent, licentiam dabat. Igitur metuens Lodhuuicus ne iidem Nortmanni nec non & Sclaui propter affinitatem Saxonibus, qui ſe Stellinga nominauerant, coniungerent, regnumque ſibi vindicaturi inuaderent, & Chriſtianam religionem his in partibus annullarent. Quamobrem, vti præmiſimus, præmaxime & * * adiit & in quantum valuit ſimul & cetera regni ſui *Coloniam* ſcandala ne hoc nefandiſſimum malum ſanctæ Dei Eccleſiæ deueniret, præcauit. Quibus expletis Viridunenſium ciuitatem Lodhuuicus per Teotonis villam, Karolus autem per Remenſem vrbem adeunt, quid deinceps agendum videretur, deliberaturi. Per idem tempus Nortmanni * contuuig deprædati ſunt, inibiq; mari *Cotuuig* traiecto, Hamuuig & Nodhuanuuig ſimiliter depopulati ſunt. Lodharius autem vt ſe ſupra ripam Rodani recepit, nauigio eiusdem fluminis fretus inibi reſedit, quo vndique quos valuit ſibi in ſubſidium adtraxit. Verumtamen legatum ad fratres ſuos dirigens mandat, ſi ſciret qua fieri poſſet, primores ſuos ad illos dirigere vellet de pace deliberaturos. Reſponſum eſt, Mitteret quos vellet: facile quemlibet ſcire poſſe qua illis * deueniret eſſe. Ipſi vero vno eodemque itinere per Tricaſinenſium, Cadhellonenſem adeunt vrbem. Cumque Miliciacum veniſſet Joſippus, Eberhardus, Egbertus vna cum cæteris à parte Lodharii ad illos venerunt, dicentes, quod Lodharius cognouiſſet ſe in Deum & illos deliquiſſe, nolletq; amplius vt altercatio inter illos & Chriſtianum populum eſſet. Si vellent aliquid illi ſupra tertiam partem regni propter nomen Imperatoris, quod illi pater illorum conceſſerat, & propter dignitatem imperii, quam auus regno Francorum adiecerat, augere facerent: Sin aliter, tertiam tantummodo partem totius abſque Longobardia, Baioaria & Aquitania illi concederent, regeretque quisque illorum, Deo fauente, portionem regni ſui prout melius poſſet. frueretur alter alterius ſubſidio ac beneuolentia, concederent pacem & leges inuicem ſibi ſubiectas, eſſetque inter illos, Deo auctore, pacta pax perpes. Quod cum Lodhuuicus & Karolus audiſſent, & illis plebique vniuerſæ perplacitum eſſet, in vnum vna cum primoribus coëunt, & quid de talibus acturi eſſent, grataṅti animo conferunt. Aiebant ſe hoc in exordio diſſenſionis voluiſſe, & quamquam peccatis interuenientibus proficuum eſſe non poſſet, ſæpe hoc illi mandatum fuiſſe. In eo tamen omnipotenti Deo gratias referebant, cuius tandem ope adiuti hoc promeruerant, vt frater illorum qui ſemper pacem atque concordiam ſpreuerat, Deo largiente tunc illam petebat. Verumtamen ſolito more ad Epiſcopos ſacerdotesq; rem referunt, vt quocunq; diuina auctoritas id vertere vel-

let nutu ipsius libenti animo præsto adessent. Quibus cum vndique vt pax inter illos fieret melius videretur, consentiunt, legatos conuocant, postulata concedunt, Cumque in diuisione regni quatuor dies vel eo amplius morarentur, tandem visum est vt inter Renum & Mosam vsque ad exortum Mosæ, ac deinde ad exortum Saugonnæ, & sic per Saugonnam vsque ad Confluentum Rodani, & sic deinde per Rodanum vsque in mare Tyrrenum omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, fiscas* is alpib* consistentia absque** illi in parte regni tertia offerrent. Et si hanc recipere renuat, quid cuiq; debeatur, armis decernant. Quod quidem quamquam vltra quod justum ac congruum, vt quibusdam videbatur, inuentum fuerit, per Conradum, Abbonem, Adhelhardum & cæteros mandatum est. Ipsi vero interim donec qui missi fuerant reuerterentur, in eodem loco esse se decernunt, responsum Lodharii præstolaturi. Qui cum ad Lotharium venissent, repererunt illum paululum minus solito more animatum. Aiebat enim se non esse contentum in eo quod fratres sui illi mandauerant, quia æqua portio non esset, quereturque insuper suorum qui se sequuti sunt causam, quod in præfata parte quæ illi offerebatur, non haberet, vnde illis ea quæ amittebant, restituere posset. Quamobrem, ignoro qua fraude decepti, hi qui missi fuerant, augent illi supra definitam partem vsque in Carbonarias: Insuper si hoc vsque ad tempus quod illis pariter conueniret, reciperet, jurant illi, quod tunc fratres sui jureiurando, prout æquius possent, regnum omne absque Longobardia, Baioaria & Aquitania in tribus partibus diuiderent, esset que super his sua electio, vt quam vellet harum acciperet, & diebus vitæ suæ eandem illi concederent, in eo, quod ille illis similiter faceret: & hæc omnia si aliter non crederet; sacramento sic se facturos promitterent. Jurat etiam Lodharius sic se velle, ac sua ex parte sic perficere in eo, quod fratres sui vti missi illorum tunc illi jurauerant, adimplessent. Igitur mediante Junio feria videlicet quinta propter ciuitatem Madasconis, in insula quæ Anxilla dicitur, cum æquo numero priorum Lodharius, Lodhuuicus & Karolus conueniunt, & hoc sacramentum mutuo sibi jurauerunt. Videlicet vt ab eo die & deinceps inuicem sibi pacem conseruare deberent, & ad placitum, quod fideles illorum inibi statuissent, regnum omne absque Longobardia, Baioaria & Aquitania, cum sacramento prout æquius possent, in trib. partibus sui diuiderent, electioque partium eiusdem regni esset Lotharii: & quique illorum partem quam quisq; acciperet, cuiq; deinde omnibus diebus vitæ suæ conseruare deberet, in eo, si aduersus fratrem & suos frater suus similiter faceret. Quo expleto, adhibitisque verbis pacificis, pacifice discedunt, ad castra redeunt, in crastinum de cæteris deliberaturi. Quamquam & ægre, vix tamen effectum est, & vt vsque ad conuentum, quod in Kal. Octobris condixerant, pacifice quisque in sua portione qui vellet, esset. Et Lodhuuicus quidem Saxoniam, Karolus vero Aquitaniam ordinaturi adeunt. Lodharius autem jam, vt sibi videbatur, de electione regni partium securus, Aduennam venatum petit, omnesque primores suæ portionis populi, qui à se dum à regno abiret necessitate coacti abscesserant, honoribus priuauit. Lodhuuicus etenim in Saxonia seditiosos, quos, vti præfatum est, Stellinga nominauerant, nobiliter, legali tamen cæde compescuit. Karolus vero in Aquitaniam Pippinum fugauit: Quo latitante, nihil aliud notabile efficere valuit, præter quod Warinum quendam ducem ceterosque qui sibi fidi videbantur, ob custodiam eiusdem patriæ inibi reliquit. Insuper comes Tolosæ Pippini sociis, qui ad se perdendum missi fuerant, quosdam in insidiis cœpit, quosdam strauit. Idemque Karolus ad placitum quod cum Lodhuuico fratre suo Wormatiam condixerat, iter direxit. Cumque Metis pridie Kal. Octobris veniret, Lodharium in villa Teotonis reperit, quo ante condictum placitum venerat, ac alter quam statuerat, residebat. Quamobrem his, qui à parte Lodhuuici nec non & Karoli propter diuisionē regni Mettis residere debuerant, tutum minime videbatur, vt dum

fisca is Alpibus

vt dum seniores sui in Wormatia, & Lodharius in Teotonis villa essent, illi Metis regnum diuiderent. Distat enim Wormatia Metis leuas plus minus LXX. Teotonis autem villa plus minus octo. Occurrebat etiam quod Lodharius in fratrum deceptione sæpe perfacilis promptusq, extiterat. Ideoque suam salutem illi credere haudquaquam, absque qualibet securitate, audebant. Ergo Karolus horum saluti consulens ad Lodharium dirigit: mandat, quoniam aliter quam conuenisset, venerat * & era si vellet vt missi fratris sui nec non & sui inibi vna cum suis remanerent, daret illi obsides, vt de salute illorum fidus esset. Sin aliter, mitteret ille missos suos Wormatiam ad illos, & illi quos vellet, obsides illi darent: Sin aliter, recederent à Metis pari spatio. Sin etiam & hoc nollet, in meditullio qua vellet, missi eorum conuenissent. Non enim se tot nobilium virorum salutem negligere debere dicebat. Erant quidem octoginta electi ex omni multitudine, omni nobilitate præstantes, quorum interitus, ni præcaueretur, maximam sibi fratrique suo posse inferre jacturam aiebat. Tum tandem pro commoditate omnium hinc inde visum est, vt Confluentum missi illorum * centum decem videlicet absque obsidibus conuenirent, inibiq; regnum prout æquius possent, diuiderent. Quo scilicet XIV. Kal. Nouembris conuenientes ne forte quoddam scandalum inter homines illorum qualibet ex causa oriretur, pars illorum quæ à Lodhuuico nec non & Karolo venerat, orientalem ripam Reni metantes, quæ autem à Lodhario, occiduam, cotidieq; ob commune colloquium sanctum Castorem petierunt. Cumq; ad regni diuisionem hi qui à Lodhuuico & Karolo missi fuerant variis querimoniis accessissent, quæsitum est, si quis illorum totius imperii noticiam ad liquidum haberet. Cum nullus reperiretur, quæsitum est, cur missi illorũ illud in transacto spatio non circumiissent & illorum industria inbreuiatum esset. Cum & hoc vt fieret Lodharium nolle reperisset, aiebant impossibile esse ignoranti quiddam æqualiter diuidere posse. Nouissime autem quæsitum est, quoniam sacramento illud prout æquius ac melius possent, nossentque, diuidere deberent, si hoc sincere jurare possent, dum scirent quod nemo ignoranter id facere valeret: & hoc quoque ad conferendum Episcopis commissum, qui hinc inde in basilicam sancti Castoris conuenientes à parte Lodharii aiebant, si in sacramento quilibet deliquisset, hoc expiare posse, ac per hoc melius esset vt hoc facerent, quam diutius tot rapinæ, incendia, homicidia, adulteria Ecclesia Dei pateretur. At contra hi qui à parte Lodhuuici nec non & Karoli erant, aiebant dum neutrum necesse esset, cur in Deum peccare deberent? Aiebant melius esse vt firmaretur pax inter illos, mitterentq; pariter per vniuersum imperium, & inbreviaretur, ac tum tandem jurare quod certum est absq; periculo, æqualiterq; diuidere posse censebant. sic quoque periurium cæteraque facinora deuitare ni cæca cupiditas impediret, posse firmabant. ac per hoc nec se lædere in sacramento velle, nec cuipiam vt faceret licentiam dare, testabantur. Qua dissentientes quique qua venerat, ad suos secesserunt. Hinc omnes in eadem domo conuenerunt à parte Lodharii, dicentes quod parati ad sacramentum & ad diuisionem vti juratum fuerat, essent. At contra à parte Lodhuuici & Karoli similiter se velle si possent, aiebant. Nouissime autem, quoniam neuter quod alter volebat, absqe seniorum suorum auctoritate, assentire audebat, statuunt vt pax inter illos esset, donec scire possent, quid seniores sui horum recipere vellent: & hoc fieri posse in Non. Nouembr. visum est, vsque quo pacis termino constituto, discederunt. Qua quidem die terræ motus magnus per omnem pene hanc Galliam factus est. Eademq; die Angilbertus vir memorabilis Centulo translatus, & anno post decessum eius XXVIII. corpore absque aromatibus indissoluto repertus est. Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madhelgaudus autem * Richardus, & hic, ex vna progenie fuere, & apud magnum Karolum merito magni habebantur. Qui ex eiusdem magni regis filia nomine Berchta Harnidum fratrem meum & me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctique Richarii constructit.

Familiam sibi commissam mirifice rexit. Hinc vita cum omni felicitate defuncta Centulo, in pace quieuit. His paucis de origine mea delibatis, ad historiæ seriem redire libet. Cum autem vt præfatum est reuersi quique regi suo quæ inuenerant, nunciassent, hinc inopia, hinc hieme instante, hinc etiam quod primores populi degustato semel periculo iterum prœlium nolebant, ac per hoc vt pax inter illos vique in vigesimo die post missam sancti Ioannis firmaretur, assentiunt. Ad quam stabiliendam hinc inde primates populi Teotonis villam confluunt, iurant, vt ipsi reges inter se interim mutuam pacem seruare deberent. Et vt nequaquam quoliber modo omitteretur, ni in eodem conuentu, vt æquius possent, omne regnum diuiderent, essetque Lodharij, vti iuratum fuerat, partium electio eiusdem regni. Hinc quique qua libuit, discessit: & Lodharius Aquis hiematum petiit, Lodhuuicus Baioariam, Karolus autem vxorem ducturus Carisiacum venit. Eodem tempore Mauri à Sigenulfo fratre Sigihardi, sibi causa subsidij inducti Beneuentum intrant. Eodem etiam tempore Stellinga in Saxonia contra dominos suos rebellarunt, sed prœlio commisso, nimia cæde prostrati sunt; ac sic auctoritate interiit, quod sine auctoritate surgere præsumsit. Accepit quidem Karolus vti præfatum est, in coniugio Hirmentrudem Vodonis & Ingeltrudis filiam & neptem Adelardi. Dilexerat autem pater eius suo in tempore hunc Adelardum, vt quod adeo idem vellet in universo imperio, hoc pater faceret. Qui vtilitati publicæ minus prospiciens placere cuiq; intendit. Hinc libertates, hinc publica in propriis vsibus distribuere suasit, ac dum quod quique petebat vt fieret effecit, rem publicam penitus annullauit. Quo quidem modo effectum est, vt in hac tempestate populum qua vellet facile diuertere posset. Et hac de re Karolus præfatas nuptias maxime iniit, quia cum eo maximam partem plebis sibi vindicare posse putauit. Nuptiis quidem XIX Kalen. Ianuarij expletis, natalem Domini ad sanctum Quintinum celebre peregit. Valentianoque, qui de fidelibus suis inter Mosam Sequanamque custodiæ remanere deberent, ordinauit. Idem vero partibus Aquitaniæ vna cum coniuge anno DCCCXLIII. incarnationis Domini in hieme iter direxit. Fuit autem eadem hiems præfrigida nimis ac diuturna. Langoribus insuper habundans, nec non & agriculturæ pecorique apibusque satis incongrua. Hic quique colligat, qua dementia vtilitatem publicam negligat priuatis ac propriis voluntatibus insaniat, dum ex vtriusque Creatorem adeo offendat, vt etiam omnia elementa eius vesaniæ contraria reddat. Quodque huiuscemodi exemplis pene adhuc omnibus notis perfacile probaturus accedam. Nam temporibus bonæ recordationis magni Karoli, qui euoluto iam pene anno XXX. decessit, quoniam hic populus vnam eandemque rectam, ac per hoc viam domini publicam incedebat, pax illis atque concordia vbique erat: At nunc è contra, quoniam quique semitam quam cupit, incedit, vbique dissensiones & rixæ sunt manifestæ. Tunc vbique habundantia atque lætitia, nunc vbique penuria atque mæsticia. Ipsa elementa tunc cuique Regi congrua, nunc autem omnibus vbique contraria, vti scriptura diuino munere prolata testatur: Et pugnabit orbis terrarum contra insensatos. Per idem tempus Ecclipsis Lunæ * XIII. Kal. Aprilis contigit. Nix insuper multa eadem nocte cecidit, mœroremque omnibus vti præfatum est, iusto Dei iudicio incussit. Id propterea, inquam, quia hinc inde vbique rapinæ & omnigena mala sese inserebant, illinc aëris intemperies spem omnium bonorum eripiebat. * *

al. XV.

QVAE DESVNT SVPERIORI LIBRO NITARDI DE PORTIONIBVS LVdonici & Caroli, quamuis ex Appendice ad Aimoini historiam aliqua parte suppleri posse videantur, quia tamen, vt in huiusmodi propriis locorum nominibus fere solet, varia & incerta scriptura est, ea hic exhibetur, quæ in vetustiss. omnium exemplaribus, Bellouacensi & Pithœano reperitur.

Anno incarnationis dominicæ DCCCLXX. regni Karoli XXXIII. Indict. III. VI. Id. Aug. fuit hæc diuisio regni facta in Procaspide super fluuium Mosam inter glorioſos reges Karolum & Hludwicum.

Coloniam
Treueris
Utrech
Straſtburch
Baſulam
Abbatiam * Sueſtre;
Berch
Niu monaſterium
Caſtellum

Indam
S. Maximini
Ephterniacum
Horream
Sancti Gangulfi
Fauerniacum
Polemniacum
Luxouium
Luteram
Balmam

Offonis villam
Megeni
Monaſterium
Sancti Deodati
Bodonis monaſt.
* Stiuarium
Romerici montem
Morbarch

Stiuagium

Hic relictum est spacium quoddam purum: sequitur in altera pagina.

Sancti Gregorii
Mauri monaſter
Eboresheim
Homouua
Maſonis monaſt.
* Grandiuallem
Altam petram
Juſtinam
Vallem cluſæ
Caſtallum Carnones
Heribodesheim
Abb. de Aquis
Hœnchirche
Auguſt chirche
Comm. * Treſtebant
Batua
* Hattuaris
Maſau ſubterior de iſta pârte
Item Maſau ſuperior quod de iſta parte eſt
Liugas quod de iſta parte eſt
Diſtrictum Aquenſe
Diſtrictum * Tectis
* In Ripuarias Com. v.
Megenenſium
Bedagouua
Nitchouua
Sara II chrouaia ſubterior
Bleſitchouua
Seline

Albechouua
* Suetiſium
Calmontis
Sarachouua ſuperior
Odornenſe quod Bernardus
* habet
Solocenſe
Homburc
Sancti * Stephani Straſtburch
Erenſtein
Sancti Urſi in Salodoro
Baſiniacum
Eliſchouue
Waraſch
Scudingum
Emaus
Baſalchouua
In Eliſatio Com. II.
Defriſia duas partes. De regno quod Hlotharius habuit, ſuper iſtam diuiſionem propter pacis & caritatis cuſtodiam ſuperaddimus iſtam adiectionem.
Ciuitatem Mettis cum Abbatia S. Petri & Martini & Comitatu * Moſſenſi cum omnibus villis in eo conſiſtentibus tam dominicatis quam & vaſallorum.
De Arduenna ſicut flumen Urta ſurgit inter Biſſanc & Tombas,

habuit
Suetiſium
Stagni
Moſienſi

ac decurrit in Mosam, & sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes * fideles nostri rectius inuenerunt, excepto quod de * Conduſtro est ad partem Orientis trans Urtam, & abbatias Prumiam & * Stabolata, & omnibus villis donicatis & vasallorum.

missi

Condrusto

Stabulaus

Ex Pithœano exemplari.

Hæc est diuisio, quam Karolus de eodem regno sibi accepit. Lugdunum Vesontium. Viennam. Tungris Tullum. Viridunum. Cameracum. Viuarias. * Uceticiono. Sancti Martini in eodem loco. Sancti Augentii. Sancti Marcelli. Sancti Laurentii Leudensi. Sennonem. Abb. Mellam. Molbarium. Laubias. Sancti * Gauderici. Sancti Saluii. Crispinno. Fossas. Marilias. * Hunulcurt. Sancti * Gervasii. Maalinas. Ledi. * Sumniacum. Antonium. Condatum. Merrebecchi. Ticliuni. Luitosa. Calmontis. Sancta Maria in Deonant. Echa. Andana. * Vuasloi. Altum montem. Comitatum Texandrum. In Brachanto Comitatus IIII. Camaracensium. Hanioum. Lomensem. In Hasbanio Comitatus IV. Masau superior, quod de ista parte est. Liugas, quod de ista parte Mosæ est, & pertinet ad * Velsatum. Scarponense, Viriduninse. Dulminse. Arlon. Vuaurense Comitatus duos. Mosminse. Castricium. Condrust, de Arduenna sicut flumen Urta surgit inter Bissanc. & Tombas, ac decurrit ex hac parte in Mosam, & sicut recta via ex hac parte Occidentis pergit in Bedensi, secundum quod missi nostri rectius inuenerint. Tullense. aliud Odonense, quod Tetmarus habuit Barrense. Portense. Salmoringum. Lugdunense. Viennense. Viuarias. Ucetium. De Frisia tertiam partem.

al. Vetzia
al. Suldum
al. Gildini

al. Lauderici
al. Gaugerici
Humulfurt.
al.
al. Gervasii
Suninacum
VVastasi
al. Versatum

LVDO.

LVDOVICI GERMANIÆ REGIS PII FIL. Diploma *Ratoldo Argentoratenſi Epiſcopo datum.*

IN Nomine Scæ & indiuiduæ Trinitatis h Ludouuicus diuina fauente gratia Rex cum petitionibus Seruorum Dei juſtis & rationabilibus diuini cultus amore fauemus ſuperni muneris donum nobis à Domino impertiri minime diffidimus. Igitur omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ & noſtrorum præſentium videlicet & futurorum comperiat induſtria quia vir venerabilis Rataldus Strazburgenſis Urbis Epiſcopus noſtram adiit Excellentiam referens manſuetudini noſtræ qualiter ob incuriam miniſtrorum ipſius Eccleſiæ omnia munimina cartarum quæ inibi haberi videbantur igne concremata fuerint. Idcirco noſtram deprecatus eſt pietatem ut per noſtræ auctoritatis præceptum omnes res & familiam quæ tunc temporis eadem Eccleſia quæ conſtructa habetur in honorem beatæ domini Genitricis ſemperque Virginis Mariæ quæ habuiſſe dinoſcitur quando hæc res accidit denuo confirmaremus & corroboraremus. Sed ut Dno adiuvante & nobis opem ferente præfatam Eccleſiam ad priſtinum poſſet revocare ſtatum & à nemine pro hac re nullum de rebus vel familiis juſte & legaliter ibi pertinentibus ſentiat diſpendium hanc noſtræ auctoritatis præceptionem fieri decrevimus per quam omnes res ac mancipia quæ à religioſis viris ſeu à prædeceſſoribus noſtris vel à quibuslibet hominibus eidem eccleſiæ collata fuiſſe noſcuntur ſub immunitatis noſtræ tuitione præfatus Rataldus Succeſſoresque ſui quiete teneant atque poſſideant. Et nullus hominum vel judex puplicus ſeu quislibet ex judiciaria poteſtate in eccleſia baptiſinales vel oracula curtes villas loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones memorati Epiſcopii quas moderno tempore in quibuslibet pagis ac territoriis infra dictionem imperii noſtri juſte & legaliter poſſidet velque deinceps in jure ipſius ſancti Loci divina Pietas augere voluerit ad cauſas judiciario more audiendas vel freda aut telonea exigenda aut manſiones vel paratas faciendas aut fideiuſſores tollendos ſeu homines ipſius Eccleſiæ tam liberos quam ſervos fiſcalinos & tabellarios diſtringendos nec vllas redibitiones aut inlicitas occaſiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel ea quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat ſed liceat memorato venerabili vocato Epiſcopo ſuisq; Succeſſoribus prædictæ Eccleſiæ cum omnibus ſibi ſubiectis ſub immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine poſſidere absque cuiuspiam contrarietate quatinus pro noſtra incolumitate coniugis & prolis ſeu etiam totius imperii à Domino nobis collati jugiter Domini miſericordiam exorare delectetur. Si quoque aliquæ quærimoniæ adverſus jam dictam Eccleſiam tam de rebus & hominibus liberis & ſervis ortæ fuerint quæ absque gravi & iniquo diſpendio diffinire nequiverint jubemus ut per idoneos circa vicinos & fideles noſtros fidelium quoque noſtrorum homines pleniſſime ſub Sacramento inquiratur & ad finem rite uſque deducatur. Si quis vero contra hanc noſtram auctoritatem aliquid agere temptaverit aut ex his quæ præſcripta ſunt quippiam violare præſumſerit, ſciat ſe XXX. libras auri optimi ſecundum veterem morem parti præfatæ Eccleſiæ ſe eſſe perſolviturum noſtram inſuper offenſionem incurſurum. Conceſſimus quoque venerabili Epiſcopo Ratoldo vel Succeſſoribus eius Rectoribus ſcilicet,

licet jam dictæ Eccleſiæ ut in quacunque placuerit villa Epiſcopii ſui monetam ſta-
tuat quatinus pro mercedis noſtræ augmento vtilitati ipſius eccleſiæ deſerviat.
Et ut hoc noſtræ immunitatis præceptum inviolabilem atque inconvulſam ob-
tineat firmitatem manu propria ſubter illud firmavimus & anuli noſtri impreſſio-
ne ſubter ſigillare juſſimus

Signum ☩ domni h Ludouuici Sereniſſimi regis

Helarhardus Cancellarius ad vicem Luitberti
Archicapellani recognovi.

Data II. id. lunii anno Xp̃o propitio XXXVI. regni h Ludouuici Sereniſſimi regis in
Orientali Francia regnante indictione VI. actum Aquisgrani Palatio regio in
domini nomine feliciter Amen.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

FORMVLÆ FOEDERIS LVDOVICI GERMANIÆ ET KAROLI GALLIÆ REGVM PII FILIORVM MAGNI NEPP.

Quod apud ARGENTORATVM A.C. DCCCXLII. percussum est.

Utriusq; Linguæ monumentum, ut unum omnium quæ hodie supersunt ætate antiquissimum, ita obscurissimum hactenus habitum: ex Archetypis restitutum & παραλλήλως Notis expositum

studio MARQVARDI FREHERI.

N. V.
JACOBO BONGARSIO REGIO CONSILIARIO S.P.D.

Dluidiæ mihi esse solet deploratum aliquem locum offendere, in quo cum alios operam lusisse doleam, me quoque nec cura nec ingenio quidquam assequi ringar. Quod mihi dudum peracerbum accidit in isto vernaculæ utriusque nostrûm linguæ fragmento horridæ sanæ vetustatis, & quo nihil retrosius ad hocce ævum pervenerit; sed vel eo magis æstimando, & curiosiorem nostram operam efflagitante. Complures sane pro memorabili cascæ illius simplicitatis, & desiti sermonis monumento scriptis suis inseruerunt Bodinus, Massonus, Falcetus, Pascasius, Lipsius, Vulcanius, Taubmannus: sed sincerum repræsentare nullus potuit, primum Nithardi editorem, ut ille Codicis sui fidem, sequi contenti. Et quidem nævos labesque jamdudum notare, quam medicinam afferre facilius potui. Tu perplexum extricasti, quum meo rogatu Archetypum ipsum penes Amplis. V. Paulum Petavium Consil. Regium intenta luminum acie consuluisti, omnes ordine literulas ad unguem exegisti, deque tota re ad me oculata fide retulisti: non magis hoc facto de me quam de Nithardo, imo ipsis Regibus, atque adeo utriusque gente bene meritus. Cujus officii gratiam à me quidem accipe, Notas hasce breves & leves, perfunctorie chartis illitas, dum altius pleraque indagare omitto, & mea mihi præripere caveo. Nosti enim quid super utraque lingua dudum laboratæ Minervæ in promptu habeam; non fratribus Gallorum magis, quam ipsis studia mea inseruire affectans. Ad cuius editionem quæso stimulos satagenti admovere, isto ceu præcidaneo quodam specimine delinitus parte: & dum communibus votis satisfacio, interim hancce regii fraternique apud Argentinam antiquitus icti fœderis exegesin, tu Regio nomine inter conjunctissimas gentes fide felixque interpres, tu laudatissimæ ejus Vrbis grate nec noue hospes, tu antiquitatis omnis non minus peritissime quam studiosissime, sed magis antiquæ virtutis & fidei cultor perpetue, tu denique nostræ fœdus amicitiæ pro insigni humanitate hactenus non aspernate, boni rogo consule. Heidelbergæ Kalend. Jan. MDCXI.

MARQVARDVS FREHERVS.

NITHARDVS HIST. LIB. III.

SVB ANNO DCCCXLII.

Ergo XVI. Kal. Martij Hloduuicus & Karolus in ciuitate, quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgo dicitur convenerunt, & ſacramento quæ ſuſcepturi notata ſunt, Hloduuicus Romana, Karolus vero Teudiſcâ linguâ juraverunt. &c.

HOc loco illud primum obſeruatu ſuaue eſt, fratres ut in ordine loquendi & teſtandi primogenituræ rationem habere, ita utrumque eorum ſuos quidem homines ſua lingua affatum, in dando alteri jureiurando autem non ſua ſed alterius lingua uſum. quare? niſi quia in fide danda fratri potiſſimum, atque adeo eius exercitui circumfuſo ſatisfaciendum erat, à quo ut recte perciperetur, & omnia ſincere germaneque geſta viderentur, ejus ſermone quam ſuo vernaculo emaudiri maluit. Ex quo ſimul & illud colligere licet utrumque ſermonem utrique fratrum peræque notum & familiarem fuiſſe. Fraternas vere linguas quæ Regibus fratribus inter ſe uſurpatæ. Quod ſi unquam Gallorum fratres habere Germani potuerunt, tunc cum Fratribus Germanis utrique paruerunt & fraterna fide conjunctiſſimis.

Vt autem ad formulas ipſas exponendas accedam, quandoquidem in utraque eadem omnino verba, diuerſo idiomate expreſſa, contineri Nithardus teſtatur, commodiſſimum factu videtur utramque integram verbis fere ſingulis παραλλήλως inter ſe reſpondentibus, ſic oculis exhibere, ut una alteri apti fidique interpretis vicem eſſe poſſit. Tu Lector attende.

FOEDVS REGVM.

KAR. Pro Don amur, & pro Chriſtian poblo &
LVD. *In Godes minna, ind durh tes Xriſtianes folches ind*
noſtro commun ſalvament diſt di en auant, in
vnſer bedhero gehaltniſſi fon theſemo dage frammordes, ſo
quant Deus ſauir & potir me dunat, ſi ſalvarai eo cist
fram ſo mir Got geuiZZei indi mahd furgibit, ſo hald ih thesan
meon fradra Karlo, & in adjudha & in cadhuna coſa, ſi cum
minan bruodher ſoſo
hom per dreit ſon fradra ſalvar diſt, ino quid il imi al-
man mit rehtu ſinan bruodher ſcal, inthiuthaZer mo
tre ſi faret, & ab Ludher nul plaid nunquam prindrai,
ſoſo maduo, indi mit Lutherem inno theinni thing ne gegangu,
qui meon vol ciſt meon fradre Karle in damno ſit.
Zheminan vvillon imo ce ſcadhen vverhen.

Hæc quidem fratres Reges, ſermonem inter ſe (ut dixi) certo pioq; conſilio alternantes, non itidem populus & militia utriuſque, cui ſatis fuit propria & nativa lingua (& quis in Legionariis alienæ linguæ peritiam exigeret?) teſtari dominum ſuo fidem frangente, non ſe perfidiæ participes futuros, neque ei in fratrem opem laturos: à qua neceſſitate ipſi eos utrinque domini liberaſſent. Id enim volunt horum in allocutione verba: Si autem quod abſit ſacramentum quod fratri meo juraui, violare præſumſero, à ſubditione mea, nec non & à juramento quod mihi juraſtis unumquemque veſtrum abſoluo.

SACRA-

SACRAMENTVM POPVLI.

Si Lodwigs ſacrament, que ſon fradre Karlo *Oba Karl then eid, then er ſinemo broudher Ludhuuuige* iurat, conſeruat, & Karlus meo ſendra de ſuo part non *geſuor, geleiſtit, inde Ludhuuuig min herro then er imo geſuor, for-* los tanit, ſi io returnar non lint pois, ne io, ne neuls cui eo *brichchit, ob ih ina nes aruuenden ne mag, nohih, no thero thein hes* returnar nit pois, in nulla adjudha contra Lodhuwig nun *iruuenden mag, imo ce folluſti Widhar Karle ne* li iuer. *uuirdhit.*

Tam enixæ fratrum & populorum coniunctioni nos & hoc dabimus ut non ſeorſim unius & alterius linguæ formulam excutiamus, ſed coniunctim & permixte utramque. Atque utinam vel ſic omnia aſſequi, & nobis ipſis ſatisfacere poſſemus. Verum ſit *aliquid prodire tenus.* & forte cum tempore meliora & perfectiora ſperabimus. & ut ſit *à Ioue principium*

Pro DON amur) Per Domini DEI amorem, inquiunt, quod eſt in veteri formula *Ita me DEUS amet.* Grandis & ſolemnis obteſtatio, graue votum, quo nullum ſanctius Nemeſis audit & agnoſcit. Itaque de hoc ipſo fœdere capiendus eſt locus in Fuldenſi Annali DCCCXLVIII. *Hludouicus vero memor pacti, quod cum Karlo dudum cum adteſtatione diuini nominis inierat.* Hæc nimirum eſt illa religioſa atteſtatio, *Per DEI amorem:* qua & in petendo aut iubendo nulla impetrabilior viſa: ut hodieque, *pour l'amour de Dieu.* Ermoldus Nigellus lib. III. de geſtis Ludouici Pii in expeditione Britonica:

Sed pius Induperans cuſtodes ponit opimos,
Omnibus & mandat hæc in amore DEI:
Eccleſias ſeruate viri, nec tecta ſacrata
Tangite, & Eccleſiis pax ſit amore DEI.

In Godes minna) Notgerus in Paraphraſi Pſal. LXXXVI. verbis *amator DEI,* interlineariter ſuperſcriptum habet: *Cotis minnare.* Et omnino Teutonibus *Minna* eſt amor, affectus, charitas: *Minnin,* amare: *Vnminna,* diſcordia, diſſidium: *minnelich,* amabilis, lepidus: *Minnohaft,* amans: *Minnaluſt,* & *minnaſami,* dilectio. Et quod nobis ſuperioribus Germanis jam inter verba nupta relatum, Belgis intemeratum manet, *Beminte Wolbeminte,* dilecta, præcara. Neque aliunde nata Gallica, *Mignon, mignonne, mignard, mignarde, mignardiſe.* Ipſa Dea amoris olim noſtris MINNE, & alicubi lego *Mérminne Siren,* quaſi quædam Venerilla Marina. Plura quid attinet?

Ind durh) Mirare noſtrum *Et* per omnes ordine vocales variatum. Saxonibus enim eſt *And,* & Anglis hodiernis: Belgis *Ende:* Francis veteribus *ind* & *Inde,* & *Inht.* Tot modis vel hoc uno loco ſcriptum videmus. Teutonibus & Alemannis hodie *Vnd,* quod & *Ond* quidam efferunt.

Noſtro ſaluament) Ita & in fœdere Confluentino horum Principum cum Lothario nepote Anno DCCCLX. *Ad DEI voluntatem, & S. Eccleſiæ ſtatum & honorem atq; defenſionem, & ad noſtram communem ſalutem & honorem, & ad Populi Chriſtiani nobis commiſſi* ſaluamentum *& pacem, & ad Legis ac juſtitiæ & rectæ vitæ conſervationem. &c.*

Gehaltniſſi) Conſeruationem: *Halten,* eſt tenere, ſeruare cuſtodire. Unde

Notgerus Christum Seruatorem semper vertit *Haltare* & *Haltende*, quod est Σωτῆρα. Atque ita mox quod sequitur in fœdere, *si saluarai eo* redditur *so hald ih.*

Dist di) de isto die. hodie diceretur *de ce jour.*

En auant) In antea, pro eius æui stylo: unde natum & Italicum: *Inanzi.* In sacramento generali fidelium, apud eundem Pithœum: Promitto, quia de isto die inantea isti senioti meo, quam diu vixero, fidelis & obediens, &c.

Frammordes) Kero Glossis: *de cætero, Frammert. Reliqua, Frammert.* Subinde legas idem & apud Otfridum. Pro eo hodie dicimus *Forthin* & *Hinfort.*

So fram so mir) Ita in veteri confessione ab eodem hoc æuo præposita Otfrido: *So bin ih es Gote Almahtigen bigehtig, inti thir Gotes manne: inti gerno buoz ziu framort, so fram so mir Got almahtigo mahti inti giuuizi forgibit.*

Sauir & potir) In eisdem formulis: *ego ille ab ista die inante fidelis ero secundum meum sauirum.* quod in aliis est: *Quantum sciero & potuero, domino adiuvante.*

Et in adjudha) Hæc in Theodisco desiderantur.

Cadhuna) manet vocula in Italico & Hispanico hodierno, Gallis *chascune*, inuerse ex *unaquæq;*.

Cosa) Causam pro Re dixerunt Franci, Capitulo 208. lib. II. *Si quis causam alterius tulerit de loco suo.*

Per dreit) Hodie scriberetur *par droict.* In formulis iisdem: *sicut homo Francus per recte esse debet.* in aliis *per rectum.* Legas etiam alibi *per drictum.* E *directo* factum apparet: sicut eius contrarium è *Torto, tort*, iniuriam, nefas notat. Gallis frequens, *A tort & à trauers.* Apud Turonensem bis lego: *Desistite ab hac intentione, verbum enim directum non habemus.* quod hodie diceretur, *car nous n'auons point de droict.* Inde etiam est *droicture*, recti cura, & *droicturier* justi rectique colonus, Tertulliano.

Vta Zermig soso) Hic aqua hæret, nec quidquam expedio. Et qui possim in loco manifeste corrupto?

Et ab Ludher) Bodinusqui has formulas primus edidit lib. V. de Rep. cap. VI. non animaduertens nomen Lotharii, male reddidit: *Et a luy n'aura querelle, que mon vouloir soit, si mon frere Charles ne me fait tort.* Neque aliter illum secutus Faulchetus & alii. Notari etiam hic velim Orthographiam nominis Lotharii, quem hodieque non aliter efferimus quam *Luther.* De quo infra in Ludouico.

Plaid) à placito est, à quo placitare, *plaider* quod à πλήκτ ζέος suauiter deducit Perionius. Hoc in Teutonico hic est *Thing*: ut in Glossis antiquis: *Placitum Plait vel gedinge: Placitare dengen.*

Tehein) nullum, quod & *dehein* scribitur. Vnde nescio quomodo hodiernum *Khein* procusum.

Gegango) Ita est in MSC. malim autem equidem *gefango*, ut respondeat Gallico *prindray.*

In damno sit) Quo verbo omne genus incommodi & nociui excluditur, ne damnum detur in corpore, honore, bonis. Id quod in formula fidelitatis sequentibus temporibus latius & expressius cautum videmus, quæ legitur apud Fulbertum Carnotensem Episcopum Epistola CI. unde id postea in libros Feudorum relatum & nescio cui Philiberto adscriptum.

Denique hanc promissionem vere Germana fide seruauit postea Ludouicus, cum in colloquio apud Confluentem castellum habito Lotharius maxime moleretur, ut posthabita Karoli amicitia, sibi germanitatis jure sociaretur: ille autem memor huius pacti cum attestatione diuini nominis initi suasoria machinamenta declinans colloquium abrumperet. Verba sunt optimorum illorum Annalium à Pithœo primum editorum, in anno DCCCXLVIII.

SACRA-

Loduuigs) In Theodisco scribitur Ludwig, & rectius. Ex illo hodiernum Gallorum *Louis* & *Clouys* natum; hoc apud nos mansit, *Ludunig* inquam. Atque ita etiam scripsit Otfridus in Odario eoque Acrostichide, huic ipsi Ludouuico Orientalium Regnorum Regi inscripto: *Ludouuic ther snelle.* &c. Neque aliter vetustissimi Francorum ipsum Clodoueum scripserunt, quam *Ludouuicum*, ut in testamento B. Remigii obseruamus. Et de recenti victoria Alamannica illi gratulans Theodoricus Italiæ Rex, Ludouico Regi Francorum (pro quo minus bene *Ludunic* quædam exemplaria habent) scribit apud Cassiodorum. Nominis etymologias ut alii alias comminiscuntur, ita nobis satis sit hoc loco omnium antiquissimam indicare, quam ipsi Ludouico Pio, huius nostri Patri, adscribit an affingit panegyristes eius, Hermoldus Nigellus Lib. 1.

Prodigium fuerat sic hunc vocitasse parentes,
Quod foret insignis Marte potensq; pius
Nam Hludouicus enim Ludi de nomine dictus
Ludere subiectos pacificando monet.
Seu quis Franciscam mauult referare loquelam,
Nominis ut possit noscere noticiam;
Nempe sonat HLVTO *præclarum* WICGCH *quoq; Mars est*
Vnde suum nomen composuisse patet.

Atque sic Ludouicus (qui forte Litauicus apud Jul. Cæs.) idem forte Francis quod Stratocles & Cleostratus Græcis. Neque aliunde igitur petenda etiam Lotharii originatio: qui cum utroque loco hic *Luther* scribatur, quomodo hodieque pronunciatur, quid nisi clarum, inclytum glorioſum sonare videtur? sed de his alibi plura.

Sagrament) inde contractum *Serment*. Quod video & Car. Bouillo obseruatum.

Gesuor) firmauit, stabiliuit, sanciuit. Id enim antiquitus est *Sueren*, quod nos jam καθ' ἐξοχὴν pro sola firmitate juris iurandi (quæ & composite *Aidsuuuor*) usurpamus. Lege Baioaria cap. XX. Tit. XII. De firmatione: *Si firmare promisserit emptori, id est Suuiron, & non potuerit.* Et cap. XXIV. §. 2. *Iniustè territorium meum altert firmasti, id est, Farsuuirotos.* Et apud veterem interpretem Legis Mosaicæ virgo *Hingeschuuorene* est desponsata, fiduciata, *ein Junfrauu einem Man geschuuoren.* Eum patria mea, *ein Hinschuueren*, sponsalia, connubiale pactum: quod est *Firmata fabula* in Lege Lombarda.

Geleistit) conseruat. *Folleistida cuotis vverchis*, perseuerantia boni operis, lego apud Notgerum, in Psalm. CIV.

Meo sendra) Senior meus, quod Dominum eo æuo sonabat. Nithardus noster lib. IV. *Quoniam neuter quod alter volebat, absq; seniorum suorum auctoritate assentire audebat, statuunt, ut pax inter illos esset, donec scire possent, quid seniores sui horum recipere vellent.*

returnare) Diuertere, reflectere, *Eruuenden* est in Theotisco. Mirare verbum infeliciter translatum à torno, & omnino male tornatum: quo tamen hodie utitur Gallia & Italia. Neque enim Perionio assentior, qui à Latino *reuertor* ductum esse non dubium putat: cum significet non tantum reuerti, sed etiam inuertere, circumagere, veluti trocho aut torno. Unde & *tour, retour*; *Faire son tour. Ritorno.* Hinc Tornatrices, sunt saltatrices, mimæ, in cap. 35. Dist. 5. de consecrat. *qui sont des tours.* Et nescio an non & Torneamentum inde ductum, *Tournoy.* In Mauritii Imp Strategicis inter voces, quibus Duces ad milites in acie uterentur, etiam hæc occurrit: *Seque, cæde.* TORNA, *mena depone.*

Nemag) Indiuise scribendum, ut supra: *Negegango*, vel *nege fango*, ut apud Not-

Notgerum Psalm. 1. *Qui non abiit* &c. *Ter in dero argon rât negegieng.* ita perpetuo ille, & Willeramus, æmuli & hac parte Latini usus, *Nequeo, nescio* &c.

Noh thero, noh) Neque hæc satis liquent.

adiudha) contractius hodie Gallis, *ayde*. Quod heic Theotiscè redditur, *fol-lusti*. Vbiis & Belgis hodie magis quam nobis in usu, *zu follest vnd steur*, i.e. ad opem, juuamen, supplementum. Glossæ veteres à Cl. V. Paulo Petauio alias nobis commodatæ: *Solamen, subsidia, Follazuth*. Eædem: *Suffragia, Follazuchida, Patrocinia siue auxilia, Helpha*. Quod ultimum Chilperico Regi (quem nos Hilfrichum aut Richulfum dixissemus) nomen dedit. Fortunatus:

CHILPERICE *potens, si interpres barbarus extet,*
Adjutor fortis hoc quoque nomen habes.

QVA PROPRIE LINGVA PRISCI FRANCORVM REGES VSI.

Quum notatum sit superius, utrumq; sermonem utriq; fratrum peræq; notum & familiarem fuisse, non abs re subit quærere, Quis igitur Francorum Regum Galliæ potientium proprius & naturalis sermo fuerit? Nam præter Latinum (quem & ipsos non minus quam nos hodie, ærumnabili labore addiscere conueniebat) peculiare patrium & natiuum idioma eos habuisse, dubitare nos non sinit vel unus Fortunati de Chariberto Rege locus:

Cum sis progenitus clara de gente Sicamber,
Floret in eloquio lingua Latina tuo.
Qualis es in propria docto sermone loquela?
Qui nos Romanos vincis in eloquio.

Et Theganus de Ludouico Pio scribens: Lingua Græca & Latina valde eruditus: sed Græcam magis intelligere poterat, quam loqui: Latinam vero sicut naturalem æqualiter loqui poterat. *Jam vero præter veram puramq; Ausoniam linguam, tunc temporis una cum Imperio inclinatam, suborta etiam erat prouincialis quædam multo inquinatior Latina vel potius Gallo-Latina lingua: quam jam tum Sidonius* squamam Latini sermonis, *& alibi* rubiginem triuialium barbarismorum, *jocabundus appellat. Franci ipsi non nisi* Rusticam Latinam *dixere: ea fere quam Nithardus hoc loco* Romanæ *nomine dignatur, quia nimirum in Romanis prouinciis vulgo utcunq; terebatur, quas* Romaniam *Franci vocabant, eodem Fortunato teste ad Chilpericum:* Hinc tibi Barbaries, illuc Romania plaudit: *& à prouincialibus, qui Francis victoribus intermixti* Romani *in veteribus legibus subinde dicuntur, usurpabatur. Reges vero ipsos, origine nimirum Sicambros, ut ut in subacta Gallia sermonis Latini illæ reliquiæ superessent, patria & originaria sua lingua è Sicambria siue Francia à maioribus allata, potius quam populari illa & rusticana semilatina, deniq; victrice sua (ut credibile est) potius quam captiua subditorum lingua usos, eamq; diu constanter retinuisse, dum genus Merouingiorum & Carolingorum vigebat; cum infinitis argumentis possem, juuat illustrioribus tantum quibusdam utriusq; prosa piæ Regum effatis confirmare.*

De Chlodoueo igitur, qui primus per baptismi gratiam à B. Remigio accepit fidem salutarem, in eius testamento locus extat: cum duabus villis, quas mihi dominus illustrisque memoriæ Ludovicus Rex piissimusque Princeps, à me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei PISCOFESHEIM sua lingua vocatas, mihi tradidit. *Quo nomine per mediam Germaniam complures villæ occurrunt,* Bischofsheim *dictæ: eadem forma qua B. Nicetij castellum supra Mosellam extructum & Fortunati versibus nobilitatum* Bischofsheim *hodieque vocatur. Porro apud Turonensem quatuor locis legimus Gundobaldum quendam è Græcia profectum Clotharij Regis se filium mentientem, à Gunthramno Rege per indignationem an contemtum* Ballomerem *vocatum, convicio (sine dubio) acerbo & gravi, sed heic modo fusius non explicando.*

Sufficiat

sufficiat scire, *Pseudo-Regem significare, ut* Balmond *falsum & improbum tutorem. Ad Karolos venio, de quorum primo Continuator Turonensis cap.*103. Igitur præfatus Pipinus aliam duxit uxorem nobilem & elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocauitque nomen eius lingua propria Carolum, *quod equidem nomen nihil omnino cum Caro aut Carino commune habere, sed merissime Germanum esse, certo certius probarem incontinenti, nisi Onomatotheram meum (id nomen singulari* De Germanis nominibus propriis libro indidimus) *vel leuiter deflorare mihi cautio esset. Quis enim nescit, quæ, Mensibus, ventisq. nomina ipse Magnus imposuerit? filius eius & successor Ludouicus Pius, cum in agone mortis obversantes malignos spiritus virtute fidei repelleret,* HVZ, HVZ, *ingeminasse (quod nobis significat Foras, Foras) scriptor vitæ eius testatur. Claudam insigni loco Frodoardi, de Synodo apud Ingelheim Anno* DCCCCXLIX. *habita*: Post quarum litterarum recitationem & earum propter Reges juxta Teotiscam linguam interpretationem, &c. *Quo quis quid clarius requirat? Quapropter recte facient cordatiores Gallorum, qui linguam Teutonicam (quam vulgus insulsum ceu barbaram & inconditam contumeliosè* Barragovin, *voce plusquam barbarâ vocat) quam suis maioribus, ipsisq. adeo primis & laudatissimis Regibus gentilem & vernaculam fuisse agnoscant, si non ipsi addiscunt, & libenter usurpant, certe ob antiquitatem, copiam & majestatem admirantur; ipsamq. Germaniam in ea qua olim Romani Ilium, veneratione habent.*



ERCKEN-

ERCKENBALDI
EPISCOPI ARGENTINENSIS
SVB OTTONE M.
DE
ANTECESSORIBVS SVIS IN EPI-
SCOPATV
Carmen.

Ex Codice Auguſtanæ Bibliothecæ.

ALpha nitet dignus pater huius ſedis AMANDUS;
JUSTUS juſtitiæ poſt additur aſſecla ſummæ:
Hinc MAXIMINUS baculatur in ordine tritus:
Et VALENTINUS paſtori tunc benedictus:
SOLARIUS tandem cathedram poſſedit eandem.
* * * * * * * * * * * * * * * * *
Florens flosque eram caput FLORENTIUS aræ:
Commeruit talem tunc ANSOALDUS honorem:
Tantis præſulibus ſociatur jure BIULFUS:
Magnorum MAGNUS dominatur germine natus:
Cura * * * ſubito poſt hæc ſubjungitur ALDO:
Utile jam tempus complevit in hoc GAROINUS:
Tum ſcholare jugum cepit LANDEBERTUS ad uſum:
Ex gladio baculum dux fert ROTHARIUS iſtum:
Tandem præſul ſic aula cluit hinc RODOBALDUS:
MAGNEBERTUS item ſucceſſit ſedibus îſdem:
Poſt quem LABIOLUS tenet aram pontificatus:
Non diſpar meritis GUNDUALDUS jungitur iſtis:
Clarus ingenio ſubit exin nomine GANDO:
Culmen WITGERNUS regit aulæ comitis hujus:
His WANDAFRIDUM ſociat Deitas venerandum:
Præfuit hinc populo meritis vivacibus HEDDO:
Dogmate præclarus poſt extit * * * AYLIDULFUS:
* * * non virtutis egens REMIGIUS has res:
RECHO dehinc ſedem poſſedit pontificalem:
Cui fit ſucceſſor VTO virtutis amator:
Huic ERLEHARDI probitas non ceſſit honori:
Illuſtris jus hoc probus decorabat ADALLOCH:
Inſtituit populam BERNOLD bene prouidus iſtum:
Alter in hoc numero fuit inde trigeſimus UTO:
Diuerſis opibus loca compſerat iſta RATOLDUS:

Cautus

Cautus: honorande Lector venerare RATOLDUM
Præſulis oſſa latent, ſed ſua facta patent:
Ecce locis iſtis ſubvenit rebus opimis,
Mens quia præſagi mira jubebat agi
Gemma ſacerdotum gemmas hic auxit & aurum,
Sunt ut adhuc quales cernere fecit opes,
Artibus, exemplis, doctrinâ, & prece ſanctâ,
Subdidit ipſe ſui corda Deo populi.
Undenis ejus Calendis carne Decembris
Sumptum ſpiramen, pace quieſcat Amen.
Quiſquis non doleat quod patrem grex abiebat
OTBERTUM dico qui periit gladio:
Eſt Chriſto junctus paſtoris nomine functus:
Martyrizatorum mors precioſa fuit
RATHBIRG quem ſanctis occiſum vexerat iſtis,
Sit tutus clauſtro ſancta Maria tuo.
Tertia Calendas ſeptembris carne redemptum
Obtulerat Domino vivere perpetuo.

De Ruthardo.

Suevia quem docuit flens Argentina dolebit,
Francia rure tegit Suevia quem docuit:
Non fuerat potior divinæ legis amator,
Aut quisquam doctor non fuerat potior;
Hunc obiiſſe ſcias, cum ſeptem dena Calendas
Extiterat Majas, hunc obiiſſe ſcias:
Poſce ſibi veniam tu lector ab æthere dandam,
Dum cernis tumbam poſce ſibi veniam.

De ſeipſo.

ERCHENBALDUS ego Davidis carmina promo,
In domino præpes hæc mea ſit requies:
Non me nobilitas, meritum nec amica ſophia,
In numero procerum fecit habere locum:
Ab grege ſecepto morti terræque ſubacto
Eſt largita mihi hunc pietas Domini.
In me te cernens caſus perpende futuros,
Pro me funde preces qui legis hos apices.
Pontificis nomen ſed opus cum non habuiſſem,
Fratres dilexi poſt quibus indigui,
Ad quos confugi velut ob peccata patronos,
Succeſſor habeas id tibi conſilii.
Tu qui te patri ſupplex in morte dediſti,
Do tibi quos dederas, nos pie Chriſte tegas:
Qui poſt me maneas venientes adde Calendas:
Proſa metrive pedes tunc mihi conſimiles,

Erckenbaldus adhuc puer magiſtro ſuo.

Quid ſim? peccator: cerne viator,
Pulvis vermicoſus tuque futurus,
Altrich dum fueram nomen habebam,

Juſſus Scholàres comere mores,
Presbyter haud meritò nomine ſolo,
Sumtus de terra ſum modo terra,
Eſt noſtræ talis gloria carnis,
Chare mea flatum carne fugatum
Commenda Domino ſicque redito.

Jn libro D. Hieronymi de Viris Illuſtribus Erckenbaldus M.P. ſcripſit.

Erckenbald humilis præſul me ſcribere juſſit.

Idem in eodem Libro.

A nobis oculus juſte liber iſte vocatus,
Segnibus ac pigris plurima clauſa videt.

Idem.

Verax vir gaude virtutum ſtemma tuarum,
Tu ſecurus eris quia certo calle viabis:
At qui mentiris cito poſt factum capieris,
Fallens fallaci fis fando famine fallax.

Alius de Erckenbaldo.

Idibus octobris ut obires corpore quinis
Juſſa tuasque preces ſcriptis depingo Joannes.

Idem iterum de Erckenbaldo.

Poſtremus vixi qui patrum nomina ſcripſi,
Et quos dilexi ante oculos poſui.
Omnes hi Domino rogo ſanctificentur ab uno
Illorumque ſacris ſuſtineat meritis.

Alius de Erckenbaldo.

Iisdem Pontificum deſcripſerat hoc monumentum.
Ipſe memor procerum ſintque ſui proceres.



ALBERTI
ABBATIS STADEN-
SIS
CHRONICON

A condito orbe vſque ad A. C-
M CC LVI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CHRONICON

ALBERTI, ABBATIS STADENSIS, A CONDITO ORBE VSQVE AD AVCTORIS ætatem, id est annum Jesu Christi M. CC. LVI. deductum.

A PRIMO PARENTE HOMINUM vsque ad Ninum, nullos actus rerum mundalium Historiographi posteris attulerunt, ideoq; ab ipso cœperunt: quia ipse primus aliena inuadens, minimè suis terminis erat contentus. Legislator Moyses breui stylo eadem percurrit tempora, mundi initium Protoplasti casum, procreationem & corruptionem hominum, generale Diluuium, diuisionemque linguarum proferens, & celeriter comprehendens. Beda Venerabilis, presbyter, nihil aliud legitur in descriptione temporum protuliſſe. Ex relationibus siquidem sapientum colligitur, Moysen & Cecropem, qui Athenas condidit, & primus ibi regnauit, qui etiam cum Pharaone in mari rubro submersus est, contemporaneos extitisse. Rex idem primus omnium Jouem Deum appellans, ei victimas immolauit. Troianum autem bellum hi duo CCC. L. annis, vt dicunt historiæ, præcesserunt. Verùm hos duos idcirco in medium protulimus, vt aliquas concordantias temporum inter diuinos libros & gentiles historias ostendamus. Sed & Orosius, Presbyter, famosus historiarum cognitor, quatuor regnorum metas per similes annos studuit adaptare, ostendens, quòd solus Deus & regum est dispositor & regnorum. A natiuitate siquidem Abrahæ vsque ad Moysen, & egressum Israël de Ægypto, D. V. annos poteris inuenire. Benè autem si computes, exinde vsque ad Salomonem, & primam ædificationem Templi, annos CCCC. LXXVIII. inuenies annotatos. Breuiterque cognosces, quod à Salomone vsque ad restaurationem Templi, sub Dario factam, anni D.XII. supputantur. A Dario vsq; ad prædicationem Christi annos D.XLVII. poteris numerare. Similiter à XLIII. anno Nini vsque ad XLVI. annum Cecropis, sunt anni D.V. ab Historiographis computati. Sed exinde vsque ad excidium Trojæ anni CCC. XXIX. Trojæ captiuitas vsque ad Darium, sub quo Templum restauratum est, CCCC.V. annos dignoscitur continere. A Dario vsque ad Tiberium, videlicet eius XV. annum, inuenies D. XLVII. annos. Denique perspicuum est, à Nino & Semiramide vsque ad Tiberium, scilicet eius XV. annum, duo millia annorum & XLII. annos inueniri. Etiam perlucidum est, ab Abraham vsque ad prædicationem Christi eundem annorum numerum annotatum. Neque hîc prætereundum arbitror, quòd à XLIII. anno Nini vsque ad Troiæ captiuitatem DCCC. XXXIV. inuenies annos. Sic etiam in regno Sicyoniorum à XXII. anno regis Eupompis, qui secundus ibi regnauit, vsque ad Troiæ excidium, etiam DCCC. XXXIV. annorum quantitas inuenitur. Ita etiam apud Hebræos à natiuitate Abraham vsq;

¶ *Vide Iustinum lib. 1.*

Moyses.

Beda.

¶ *Cecropis historiam ἀμυθον habet Syntagma nostrum. Orosius.*

¶ *De Chronologia hac cõsulẽdi amplius Chronologi.*

ad tertium annum Labdon Judicis, ſub quo Troia capta, iterum DCCC. XXXIV annorum numerus calculatur. Similiter à Semiramide vſque ad regem Ægypti *Euſebius.* Tuorin, quem *Homerus Polypum vocat, idem annorum curſus, ſcilicet DCCC. XXXIV. annotatur. Porrò ſub eodem quoque Troia capta eſt. Omnibus itaque liquet, principia regnorum, geſta fortium, in diuinis & gentilibus libris quandam concordantiam temporum obſeruare. Sumentes igitur à mundi principio exordium, ſuccincta narratione vſque ad noſtra tempora procedemus, quibus ſimus contemporanei, quantò expeditius poterimus, oſtendentes. Tempora verò noſtra ſunt hæc. Milleſimus ducenteſimus quadrageſimus annus gratiæ jam effluxit. In ſede Petri Gregorius nonus jam XIII. annis ſedit. Negotia imperii Friderici ſecundus huius nominis LXXXIX. ab Auguſto, XX. annis gubernauit. Onus ſuæ menſis Eccleſiæ Gerardus Archiepiſcopus ſecundus jam XXIII. geſſit annos. Rex Waldemarus XXXIIX. annis, ipſe jam ſeptuagenarius, regnum Daniæ gubernabat. Urbs Romana jam per duo millia annorum ſteterat, decem tantùm minus. Mundus ſecundum Oroſium & LXX. interpretes VI. mill. CCCC. & XXXIX. habuit annos. Fortè requiretur à poſteris, quis vel qualis fuerit noſtri ſeculi ſtatus? His reſpondemus:

Auctoris conſtitutum

Aetas.

¶ Variat ad ann. 532 qui cũ etiã operis finis congruit.

Inſectatio vitiorum.

Rara fides ideo eſt, quia multi multa loquuntur.

Aliena rapiunt omnes, pauciſſimi propria largiuntur. Timemus ſanè Chriſti vultum jam eſſe in januis, quoniam ſuperabundauit iniquitas, refrigeſcit caritas multorum. Redeamus ad propoſitum. Utique verum eſt, quod ab his, qui in Chronicis geſta deſcribunt hominum, plærunque ob captationem benevolentiæ quidam depinguntur ſtrenui, qui crudeliſſimi ſunt Tyranni. Mos iſte claudicat in loquendo. Malorum militia, & eorum correctio vel vindicta, ſi rectè proferatur in lucem, in exemplum erit aliis, aut cautelam. Itaque lucerna accenſa non eſt ponenda ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Nonne quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt? Ideò ergò geſta ſcribuntur hominum, vt lectores auditoresque de bonorum bonitate proficiant, & de malorum malitia cauti fiant. Meminerit interea lector, quod ſi annorum occurrit diverſitas, hoc ex contraria relatione antiquorum, vel vitio ſcriptoris, vel negligentia prouenit computantis. Unde reor non incongruum, vt de annorum veritate ipſe ſibi calculet, & perfectè, quem annorum contrarietas coëgerit, dubitare. Sed hæc hactenus. Nunc ad propoſitum accedamus.

Alia Hiſtoricorum gratiam aucupantium.

NOTA.

Cautio de Chronologia diſcrepante.

Creatio rerum,

In principio creauit DEUS cœlum & terram. Prima igitur ætate ſeculi naſcentis prima huius die fecit DEUS lucem, quam appellauit diem. Secunda firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſuper firmamentum, ab his, quæ erant ſub firmamento, vocauitque DEUS firmamentum cœlum, & ſic completus eſt dies ſecundus. Tertia die congregatis in ſuum locum aquis, quæ cuncta contraxerant, aridam juſſit apparere. Quarta die ſydera in firmamento cœli poſuit, quæ nunc, quantum æquinoctii coniectura colligimus, XII. Calend. April. vocantur. Quinta die natatilia & volatilia creauit animantia. Sexta animalia terreſtria, & ipſum hominem formauit Adam, de cuius latere dormientis matrem omnium viventium produxit Euam, quæ nunc ſecundum Bedam X. Calend. April. dies appellatur. Septima requieuit DEUS ab omni opere, quod patrârat. Adam primus homo, ad imaginem DEI in Hebron formatus, in Paradiſo cum Eua VI. horis commoratus, ob mandati tranſgreſſionem huius mundi exilium ſubiit, in quo XXX. filios & totidem filias abſque Abel & Cain genuit. Adam annorum CXXX. genuit Seth, cui ſuperuixit annis DCCC. Adam autem poſt DCCCC. & XXX. annos in loco, vbi nunc eſt Jeruſalem, obiit: in loco caluariæ ſepultus, aliquandiu requieuit. Deinde in Hebron translatus, in terram, de qua aſſumtus erat, rediit. Abel, filius Adæ, XXX. annorum à fratre Cain apud Damaſcum occiditur, anno CXXX. vitæ Adæ. Seth, frater Abel, vixit DCCCC. XII. annos. Gigantes nati ſunt.

Camerar. in Chronol. Nicephor.

Gigantes.

sunt. Seth annorum CV. genuit Enos, cui superuixit annis DCCCC.IIX. Enos, vixit DCCCC.XXV.annos, qui, cùm esset annorum CX. genuit Cainan, cui superuixit annis DCCC.XV. Cainan, vixit DCCCC. X. annis. Qui annorum LXX. genuit Mahaleel, post cuius ortum vixit annos DCCC.XL. Mahaleel vixit DCCC. XV.annis Qui, cùm esset annorum LXV. genuit Jared, cui superuixit annis. * Jared, vixit DCCCC. LXII annis. Qui, cùm esset annorum CLXII. genuit Enoch, cui superuixit annis DCCC. Enoch, vixit CCCLXV. annis. Qui, cùm esset annorum LXV. genuit Mathusalem. Post cuius ortum ambulauit cum Deo CCC. annis,& translatus est in paradisum. Hic literas reperit, & quosdam libros conscripsit.Huius tempore Adam mortuus est. Mathusalem, vixit annis DCCCC. LXIX. Qui cùm esset annorum CLXXXVII. genuit Lamech, cui superuixit annis DCC. LXXII. idemque vsque ad Diluuium, scilicet V. annis ante Diluuium. Lamech. vixit annis DCC. LXXVII. qui cùm esset annorum CLXXXII. genuit Noë, cui superuixit annis DXCV. Anno Mathusalæ CCXLIV. Lamech verò LVI. mortuus est Adam annorum DCCCC. XXX. Cain, primus condidit ciuitatem Henoch, in qua ipse primus regnauit Rex. Post hunc Henoch, filius eius. Huic successit Irad, filius eius, at illi Mahuiaël, filius eius. Huic Mathusaël, filius ipsius. Illi verò successit Lamech. Hic in Diluuio periit, hic & Cain occidit. Jobal,filius Lamech, inuenit vsum tabernaculorum, cuius frater Jubal inuenit Musicam. illorum frater, Tubalcain, inuenit artem fabrilem ferri & æris. Soror eorum, Noëma, reperit artem variæ texturæ. Hic etiam Lamech primus induxit bigamiam. Noë vixit annis *DCCCCL.* Huius *DC.* anno venit Diluuium, mense secundo *XVII.* die mensis. Huius etiam tempore primitus visa est Iris & pluuia, & hominibus visus carnium concessus. Noë cum *D.* esset annorum genuit Sem, Cham, Japhet, & *DC.* annorum ingressus est arcam ipse & vxor eius, filii eius & vxores filiorum eius. Aliter vniuersi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt, & hæc ideo, quia repleta erant iniquitate, & omnis caro corruperat viam suam. Obtinueruntque aquæ terras *CL.* diebus. Post *CL.* dies cœperunt aquæ minui, & requieuit arca mense *VII. XXVII.* die mensis super montes Armeniæ. Adhuc aquæ ibant, & decrescebant vsque ad *X.* mensem. Decimo mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium. Verùm *DC I.* anno, primo mense, prima die mensis arefacta est terra, & Noe reuoluto anno eodem die arcam exiit, qua intrauit. Hic terminatur prima ætas, & continet, M. DC. LI. annos, secundum Hebraicam veritatem, juxta septuaginta interp. II. mill. CC. LXXII. generationes X. Dicit tamen Methodius Martyr, ab Adam vsque ad ingressum Noë in arcam annos fuisse II. mill duodecim minus.

Secunda seculi ætate prima huius die, quæ est *XXVII.* mensis secundi,egressus est Noë de arca. Sem, filius Noë, esse dicitur, qui & Melchisedech. Vixit *DCII.* annis. Huius tempore diuisum est genus hominum in terra,in liberos,in milites,in seruos. Liberi de Sem, milites de Japhet, serui de Cham Sem C.annorum genuit Arphaxad Hieronymio post Diluuium. Ab Arphaxad Chaldæos originem duxisse Hieronymus asserit. Superuixit hic Sem nato Arphaxad D. annis, id est vsque ad V. annum nati Jacob. A Noë vsque ad diuisionem linguarum sunt anni secundum Hebræos C. & I. juxta alios *D. XXXI.* qui plures annos cuique generationi attribuentes, etiam Cainan quendam inter Arphaxad & Sale ponunt, quos & Lucas sequitur. Ratio autem annorum satis in hoc conturbatur. Arphaxad, filius Sem, vixit CCCXXX.IIX. annis. Qui cùm esset annorum *XXXV.* genuit Sale, cui superuixit annis CCCIII. Cainan autem,frater eius,vixit *CCCCXXXVIII.* annis. Sale, vixit *CCCXXXIII.* annis. Hic condidit Salem: ab hoc Samaritæ & Indi. Hic annorum *XXX.* genuit Heber, cui superuixit annis *CCCCIII.* Ab hoc Heber Hebræorum nomen & genus retinetur. Heber, à quo Hebræi, vixit *CCCCLXIV.* annis, Huius tempore turris Babel exstruitur. Hic annorum *XXXIV.* genuit Phaleg, cui superuixit annis *CCCCXXX.*

Henoch, prima ciuitas.

Tubalcain, qui & VVLCA-NVS.

Iris.

Nugatur.

Hebræi.

Altitu-

Altitudo turris Babel dicitur tenuisse numerum V. millium passuum & CLXXVIII. paulatim in altioribus coartata, vt pondus imminens facilius sustineret. Methodius. Anno DCC. in tertio millenario seculi ædificata est Babylonia magna. Phaleg vixit CCXXXIX. annis. Huius tempore diuisæ sunt linguæ in LXXII. huius etiam tempore idololatria exorta est. Hic annorum XXX. genuit Reu, cui superuixit annis CCIX. In huius familia quia in diuisione linguarum remansit Hebræa omnium antiquissima, dictus est ipse Phaleg, id est, diuisus ab aliis. Reu, vixit CCXXXIX. annis. Hujus tempore Scytharum regnum & Ægyptiorum exortum est. Qui annorum XXXII. genuit Saruch, cui superuixit annis CCVII. Saruch, vixit CCXXX annis. Huius tempore regnum Assyriorum & Sicyoniorum nascitur. Qui annorum XXX. genuit Nachor, cui superuixit annis CC.

Conturbatio & numerus linguarum.

Seruch fertur simulacrorum formandorum rationem inuenisse.
Auctor Suidas, Seruch, Glycas pag. 180.

Nachor, vixit annis CXLVIII. qui genuit Thare. Thare, vixit CCV. annis, qui annorum LXX. genuit Abram, cui superuixit annis CXXXV Babylonia conditur. Hactenus secunda seculi ætas protenditur. Fuerunt itaque anni à Diluuio vsque ad Abraham M LXXII. generationes X. Ab Adam vsque ad Ninum sunt anni M. M.M.C. LXXXIIII. Secundum Hebræos sunt à Diluuio ad Abraham anni M DCCCC. XLIX. Orosius secutus LXX. interpretes, dicit ab Adam vsque ad Abraham esse annos III. mill. C. LXXXIIII. & ab Abraham vsque ad Christum M. M. XVI. Secunda ætate apud Babel primus regnauit Nemrod, Gigas XXX. cubitorum, cui successit filius eius Assur, à quo Assyrii. Huius filius Bel, qui & Belus, regnauit annis LXV. Belo primùm sacrificia facta sunt. Huius filius Ninus, regnauit annis LII. Hic condidit Niniuen. Huius tempore inuenta est ars magica à Zoroastre, rege Bactrianorum, quem idem Ninus bello victum occidit, qui & Sirophanem, primum idolatram Ægypti, subiecit. Tempore Nini, anno regni eius XLIII. natus est Abraham, anno ante vrbem conditam M. Ninus contra alios arma extulit. Habuit autem duos filios, Trebatam & Niniatem. Trebatam ex regina Chaldæorum, Niniatem de Semiramide. Semiramis incestum agere volens cum Trebata, nolentem regno expulit. Sorte venit in Europam super Mosellam, & vrbem ibi constituit, quam Treberim appellauit, & hoc anno VI. Abrahæ Patriarchæ, Post Trebatam filius eius Hero regnauit, qui patrem exustum in monte Urani tumulauit, & hoc epitaphium ei dedit:

Nemrod.
¶ De huius & successorũ regno, quæ PRIMA MONARCHIA est, Syntagma nostrum.
ὑπηνέμιος λόγος
¶ De vera notione nominis Treuirorũ consulatur Commẽtarius noster de origine Mysorum.

Nini Semiramis, qui tanto coniuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis sed totis finibus orbis.
Expulit à patrio priuignum, Trebata, regno,
Profugus insignem qui nostram condidit vrbem,
Treberis huic nomen dans ob factoris amorem,
Quæ caput Europæ totius noscitur esse.

DEmum Treuirenses subiugant Basileam, Argentinam, Wangiam, Moguntiam & Coloniam, & fœdus ineunt cum Remensibus. Postea quidam Belgio à quo Gallia Belgica potentiam suam in Italiam extendit, & Pannoniam, dominati sunt in Græcia & Macedonia & Asia, regionem Gallogræciam appellantes à quibus Galatæ. Sed nulla potentia longa. Anno L. ante natiuitatem Domini Julius Romanis Treuerim subiugauit. Post Ninum regnauit Semiramis, vxor eius XLII annis. Hæc condidit magnam Babyloniam, & subiugauit Indiam & Æthiopiam. Huic successit filius eius Ninias, Niniati Arius, qui & Erioch, huic Aralius. Post quem Baleus, illi Armamitres. Post hunc * Baal, deinde Mamitus, exin * Sapocus, pòst Ascata, inde Amyntas, hinc * Lampares, postea Pannias, deinde * Ophrateus, exinde Sardanapalus, sub quo defecit regnum Assyriorum, quod stetit annis M.

** Cæsar*
¶ Legendi Cõmentarij eius, de historia hac verius explicantes.

M. C. LXIIII. Post diuisionem linguarum surrexit regnum Scytharum LX. annis antequam Assyriorum. Primus verò regnauit Tanaus, à quo flumen Tanais dicitur. In Ægypto primus regnauit Pharao, à quo Pharus ciuitas & posteri Reges dicti. Ab hoc XVII. Amosis, sub quo venit Joseph in Ægyptum. Post hunc III. Mephres, sub quo moritur Joseph. Post hunc VII. Chenchres, qui submersus est in mari rubro. Apud Sycionios regnauit primus Ægialeus. Huic successit Europs, qui Europam subiugauit, vnde & Europa dicitur. Europi successit Telchin inde * Thurimachus, cui facta sunt sacrificia. Tandem Zeuxippus, quem occidit Aretes, rex Corinthiorum. Et tunc consumptum est regnum Sicyoniorum, quod fecit annis DCCCC. Deinde Sacerdotes populum rexerunt. Tertia seculi ætate prima huius die natus est Abraham Patriarcha, qui LXXV. annorum cùm esset, relicta gente patria, ad imperium Dei venit in terram Chanaan, accipiens promissionem nascituri de suo semine Saluatoris. His temporibus Ninus & Semiramis Assyriis regnabant. Abraham XII. ab Noë vixit C. LXX. annis. Huic primo data est Circumcisio. Hic inuenit Hebræas litteras, hic etiam docuit Chaldæos Astronomiam, Ægyptios Geometriam. Huius tempore V. ciuitates Sodoma & Gomorrha cum aliis submersæ sunt. Abraham annorum LXXXVI. genuit Ismael, à quo Ismaëlitæ. Nachor, frater Abraham, hos tres fratres, Hus, Buz, Batuel genuit, mortuo patre suo Thare in Carra Mesopotamiæ. De Buz descendit Balaam, qui secundum Hebræos in Job dicitur Eliud Buzites. Haran, & ipse frater Abraham, genuit Loth. Iste Loth cùm exiisset de Sodomis, genuit hos duos, Moab & Ammon, de filiabus suis, ebrius factus. Ismaël genuit XII. Duces. & vixit annis CXXXVII. Abraham C. annorum genuit Isaac, qui primus & solus in tota veteris testamenti serie legitur VIII. die circumcisus. Isaac, vixit CXX. annis. Huius tempore ortum est regnum Argiuorum. Inachus verò primus regnauit, cuius filia Io à Græcia nauigans in Aethiopiam, venit in Ægyptum, ibique litteras reperit, leges docuit, imperauit. Isaac annorum LX. genuit Esau & Jacob, Patriarchas Idumææ & Israëliticæ gentis. Post quorum ortum vixit annis. * Jacob, vixit CXLVII. annis. Huius tempore fuit Diluuium IX. menses in Achaia sub Ogyge, rege Thebanorum, in quo Cerambus volasse fertur. Hoc tempore claruit Minerua in Africa. Huius tempore mortuus est Sem DCII. annorum. Memphis in Aegypto conditur. Jacob genuit Judam, Leui & Joseph & fratres eorum. Idem cùm esset CXXX. annorum descendit in Aegyptum in animabus LXX. Judas Phares & Zaram, Leui Caath, Joseph Manassem & Ephraim genuit. Jacob annorum CXLVII. mortuus est in Aegypto, & tunc erat Joseph annorum LVII. A tempore, quo descendit Jacob in Aegyptum, manserunt filii Israel ibi annis CCXV. Joseph, vixit CX. annis. Huius tempore fuit fames VII. annis. Cecrops Athenas condidit. Caath, filius Leui, vixit CXXXIII. annis. Amram, filius eius, vixit CXXXIIX. annis. Horum tempore oppressi sunt filii Israel in Ægypto. Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit CCCCXXX. annorum, quibus expletis, eadem die egressus est omnis populus de terra Aegypti vt scriptura testatur Exodi. Anno CCCLX. repromissionis Moyses in Aegypto nascitur, qui LXXX. suæ ætatis anno filios Israel eduxit de Ægypto, percussa Ægypto X. plagis. Eremum verò XL. annis transierunt. Idem primus Legem populo conscripsit. Ab hoc loco vsque ad ædificationem Templi numerantur anni CCCC LXXXIIX. Huius tempore extitit Diluuium in Thessalia sub Deucalione. Tempore etiam huius Lacedæmon vrbs condita est à Cecrope * & templum Delphicum. Iste Cecrops cum Pharaone submersus est in mari rubro. Sub Moyse Prometheus, frater Caucasi primus docuit Philosophiam in Oriente. Atlas, frater eius, rex Africæ, docuit Astrologiam, & cœlum sustentare dicitur. Moyses XL. annis duxit Israel in deserto, quorum primo anno tabernaculum Domini construxit. Dathan & Abiron, suggestione Choræ pro Moyse ducatum populi volentes habere,

¶ De Aegyptio regno isto, & Pharaonũ nomine, plenius agit Syntagma nostrum.

¶ Et hoc regnũ Syntagmate nostro enucleatur.

Abraham.

Nachor.

¶ De Argiuorum regno legatur amplius Syntagma nostrum.

Moyse.

Prometheus Atlas.

propter seditionem absorpti sunt. Chore litigans contra Aaron de sacerdotio cum *CCL.* igne diuino periit. Moyses *CXX.* annorum obiit, anno principatus sui XL. ad cuius obitum à fabrica mundi secundum LXX. computantur anni *IIII.* mill. *DCCXXX.* secundum Hebræos *II.* mill. *XCIII.* Tricesimo verò anno Moysi regnum cœpit Athenaicnsium. Ubi primùm Cecrops regnauit. Athena autem dicitur Minerua. Cùm apparuisset illic repentinæ olivæ arbor, & alio loco emanasset fons aquæ, Regem prodigia mouerunt. Consuluit Apollinem. Is respondit, Neptunum & Mineruam significare, & quòd esset in ciuium potestate, de cujus nomine illorum duorum ciuitas vocaretur. Rex igitur pro eadem causâ omnes conuocat. Mos autem fuit, vt etiam fœminæ publicis consultationibus interessent. Viri itaque pro Neptuno, fœminæ dederunt sententiam pro Minerua. Sed quia vna fœminarum plus inuenta est, vicit Minerua. Iratus Neptunus, Athenienses aquarum impulsibus deuastauit. Athenienses vt eum placarent, mulieres hoc præiudicio afflixerunt, scilicet vt nulla vlterius ferret suffragia, vt nullus natorum acciperet nomen maternum, & vt nullus eas Athenas vocaret. Josue, qui & Jesus, vixit *CX.* annis. Iste *XXVI.* annis rexit Israel. Huius tempore exsiccatus est Jordanis populo DEI, & Sol stetit spatio duorum dierum. Sub Josue regnauit Saturnus in Creta, inde Jupiter, postea Minos. Apud Mycenas Tantalus, hinc Pelops, inde Atreus, hinc Agamemnon & Menelaus.

Regnum Atheniense. ¶ De hoc itidem Syntagma nostrum.

¶ Regni Cretensis & Mycenæ historia fusius Syntagmate nostro exposita est.

Caleb, successit Josue, qui in morte Josuæ erat *C.* annorum. Huius tempore fictæ sunt fabulæ. Orpheus claruit. Huius tempore fuerunt Jupiter & Saturnus, & prima Sibylla Persica claruit. Sub Caleb regnauit Amphitryon, patre Herculis. Erichthonius, rex Athen. inuentor curruum, Hinc Pandion, postea Ægeus, inde Theseus, post Demophon.

¶ Nota hic de Calebo Auctoris σφάλμα. Habet autem & hanc populi Israelitici historiam Syntagma nostrum.

Othoniel, filius fratris Caleb, judicauit populum XL. annis. Iste primus de tribu Juda, Domino jubente, Judex super Israel constituitur. Huius temporibus primis filii Israel seruiere Chusamrasathaim, regi Mesopotamiæ VII. annis. Cadmus condidit Thebas Iste Othoniel percussit Cariathsepher, vnde habuit vxorem Axam. Aioth, * judicauit Israel LXXX. annis, qui vtraque manu vtebatur pro dextra, qui percusso Eglon, rege pingui, Israel liberauit. Hoc tempore Cyrene civitas condita est in Libya. Huius tempore fuit bellum inter populum Israel & Beniamin, propter vxorem Leuitæ apud Gabaon constupratam. Et de Israel quidem occisi sunt XL. millia, de Beniamin autem XXXV. millia & *CVIII.* Troia constituitur. Liber in India, Perseus in Perside. Samgar, judicauit populum annis X. Huius tempore ortum est regnum Laurentum. Iste Samgar occidit *DC.* viros vomere vno. Barac cum Debora judicauit Israel XL. annis. Huius tempore fuit secunda Sibylla. Picus in Italia. In initio Ducatus istorum oppressit filios Israel Jabin rex Chanaan, XX annis. Sed occiso ab Israel principe militiæ eius, Sisara, humiliatus tandem ac deletus est. Miletus condita est. Gedeon, judicauit filios Israel annis XL. Huius tempore erat Hercules, Orpheus. Iste Gedeon salutatus ab Angelo cui supra petram carnes obtulit, ab ara Baal destructa dictus Jerobaal, suscepto velligno in vellere cum *CCC.* aquam more canum lambentibus, laternis fractis, & turbis clangentibus, *IIII.* reges, Oreb, Zeb, Zebee, & Salmana strauit. Tyrus condita est. Abimelech, filius Gedeonis, regnauit super Israel *III.* annis. Huius temporibus extitit Theseus, rex Athenienſium. Hercules Ilium vastat. Iste Abimelech fragmine molæ per manum mulieris in oppido Thebæ periit. Thola, judicavit Israel annis *XXIII.* Huius tempore fuit tertia Sibylla Delphica. Priamus in Troia post Laomedontem regnauit. Jair, judicauit Israel *XXII.* annis. Huius tempore fuit bellum Thebanum. Hercules agonem Olympicum constituit, à quo vsque ad primum

Cadmus. ** Ehud.* *Iabin.* *Ierobaal.* *Theseus.*

mam Olympiadem supputantur anni *CCCC. XXX.* Jephthe, judicavit Israel *VI.* annis. Huius tempore erant Amazones & Theseus. Iste Jephthe à fratribus vt spurius abiectus, in regione Thobe morans, postea princeps super eos factus, superatis Ammonitis voto alligatus, filiam post planctum virginitatis LX. dierum immolauit, *XLII.* millia de Ephraim, per Sibboleth & Schibbolet diiudicans, ad vada Jordanis trucidauit. Ab ætate Moysi vsque ad Jephthe supputanur anni *CCC.* Hesbon, judicauit Israel *VII.* annis. Huius tempore Booz sumpsit Ruth. Sibylla *IIII.* Erythræa, vel Babylonica, claruit. Agamemnon imperat Mycœnis annis XXX. cuius anno XV. Troia capitur. Elon, judicauit Israel X annis. Huius tempore obsessa est Troia. Labdon, judicauit Israel *VIII.* annis. Huius tempore capta est Troja. Ex parte Græcorum occisa sunt *DCCC. LXXVII.* mill. ex parte Trojanorum *DC. LXXXVI.* millia. Æneas pugnauit cum Turno. Picus in Italia primus augur. Mortuo Labdon seruiuit Israel Philistæis annis XL. Samson, judicauit Israel annis XX. Hactenus liber Judicum tempora signat, habens annos *CCLXXXIX.* Judices autem *XII.* Latinis, qui postea nuncupati sunt Romani, post tertium annum captiuitatis Troiæ regnauit Æneas tribus annis, post quem Ascanius. Ante Æneam Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus in Italia regnauerunt, annis circiter *CL.* Ascanius Albam condidit.

Amazones.

Agamēnon.

ἰλιὰς κακῶν.

¶ *De Latino regno lectorem ad Syntagma nostrum remittimus.*

Heli sacerdos, * judicauit Israel XL. annis. Sibylla V. Cumea claruit, ad quam venit Æneas. Hectoris filii Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris; Heleno sibi subsidium ferente. Latinorum tertius, Syluius, Æneæ filius, regnat annis *XXIX.* qui post mortem patris editus, rureque educatus, Syluii & Posthumi nomen accepit, à quo omnes Albanorum reges Syluii vocati sunt. Heli sacerdos, & Iudex, in arguendis filiis tepidus, & ideo à Domino reprobatus, cùm Samuelem sibi oblatum nutrisset, audita strage filiorum, & arca à Philisteis capta, de sella cadens, fractis ceruicibus, exspirauit. Samuel, judicauit Israel annis *XII.* Ab hoc tempora Prophetarum incipiunt. Latinorum *IIII.* Æneas Syluius, regnat annis XXX. Orestes & Pylades extiterunt. Lacedæmoniorum regnum oritur. Iste Samuel, Iudex & Propheta, cum liberasset filios Israel à Philisteis per agnum immolatum in lapide adiutorii, in terminis posito, ad petitionem Israel Saulem, sibi à Domino missum, in Regem inunxit, tribus signis confirmans vnctionem, præceptum ei dans, quòd quia postea transgressus est, reprobatus à Domino, in tantis angustiis est positus, vt Samuelem mortuum magica arte suscitaret per Pythonissam. Hic & David vnxit in Regem. Saul, primus Hebræorum rex, regnauit XX. annis. Huius tempore occidit Dauid Goliath, Gigantem *VI.* cubitorum. Hactenus tertia mundi ætas protenditur, quæ continet generationes *XIV.* annos *DCCCC. XL.* A Diluuio ad Dauid anni *II.* mill. *CXVII.* ab initio mundi *IV.* mill. *CXXIV.* Tertia ætate primus rex Idumæorum erat Balaac, filius Beor, post quem regnauit Iobab, qui & Iob, deinde Husan, exinde alii V. Reges, deinde Duces. Iob autem erat V. ab Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac Esau, Esau Zara, is genuit Iob. Alius Balac, filius Sephor, erat rex Moab & Madian, qui conduxit hariolum Baalam, qui & Heliu in libro Iob legitur. Iob LXXXIX. annorum tentatus est. Post plagam Rex factus vixit CXL. annis. Tertius post Inachum regnauit Argus, à quo Argos ciuitas & Argiui. Inde Phoroneus, qui primus boues ad aratrum junxit. Post hunc VI. Danaus, qui habuit L filias, vt frater eius Ægyptus totidem filios. Hi omnes præter vnum à filiabus Danai sunt interfecti. Ab hoc Ægypto Ægyptus dicta est. Quarta seculi ætate prima huius die natus est Dauid, qui regnauit in Ierusalem XL. annis. Huius tempore Homerus claruit, & Carthago conditur, Ephesus ab Andronico. Latinorum V. Latinus Syluius regnat annis L. Nathan Propheta claruit. Iste Dauid Salomonem ex vxore Uriæ genuit. Salomon, regnauit annis XL. Hic primo fecit templum in Jerusalem, anno *IV.* regni sui mense *II.* post egressio-

** Pontifex Max.*

Syluij.

¶ De Saulo familia Syntagma nostrum.

Regnum Idumæorum

¶ Comprehensum & hoc Syntamate nostro.

Antiq. lib. 8. cap. 2. nem de Ægypto CCCC. LXXX. anno. Josephus dicit anno DXCII. Dicitque ab Abraham fluxisse annos M. XX. à Diluuio M. CCCCXL. ab Adam III. mill. CII. Latinorum VI. Alba Syluius regnat annis XXXIX. Regina Saba venit audire sapientiam Salomonis. Salomon vitam mulieribus & idolis maculauit. Roboam, filius Salomonis, regnauit annis XVI. Huius tempore regnum Israel oritur, in quo Jeroboam de tribu Ephraim primus regnat. Huius V. anno Sesac, rex Ægypti, veniens Hierosolymam templum spoliauit. Latinorum VII. Ægyptus * Syluius regnat annos XXIV. Samus condita, & Smyrna in modum vrbis ampliata est. Saturnia conditur ab Amazonibus. Abia, filius Roboam, regnauit annis *III* Hic pugnantem contra se Jeroboam superauit, occisis de exercitu eius millibus quingentis, eò quòd sperasset in Domino. Asa, filius Abiæ, regnauit annis XLI. Elias Propheta claruit. Huius tempore non pluit annis tribus. Hic primus mortuum suscitauit. Latinorum *VIII.* Capys Syluius, regnat annis *XXVIII.* Asa idola destruxit, templum mundauit, egredientem contra se Zara Æthiopem cum suo sterni exercitu. Iste Asa munitis Gabaa & Masphat ciuitatibus, de lapidibus & lignis, quæ collegerat Baasan in Rama, redargutus à Jehu, quia spem in Benadad posuerat, dolore pedum, quem intulerat Prophetæ, ponendo eum in neruum, obiit. Josaphat, filius Asa, regnauit annis XXV. Eliseus Propheta claruit. Latinorum *IX.* Capetus Syluius, regnauit annis *XIII.* Post quem filius eius Tiberinus Syluius, annis *VIII.* à quo & fluuius est Tiberis appellatus, quia in eum cadens submersus est, qui prius Albula dicebatur. Post quem Agrippa Syluius regnauit annis XL. Josaphat fecit rectum coram Domino. Joram, filius Josaphat, regnat annis *VIII.* Elias translatus est, & Eliseus, hæres prophetiæ derelictus, primo miraculo aquas sanat. In diebus Joram recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit Regem. Ambulauit Joram in viis domus Achab, filia quippe Achab erat vxor eius. Azarias, * filius Joram, regnauit anno 1. Jonadab, filius Rechab, clarus habetur. Istum Azariam secludit Matthæus cum filio suo Joas, & nepote Amasia, à Domini saluatoris genealogia. Iste Azarias in obsidione Ramoth Galaad interfectus fuit cum Joram, genero suo, à Jehu, rege Israel. Athalia, mater Azariæ, regnauit annis *VI.* Ista dolens filium suum Azariam à Jehu interfectum, interfecit omne semen regium; præter Joas paruulum, quem Josabeth, soror Azariæ, vxor Joiadæ Pontificis, furata est de medio filiorum Regis cùm interficerentur, & per *VI.* annos absconsum nutriuit. Athalia autem post *VI.* annos à Joiada ignominiosè interfecta est. Joas, filius Azariæ, regnauit XL. annis. Iste bono principio, & fine vsus est pessimo. In principio regni sui templum innouat, in extremo inter cætera facinora Zachariam quoque filium Joiadæ, tutoris sui, inter templum & altare lapidari præcepit, qui postea à seruis interfectus est. Latinorum *XII.* Aremulus Syluius, Agrippæ filius, regnauit annis *XIX.* Qui præsidium Albanorum inter montes, vbi nunc Roma est, posuit. Huius filius fuit Julius, proauus Julii Proculi, qui cum Romulo commigrans, fundauit Juliam gentem. Amasias, filius Joas, regnauit *XXIX.* ann. Eliseus Propheta defunctus sepelitur in Samaria. Azael, rex Syriæ, afflixit Israel. Latinorum *XIII.* Auentinus Syluius, Aremuli maior filius, regnauit annis *XXXVII.* atque in eo monte, qui nunc est pars vrbis, mortuus ac sepultus æternum monti vocabulum dedit. Regnum Juda sine Rege *XIII.* annis. Ozias, filius Amasiæ, regnauit annis *LII* Esaias, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Prophetæ, claruerunt. Regnum Assyriorum in Medos transfertur, quod stetit per annos M. CC. XL. à primo anno Nini. Sibylla *VI.* claruit. Regnum Macedonum oritur. Latinorum *XIII.* Procas Syluius, Auentini filius, regnauit annis *XXIII.* Post quem XV. Amulius Syluius, regnauit annis *LXIV.* Lacedæmoniorum reges deficiunt, Lydorum incipiunt. Iste Ozias, amator agriculturæ, cum sacerdotium sub Azaria vsurpasset, percussus est lepra, & media pars montis scissa hortos regales oppressit. Jotham, filius Oziæ, regnauit annis *XVI.* Olympias constituitur à Græcis apud Elidem. Remus

** Nomen hoc alij aliter scribunt.*

Elias Vates

Zara Aethiops.

Idumæi.

** Ahazias.*

Matth. 1.

Ioiada Pōtifex.

Zacharias, Ioiada F.

Azael.

Vates συγχρονοι

Olympiades.

mus & Romulus generantur matre Ilia. Iſte Jotham ædificauit portam domus Domini, quæ ſpecioſa dicitur, ab Hebræis porta Jotham, ab aliis turris gregis. Sub quo Eſaias vidit Dominum ſedentem, & Nahum cum Michea cœperunt Prophetare. Achaz, filius Jotham, regnauit annis *XVI.* Iſte filium ſuum per ignem * Geennon traiecit. Obſeſſus à Razin & Phacee Eſaiæ conſolanti credere noluit, ſignum quærere contempſit. Qui relicto Domino, ſpe poſita in Teglatphallaſar, ornamenta templi diruit. Roma condita eſt, in monte Palatino à geminis, Remo & Romulo, filiis Iliæ Syluiæ, quæ erat filia Numitoris, fratris Amulii regis, virgo Veſtalis, ſed conſtuprata * conſularibus ludis. Condita eſt autem X. Cal. Maij, anno CCCC. XXIX. poſt excidium Troiæ, ſub Jeſaia Propheta, tranſactis ab origine mundi annis *IV.* mill. CC. XI. Sed *fraterno primi maduerunt ſanguine muri :* quia Remus, dum vallum, quod ad tutelam nouæ vrbis ſufficere poſſe videbatur, irridet, idq; ſaltu increpat, à Fabio, Romuli duce, aratro paſtorali interfectus eſt. Alii dicunt, quod cùm duo fratres contenderent, de cuius nomine vrbs vocaretur, Romulus aſcendens montem Palatinum vidit *VII.* vultures aduolare, Remus autem in Auentino monte *XII.* & ob hoc à militibus Romuli eſt occiſus. Quo occiſo, Romulus vrbem Romam vocauit : alioquin enim Rema vocaretur. Eſaias onus Babylonis vidit. Regnum Romanorum oritur. Iſrael tranſfertur. Romulus primus Romanorum rex, deinde Numa Pompilius, qui inuenit hydromantiam. Ezechias, filius Achaz, regnauit annis *XXVIII.* Romulus Senatum conſtituit & annum. Mortuo Romulo, qui *XXXVII.* annis regnauit, per quinos dies Senatores rempublicam rexerunt, atque vnus expletus eſt annus. Poſt quos Numa Pompilius annis *XLI.* * qui Capitolium à fundamentis erexit. Iſte Ezechias, reparatis his quæ pater diſpoſuerat, comminuto ſerpente æneo, celebrato ſolenni Phaſe, cùm contumeliam Rabſacis audiſſet, coram Domino humiliatus, per Eſaiam ſigna liberationis à Senacherib, poſt tertium annum facta ſtrage per Angelum, ſuſcepit & credidit. Qui laudibus non ſolutis ægrotans, ſigno ſanitatis in regreſſu ſolis ab Eſaia oſtenſo, credidit, & ſanatus canticum cecinit. Qui oſtenſis theſauris Domini Babyloniis, ab Eſaia redargutus in pace obiit. Manaſſes, filius Ezechiæ, regnauit annis LV. Numa duos menſes adiecit. Romanorum tertius, Tullus Hoſtilius, regnauit annis *XXXII.* qui primus regum Romanorum purpura & faſcibus vſus eſt regalibus, & adiecto monte Cælio, vrbem ampliauit. Iſte Manaſſes cùm Eſaiam ſerra lignea, diuinis exhibitis miraculis ſecuiſſet, & plateas Jeruſalem Prophetarum ſanguine purpuraſſet, ob ſcelera ſua catenatus & vinctus compedibus in Babylonem ducitur. Sed tandem ob pœnitentiam & preces in regnum reſtitutus, intelligens nequitiam ſuam, non ſine grandi admiratione vitam in melius mutauit. Amon, filius Manaſſis, regnauit annis *II.* Arion citharista claruit. Amon à ſeruis ſuis occiditur. Joſias, filius Amon, regnauit annis XXXI. Iſte inuento Deuteronomio * in arca, perterritus, & ad reſponſionem Holdæ humiliatus, idolatriam cum excelſis deſtruxit, oſſa pſeudoprophetarum & ſacerdotum in Bethel combuſſit. Qui celebrato incomparabili Phaſe, cùm Pharaoni occurriſſet in Mageddon, ſagittatus ad Adremmon, inconſolabiliter plangebatur, Jeremia etiam ſuper morte eius ſcribente lamentationes, qui *XIII.* regni eius anno cœperat prophetare per varia ſigna, virgam vigilantem, ollam ſuccenſam & lumbare. Sophonias Jeremias, & Holda claruerunt. Romanorum quartus, Ancus Martius, regnauit annis XXIII. qui Auentinum montem & Janiculum vrbi addidit, & ſupra mare XVI. ab vrbe milliario Oſtiam condidit. Poſt quem Tarquinius Priſcus XXXVII. annis regnauit, qui Circum Romæ ædificauit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos inſtituit, muros & cloacas ædificauit, Capitolium exſtruxit. Tempore Joſiæ Niniue deſtruitur à rege Cyaxare, quæ ſteterat à Nino annis M. CCCC. LXX. Sibylla *VII.* dixit. Joachim, filius Joſiæ regnauit annis XI. Poſt Joſiam regnauit Joachaz, filius eius, tribus menſibus. Quem Nechao, rex Ægypti, vinctum ducens in Ægyptum

* *Reſtius, in Galle filii Hennon.*
Teglatphalaſſar.
Lucanus lib. 1. Auguſtinus lib. 15. de C. D. cap. 5.
Roma condita.
Regnum Romanorū. ¶ De hoc Syntagma noſtrum.
Tullus Hoſtilius.
Arion citharœdus.
* *Libro legis.*
Ancus Martius, Tarquinius Priſcus.
Nechao.

Daniel. ptum, Joachim regem constituit. Huius anno *III.* Nabuchodonosor capta Jeru-
salem, & plurimis captiuatis, inter quos erat Daniel, partem vasorum templi ab-
stulit, & in Babyloniam transfert. Iste Joachim Uria occiso, Jeremia incluso, li-
bro prophetiæ Baruchcisso, cùm nec exemplo Rechabitarum fuisset commonitus,
soluto tribus annis Nabuchodonosor tributo, ab eo tandem interfectus, extra mu-
ros proiectus est. Joachin, qui & Jechonias, filius * Josiæ, regnauit mensibus tribus
Ezechiel. & diebus *X.* Iste consilio Jeremiæ tradidit se in manus Nabuchodonosor redeuntis:
cum quo circiter *X.* millia transmigrarunt, in quorum numero fuit Ezechiel. Se-
dechias, qui & Mattanias, filius Josiæ, regnauit annis XI. Huius anno XI. regis autem
Babylonis XIX. Judæa captiuata est in Babyloniam, & templum Domini incensum
est, anno ex quo fundari cœpit CCCC. X. Sedechias cæcus in Babylonem du-
ctus est, & ignominiosa laxatione ibi mortuus & sepultus. Qui autem reliqui fue-
runt Judæi, transfugerunt in Ægyptum. Qua post annos V. percussa à Chaldæis
in Babyloniam sunt & ipsi transmigrati. Post hunc defecit regnum Juda, quod ste-
tit per annos CCCC. XLIX. Hic terminatur quarta ætas, habens annos secun-
Regnum Israeliticũ seu Samaritanum quod & decem tribuũ. ¶ Vide Syntagma nost. dum Hebraicam veritatem CCCC. LXXV. generationes XIV. Ab initio mun-
di sunt anni IV. M. DC. X. Hac ætate regnauit in Israel Jeroboam XXII. annis.
Hunc vicit Abia, rex Juda. Nadab, filius eius, regnauit annis II. Hunc occidit
Baasa. Baasa regnauit annis XXIV. qui morbo interiit. Ela, filius eius, regnauit
annis II. Hunc occidit Zamri, seruus eius. Zamri regnauit dies VII. Hunc occi-
dit Amri, princeps militiæ. Amri regnauit XII annis in Samaria. Hic morbo pe-
riit. Achab, filius eius, regnauit annis XXII. Hunc occidit rex Syriæ. Ochozias,
filius eius, regnauit annis II. Hic cecidit per cancellos, & obiit. Joram, frater
Ochoziæ, regnauit annos XVI. Hunc occidit Jehu, seruus patris sui. Jehu regna-
uit annis XXIIX. Hic morbo interiit. Joachaz, filius eius, regnauit annis XVII.
qui morbo periit. Joas, filius eius, regnauit annis XVI. Hic etiam morbo periit.
Jeroboam, filius eius, regnauit annis XLI. Similiter obiit. Zacharias, filius Jero-
boam, regnauit VI. mensibus. Hunc occidit Sellum. Sellum regnauit mense I.
Hunc occidit Manahem. Manahem regnauit X. annis, qui morbo periit. Phaceia,
filius eius, regnauit annis II. Hunc occidit Phacee, dux eius. Phacee regnauit annis
XX. Hunc occidit Osea. Osea regnauit annis IX. Hunc Salmanasar rex cum omni
populo transtulit in Assyrios. In hac captiuitate fuit Tobias. Et sic defecit re-
gnum Israel, quod stetit per annos CCCL. In Macedonia regnauit primus Ca-
¶ De regibus Macedon. ranus annis XXVIII. Cui successit * Perdiccas, tunc * Alexander, deinde * Arche-
laus, filius Perdiccæ. Illi * Amyntas, huic Philippus, illi Alexander Magnus, huic
ῥαψῳδία ista deprauatissima est. Consulatur Syntagma nostrum. Philippus, frater Alexandri, illi Cassander. Stetitque regnum Macedonum per
annos DCC. vsque ad tempora * Ptolemæi Philometoris, & tunc defecit.
Carmenta, mater Latini, qui & Euander, Latinas litteras reperit. Unde dicti
sunt Latini, quorum primus rex Æneas fulmine interiit. Romulus etiam
Romanorum primus fulmine periit. Post quem Tullus similiter periit. In-
** Persei. Nugatur* de * Priscus Tarquinius, quem occiderunt filii Anci. Quinta seculi ætate prima
huius die cœpit exterminium Judaici regni, quod juxta prophetiam Jeremiæ
LXX. annis permansit. Nabuchodonosor apud Babyloniam regnauit XLIIII
Nabuchodonosor. annis. Sibylla VII. Cumæ claruit, & Ezechiel. Iste Nabuchodonosor capti-
uatis duobus tribubus, reliquias Israel, Godolia mortuo, in consummationem
regni tulit de Ægypto. Qui postea cum feris habitans VII. mensibus, prece Da-
nielis in pristinam formam VII. annis pœnitens est restitutus. Anno XIV. post
quam percussa est ciuitas, qui est annus XXV. transmigrationis regis Ioachin,
Ezechiel in visionibus Domini adductus est in Ierusalem, & vidit renouationem
Ser. Tulli⁹ ciuitatis, ac templi ceremoniarumque eius. Romanorum VI. Ser. Tullius re-
gnauit annis XXXIV. qui tres montes vrbi addidit, Quirinalem, Esquilias, Vimi-
nalem, fossasque circum muros duxit, census Romanorum ciuium primus instituit.
Anno

Anno *XXVI.* post euersionem Hierosolymorum, qui est annus *XXXVII.* regis Joachin, subleuauit Euilmerodach, rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin, regis Judæ, de carcere, & posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. Iste Euilmerodach, frater minoris Nabuchodonosor, timens, ne pater reuiuiscens, vt prius à regno eum expelleret, ad consilium Joachin, quem de carcere eleuauerat, cadauer patris sui in *CCC.* partes diuisum *CCC* vultutibus dedit. Iste Euilmerodach regnauit annis *XVIII* Regassar, huius filius, regnauit annis *XL* Septem sapientes claruerunt. Multis auctoritatibus probatur, quia vastata Chaldæi Judæa, non vt Assyrii in Samaria, alios misere colonos, sed desertam reliquere terram, donec ipsi post annos *LXX.* in eam rediere Judæi. Labassardach, frater Regassar, regnauit mensibus *IX.* Habacuc Propheta claruit, & Salatiel, quem Jechonias minor genuit post transmigrationem Babylonis. Balthasar, regnauit annis *XVII.* Hunc Cyrus occidit, & Babyloniam cum Dario, Medorum rege, destruxit, qui Darius Danielem Prophetam sumens ad se, in Mediam duxit & omni eum honore celebrauit. Sub Balthasar liberata est Susanna à calumnia sacerdotum per Danielem, & illi lapidati. Sub eodem Daniel *LXX.* sacerdotes, furtim oblationes Belis comedentes, occidit, Bel & templum eius subuertit, Draconem massa picea, ex adipe & pilis cocta, suffocauit. Propter quod in lacum missus, ab Habacuc, de Judæa in Babylonem translato, visitatus est & liberatus. Iste Balthasar irritam putans Dei pollicitationem, falsumque promissum, versus in gaudium, fecit grande conuiuium, insultans quodammodo spei Judæorum, & vasis templi Domini. Sed statim vltio consecuta est. Persarum primus Cyrus regnauit cum Dario annis *XXX.* Hunc occidit regine * Amazonum. Sibylla *VIII.* claruit. Iste Cyrus occiso Balthasar, regno Babylonis ad Persas translato, primo anno regni sui, excitatus scriptura Esaiæ & Jeremiæ, licentiam dedit Judæis redeundi in Judæam. Cuius tertio anno egressi sunt *L.* millia, hortante Haggæo & Zacharia, sub Jesu & Zorobabel, qui *XXX.* annis Cyri impedientibus finitimis, vix vsque ad appodiationem muros templi ædificauerunt. Romanorum *VII.* Tarquinius regnauit annis *XXX.* Qui caussa Tarquinii, junioris filii sui, qui Lucretiam corruperat, à regno expulsus est. Mira res, quia mirabilis Deus. Eodem tempore Claudia vixit, Vestalis virgo. Pro stupri crimine accusata est. At illa expurgare se dedignata, audacter in vadum Tiberis iuit, nauim ascendit, proram zonula sua ligauit, & ait: Si virgo sum, sequere me: mox nauis contra gurgitem mota, cum ea vrbem ingressa est. Cambyses, Cyri filius, regnauit *VIII.* Hic deuicta Ægypto, cunctam eius religionem abominatus, cærimonias eius ac templa deposuit, Babylonem in Ægypto ædificauit. Hunc aiunt, ab Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Judith historia conscribitur. Hic etiam templum prohibuit ædificari. Hermeides, * Magus, regnauit mensibus *VII.* Jesus, sacerdos magnus, & princeps Judææ, gentis Zerobabel, Haggæus, Zacharias & Malachias, Prophetæ, clarescunt. Pythagoras, physicus Philosophus, clarus habetur. Darius, regnauit annis *XXXVI.* Iste Darius, filius Histaspis, Zorobabel, soluenti parabolam de vino & rege & muliere & veritate, muneribus datis, secundo anno regni concessit templum consummare. Quod *VII.* eius anno consummatum *XXIII.* die mensis *XII.* est dedicatum. Ex quo apparet, opus templi & antea non parua ex parte peractum, annos autem *LXX.* à destructione illius vsque ad perfectam restaurandi licentiam esse computandos. Pulsis vrbe Regibus, qui imperauerunt annis *CCXXIIII.* vix vsque ad *XV.* lapidem Roma tenebat imperium. Romæ post exactos Reges primùm Consules à Bruto esse cœperunt, deinde Tribuni mil. Consulari potestate, ac Dictatores, & rursum Consules rempub obtinuerunt per annos fermè CCCCLXXIV. vsque ad Julium Cæsarem, qui primus singulare arripuit imperium. Xerxes, filius Darii, regnavit annis XX. Ægyptum, quæ à Dario discesserat, capit, & aduersus Græciam pugnaturus DCC. millia armatorum de regno, & CCC. mill. de auxiliis, rostratas etiam

Euilmerodach. Joachin.

Iudaea vastitas.

Habacuc vates.

Daniel.

MONARCHIA II.

¶ De hac syntagma nostrum.

** Massagetarum.*

Tarquinius Superbus.

Nabuchodonosor II.

** Smerdis*

Zorobabel.

Reipub Rom. summi magistratus.

etiam naues M. CC. onerarias autem ter mille numero habuisse narratur. Atta-
men victus in patriam refugit. Herodotus, historiarum scriptor, Zeuxis pictor
agnoscitur. Sibylla IX. Phrygia claruit. Artabanus, regnavit mensibus VII. Socra-
tes nascitur. Artaxerxes, qui & Longimanus, regnauit annis XL. Huius anno
Esdras. VII. prima die mensis primi, Esdras, sacerdos & scriba legis diuinæ, ascendit de
Babylone cum epistolis Regis, & in prima mensis quinti venit in Jerusalem cum
viris M. DCC. & inter alia strenue gesta castigauit filios transmigrationis ab vxo-
Nehemias. ribus alienigenis. Eiusdem anno XX. Nehemias pincerna de Susis castro adue-
niens, murum Jerusalem LII. diebus restituit, & ducatum genti XII. annis præbuit.
Hippocrates Medicus claruit. Plato nascitur. Huc vsque diuina scriptura tem-
porum seriem continet. Quæ verò post hæc apud Judæos sunt gesta, de libro Ma-
chabæorum & Josephi atq; Africani scriptis exhibentur, qui deinceps vniuersam his-
Africanus. storiam vsque ad Romana tempora persecuti sunt. Et quidem Africanus in V.
temporum volumine huius temporis ita meminit: Mansit itaque imperfectum
opus usque ad Nehemiam, & XX. annum regis Artaxerxis, quo tempore regni Per-
sarum CXV. anni fuerunt euoluti, captiuitatis Jerusalem CLXXXV. annus erat.
Et tunc Artaxerxes jussit muros extrui Jerusalem. Cui operi præfuit Nehemias,
& ædificata est platea, & muri circundati. Et ex illo tempore si numerare velis sub-
tiliter, LXX. annorum hebdomadas usque ad X. poteris inuenire. Xerxes, men-
ses II. Post quem Sogdianus regnauit menses VII. Darius, filius Artaxerxis, co-
gnomento Nothus, regnauit annis XIX. Plato claruit. Ægyptus recessit à Persis.
Reuersis de captiuitate Judæis non Reges sed Pontifices præfuerunt, vsque ad Ari-
stobulum, qui cum dignitate Pontificis etiam regale sibi cœpit vsurpare vocá-
bulum. Eliachim, Jesus & Johannes claruerunt.

¶ *De Iudæorum huius temporis politia Syntagma nostrum.*

Esthera. Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, Darii & Paryfatidis filius, regnauit
annis XL. Sub quo Hester historia dinoscitur completa. Ipse quippe est, qui ab
Hebræis Assuerus vocatur. Athenienses XXIV. litteris vti cœperunt, cùm antea
XVI. tantùm litteras haberent. Carthaginensium bellum famosum. Galli Sceno-
Roma à Senonibus capta. nes, duce Brenno, Romam inuaserunt, & excepto Capitolio incensam VI. men-
sibus vastauerunt. Tribuni militares pro Consulibus esse cœperunt. Aristoteles
auditor est Platonis. Sibylla X. Tiburtina claruit. Contigit in vrbe triste prodi-
gium: In medio foro vrbis terra dissiluit, & ignis infernalis erupit. Dixerunt aru-
spices, quòd terra claudi non posset, nisi iuuenis, qui Romæ pretiosissimus esset,
M. Curtius. sponte insiliret. Ubi Marcus, eques Romanus, sedens in equo, sumtis insignibus
suis, insiliit, & terra se clausit. Dicunt quidam, quòd per hoc allectus fuerit, quod
data ei licentia fuerit infra annum faciendi in vrbe quicquid vellet, vt anno ex-
pleto insiliret. Artaxerxes, qui & Ochus, regnauit annis XXVI. Iste Ægyptum
suo imperio junxit, Nectanebi rege in Aethiopiam pulso, in quo Aegyptiorum
** alterum scilicet, quod caperat post Xerxu cadem.* regnum * destructum est. Ochus suggestione Vagosis præfecti, cuius fratrem Be-
lesum Johannes interfecerat, tributa per Esdram dimissa repetiit. Demosthenes
Orator omnium rumore celebratur. Romani Gallos superant. Plato moritur,
post quem Academiam Speusippus tenuit. Arsames, Ochi filius, regnauit annis
Iaddus. IIII. Zenon Stoicus claruit. Judæorum Pontifex maximus, Jaddus, clarus habe-
tur. Cuius frater Manasses templum in monte Garizim constituit. Speusippus
ALEXANDER Magnus. moritur, cui succedit Xenocrates. Alexander, Philippi & Olympiadis filius, XX.
ætatis annum gerens, Macedonibus regnare incipit. Darius, Arsamis filius, Per-
sarum vltimus, regnauit annis VI. Sub hoc regnum Persarum defecit, quod steti
annis CCXXXIII. Alexander aduersum Illyrios & Thracas feliciter dimicans, sub-
uersis Thebis, in Persas arma corripuit, & apud Granicum flumen regiis ducibus
oppressis, vrbem Sardis capit. Idem capta Tyro, Judæam inuadit. A qua fauora-
biliter susceptus Deo victimas immolat, & Pontificem Jaddum honoribus pluri-
mis

mis prosequitur. Andromacho locorum custode dimisso, VII. regni sui anno Alexandriam in Ægypto condidit. Nec mora Babylonem obtinuit, interfecto Dario, cum quo Persarum regnum concidit. Quo tempore etiam Latini à Romanis perdomiti sunt. Alexander Magnus post mortem Darii annos V. regnavit: nam antea VII. Hyrcanos & Mardos capit, reuertensque, in Ammone condidit Parætonium. Idem Indicum vsque Oceanum victoriis potius quàm bellis peruenit. Ac Babylonem reuersus XXXII. vitæ regni autem sui XII. anno vmeni hausto periit. Post quem translato in multos imperio, Ægyptum Ptolemæus, Lagi filius, obtinuit, Macedonas Philippus, qui & Aridæus, frater Alexandri, Syriam & Babylonem & omnia regna Orientis Seleucus, qui & Nicanor, Asiæ Antigonus. In Ægypto primus regnauit Ptolemæus, qui & Soter, Lagi filius annis XL. Ab hoc Ptolemæi vel Lagidæ dicti sunt. Appius Claudius Cæcus Romæ clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit, & viam Appiam strauit. Ptolemæus Hierosolymis & Judæa in ditionem suam dolo redactis, sub simulatione sacrificandi intrans Jerusalem, multos de Judæa & Garizim captiuos in Ægyptum transtulit. Judæorum Pontifex maximus, Onias, Jaddi filius, clarus habetur XII. Ptolemæi anno. Syriæ & Babyloniæ & superioribus locis regnare incipit Seleucus Nicanor. A quo tempore Machabæorum hebræa historia Græcorum supputat regnum. Ab eodem Edessani sua tempora computant. Seleucus Seleuciam, Laodiceam, Antiochiam, Apameam, Edessam, Berrhœam & Pellam vrbes condidit. Judæorum Pontifex maximus religiosissimus ac piissimus, Simon, Oniæ filius, clarus habetur. Post quem Eleazarus suscepit templi ministerium, filio eius Onia paruo admodum derelicto. Seleucus in eas vrbes, quas exstruxerat, Judæos transfert, jus eis ciuium & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens.

Regnum Ptolemæorum, seu Lagidarũ, in Ægypto, ¶

Onias Priscus.

Edessanorum Epoche.

Simon Iustus.

¶ *Familiæ huius historia, qua non tantum apud auctorem nostrum, verùm etiam apud ceteros controuersa est, enodatur Syntagmate nostro.*

Ptolemæus Philadelphus, regnauit annis XXXIIX. Sostratus Cnidius Pharum in Alexandria constructit. Iste Ptolemæus cupidus librorum, consilio Demetrii & Aristeæ solutis CXX. millibus Judæorum, singulis pro CXX. Drachmis argenti, missisque muneribus ad oblationes in templum, LXX. interpretes, ab Eleazaro missos, in Alexandria honorificè susceptt, & post interpretationem, LXX. diebus factam, muneribus honoratos remisit. Aratus agnoscitur. Judæorum Pontificatum post Eleazarum, fratris filium, Manasses accepit. Tantæ autem potentiæ fuisse narratur Ptolemæus iste Philadelphus, vt Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ, eum habuisse peditum CC. mill. equitum XX. mill. curruum II. mill. Elephantos, quos primus adduxit ex Æthiopia, CCCC. Hic Philadelphiam condidit. LXX. interpretes claruerunt. De quibus Beatus Augustinus in libro * de ciuitate Dei dicit, quod singuli in singulis cameris scripserint, & egressi omnes vnum & idem dixerint, nulla verborum diuersitate posita, quæ tamen pronunciatione diuersa idem significare potuissent. Hieronymus tamen dissentire videtur in prologo Geneseos sic dicens: Nescio quis primus auctor LXX. cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, quibus diuisi eadem scriptitarent. Cum Aristeas eiusdem Ptolemæi interpres, & multo pòst tempore Josephus nil tale retulerint, sed in vna Basilica congregatos contuliſſe scribant, non prophetasse. Aliud enim est vatem, aliud est, esse interpretem: ibi spiritus ventura prædicit, hìc eruditio verborum copia ea quæ intelligit, transfert.

Biblica translatio LXX. interpretum.

* *nempe eius operis* 18. *cap.* 42. ¶ *Conuenit autem Iustinus in Apologetico ad gentes, conuenit Tertullianus eridem ad gentes. Et ille quidem domunculorum vestigia se Alexandriæ in Phari arce vidisse affirmat. Addatur præterea, quæ Philo differuit lib.* 2. *de Vita Mosis, Isidorus Etymol. lib.* 6.

Ptolemæus Euergetes, frater * Philadelphi, regnauit annis XXVI. Qui inde Euergetes ab Ægyptiis est vocatus, quia capta Syria & Cilicia, & propemodum vniuersa Asia, inter innumera argenti pondera ac vasa preciosa, quæ cepit, etiam Deos eorum, quos Cambyses capta Ægypto in Persas portauerat, retulit. Judæorum

* *filium.*

Onias II. Pontifex, Onias, Simonis Justi filius, clarus habetur. Cuius item filius, Simon,
Simon II. non minori gloria fulget, sub quo Jesus, filius Sirach, librum sapientiæ, qui Eccle-
siasticus dicitur, vel Panaretos, componens, etiam Simonis in eo mentionem facit.
Isti, Philadelphus & Euergetes, morbo interierunt. Ptolemæus Philopator, filius
** Scopa, idque post mortē Philopatoris, Onias III.* Euergetæ, regnauit annis XVII. Antiochus, rex Syriæ, victo Philopatore * Judæam
sibi sociat. Judæorum Pontifex maximus, Onias, filius Simonis, insignis habetur.
Ad quem Lacedæmoniorum rex Areus legatos mittit. Ptolemæus Epiphanes, re-
gnauit annis XXIV. Onias sacerdos, assumtis Judæorum plurimis, fugit in Ægy-
** Onia III. F. Vide Iosephū Antiq. lib. 12. cap. 6. & lib. 13. ca. 6.* ptum, & à Ptolemæo honorificè susceptus, accepit eam regionem, quæ Heliopoleos
vocatur. Et concedente rege, templum struxit in Ægypto simile templi Judæorum,
Esaiæ prophetiam complens, quod permansit vsque ad Imperium Vespasiani annis
CCL. Sub occasione igitur Oniæ Pontificis infinita examina Judæorum in Ægy-
ptum confugerunt. Eo tempore & Cyrene Judæorum multitudine repleta est. Hæc
autem vel Oniæ vel cæteris causa Ægyptum petendi, quia pugnantibus contra se
Magno Antiocho & ducibus Ptolemæi, posita in medio Judæa in contraria studia
scindebatur, aliis Antiocho, aliis Ptolemæo fauentibus. Ptolemæus Philometor,
Aristobulus Philos. regnauit annis XXXV. Aristobulus, natione Judæus, Peripateticus Philosophus,
agnoscitur, qui ad Philometorem explanationum in Moysen commentarios scri-
Antiochus Epiphanes. psit. Antiohus Epiphanes, qui post Seleucum Philopatorem annis XI. regnauit in
Syria, qui fuerat Romæ obses, Judæorum legem impugnans, omniaque sordibus
idolorum complens, in templo Jouis Olympii idolum constituit. Qui post Ely-
maide turpiter expulsus, contra Jerusalem tendens, confractus, licet serò pœnite-
ret, miserabiliter est mortuus. Verùm Mattathias sacerdos leges patrias vindicat,
Mattathias. aduersus Antiochi Duces arma corripiens. Quo mortuo, Ducatum Judæorum su-
Iudas Machabæus. scepit filius ejus Judas Machabæus anno CXLVI. regni Græcorum, XX. autem Pto-
lemæi, Olympiade CLVI. Qui mox Antiochi duces de Judæa expellens, & tem-
plum ab idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis ciui-
bus reddidit. Quapropter post recessum Oniæ sacerdotis in Ægyptum, de quo su-
pra diximus, & mortem Alcimi, qui effugato Onia Pontificatum indignus inuade-
re tentabat, omnium fauore Judæorum Machabæo sacerdotium decernitur. Quod
Ionathas. post mortem eius frater Jonathas sortitus XIX. annis summa ministrauit industria.
Ptolemæus Euergetes, regnauit annis XXIX. Jonathas, Dux Judæorum & Pontifex
cum Romanis & Spartiatis amicitias facit. Quo à Tryphone interfecto, in sacerdo-
tium frater Simon assumitur anno regni Euergetis VII. Quod annis IIX. strenuissimè
Simon. Ioan. Hyrcanus. regens filio Iohanni reliquit. Hic aduersus Hyrcanos bellum gerens, Hyrcani nomen
accepit, & à Romanis jus amicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos est rela-
tus. Samariàm, quæ nostro tempore Sebaste vocatur, obsidione captam solo coæquat-
vit. Quam postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti appellauit. Pto-
lemæus Physcon, qui & Soter, regnauit annis XVII. Hic pulsus est regno, quia filios
Cicero. fratris occidit. Cicero Arpini nascitur matre Heluia, de regio genere, patre equestris
ordinis ex regio Volscorum genere. Hyrcano in Pontificatum, quem ipse XXVI annis
Aristobulus rex. tenuit, Aristobulus succedit annum I. Qui rex pariter & Pontifex primus apud Iu-
dæos diadematis sumpsit insigne post CCCCLXXXIV. annos Babylonicæ captiuitatis.
Ianneus, cognomento Alexander. Post quem regnauit Ianneus, cognomento Alexander, annis XXVII. qui Pontificatum
quoque administrans crudelissimè ciuibus præfuit. Anno ante vrbem conditam
CCC. Ninus contra alios arma extulit, habuitque duos filios Ninum & Trebatam.
Commentum fabulosum. Ninum de Semiramide, Trebatam ex regina Chaldæorum. Semiramis ducere volens
priuignum Trebatam, persecuta est nolentem, & regno expulit. Abraham Patriar-
¶ Vide supra pag. 46. cha tunc temporis fuit. Trebata sorte venit in Europam vsque Mosellam, & vrbem
constituit, quam Treberim appellauit, quæ prima omnium est in Europa. Post Tre-
batam filius ejus regnauit, patrem vssit, in monte Uram tumulauit, & eum adorari
fecit, & hoc ei epitaphium posuit:

Nin-

Nini Semiramis, quæ tanto coniuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit à patrio priuignum, Trebata, regno,
Profugus insignem qui nostram condidit vrbem,
Treberis huic nomen dans ob factoris amorem,
Quæ caput Europæ cognoscitur anteritate.
Filius huius Hero patris hæc epigrammata pono.

¶ *Memorat idem epitaphium Vrspergensis. Reperias insuper inter Vetustas inscriptiones pag. 486.*

POst Heronem principes & Duces Treberim ampliant & adornant. Catholdus amphitheatrum fecit, & seruus ipsius, qui familiaritatem angulosam cum vxore ipsius habuit, aquam duxit. Qui seruus se aquam in vrbem perducturum jactauit, & domino non credente, qui solus artem nouit, in quadam stultitia promiserunt, vt si dominus amphitheatrum, quod gloriosè fiebat, ad effectum perduceret, antequam aqua ducenda exiliret, seruus caput perderet, & si aqua, priusquam amphitheatrum perficeretur, ebulliret, dominus mori minimè refutaret, omnino incredulus de serui victoria. Sed vxor eius artem occultam, quæ ad ebullitionem pertinebat aquæ, à principe extorserat, & seruum, quem viuere maluit quàm virum, nocte docuerat, jam jamque salientem aquam, quasi jam viro caritura, & seruo liberè fruitura, feruenti desiderio expectabat. Stetit cum muliere Dominus in eminentiori sui palatii loco, expectans & ipse consummationem amphitheatri, quod in continenti debuit consummari. Et ecce aqua subito ebulliens amphitheatrum irrigauit. Dominus hoc videns, statim mulierem arripuit, & eam secum de alto præcipitauit. Trebirenses industria sua subiugauerunt Basileam, Argentinam, Wangiam, Moguntiam, Coloniam, cum Remensibus fœdus inierunt. Quidam Belgio, à quo Gallia Belgica, quæ prius dicebatur Comata, *CCC.* millia in Italiam secum duxit, & Mediolanum, Ariminum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum & Vincentiam condidit, & Illyricos sinus penetrans in Pannonia consedit. Postea alii in Græciam, alii in Macedoniam vadunt Prolemæum regem Macedonum vincunt. A rege Bithynię vocati, regnum cum eo diuiserunt. Ibi habitantes in Asia, regionem Gallogræciam vocant, à quibus Galatæ. Ita Treuirorum ducatus mansit ad tempora Romanorum. Anno quinquagesimo ante natiuitatem Domini Julius Treuerim subegit, & cum ipsis & Gallis Pompeium superauit. Ptolomæus, qui & Alexander, regnauit annis *X.* Huius anno *VII.* Syria in Romanam ditionem secessit, capto Philippo à Gabinio. Hic etiam regno expellitur, quia matrem occidit. Ptolomæus Physcon, qui propter interfectionem nepotum à matre fuerat eiectus, regressus de fuga regnauit secundo annis *VIII.* quia Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris ciues pepulerant. Sylla Athenienses vastat. Ptolomæus Dionysius, regnauit annis *XXX.* Hic sororem Cleopatram in vxorem habuit. Ab huius anno *V.* Alexandra, vxor Alexandri Pontificis, post mortem eius regnauit Judæis *IX.* Ex quo tempore Judæos rerum confusio, & variæ clades oppresserant. Post cuius mortem Aristobulus & Hyrcanus, filii eius, contra se de imperio dimicantes, occasionem præbuere Romanis, vt Judæam inuaderent. Itaque Pompejus Hierosolymam veniens, capta vrbe, & templo reserato, vsque ad sancta sanctorum accessit, Aristobulum vinctum secum abduxit, Pontificatum confirmat Hyrcano. Deinde Antipatrum, Herodis Ascalonitæ filium, procuratorem Palæstinæ fecit. Mansitque in Pontificatu Hyrcanus annis *XXXIV.* Virgilius Mato in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua nascitur, Pompeio & Crasso Consulibus. Pompejus captis Hierosolymis, tributarios Judæos facit Virgilius Cremonæ studiis eruditur. Cæsar Germanos & Gallos capit, & Britannos quoque, quibus ante eum nec nomen Romanorum cognitum fuerat, victos obsidibus acceptis stipendiarios facit. Cleopatra, soror & vxor Ptolomæi, regnauit annis *XXII.* Hæc à serpente, ad mammillas posito, interiit. Orto bello ciuili inter Cæsarem

De Celtica hac historia cõsulatur Cõmentarius noster de Mysis.

σφάλμα

Alexandra

Aristobulus.

Hyrcanus.

Virgilius Poeta.

¶ *Vide Commentarios Cæsaris de bell. Gallico.*

Bellum ci-

mile Cæsarn & Pompeij.

& Pompeium, victus Pompeius Alexandriam petiit, ibique ab ipso, à quo sperabat auxilia, Ptolemæo percussus interiit. Mox Cæsar Alexandriam venit. Ipsi quoque Ptolemæus parare insidias voluit. Unde bello ei illato, victus in Nilo naufragio periit. Cæsar ergo Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, cumque consuetudinem stupri habuit. Cuius regni tertio anno ipse primus Romanorum singulare obtinuit imperium, à quo Cæsares Romanorum principes sunt appellati. Cleopatra regio comitatu vrbem ingressa, regnauit plusquam *XVI.* annis. Et sic regnum Ptolemæorum, vel Lagidarum defecit, quod per annos *CCXXX.* stetit.

¶ De Seleuci familia, qui sint Seleucidæ, enodatius Syntagma nostrum.

In Syria regnauit Seleucus post Alexandrum Magnum. Hunc occidit Ptolomæus Ceraunus. Idem condidit Seleuciam. Post quem Antiochus * Theos, filius eius. Isti successit Seleucus Callinicus. Hunc Ptolomæus Euergetes regno expulit. Isti Ceraunos Seleucus. Post quem Antiochus Magnus, qui fulmine interiit. Post hunc Seleucus Philopator, qui veneno à ducibus occiditur. Isti succedit Antiochus illustris, qui fuerat Romæ obses, qui maximo tormento ventris obiit. Post quem Antiochus Eupator, quem occidit Demetrius, Seleuci filius, idemque post ipsum regnauit. Hunc etiam Alexander filius Antiochi, occidit, & ei in regno successit, quem Ptolemæus Philometor occidit. Post hunc regnauit Demetrius filius Demetrii. Hunc peremit * Mithridates rex. Isti successit Antiochus adolescens, quem Tryphon occidit. Post hunc Antiochus Pius, filius Demetrii, regnauit, qui in Parthia occiditur. Post hunc * filius eius Antiochus, qui de regno fugerat, post quem * frater eius Demetrius Eucærus, qui vicit Alexandrum regem Judæorum. Tandem Antiochus, qui & Dionysius, frater Demetrii. Hunc rex Arabum occidit. Et sic defecit regnum Syriæ, quod stetit per annos *CCLXX.* factaque est Syria Romanis tributaria. Nam Pompeius contra Tigranem, regem Armeniæ, missus Scaurum fecit præsidem Syriæ. Et tunc dissidentibus Aristobulo & Hyrcano, à fautoribus Hyrcani in Jerusalem receptus, templum, in quo se fautores Aristobuli receperant, diripuit. Propter quod nunquam postea locutus fuit: quia equos in porticibus stabulauit. Aristobulum vinctum cum filiis Romam duxit. Post Scaurum præfuit Syriæ Gabinius, post Gabinium Crassus, qui omne ferè aurum templi, quo Pompeius abstinuerat, in sumtum Parthicæ militiæ tulit. Unde auro in os infuso interiit. Post Crassum Pompeius. Temporibus Cassii pugnauit Julius cum Pompeio, & post victoriam habitam tribus annis & mensibus *VII.* tenuit principatum. Nam ante eum sub Consulibus res acta fuit annis *CCCC. LXIV.* & à tempore Romuli sub Regibus *VII. CCXLV.* annnis fuerat imperatum. Quibus exactis, successerunt Consules, quorum principuos hic annotabimus vsque ad Julium Cæsarem.

¶ Vide Iosephum Antiq. lib. 14.

Anno vrbis cõditæ.

CCXLV. primi Consules, Brutus & Tarquinius Collatinus.
CCXLIX. Valerius & Posthumius.
CCLIII. Dictator creatus T. Largius. Hic præfuit Consulibus & communi.
CCLV. Posthumius Dictator Consules T. Ebutius & C. Vetusius.
CCLIX. Consules Appius & Seruilius. Hi cum Volscis, Sabinis & Auruncis pugnauerunt.
CCLXIII. Consules M. Minutius & A. Sempronius. Tum exulare jussus Coriolanus.
CCLXVI. Coss. Sp. Nautius & Rex. Furius. Quo tempore Roma à Volscis & Coriolano obsidetur.
CCLXXI. Fabius & Valerius Consules cum Veientibus pugnauerunt.
CCLXXXIV. Aemilius & Valerius Consules cum Aequis, Volscis & Sabinis.
CCXCIV. C. Claudius & P. Valerius Consules cum exulibus & seruis, qui Capitolium occupant, ingens bellum habuerunt.
CCCIII. Decemuiri pro Consulibus creantur. Hi leges Romanis statuerunt.
CCCXVII. Tribuni militum pro Consulibus creantur.
CCCXIX. Iterum creantur Consules Geganius & Sergius.
CCCXXII. Euincunt Tribuni pl. vt Tribuni mill. Consulari potestate crearentur.
CCCXXIV. Redit summa rei ad Consules, Quintium Cincinnatum & Iulium Mentonem.
CCCXXXVII. Seruilius Dictator fudit Aequos.
CCCLIX. Camillus Dictator Veios capit.
CCCLXIV. Tres Fabii, Legati ad Gallos Senones missi, temerè in eosdem arma capiunt. CCCCXV. Q. Seruilius Hala & C. Fetilius Balbus Coss. Gallos vicerunt.

Anno urbis cõditæ.

CCCCXII. Valerius Coruinus & Cornelius Coſſus Coſſ. Samnites graui bello deuicere.
CCCCXV. T. Manlius Torquatus & P. Decius Coſſ. Quo anno Alexander, Rex Epiri, in Italiam venit.
CCCCLXXI. C. Fabricio & Q. Aemilio Pappo Coſſ. cœpit bellum cum Pyrrho, rege Epiri.
CCCCLXXVII. Q. Fabio Gurgite & Genutio Clepſina Coſſ. peſtilentia grauis Romam ac fines eius inuaſit.
CCCCLXXXV. Sempronius Conſul Picentes vicit.
CCCCLXXXIX. App. Claudius & Q. Fabius Conſules Siculos & Pœnos vicerunt.

¶ *Sequens expoſitionũ farrago nullos annorũ numeros appoſitos habebat Eutrop. 2. Oroſ. 4.*

M. Valerius T. Otacilius Coſſ. cum Hannibale ſeniore, Carthaginenſi imperatore, pugnauerunt. Scipio & C. Aquilius Florus, Conſules, cum Hannone, Carthaginenſe imp. pugnauerunt. Regulus & Manlius Volſo, Conſules, cum Amilcare, Pœnorum imperatore pugnauerunt. Paulus & Fuluius Nobilior, Conſules, cum Carthaginenſibus nauali prælio pugnauerunt, & vicerunt. Metellus & C. Furius Pacillius, Conſules, cum Haſdrubale, Carthaginenſe imp. pugnauerunt & vicerunt. Attilius & Manlius, Conſules, ab Hannibale, filio Amilcaris, imperatore victi ſunt. Scipio & Sempronius, Conſules, ab eodem victi ſunt. Æmilius & Varro Coſſ. victi ad Cannas ab eodem. Scipio, qui poſtea Africanus, Magonem, fratrem Hannibalis, vicit & cepit. Leuinus Conſul Hannonem, Ducem Afrorum, apud Agrigentum cepit. Marcellus, ex Prætore Proconſul deſignatus, Hannibalem primus vicit. Cato Cenſorius, Conſul, Hiſpaniam vicit. Fabius Cunctator, Conſul recepit Tarentum, & ingentes copias Hannibalis cum ipſo duce eius deleuit. Claudius Nero & Liuius Calinator, Conſules, Haſdrubalem cum omni exercitu occiderunt. Lælius Syphacem regem cepit. Scipio Hannibalem & Carthaginenſes vicit, & P. Terentium adduxit. T. Flaminius Procos. Philippum regem Macedonum, bello ſubegit. L. Cenſorinus & Manlius, Conſules, cum Scipione deleuerunt Carthaginem, omni populo occiſo, quæ ſtetit *DCC.* annis. *Carthago deleta.*

Carthago erat muro per XXII. millia paſſuum amplexa, tota fere mari cincta, abſque faucibus quæ III. mill. paſſuum aperiebantur. Is locus murum XXX. pedibus latum habuit, ſaxo quadrato, in altitudine cubitorum XL. Arx, quæ Byrſe nomen habuit, pluſquam II. millia paſſuum tenebat. Capta eſt à Scipione, captiui venditi ſunt. Mulieres habuit plus quam XXV. mille. Regina eius, vxor regis Haſdrubalis, in ignem ſe miſit. Nam ciuitas VI. diebus arſit. Sic vltima in igne periit, ſicut prima ſcilicet Dido. Sic nulla potentia longa. Metellus & deinde Marius, Conſules, Jugurtham regem variis prœliis vicerunt. Sylla, Conſul, Mithridatem, regem Ponti, multis prœliis vicit. Cinna, Conſul, Senatum occidit, & ipſe occiditur. M. Cicero & Antonius, Conſules, Catilinam cum ſuis deleuerunt. Pompeius Magnus in oriente cum XXII. regibus pugnauit, & vicit. Craſſus, Conſul, Parthiam oppugnat, & ibi occiditur. Iulius Cæſar, Conſul, Galliam, Dictator Pompeium Conſulem * cum omni populo Orientis deuicit. Ab hoc Cæſares dicti ſunt. Julius Cæſar primus Monarcha V. annis regnauit. Hic Cyclum magnum compoſuit, & biſſextum adinuenit, per quem totum Computum correxit. Julius IX. annis omnem ferè Galliam domuit inter Alpes & Rhodanum & Rhenum & Oceanum. Domuit etiam Britanniam, ante incarnationem Domini anno L. Biſſextum adinuenit: alioquin in *DC. XXXVI.* annis in diem natiuitatis beati Iohannis Baptiſtæ natiuitas Domini haberetur. Et hoc cauit per obſeruationem biſſexti. Cultris ſenatoriis XXIII. confoſſus eſt in curia Pompeii. Populus dolore ſtimulatus, corpus eius fragmentis tribunalium ac ſubſelliorum cremauit. Ante paucos dies mactato boue, cor in eo non inuentum. Spurina aruſpex dixerat, ſibi cauendas Idus Martias. Veniente eo die, ait Cæſar Spurinæ: Idus Martii venerunt. Ille reſpondit: ſed nondum tranſierunt: eodem die confoſſus eſt. Vir erat miri ingenii, ſtrenuus in bello. Cum Romam & Pompeium obſediſſet, hunc verſum fecit:

Regina Cleopatra.

Annus à Cæſare emendatus. ¶ Legeplutarchum, Suetonii, Macrobiũ &c.

Spurina.

Nugatur.

Te tero, Roma, manu nuda, da te tela, latete.

Dicit ſe in prœliis ſuis cum militibus ſtrauiſſe XXIV. millia hominum & plus.

Nam fecerat, prout potuit, numerari. Eodem tempore Romæ tres simul exorti Soles, paulatim in eundem orbem coierunt. In suburbio Romæ bos ad arantem locutus est, frustra se vrgeri: Non enim frumenta, sed homines breuiter deficerent. *Eutropius lib. 7.* Octauianus Augustus toto tempore pulcher erat. Oculorum acies modo clarissimorum vibrabat syderum. A cuius facie dum quidam miles oculos auerteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret? respondit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Lepidus Triumuir, Octauiani & Antonii collega, Africam tenuit. Antonius, à victoria in Philippis transmarinas prouincias administrauit, & Judæam deuicit. Octauianus, qui postea Augustus, Antonium cum Cleopatra maximo prælio vicit, & totum orbem pacauit. Ab hoc Augusti dicti sunt.

¶ Familia Pontificum, item Asmonæorum & Herodis, hic indigestum exposita, petantur è Syntagmate nostro.

Hi sacerdotes præfuerunt populo Dei sub lege vsque ad Christum. Aaron, Eleazar, Phinees, Abisua, Boca, Ozi, Heli, Achitob, Abimelech, Abiathar, sub Dauid Sadoch, Abdo, Semeias, Iher, Zacharias, Eliezes, Oziel, Joiada, Azarias, Amarias, Achitob, Sadoch, Sellum, Helcias, Azarias, Saraias, Josedech, in transmigratione Babylonis, Jesus sub Cyro, Joachim, Eliasib, Judas, Johannes & frater eius Jesus, Jaddus sub Alexandro Magno, Onias, Simon Justus, Eleazarus, Manasses, Onias, Simon Onias, Jesus vel Jason, Onias vel Menelaus, Alcimus. Judas Machabæus, Jonathas, Simon, Iohannes. Hic erat fundator Hospitalis in Ierusalem. Nam cum duos de Viloculis Dauidis aperuerat dans Antiocho, vt Obsidione Ierusalem recederet, & iuriam populi sedaret, de reliqua pecunia Xenodochia instituit. Aristobulus, Rex & sacerdos, Alexander, qui & Rex, Hyrcanus rex, Aristobulus, Antigonus, qui & Rex sub Herode, sub quo Cassius Iudæa capta, templum spoliauit. Hunc Antonius Triumvir occidit. Virgilius, Horatius & Ouidius claruerunt. Anno XI. Augusti deficiente in Iudæa Pontificum principatu, Herodes à Romanis Iudæorũ susceptit principatum, quem tenuit annis XXXVI. Defecitq; sacerdotium ex stirpe Aaron, quod steterat ab Aaron annis M. DCCVII. Herodes autem Ascalonita, ne ignobilis gente Judæorum argueretur, & suam sobolem illorum generi commisceret, proiecta Doside, duxit Mariammen, filiam Alexandri Regis, quam tamen postea interfecit. Duos quoque filios, Alexandrum & Aristobulum, occidit in Samaria. Ibi innocentes trucidauit, & miserabiliter obiit. Herodes Antipas, sub quo Dominus passus est, & à quo Johannes est decollatus, Tetrarcha est Galilææ factus. Post passionem Domini suasu vxoris Romam tendens, accusatione Herodis Agrippæ Lugdunum in exilium est missus. Herodes Agrippa Jacobum, fratrem Johannis occidit, quem Angelus Domini percussit.

Herodes Ascalonita.

Antipater Ascalonita, Idumæus.

Herodes Ascalonita de matre Arabica. Huius fuere liberi ex vxoribus. *

* Marthaca.	* Mariamme.	* Doside.	* Cleopatra.
Archelaus.	Aristobulus. Alexander.	Antipater.	Philippus. Herodes Antipas.
	Herodes Agrippa.		

Archelaus à patre in regnum substitutitur. Tandem apud Cæsarem ob tyrannidem accusatus, Viennam est relegatus, & procurator Iudææ missus Coponius Cui successit

succeſſit M. Ambiuius, huic Annius Rufus, poſtea Valerius deinde Pontius Pilatus. Iamque terminata eſt V. ætas annorum quingentorum LXXXVII. Sexta ſeculi ætate prima huius die natus eſt CHRISTVS, Dominus noſter. Anno ſiquidem Auguſti Cæſaris XLII. ab orbe condito, ſecundum Oroſium, qui LXX. interpretes ſequitur, quinquies milleſimo C. LXXXIX. ab vrbe condita DCCLI. anno repromiſſionis M. DCCCC. XL. anno decemnouennalis cycli II. Indictione IV. concurrente epacta XI. cùm ſumma pax per totum mundum clareſceret, Ieſus Chriſtus, filius DEI viui, natus de Maria ſemper virgine, ſextam mundi ætatem ſuo conſecrauit aduentu. Maria autem filia Ioachim & Annæ fuit. Defuncto Ioachim, Cleophas, frater Ioſeph, eandem Annam duxit, & fratri ſuo Ioſeph Mariam deſponſauit. Mortuo Cleopha, Salome Annam accepit. Habuitque Anna tres filias de tribus viris, & quælibet ipſarum Maria nomen accepit. Genuerunt autem inferius annotatos.



¶ Potuerem de hac genealogia ſententiam ducimus, quam ſequitur Gamerarius de Vita Chriſti pag. 41. & ſeq.

Puer Ieſus octauo die circumciditur, XIII. die à Magis adoratur, annorum XII. in templo diſputat. Et ipſe incipiens quaſi annorum XXX. à Iohanne baptizatur, à Sathana tentatur, duodecim Apoſtolos elegit, Petro ligandi atque ſoluendi Pontificium tradidit, ipſe autem anno XIIX. imperii Tiberii menſe Martio die paraſceues circa horam nonam clamans in cruce voce magna, emiſit Spiritum, & ſua paſſione perditum redemit mundum. Surgens autem mane prima ſabbathi, ſcilicet tertia die poſt paſſionem ſuam, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, & illa cæteris nunciauit. Die autem quadrageſima reſurrectionis, recumbentibus XL. diſcipulis eius (nam Iudas traditor abierat in locum ſuum) apparuit illis, & miſit eos in vniuerſum mundum prædicare Euangelium omni creaturæ. Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumtus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei, inde venturus judicare viuos & mortuos. Sic Dominus noſter Ieſus Chriſtus primus ſummus Pontifex, rex & ſacerdos ſedit in hoc mundo annis XXXII. & menſibus tribus. Erat enim incipiens in Baptiſmo quaſi annorum XXX. ſicut dictum eſt, id eſt XXX. annum inceperat, XIII. diebus eiusdem anni peractis: quia eodem die, reuoluto anno, conuertit aquas in vinum. Inſequenti Paſcha incarceratus eſt Iohannes, & in alio Paſcha ſequenti decollatus, & in tertio Paſcha crucifixus eſt Dominus. Et ita vixit XXXII. annis integris, & de XXXIII. anno quantum duxit à natali vſque ad Paſcha, quod pro anno dimidio computatur. Qui in diebus carnis ſuæ factus eſt pro nobis obœdiens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & DEUS illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei

¶ Vide eandem de Vita Chriſti hiſtoriã pag. 59. & ſeq.

¶ De Pontificibus Rom. Pontificia ἐξήγησις. †

est Dei patris. Petrus Apostolus, & princeps Apostolorum, filius Iohannis, provinciæ Galilææ vico Bethsaida, frater Andreæ, primùm sedit Antiochiæ annos VII. Post ingressus Romam, pugnaturus contra Simonem Magum, vt dicit Hieronymus, 11. Claudii anno, in Episcopali cathedra sedit annis XXV. Ordinauit autem Episcopos III. Linum, Cletum & Clementem, Presbyteros X. Diaconos VII. Hic III. Calend. Iulii cum Paulo martyrio coronatur, qui Paulus XXV. post passionem Domini anno, videlicet 11. Neronis, Romam vinctus venerat, & biennio in libera manens custodia, contra Iudæos de Christo cotidie disputârat. Ultimo autem Neronis anno, scilicet XIV. martyrium compleuerunt. Sicque Romana Ecclesia prima sedes est; quia Petrus & Paulus, Apostolorum principes, eam suo martyrio cæteris omnibus prætulerunt. Secunda Alexandrina, quia Beati Petri nomine, & à Beato Marco, eius discipulo & Euangelista, est consecrata. Tertia Antiochena: quia Petrus antequam Romam veniret, illic habitauit, & Ignatium Episcopum constituit, & illic primùm nomen Christianorum nouellæ gentis coepit.

Ecclesia Rom. ἐκκλησία.

† *Sunt autem de argumento isto, tralatitio inquam, & Getires & recentes historia in medio. Nondum tamen Anastasium Bibliothecarium videre nobis contigit. Citatur etiam à Lazio Martino Polytero de Imperatoribus & Pontificibus Chronicon, quod in Othonibus desinat, nondum quod sciam, impressum. Qui volet, addat ea insuper, quæ habet Methodus nostra legendi Historiam.*

Linus primus, natione Italus, patre Herculiano, sedit annis XI. mensib. tribus, diebus XII. temporibus Neronis. Hic constituit, vt mulier velato capite intret in Ecclesiam pro diuinis audiendis. IX Calend Octob. martyrio coronatur. Cletus primus, natione Thuscus, patre Æmiliano, sedit annis XII. mense I. diebus XI. temporibus Vespasiani & Titi. Hic ex præcepto Beati Petri XXV. Presbyteros ordinauit. VI. Calend. Maij martyrio coronatur. Linus & Cletus nihil potestatis fecerunt, sed omnia ex præcepto B. Petri. Clemens primus, natione Romanus, patre Faustino, de Cælio monte, sedit annis IX. mensibus II. diebus X. temporibus Domitiani, Neruæ & Traiani. Hic fecit VII. regna diuidi notariis Ecclesiæ, qui gesta martyrum scriberent, vnusquisque in sua regione. Hic quamuis à Beato Petro esset electus, tamen coegit Linum & Cletum ante se pontificari. Et ita est primus post Petrum, tertius verò per gradum: IIX. Calend. Decemb. martyrio coronatur. Papatus cessauit diebus XX. De Lino & Cleto, & ordine & tempore Pontificum Romanorum, diuersa diuersorum est assertio. Quidam scribunt, quibus & Ecclesiastica consentire videtur historia, Linum post passionem Petri sedem Rom. suscepisse regendam, & post XII. sui regiminis annos, secundo Titi anno Pontificatum Anacleto reliquisse, & hunc item post XII. Clementi sedem tradidisse, quæ videntur anno Domitiani XII. contigisse, ipsumque Clementem post IX. huius Pontificatus annos sub Traiano passum, & Euaristum quarto eiusdem Traiani anno successisse. Huic Alexandrum, huic Sixtum, & sic cæteros. Alii verò scribunt, Linum & Cletum sub Petro fuisse, vnum post alium, & hoc ex præcepto Petri, vt ipse liberius prædicationi vacaret. Et Petrum eo anno, quo passus est, scilicet XIV. Neronis anno, Clementi sedem commisisse: quo passo sub Domitiano, Anacletum successisse, cui Euaristum, huic Alexandrum & cæteros. Igitur si Linus Anacletum, isque Clementem habuit successorem, Cletus omninò de Pontificum catalogo excluditur, cuius veneratio tam celebris est, vt in Letaniis, martyrologiis, imò etiam Canone recitetur. Si verò post Linum Cletus, hunc Clemens inde Euaristus & Alexander numerentur, vbi erit Anacletus? cùm Beda aliique hunc quartum post Petrum sedisse, & sub Domitiano passum, vt primus sit Linus II. Cletus III. Clemens IV. Anacletus. Sed si post Clementem Anacletus ponatur, & secundum Bedam sub Domitiano passus reperiatur, necessariò illud refellitur, quòd antè antecessor eius Clemens sub Traiano passus dicitur, cùm euidenter sub Domitiano passum esse, probetur, si successor eius Anacletus ab eodem occisus non negetur. Adhuc argumentandum: quòd si Linus & Cletus secundum quos

Autor exeutit discrepantes de Petri successoribus sententias.

dam siue Linus, & Anacletus, secundum alios, vterque post passionem Petri, quæ XIV. Neronis anno facta est, per XII. annos tenuit Pontificatum: quod spatium per XXIV. annos in Domitiani XII. protenditur annum, Clemens ab ipso Petro claues, à Domino sibi datas, nullatenus accepisse probatur, vt quidam affirmant. Præterea Dionysius Areopagita, Pauli Apostoli discipulus; & primus Athenarum Episcopus, cùm audiret Petrum & Paulum Romæ teneri, accelerauit ad ipsos, desiderans, cum ipsis occumbere. Veniens autem inuenit eos martyrio coronatos, & Clementem discipulum suum Rom. sedi præsidentem, qui & illum in Gallias prædicare direxit. Et quis credet, cùm ad tanti desiderii festinantiam annos XXIV. expendisse? Adhuc cum Dionysius XCVI. anno gratiæ, qui est XIIII. Domitiani passus scribatur, Clemens, qui eum direxit, XII. eiusdem principis anno sedem accepisse dicatur secundum superioris descriptionis opinionem, mirum videtur, qualiter in tam paruo spacio Dionysius hæc omnia compleuisset; scilicet vt de Roma in Gallias veniret, & tam ceruicosum populum ignotus adhuc, & advena, fidei jugo substerneret, basilicam construeret, aliaque plura, quæ de eo leguntur; sacerdotum super his commotorum relatio Romam recurreret, & præfectus inde missus in Galliam, Dionysium decollaret. Legiturque Alexander V. esse à Petro; quod esse non potest, nisi Clemens à Petro II. numeretur. Sed omnes periti temporum hos magis æstimant imitandos, qui Linum, & Cletum dicunt fuisse sub Petro, & hos sub Petro Chori Episcopos extitisse, Clementem verò, tradente Petro, jure legitimo successisse, & ideò ipsum primum Papam meritò appellatum. Huc vsque de his. In sequentibus verò eadem causa pro successionis ordine, & temporum serie, parit erroris cumulum. Qui pro similitudine nominum, paris * inditorum, inoleuisse creditur, ob incuriam & vitium scriptorum. Fabianus Papa legitur sub Decio passus. Post quem Cornelius, itemque post eum in catalogo Pontificum, & in quibusdam etiam Chronicis, inueniuntur positi, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionysius. Cùm ergò Fabianus sub Decio passus legatur, Sixtus quoque sub quo Laurentius Archidiaconatum tenuit, sub eodem passus prædicetur, Decius verò non amplius quàm XXX. mensibus, à quibusdam etiam minus; id est vno anno & tribus mensibus, regnasse dicatur, si inter Cornelium, Fabiani successorem, & hunc Sixtum Lucius & Stephanus ponantur, vt quibusdam placet; consequentia rerum stare non potest, cùm hic sub Decio, illi sub Valeriano & Galieno passi fuisse legantur, & Cornelium tribus annis, Lucium mensibus IIX. Stephanum autem duobus Romanæ sedi dicat Ecclesiastica historia præfuisse. Unde satis intelligi potest, vitio scriptorum pro similitudine nominum ordinem esse confusum, & Cornelio successisse Sixtum, & huic Dionysium, illi Lucium, huic verò Stephanum, cui Sixtum, deinde Dionysium, sicque per ordinem reliquos. Sunt itaque in Chronicis scriptorum negligentia vel imperitia plurima non solùm in his, sed & in aliis deprauata, & maximè in litteris numerorum, in quibus facilè à diligentibus delinquitur, quantò magis à non attendentibus, cùm aut littera pro littera ponitur, vel aliqua subducitur, additur aut mutatur. Sed nos pro nostro modulo Chronicorum, quæ habere potuimus, exemplaria percurrentes, tempora Pontificum Romanorum in his Chronicis primò posuimus, deinde seriem Imperatorum Romanorum, propositum habentes, vt vsque ad nostra tempora, videlicet ad Gregorium Papam IX. & Imperatorem Fridericum huius nominis II. rerum ordinem perducamus. Nec quemquam moueat, quòd aliquando ordo successionis Pontificum in textu videtur ab hac serie discrepare, cùm planè constet, tam vitio scriptorum, quàm diuersitate exemplarium hanc maculam contigisse. Si cui displicet, ipse prospiciat & emendet. Anacletus primus, natione Atheniensis, patre Antiocho, sedit annis IX. mensibus II. temporibus Domitiani. Hic titulos in vrbe Roma diuisit Presbyteris, & VII. Diaconos ordinauit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stylum veritatis. Constituit etiam,

Legenda Dionysii Areopagita.

Alia de Cornelij Papa successoribus disputatio.

Fons antilogiarum historicarum.

¶ Sic Isidorus: Nec Historicos, nec commentarios; Varia dicentes, imperitè condemnare debemus: quia antiquitas ipsa creauit errorem. Cantio. Constitutio Papalis.

vt Clericus nec barbam nec comam nutriat, & fecit memoriam B Petri. Euaristus primus, natione Græcus, patre Judæo, Juda de Bethlehem. Sedit annis IX. M. X. D. II. temporibus Domitiani & Neruæ. Alexander primus, natione Romanus, patre Alexandro, temporibus Traiani & Adriani. Sedit annis X. M. VII. D. II. Hic primus benedixit aquam & salem, & addidit in Missa: Qui pridie quam pateretur. Sixtus primus, natione Romanus, patre pastore, sedit annis X. M. II. D. I. temporibus Adriani. Hic constituit in Missa: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus &c. Obiit Martyr IV. Non. April Telesphorus, natione Græcus, patre Anachorita, temporibus Adriani, sedit annis XI. M. III. D. XXII. Hic constituit, vt quinquagesima fieret ante Pascha, & vt in natali Domini tres Missæ dicerentur cum Gloria in excelsis Deo, & inter primam horam & tertiam. 4. Non. Januarij obiit Martyr. Eugenius primus, natione Græcus, patre Philosopho de Athenis, sedit annis IV. M. III. D. IX. tempore Antonini Pij. Hic Clerum composuit, & gradus distribuit. Tertio Idus Januarij migrauit à seculo. Pius primus, natione Italus, patre Rufino, frater pastoris, sedit annis IIX. M. IV. D. XXI. temporibus Antonini Pii. Huic ab Angelo nunciatur, vt resurrectio Domini die Dominica celebretur, Obiit V. Idus Julii. Anicetus primus, natione Syrus, patre Johanne, de vico Umisa, sedit annis XII. M. III. D. III. Hic constituit, vt Episcopus non ordinetur quam à tribus Episcopis consecretur, & Metropolitanus ab omnibus Suffraganeis. Præcepit etiam, ne coma nutriretur. XV. Calend. Maij martyrio coronatur. Soter primus, de ciuitate Fundis, patre Concordio, sedit annis IX. M. VI. D. XI. temporibus Antonini Philos. Hic constituit, vt Monacha velum portet. Obiit X. Calend. Maij. Eleutherus primus, natione Græcus, patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annis XV. M. III. D. II. temporibus Antonini & Commodi. Hic constituit, ne proditoris vox, nec calumnia audiatur. Hic etiam constituit, vt omnia vasa altaris essent vitrea. Hic fecit regem Britanniæ Christianum IIX. Calend. Junij obiit. Victor primus, natione Afer, patre Felice, sedit annis X. M. II. D. X. temporibus Commodi. Hic constituit, vt incerta nullatenus judicentur, nisi manifestis indiciis comprobentur. Scripsit etiam quædam opuscula de per quæstione Paschæ. Calend. Aug. Martyr obiit. Zephyrinus, natione Romanus, patre Abundio, sedit annis XIIX. M. VII. D. X. temporibus Seueri. Hic percepit occulta alieni cordis non temerè judicare, & vt ordinationes Presbyterorum & Leuitarum multis fidelibus coram astantibus fierent. Calixtus primus, natione Romanus, patre Domitio de Rauenna, sedit annis XV. M. II. D. X. coronatur. Urbanus primus, natione Romanus patre Pontiano, sedit annis IX. M. X. D. XII temporibus Alexandri. Hic constituit, vt omnia vasa altaris essent aurea vel argentea, vel saltem stannea, & vt prædia & res quæcunque, à fidelibus Dei Ecclesiis traditæ, semper in potestate & dispensione diocesium maneant. Hic etiam Valerianum Cæciliæ & multos alios conuertit. XIV. Calend. Junij martyrio coronatur.

aquæ & salis superstitiosa cõsecratio.

O impudẽtem fingẽdi licentiam. Clerus.

Inauguratio Episcopi & Metropol. Vid. Meth. noſtr. Hiſtorica.

¶ De occultis nõ judicat Ecclesia. Jeiunia quatuor tẽporum. ¶

¶ Perſii eſt; Dicite Pontifices, in templis quid facit aurum?
Quin ſuperis juſtos mores, caſtosque dicamus.

Pontianus primus, natione Romanus, patre Abundio, sedit annis IX. M. V. D. temporibus Alexandri & Maximini. Hic Constantinopolitanam * Synodum constituit, & sacerdotes à reliquis sacerdotibus arguendos, nec à sceleratis aut inimicis accusandos. Hic fuit deportatus in exilium in insulam Sardiniam, & fustibus maceratus III. Calend. Novemb. Papatus cessavit diebus X. Antheros primus, natione Græcus, patre Romulo, sedit annis XII. M. I. D. XII. temporibus Maximini. Hic constituit, vt Episcopi de sede in sedem possent transferri, & gesta Martyrum diligenter inquisivit, & conscribi fecit. III. Non. Januarij martyrio coronatur.

Gesta Martyrum.

Fabr

Fabianus primus, natione Romanus, patre Fabiano, sedit annis XIII. M.I. D XI temporibus Maximini & Gordiani. Hic VII. Diaconos in vrbe Româ in VII. regiones ipsius vrbis distribuit ad suum officium peragendum, VII. Diaconos ordinauit, qui notariis immінerent,& gesta martyrum veraciter colligerent. Et constituit, vt singulis annis in Cœna Domini nouum chrisma ab Episcopo consecretur XIIII. Calend. Febr. martyrio coronatur. Cornelius primus, natione Romanus, patre Castino, sedit annis II. M. II. D. III. Hic ideo, quia epistolam à B. Cypriano, Carthaginense Episcopo, acceperat, jussu Decii decollatur III. Non. Maii. Hic rogatus à quadam matrona Lucina, corpora Apostolorum Petri & Pauli, de Catacumbis noctu leuauit, & Pauli posuit ad latus, vbi decollatus est in prædio prædictæ matronæ, Petri autem juxta locum, vbi crucifixus est, III. Calend. Julii. Lucius primus, natione Romanus, patre Porphyrio, sedit annis III. M. III. D. III. temporibus Valeriani. Hic constituit, vt duo Presbyteri & tres Diaconi semper sint cum Episcopo. II. Non. Martii martyrio coronatur. Stephanus primus, natione Romanus, patre Jobia, sedit annis VII. M. V. D. II. temporibus Valeriani. Hic constituit, vt vestes sacræ ad cotidianos vsus non haberentur. IV. Non. Aug. martyrio coronatur. Sixtus secundus, natione Græcus, patre Philosopho, sedit anno I. M. X. D. XXIII. temporibus Valeriani. Hic constituit, vt Missa celebraretur super altare. IIX. Idus Aug. ipse, & IV. Laurentius, eius Archidiaconus, martyrio coronantur. Dionysius primus, patre Monacho, sedit annis VI. M IV. D. II. temporibus Valeriani. Hic Presbyteris Romæ parochias dedit singulas singulis, & ipsas parochias & cœmeteria ipsis diuisit, ita quòd vnusquisque suis terminis sit contentus. Felix primus, natione Romanus, patre Constantio, sedit annis IV M III. D. XXV. temporibus Valeriani. Hic constituit super memorias Martyrum Missas celebrari. III. Cal. Junii à seculo migrauit. Eutychianus primus, natione Thuscus de ciuitate Luna, patre Marino, sedit anno I. M. I. D. I. temporibus Gallieni & Claudii. Hic constituit, vt gentes vuas, fabas & fruges comederent in quadragesima & in aliis jeiuniis, & CCC. & XLIII. Martyres sepeliuit. IIX. Cal. Aug. martyrio coronatur. Caius primus, natione Dalmaticus, ex genere Diocletiani, patre Caio, sedit annis XI. M. IV. D XII. temporibus Diocletiani. Cuius persecutionem fugiens, IX. annis habitauit in cryptis. Hic constituit ordines Clericorum, scilicet ostiarium, lectorem, exorcistam & reliquos X. Cal. Maij martyrio coronatur.

Chrisma Papale.

¶ *Cypriani ad Cornelium epistola aliquot, non una, etiã nũ extant.*

Laurentij Martyr.

Fabula.

¶ *Ista scilicet in latebrũ de vita periclitanti cura esse potuere.*

Marcellinus primus, natione Romanus, patre Proiecto, sedit annis IX. M. IV. D XXV. temporibus Diocletiani & Maximiani Huius tempore tanta fuit persecutio, vt infra XXX. dies XVII. millia hominum per diuersa loca martyrio coronarentur. Tunc & ipse Marcellinus compulsus Dæmonibus sacrificauit. Sed postea Synodo congregata in ciuitate Campaniæ, coram C. & LXXX. Episcopis dignè pœnituit, à Diocletiano capite truncatus VI. Calend. Maij. Et propter nimiam persecutionem cessauit Episcopatus VII. annis M. V. diebus XXV. Marcellus primus, natione Romanus, patre Benedicto, sedit annis *V.* M. *VII.* D. XXI. temporibus Maxentij & Maximini. Hic constituit XX*V.* Cardinalitates in vrbe Rom. propter baptismum & hominum sepulturas. *XVII.* Calend. Februarii, inedia maceratus in carcere à Maxentio, martyrio coronatur. Eusebius primus, natione Græcus, patre Medico, sedit annis *VI. M. I. D. III.* temporibus Constantini. Sub isto crux Christi inuenta est ab Helena. *VI.* Non. Octobris migrauit à seculo. Melchiades Africanus, sedit annis *IV. M. VII. D. VIII.* temporibus Constantini. Hic prohibuit jeiunari die Dominica *IV.* Idus Decembris obiit. Syluester primus, natione Romanus, patre Rufino, sedit annis XXIII. M. X. D. XI. temporibus Constantini. Eius præcepto facta est Synodus in Nicæa Bithyniæ cum CCC. X*VIII.* Episcopis, & damnatus est Arius, & Sabellius, eorumq; sequaces. Cui Beatus Nicolaus, Myrensis Episcopus, interfuisse dicitur. Hic constituit, vt puer de fonte leuatus statim chrismate liniretur propter subitaneum

Cardinalatus primordia.

¶ *Vide Virgilium Polydorũ.*

neum transitum mortis,& ut Diaconi Dalmaticis in Ecclesiis vterentur. Hic etiam Constantinum baptizauit. II. Calend. Jan obiit.

¶ *Miscet vera falsis, Consulantur auctores historiæ Ecclesiasticæ.*

Ostiensis Episcopi prærogatiua.

Marcus primus, natione Romanus, patre Prisco,sedit annis II. mensib. IIX. diebus XX. temporibus Constantini & Constantis. Hic præcepit, vt Ostiensis Episcopus,qui consecrat Papam,pallio vteretur. II.Idus Octob.obiit. Julius primus natione Romanus,patre Rustico,sedit annis XVI. M.II. D. VI. temporibus Constantini hæretici. Hic X. menses in exilio degens, post mortem Constantini reuersus est. Hic etiam Romæ cum C. & XVI. Episcopis Synodum habuit. II.Idus Aptil.migrauit à seculo. Liberius primus, natione Romanus, patre Augusto, sedit annis XVI. M. VII. D. III. temporibus Constantii & Juliani. Hic Arianæ hæresi consensit, scilicet Constantio hæretico, & per ipsum in sedem Romanam reductus est. Exilium enim passus fuerat III.annis. Hic constituit, coniugium à sacerdote benedici. Huic nomina quatuor coronatorum infra Missarum solennia reuelata sunt.

Συνάναυσις Papalis.

IIX.Calend. Maii obiit. Felix secundus,natione Romanus, sedit anno I.M.III.D.II. temporibus Juliani. Hic constituit, vt cùm Episcopus accusatus fuerit, ad concilium venire debeat. Hic etiam declarauit Constantium, filium Constantini, esse hæreticum & rebaptizauit. Unde capite truncatus ab ipso in ciuitate III.Idus Novembr. martyrio coronatur. Dicitur,quòd istum Papam fecerint hærerici,expulso Liberio. Damasus primus, natione Hispanus, patre Antonino, sedit annis XIIX. M.III. D.XI. temporibus Valentiniani. Hic constituit, vt Gloria Patri cum Psalmis diceretur. Cum isto ordinatur in contentione Ursicinus, sed facto Concilio sacerdotum,constitutus est Damasus. Hunc Concordius & Calixtus Diaconi accusant de adulterio, & facta synodo, à XLIV. Episcopis expurgatur, & accusatores à concilio damnantur, & de vrbe eiiciuntur. Hic præcepit, vt Psalmi in Ecclesia die noctuque canerentur. II. Decemb.obiit. Syricius primus, natione Romanus, patre Tiburtio, sedit annis XV. M. XII. D. XXV. temporibus Theodosii. Hic synodum secundam metropolitanam celebrauit cum CCC.& L. Episcopis IIX. Calend. Maii obiit. Anastasius primus, natione Romanus, patre Maximo, sedit annis III. M. X. D.X. temporibus Arcadii. Innocentius I. natione Albanus, patre Innocentio, sedit annis XV. M.II. D.XXI. temporibus Arcadii. Hic constituit, vt carens aliquo membro,Clericus fieri non posset. Zosimus primus,natione Græcus, patre Abromio,sedit anno I.M. III.diebus XI.temporibus Honorii.Hic constituit benedicere cereum in sancto sabbatho. VII Calend. Jan.migrauit à seculo. Bonifacius primus, natione Romanus, patre Jucundo, sedit annis *III. M.IIX. D.VII.* temporibus Valentiniani. Hic in contentione vna die cum Eulalio ordinatur, & fuit illa dissensio in Clero mensib. *VII.* & diebus *XV.* Eulalius ordinatur in Ecclesia *Constantina, Bonifacius in basilica. Placidia autem Augusta Rauennæ residens cum filio suo Valentiniano, audiens hoc, quod Romæ factum fuerat, Honorio Augusto, Mediolani sedenti,notificauit. Unde vterque, missâ imperiali auctoritate,ambos de vrbe expelli jusserunt. Sed postea Eulalius omninò expulsus est, & in Campaniam missus, ideo quia sabbatho ordinatus fuerat in basilica Constantina contra edictum Imperatorum, & Bonifacius reuocatus. Hic prohibuit, ne seruus aut colonariæ obligatus Clericus fieret. *IIX.* Cal. Decemb. obiit.

Eulalius antipapa.

* *à Constantino Magno condita & nuncupata: alio nomine Lateranensis, vt Chronicon Bergomense pag.208.*

Cœlestinus primus, natione Romanus,patre Prisco,sedit annis *VIII.M.X D.XI.* temporibus Theodosii. Hic constituit, quod Judica me Dominus ante sacrificium cantaretur. *IIX.* Idus April. obiit. Sixtus tertius, natione Romanus, sedit annis *IIX. M. VII. D. XIX* temporibus Theodosii. Hic à quodam Basso accusatus est de adulterio. Unde Valentinianus Augustus cum magna examinatione audiuit expurgationem eius, & Bassus à *LXI.* Episcopis est condemnatus. Hic constituit, vt nullus Clericus in parochia alterius ordinari præsumat. Leo primus, natione Thuscus,

Bassus Presbyter sycophãta.

Thuscus, patre Quintiano, sedit annis *XXI. M. I. D. XIII.* temporibus Martiani. Hic constituit tertiam Synodum Chalcedonensem, & CC. de imaginibus Idolorum destruxit. *III.* Idus April. obiit. *Synodus Chalcedonensis.*

¶ *Hanc Theodosius II. & Valentinianus III. indixere.*

Hilarius primus, natione Sardus, sedit annis *VI. M. III. D. X.* temporibus Leonis. Hic constituit, vt nullus Pontifex successorem sibi constituat. Simplicius primus, sedit annis *XV.* mensibus *V. D. VII.* Felix tertius, natione Romanus, patre presbytero, sedit annis *VIII. M. XI. D. XVIII.* temporibus Zenonis & Anastasii. Hic fuit vsque ad tempora Thiderici regis * Huius temporibus Glycerius Imp. quia eo tempore Episcopatus ex parte maxima precio plus quàm meritò contingebant, edidum inde constituit, dicens: Hoc mansura in æuum lege sancimus, vt quisquis ad Episcopatum potenter, prauorum auxilio suffragante, peruenerit, seculariter potideat, quæ seculariter fuerat consecutus, & finitis vnius anni meris, nouerit se Episcopatu esse priuandum. Hi verò, qui talem consecrauerint, pari sorte de sacerdotio deiecti, similes pœnas temerariæ sortis exoluant. Ciues quoque vnius cuiusque vrbis, quos ad acclamationes ambientium non personæ dignitas, quæ appetenda est, sed venalitas plectenda sollicitat, sciant se patriæ, cui tàm malè consulunt, habitatione pellendos, ac suis facultatibus eruendos, fiscoque nostro permissos. Hic constituit ecclesias ab Episcopis consecrari. Gelasius primus, natione Afer, patre Valeriano, sedit annis *IIII. M. VIII. D. XIX.* temporibus Thiderici regis, & Zenonis Augusti. Hic addidit in Missa: Verè dignus & justus est, & hymnos composuit. *XI.* Calend. Decemb. obiit. Anastasius secundus, natione Romanus, patre Petro, sedit anno *I. M. XII. D. XXII.* temporibus Thiderici regis. Hic constituit, vt nullus clericus prætermitteret officium propter rancorem, exepta Missa *XIIII.* Calend Decemb. obiit. Symmachus primus, natione Sardus, patre Fortunato, sedit annis *XV. M. VII. D. XXVII.* temporibus Thiderici regis & Anastasii Augusti. Hic præcepit cantari, Gloria in excelsis Deo, in solennitate sanctorum, quod ante non fiebat. Hic & Laurentius in contentione vno die sunt ordinati, Symmachus in Lateranis, Laurentius in ecclesia Beatæ Mariæ. Rauennam veniunt ad Regis judicium, & Symmachus regis Thiderici de Verona judicio in eadem reductus est, & firmatus: quia maiorem habuit numerum Clericorum. Laurentius Nuceriæ Episcopus constituitur. Symmachus *IV.* anno ordinationis suæ per inuidiam de crimine adulterii & aliis multis apud Regem accusatur, & ad hoc falsis testibus impulsatur. Laurentius reuocatur, & chrisma in vrbe conseratur, & iterum populus est diuisus. Tunc Petrus, Altinæ vrbis Episcopus, à Rege Romam mittitur sedis Apostolicæ visitator. Inter hæc cædes & homicidia committuntur. Solus Faustus Consul ex parte Symmachi & Ecclesiæ repugnabat. Symmachus regis Thiderici de Verona consensu Synodum congregauit cum *C.* & *XXI.* Episcopis. Et quia nihil aduersus eum probari potuit, ipsum ab istis liberum esse vnanimiter judicârunt, & Laurentium & Petrum Episcopum, tanquam Romanæ sedis inuasores, condemnauerunt. Hic constituit, vt decedente Romano Pontifice, si in electione certamē emerserit, vincat sententia plurimorum. *XIIII.* Calend. Aug. obiit. Hormisda primus, natione Campanus, patre Justo, sedit annis *VIII. D. XIV.* temporibus Thiderici regis & Anastasii Augusti. Hic reconciliauit Græcos, qui erant excommunicati propter Petrum, Alexandrinum Episcopum. Consensu regis Thiderici legatos direxit in Græciam, datis epistolis contra hæreticos, Anastasio Augusto impediente causam: quia ipse Eutychianus erat, ita Papæ scribens: Jubere nos volumus, non nobis juberi. Et statim fulmine periit. Hic etiam constituit Clerum & psalmos erudiuit. Johannes primus, natione Thuscus, patre Constantino, sedit annis *II. M. VIII. D. XVI.* temporibus Thiderici & Justini. Hic Constantinopolin venit Justino patrocinante, & Arianorum Ecclesias Catholicas consecrauit. Sed Thidericus, quoniam ipse erat hæreticus, omnem Italiam gladio & igne perdere festina-

* *Ostgothorū scilicet in Italia, qui sulgo Theodorici Veronensis & auctor paulò post. Lex de ambitu Clericorū.*

Theodorici rex, diceptator schismatis Papalis.

Decretum de suffragiis in Pontifice creando.

Imperator exlex.

Theodoricus R. Arrianus.

ſtinabat, quia Johannes Papa Arianorum Eccleſias ibidem conſecrari præcepit, & duos viros, Conſules Catholicos, Symmachum & Boëthium, inter reditum Papæ tenuit, & occidit. Ipſum verò Pontificem reuerſum in cuſtodia Rauennæ detinuit, in qua duriter afflictus, tandem defunctus eſt *XV.* Cal. Jan. Sed *XCVIII.* die poſt tranſitum prædicti Papæ, ipſe Thidericus hæreticus fulmine, vel ſubitanea morte periit. Felix quartus, natione Samius, patre Caſtorio, ſedit annis *III. M. II. D. XII.* Athalarico regnante. Hic juſſu regis Thiderici ſine contentione ordinatus eſt *IIII.* Idus Octob. obiit. Bonifacius ſecundus, natione Rom. patre Figulo, ſedit annis duob. *M. IIII. D. VII.* temporibus Athalarici hæretici, & Juſtini Auguſti. Hic congregata Synodo decretum fecit, vt ſibi ſucceſſorem deberet eligere, & hoc decretum ſcripto & juramento muniuit. Quod quia contra Canones erat, iterum congregata Synodo, caſſauit decreto, & prius decretum igne combuſſit. Huius tempore Carthaginenſis Eccleſia ad ſedem Romanam rediit, quæ per Aurelium, eiusdem Eccleſiæ Epiſcopum, inſtinctu Diaboli temporibus Bonifacii & Cœleſtini ab ipſa receſſerat. *XVI.* Calend. Nouembr. obiit. Johannes ſecundus, natione Romanus, ſedit annis *II. M. IV. D. VI.* temporibus Athalarici & Juſtiniani Aug. Hic damnauit Anthemium, Epiſcopum Arianum. *VI.* Calend. Jun. obiit. Agapetus primus, natione Romanus, patre Gordiano, ſedit annis *XI. D. XIX.* Hic Conſtantinopolin miſſus eſt ad Imperatorem Juſtinianum à Theodato rege, cui indignatus erat, quod Amalatwintam, filiam Thiderici regis, ſibi commendatam occiderat, quem Imperator honorificè ſuſcepit. Ipſe verò eius ciuitatis Epiſcopum Anthemium, qui in Chriſto duas negabat voluntates, à communione fidelium ſuſpendit, & in exilium trudi juſſit, Menna catholico ſubiugato. Deinde ibidem defunctus eſt *X.* Calend. Maii. Syluerius primus, natione Campanus, patre Hormiſda, qui fuerat Papa, ſedit anno vno *M. V. D. XI.* Hic ſine deliberatione decreti à Theodato tyranno conſtitutus eſt metuque & vi ordinatur. Hic Anthemium hæreticum, licet multis pulſatus precibus à Theodora Auguſta, reſtituere noluit. Vnde ipſa indignata, Beliſario patricio præcepit, vt quacunque occaſione Syluerium deponeret, & Vigilium Archidiaconum, qui Anthemium reuocari promiſerat, ſubiugaret. Quod & doloſe factum eſt. Nam per Vigilium Archidiac. in Pontum relegatus eſt, cum Beliſarius diceret, cum Gothis velle tradere vrbem, & ibidem deficiens *XII.* Cal. Julii obiit. Reſcripſit tamen, & tales deceptores anathematizauit, & Vigilio, jam Papæ conſtituto, epiſtolam in ſuam damnationem miſit, dicens ei ſublatum munus, & miniſterium ſacerdotale, Spiritus ſancti ſubtracio. Vigilius primus, natione Romanus, patre Johanne Conſule, ſedit annis *VII. M. VI. D. XXV.* temporibus Juſtiniani. Quem dum Theodora Auguſta ſollicitauit, vt ad ſe veniret, & Anthemium, ſicut promiſerat, reuocaret, reſpondit: nunquam ei conſentire, vt hominem hæreticum, à ſanctiſſimo Agapeto & Syluerio damnatum, reuocaret. Hac occaſione accepta, Romani, quia Syluerius eius conſilio eſſet depoſitus, apud Auguſtam accuſauerunt eum, quòd duos intercepiſſet. Et Auguſta Scribonam Romam miſit, qui Vigilium cepit, & in naui poſitum Conſtantinopolin duxit. Ibi Auguſtus & Auguſta biennio cautionem manus ſuæ oſtendentes, ei de Anthemio reuocato fortiter inſtiterunt, fruſtra tamen. Et tandem colaphiſatus, quia non Juſtinianum & Theodoram, ſed Diocletianum & Lytheriam * ſe inueniſſe dixerat, reſpondit: facite vt vultis, meritò hoc patior. Et cùm funi ad collum ligato traheretur, Clerici fugerunt. Poſtea rogatu Romanorum remittitur Vigilius, ſed rediens in Syracuſis dolore calculi moritur. Pelagius primus, natione Romanus, patre Johanne vicario, ſedit annis *XI. M. X. D. XIX.* temporibus Juſtiniani. Hic conſtituit, vt hæretici vel ſchiſmatici per ſecolares poteſtates comprimerentur. Cui cùm obiiceretur à Romanis, quòd in morte Vigilii ſe immiſcuerit, ipſe accepto libro Euangeliorum & cruce, in eccleſia beati Petri juramento ſatisfecit. Obiit *II.* Idus Julii. Johannes tertius, natione Romanus, patre

Decretum antiquatũ.

Theodatus rex.

Theodora Auguſta μυχανορ. ſapia.

Pœna talionis.

Animad. Gerſio in hæreticos.

patre Anastasio, sedit annis *XII. M IX. D. III.* Hic cœmiteria & basilicas Sanctorum restaurauit. Benedictus primus, natione Romanus, patre Bonifacio, sedit annis *III M. III. D X.* Sub isto inuaserunt Lombardi totam Italiam. Pelagius secundus, natione Romanus, patre Gundolfo, sedit annis *X. M. II. D. XX.* temporibus Justiniani. Hic ordinatus est absque Principis jussione, eo quòd Longobardi obsederant ciuitatem Romanam Eo tempore pluuiæ erant maximæ & clades inauditæ. Hic orientalibus scripsit Episcopis, ne superbiæ Johannis, Episcopi Constantinopolitani, consentirent, qui se vniuersalem Episcopum scripsit, & synodum generalem conuocauit. Hic nouem præfationes tantummodo præcepit in sacro Catalogo recipiendas, scilicet de Pascha, de Ascensione, de Pentecoste, de natiuitate Domini, de Epiphania, de Apostolis, de sancta Trinitate, de sancta cruce, de Quadragesima. Obiit *VII.* Idus Februarii. Sedes cessauit Mensibus *III. D. XXV.* Gregorius primus, natione Romanus, patre Gordiano, sedit annis *XIII. M VI. D X.* temporibus Mauricii & Phocæ. Hic fecit *XL* homelias, exposuit Job & Ezechielem, composuit dialogum & pastoralem curam & alia opera catholica infinita. Constituit, vt feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine aut velamine veletur, & hoc ideo, quia idem tegmen pro sanctitatis veneratione scindendo partiebantur. Hic adauxit in canone, Diesque nostros. Hic jussit, vt supra corpus B. Petri missa celebraretur, & in ecclesia B. Pauli eadem fecit. Hic Anglos conuertit. *IV.* Idus Martii obiit. Sabinianus primus, natione Thuscus, patre Bono, sedit anno *I. M. V. D. IIX.* Obiit *VIII* Cal. Mar. Paparus vacauit mensibus *VI. D. XXVI.* Bonifacius tertius, natione Romanus, patre Johanne, sedit annis *VI. M. VIII. D. XXII.* Hic obtinuit apud Phocam principem, vt sicut ecclesia Romana omnium ecclesiarum caput est, ita etiam Constantinopolitanæ, quæ se omnium ecclesiarum primam jactabat. Hic constituit, vt viuente Episcopo nullus de successore agat. Sedes vacauit mensibus *VII.* dieb. XX. Bonifacius quartus, natione Marsus, patre Johanne Medico, sedit annis VI. mensib. VIII. dieb. XV. Hic obtinuit Pantheon à Phoca, Cæsare Romano, Ecclesiæ Christi donati. Obiit X. Calend. Junii. Deusdedit primus, natione Romanus, patre Stephano Subdiacono, sedit annis tribus M I. D. XIII. Hic Clerum multum dilexit & leprosum osculo sanauit. Vacauit sedes M. I. D XIII. Bonifacius quintus, natione Campanus, sedit annis V. M. X. Hic constituit, fures Ecclesiarum esse anathematizandos. Obiit VIII. Cal. Nouemb. Sedes vacauit mens. VI. Honorius primus, natione Campanus, patre Patronio Consule, sedit annis XII. M. XI. D. XVIII. Hic constituit, vt omni sabbatho ad sanctum Petrum procederent letaniæ. Obiit Idib. Octobr. Seuerinus primus, natione Romanus, patre Abieno, sedit anno I M. IV. D XX Obiit IV. Idus Octob. Johannes quartus, natione Dalmaticus, patre Venantio, Scholastico, sedit anno I. M. VIII. D. XIIX. Hic cum thesauris ecclesiæ multos captiuos redemit. Obiit III. Idus Octob. Theodorus primus, natione Græcus, patre Theodoro Episcopo ex ciuitate Jerusalem, sedit annis VI. M. V. D. XIIII. Obiit IV. Idus Maii. Martinus primus, de ciuitate Tudertina, sedit annis VI. M. I. D. XXVI. Hic quia noluit hæreticis consentire, in exilio vitam finiuit XV. Calend. Octob. Spatarius Ospippi * Ducis missus eum occidere, cœcus factus est. Eugenius primus, natione Romanus, patre Rufiniano, sedit annis II. M. IX. D. XX. III. Obiit IV. Non. Jun. Vitellianus primus, natione Signensis, patre Anastasio, sedit annis XIV. M. VI. D XII. Hic cantum Romanorum composuit, & dulcisono organo concordauit. Obiit VIII. Idus Febr. Adeodatus primus, natione Romanus, patre Jouiniano, sedit annis IV. M. II. dieb. V. Hic dum quendam oscularetur leprosum, statim cæcus fuit. Obiit IIX. Idus Junii. Donus primus, natione Romanus, patre Mauricio, sedit anno I. M. V. D. X. Post huius electionem Augusto mense apparuit stella valde præfulgida in oriente. Oriebatur autem assiduè in galli cantu apparens vsque manè, & hoc per tres menses. Et mors secuta est plurium hominum. Hu-

Longobardi.

Nouæ præfationes.

πολυγεφυρία.

Anglorum Christianissimus.

Primatus papæ.

Pantheon.

Pœna sacrilegii.

Supplicationes Petrinæ.

** Olympii.*

Organa Musica.

Cometa.

jus

Ecclesia Rauennas ἀλλοιοκεφαλὶς.

jus tempore Ecclesia Rauennas ad Ecclesiam Romanam rediit, quæ se antea contra eam erexerat. Obiit III. Idus Julii. Bonifacius quartus, natione Romanus, sedit annis IV. M. V. D. VI. Hic fecit locum ante S. Petrum, qui dicitur Paradisus. Agathon primus, natione Siculus, sedit annis II. M. V. D. IV. Huius legati Macarium, Antiochenum Patriarcham hereticum, deposuerunt, negantem duas esse naturas & duas voluntates in Christo. Obtinuit etiam apud Constantinum & Heraclium & Tiberium, vt remitteretur quantitas, quæ dabatur pro Romani Pontificis electione facienda. Obiit IV. Idus Januarij. Vacauit sedes annis V. mens. VI. Leo secundus, natione Siculus, patre Paulo, sedit annis II. M. IX. Hic fuit eloquentissimus in Græca & Latina lingua. Hic constituit, vt Archiepiscopus pro vsu pallii & aliis officiis nil persoluat. Obiit V. Non. Julii. Sedes vacauit M. II. Benedictus secundus, natione Romanus, patre Johanne, sedit annis X. D. XII. Hic suscepit præceptum Constantini, datum Clero & omni populo, vt electus Romanus Pontifex continuò consecretur. Obiit IIX. Idus Maij. Johannes quintus, natione Syrus, patre Cyriaco, sedit anno I. diebus IIX. Obiit IV. Non. Augusti. Conon primus, natione Romanus, patre Traceseo sedit mensib. IX. dieb. IX. Hic electus est in contentione, sed hæc tandem sopita est. Obiit Calend. Octob. Sedes vacauit mense I. dieb. XIIX. Sergius primus, natione Syrus, patre Tiberio, sedit annis XIII. mensib. III. dieb. XXXIII. Hic iterum in contentione electus est, sed tandem facta est concordia. Hic in sacrario B. Petri reperit capsam argenteam veterem, & in ea lignum S. crucis diuersis gemmis adornatum. Hic statuit Agnus Dei in Missa cantari. Obiit VI. Idus Septemb. Sedes vacavit M. I Dieb XX. Leo tertius, natione Romanus, sedit annis II. mensib. IX. Hic per Patricium factus est Papa. Johannes sextus, natione Græcus, patre Platone, sedit annis III. mens. II. dieb. XV. Papatus cessauit Mens. I. dieb XXIII. Johannes septimus, natione Græcus, sedit annis II. Mensib. VI. dieb. XVII. Obiit XV. Calend. Nouemb. Sedes vacauit mensibus IV. Sisinnius primus, natione Syrus, patre Johanne, sedit annis XX. Obiit repentina morte. Sedes vacauit mensibus II. Constantinus primus, natione Syrus, patre Johanne, sedit ann. VII. D. XV. Obiit VI. Idus April. Sedes vacauit D. XL. Gregorius secundus, natione Romanus, patre Marcello, sedit annis XVI. mensib. IX. dieb. XI. Hic per Bonifacium Episcopum gentem Germanorum ad Christum conuertit. Obiit III. Idus Februarii. Gregorius tertius, natione Syrus, patre Johanne, sedit annis X. mensibus IIX. dieb. XX. Hic addidit in secunda. Quorum solennitas. Sedes vacauit dieb. IIX. Zacharias primus, natione Græcus, patre Polyconio, sedit annis X. mensibus III. dieb. XIV. Hic fratrem Pipini, qui erat Rex, fecit fieri Monachum in Cassino. Huius tempore Karolus tyrannus, qui multa mala fecit Episcopis, obiit. De cuius sepulchro serpens exiuit, & corpus non est inuentum. Præsens erat B. Bonifacius, quem Papa Zacharias fecit primum Archiepiscopum Moguntinum, cùm antea tam Moguntina quàm Coloniensis Ecclesia subiectæ fuerint Wormatiensi. Quare autem Wormat. ecclesia tali priuata fuerit dignitate, à memoria hominum est elapsum. Dicitur tamen, illud ob quoddam valde enorme factum illius Ecclesiæ Archepiscopi contigisse. Stephanus secundus, natione Romanus, patre Constantino, sedit annis V. dieb. XXIII. Post obitum Zachariæ Papæ quidam presbyter à cuncto populo electus est, & in Patriarchio intronizatus. Qui post biduum subitò alienatus, & die sequenti defunctus est. Quo defuncto, iste eligitur. Hic postulauit auxilium Pipini, regis Franciæ, contra Aistulfum, regem Lombardorum. Et Karlomannus licet Monachus suasione Aistulphi hoc impedire voluit, sed frustra: quia in Francia in monasterio à fratre locatus vitam finiuit. Obiit VI. Calend. Maij. Paulus primus, natione Romanus, patre Constantio, sedit annis X. mense I. Contra hunc Theophylactus Archidiaconus est electus, sed validior pars istum obtinuit. Hic constituit, vt processio fieret circa fontem in septimana Paschæ & Pentecostes. Constantinus secundus, natione

¶ Hunc alii non nominant.

** Pogonatum.*

Tributum Papale.

Pallii Archiepisc. gratuitus vsus.

Schisma Papale.

Agnus Dei cantio.

¶ Et hic ab aliis omittitur.

Germanorum Christianismus.

Carolus Tyrannus.

¶ Simile quiddã de Cleomene Spartano tradidit Plutarchus.

Wormatiensis ecclesia in ordinem redacta.

Franci protectores Papæ.

Theophylactus Antipapa.

tione Romanus, ſedit anno I. menſ. I. laicus, & à laicis electus. Stephanus III. natione Siculus, patre Oliuio, ſedit annis III. Menſ. V. dieb. XXVII. Paulo mortuo, Conſtantinus laicus à germanis fratribus & aliis fautoribus ſuis inthronizatus eſt, & in Patriarchium introductus. Ibi vna die fit Clericus, alia Subdiaconus & Diaconus, & proxima Dominica cum multitudine armatorum in Eccleſia B. Petri à Gregorio Prænestino & Albanense & Portuense in Pontificem conſecratur, & per annum & menſem hac inuaſione Romanam ſedem detinuit. Tunc enim Lombardi vno de fratribus ſuis interemto, capiunt Conſtantinum, qui Stephano Papæ jam electo prę- ſentatus, deponitur, capitur, cæcatur, & in platea miſere relinquitur. Adrianus primus, natione Romanus, patre Theodoro, ſedit annis XXIII. menſib. XXVII. Sub iſto confirmatus eſt Willehadus, & Freſiam conuertit. Hic Carolum Magnum vocauit contra inſolentias Deſiderii, regis Lombardorum. Obiit VII. Cal. Jan. Leo quartus, natione Romanus, patre Azippio, ſedit annis XX. menſibus V. dieb. XVI. Hic elegantiſſimus in ſermonibus fecit collectam hanc: Deus cuius dextera &c. Carolum coronauit, imperium tranſtulit ad Francos. Hic conſtituit tres dies rogationum. Obiit II. Idus Junii. Papatus ceſſauit III. diebus. Stephanus quartus, natione Romanus, patre Marino, ſedit menſibus XX. Sub iſto Willericus eſt confirmatus. Paſchalis primus, natione Romanus, patre Bonoſo, ſedit annis VII. menſib. V. diebus XIII. Eugenius ſecundus, natione Romanus, ſedit annis IV. menſib. XXIII. diebus VII. Hic cæcatus eſt à Romanis. Valentinus primus, natione Romanus, patre Leontio, ſedit dieb. XL. Gregorius quartus, natione Romanus, patre Johanne, ſedit annis XXI. Iſte vocabatur Os porci, vnde adhuc Papæ propria mutant nomina. Sub iſto Anſcharius accepit pallium. Sergius ſecundus, natione Romanus, patre Sergio, ſedit annis III. Huius temporibus Simoniaca hæreſis valde frequens fuit. Leo quintus, natione Romanus, ſedit annis VIII. menſibus VI. dieb. III Huius temporibus Baſiliſcus in quibuſdam cauernis Romæ ortus eſt, ſed precibus Papæ fugatus octaua Aſſumptionis. Obiit XVI. Calend. Auguſti. Papatus ceſſauit menſibus II. diebus XII.

Schiſma Papale.

Willehadus Freſiorum Euangeliſta.

Carolus Magnus Imp.

Willericus.

ἀντονομασία Papalis.

Baſiliſcus.

¶ *Chronicon Martini Poloni hic inſeruit Iohann IIX. Papiſſam. Fertur enim fœmina fuiſſe, patria tamen incerta. De eadem Mantuanus in Alfonſo lib. 3 Qua alii contra diſputant, in medio ſunt, nec pertinere iſta enucleatio ad inſtitutum noſtrum cudebatur.*

Benedictus tertius, natione Romanus, patre Petro, ſedit annis II. menſib. VI. diebus X. temporibus Lodewici & Lotharii. Papatus ceſſauit diebus XV. Paulus ſecundus, natione Romanus, ſedit annis X. menſibus II. Sedes vacauit anno. Stephanus quartus, natione Romanus, ſedit annis X. menſibus II. Nicolaus primus, natione Romanus, patre Theodoro, ſedit annis IX. menſibus II. dieb. XX. Hic conſtituit, vt poſt mortem Papæ Cardinales conueniant ad eligendum vel Romanos vel alterius gentis. Hic conſtituit, Epiſcopos propter ægritudinem non eſſe abjiciendos. Adrianus ſecundus, natione Romanus, patre Carolo, Epiſcopo, ſedit annis IV. menſibus XI. D. X. temporibus Lodewici. Johannes octauus * ſedit ann. X. M. II. Huius temporibus Saraceni per Italiam diſcurrentes Eccleſiam B. Benedicti incenderunt. Martinus ſecundus, natione Romanus, ſedit anno. menſib. IV. Hic conſtituit, vt qui Paganum propter odium occideret, tanquam reus homicidii puniretur. Obiit Idib. Nouembr. Adrianus tertius, natione Romanus, patre Benedicto, ſedit anno menſib. IV. Hic conſtituit, ne Imperator intromitteret ſe de electione Papæ. Stephanus quintus, natione Romanus, ſedit annis VI. Hic Hermannum, Colonienſem Archiepiſcopum, & Adalgarium Bremenſem, de Bremenſi Eccleſia contendentes, Wormatiam ad ſynodum venire juſſit, & ibi Fulconi, Rhemenſi Archiepiſcopo, vice ſua commiſſa, cauſam ipſorum examinari mandauit. Formoſus primus, Portuenſis Epiſcopus, ſedit annis V. menſ. VI. Quidam Romanorum Sergium, Diaconum Romanæ Eccleſiæ, in Papam elegerant, & pars non infima Formoſum, Portuenſem Epiſcopum, quia religioſus erat, in Papam elegit, & Sergium cum iniuria de

Cardinales.

* *alii IX.*

Hæc eſt fides.

¶ *Hi ambo ab aliis non memorantur.*

Albertus Marchio Thusciæ.

vrbe expulit. Sergius descendit in Thusciam pro Alberti, potentissimi Marchionis auxilio. Quod & factum est. Nam & Formoso defuncto is, qui post eum constitutus est, per Albertum expellitur, & Sergius constituitur. Qui constitutus, Formosum extra sepulchrum extrahi, & in sede Romani Pontificatus sacerdotalibus vestibus indutum decollari præcepit. Cui & ait: Cùm Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam Ecclesiam vsurpasti? Postea sacris exutum vestibus, & tribus digitis abscissis, in Tiberim jactari præcepit, & quos ipse ordinauerat depositos iterum ordinauit. Sed malè egit. Formosus autem inuentus à piscatoribus in B. Petri Ecclesiam deportatus est, & quædam imagines hoc in loco positum venerabiliter salutant.

¶ De hac historia alii variant

¶

¶ δεῖ ὅσια πράττειν καὶ ὑφημα λέγειν.

Bonifacius septimus, natione Thuscus, sedit dieb. XV. Stephanus sextus, natione Romanus, sedit anno I. mensibus IV. Romanus primus, natione Romanus, sedit mensibus III. diebus XII. Theodorus secundus, sedit diebus XX. Johannes nonus, natione Romanus, sedit annis II. diebus XV. Hic pugnauit cum Romanis. Benedictus quartus, natione Romanus, sedit mensibus VII. Hic electus de Papatu, factus est Monachus. Leo sextus, sedit diebus LX. Christophorus natione Romanus, sedit mensibus VII. Hic electus de Papatu factus est Monachus. Sergius tertius, natione Romanus, patre Benedicto, sedit annis VII. mensibus III. diebus XVI. Ab isto Hoierus, Archiepiscopus Bremensis, recepit pallium. Anastasius tertius, natione nescio quis, sedit annis II. diebus III. Landodo, primus, natione Romanus, sedit mensibus VI.

E Papa Monachus.

Hoierus, Archiepisc. Brem.

¶ Pontificum hac in parte historia perturbatior est. Nobis pro re nata tantum nomina collegisse fuit. Nam expositiones ipsa petes alsunde possunt.

Johannes decimus, natione Romanus, sedit annis X III. mensibus III. diebus III. Hic fuit filius Sergii Papæ, & Episcopus Rauennas, qui inuasor Ecclesiæ & omni populo depositus est. Ab isto Unni, Archiepisc. Brem. recepit pallium. Leo septimus, natione Romanus, sedit annis VII. diebus III. Ab isto recepit Adaldagus Archiepiscopus Bremensis, pallium. Stephanus septimus, natione Romanus, sedit annis IIX. mensibus II. Martinus tertius, natione Romanus, sedit annis III. mensib. *VI.* dieb. *XIIII.*

Vnni. Adaldagus.

¶ Quæ dehinc sequitur nominum series, apud alios discrepat. Eam explicationem consulto emendare.

Agapetus secundus, natione Romanus, sedit annis *XII.* Johannes undecimus, natione Campanus, patre Alberico, principe Romanorum, sedit annis *II.* Benedictus quintus, natione Alamanius, sedit mens. *II.* diebus *III.* Leo octauus, sedit annis *II.* mens. *IV.* Johannes duodecimus, natione Græcus, sedit annis *VII.* mensibus *IV.* Hic fuit à Petro præfecto captus, & in castello S. Angeli incarceratus. Benedictus sextus, sedit anno *I.* mens. *V.* Hic captus à Sinthio Stephani in nocte natalis Domini strangulatur in castello S. Angeli. Dionysius secundus, sedit anno *I.* mensibus *VI.* Bonifacius octauus, sedit mense *I.* Benedictus septimus, natione Romanus, sedit annis *XI.* mensib. *VI.* Johannes decimus tertius, sedit mensibus *III.* Johannes decimus quartus, natione Romanus, sedit mensibus *IV.* Johannes decimus quintus, natione Romanus, sedit annis *VII.* mensibus *VI.* Hic fuit in artibus crudelis. Gregorius quintus, natione Saxonicus, sedit mensibus *II.* Johannes decimus sextus, sedit mensibus *X.* Syluester secundus, natione Romanus, sedit annis *II.* mensibus *I.* Iste fuit Gilbertus, qui Christum negauerat, sed grauiter pœnituit. Sepulchrum eius in Ecclesia sancti Saluatoris in meridionali latere est de marmore albo. Johannes decimus septimus, sedit annis *V.* Johannes decimus octauus, sedit mensibus *VIII.* naribus *XXV.* Sergius quartus, sedit annis *II.* mensib. *II.* Benedictus VIII. natione Tusculanus, patre Gregorio, sedit annis XIV. Hic fuit electus de Paparu, & tactus est Papa alius, vnde maximum fuit schisma. Johannes XIX. natione Romanus, patre Gregorio, sedit annis IX. Iste electus est, & Benedictus restitutus. Iterum Benedicto electo, datus est Papatus Johanni, Archipresbytero S. Johannis ante portam Lat. Syluestro

Papa Magn.

Syluester tertius, sedit diebus LVI. Alexander secundus. Gregorius sextus, sedit annis II. Hic cum rege Hinrico habuit bellum. Mortuo Gregorio apud Salernum, Desiderius * ei substituitur. Desiderio Urbanus, Urbano Paschalis, qui omnes Imperatorem Hinricum cum suo Papa Wicberto, qui & Clemens, excommunicauerunt. Nam schisma hoc stetit. XXV. annis.

* *qui & Victor III. Locus est deprauatus: pertinent enim hæc ad Gregorii VII. historiam.*

Clemens secundus, sedit mens. IX. Hic fuit inuasor Ecclesiæ. Damasus secundus sedit mense vno dieb. III. Leo nonus, natione Alemanus, sedit annis V. mens. II. Victor secundus, natione Alemanus, sedit annis II. mens. III. diebus XIII. Hic timore imperiali factus est Papa. Stephanus octauus, sedit mensibus IX. Benedictus nonus, sedit mensibus IX. Ab isto receperunt pallium Hermannus Albertus & Bezelinus, Archiepiscopi Bremenses. Nicolaus secundus, natione Burgundus, sedit annis IX. mens. VI. diebus XXI. Contra hunc Papam pugnauit Cadolus. Alexander secundus, natione Mediolan. sedit annis XI. mensibus VI, diebus XXVI. Gregorius septimus, sedit annis XII. mense I. diebus *IV*. Hic captus est à Centio in nocte natalis Domini. *Victor* tertius, sedit annis II. d. III. Urbanus secundus, sedit annis XIIX. dieb. *IV*. Huius tempore Dux Beamundus recuperauit Christianis sepulchrum Domini. Sedes vacauit diebus *XV*. Paschalis secundus, sedit annis XIIX. mensib. *V*. Hic cum Hinrico habuit bellum. Ipse captus fuit cum tota curia sua. Gelasius secundus, sedit annis *V*. mens. *III*. D. *III*. Calixtus secundus, sedit annis *V*. mens. *X*. D *XIII*. Honorius secundus, sedit ann *V*. M. *II*. D. *IIX*. Innocentius secundus, natione transtiberinus, sedit annis *XIII*. M. *VI*. D. *IIX*. Hic celebrauit Synodum in Ecclesia Lateranis in basilica S. Saluatoris. Luderum * coronauit. Cœlestinus secundus, sedit mens. *V*. D. *XIII*. Lucius secundus, natione Beneuentanus, sedit M. *IX*. Eugenius tertius, natione Pisanus, sedit annis *VII*. mensibus *IV*. D. XX. Huius tempore Senatus renouatur in vrbe Roma. Ab isto Hartuuicus maior, Archiepisc. Bremen. recepit pallium. Anastasius quartus, natione Romanus, sedit anno *I*. mensib. *II*. diebus *IV*. Adrianus quartus, natione Anglicus, sedit annis * mensibus *II*. diebus *IIX*. Alexander tertius, natione Thuscus, sedit annis *XXII*. Huius tempore maxima fuit fames & maximum schisma per XX. annos, tribus contra eum electis, vno post alium. Lucius tertius, sedit annis quatuor mensibus *II*. diebus *XV*. Hic consecrauit Hartuuicum Bremensium Archiepiscopum juniorem. Urbanus tertius, natione Lombardus, sedit anno *I*. mense *I*. dieb. XX. Hujus tempore Jerusalem capitur à Sarracenis. Gregorius octauus, sedit mense *I*. *D*. *XXV*. Hic apud Pisas obiit. Clemens tertius, natione Romanus, patre Johanne, sedit annis *VI*. mensibus *IIX*. Cœlestinus tertius, natione Romanus, patre Petro, sedit annis *X*. mensib. *VII*. dieb. *XIIX*. Iste vigilia Paschæ consecratus, Hinricum Imperatorem die postera coronauit. Innocentius tertius, natione Campanus, patre Transmundo, sedit annis *XIIX*. mensib. *VII*. Mense vero Januarii die *IIX*. electus est apud Septizonium. Hic erat, sicut eius opera testantur, in omnibus gloriosus. Fulgent enim eius splendida facta in vrbe pariter & in orbe. Fecit enim inter cætera hospitale S. Spiritus, renouauit ecclesiam S. Sixti, composuit decretales, sermones, librum de misera conditione humani generis & alia multa gloriosa. Anno vero *XIIX*. Pontificatus huius, qui ab incarnatione *M CC. XV*. est, celebrata est sancta & vniuersalis Synodus Romæ in Ecclesia Saluatoris, quæ Constantina vocatur, mense Nouembri. In qua fuerunt Episcopi *CCCC*. & *XII*. inter quos fuerunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus & Hierosolymitanus: Antiochenus autem graui languore detentus venire non potuit, sed misit pro se vicarium Anthedonensem Episcopum. Alexandrinus verò sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se germanum suum. Primates autem & Metropolitani *LXXI*. Cæterum Abbates, Priores & Presbyteri vltra DCC. Archiepiscoporum verò & Episcoporum, Abbatum, Priorum & Capitulorum absen-

Archiepiscopi aliquot Brē.

Bellum sacrum.

* *Vulgò Lotharium Saxon.*

Hartuicus maior, Archiepisc. Brem.

Hartuicus minor.

Papa Σραστήριος.

Concilium Lateranense.

sentium non est certus numerus comprehensus. Legatorum verò Ottonis IV. Imperatoris, tunc excommunicati, Friderici regis Siciliæ, in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, regis Franciæ, regis Angliæ, regis Hierosolymitani, regis Cypri, regis Arragonum, nec non aliorum Principum & magnatum, ciuitatum etiam, aliorumque locorum ingens affuit multitudo. Eodem anno obiit Innocentius apud Perusium *XIII.* Calend. Aug. Hic regulam & vitam B. Francisci approbauit. Honorius tertius, natione Romanus, apud Perusium electus, sedit annis *X. M. VII.* diebus *XXIII.* Iste apud S. Laurentium extra murum, Petrum Imp. Byzant. trum, Altisiodorensem Comitem, in Imperatorem Constantinopol. coronauit. Hic etiam Ecclesiam S. Laurentii extra muros & basilicam, quæ dicitur Sancta Sanctorum, renouauit, & sermones composuit, decretales nouissimas compilauit. Eodem Mors Othonis III. Cæs. isto obiit Otto, Romanorum Imperator, ineffabili contritione compunctus, & absolutus ab Hildensemensi Episcopo Sifrido sub idoneo testimonio. Hanc absolutionem Honorius Papa roborauit, ideoque Fridericum, Romanorum electum Imperatorem, consecrauit Augustum. Hic non erat multum perspicacis ingenii, sed eminentis litteraturæ, sed ecclesia Dei sub ipso in competenter bono statu floruit. Gregorius *IX.* natione Campanus, de Agnania natus, sedit annis *XIV. M. X.* Hic Beatum Franciscum canonizauit, & in die B. Urbani Papæ de tumulo leuauit. Multas controuersias contra Fridericum Imperatorem habuit. Unde cum *XII.* annos Papatificatus sui, Imperatoris autem *XIIX.* pro excessib. sibi obiectis in cœna Domini, quæ erat *IX.* Calend. extinctis candelis anathematizauit. *XII.* Cal. Septemb. obiit Cœlestinus tertius, sedit dieb. *XIV.* & vacauit sedes annis plusquam duobus. Innocentius quartus, sedit annis *XI. M. VI.* Hic super Rhodanum Lugduni anno Domini *M. CC. LV.* concilium celebrauit. Et quia magna necessitas incubuit, quintam à libera Jesu Christi Ecclesia requisiuit. In eodem concilio summus Pontifex Fridericum Imperatorem excommunicauit, & priuauit imperio & regnis. Alexander quartus, electus in Neapoli. Urbanus quartus.

Anno Domini Francisci assistatis Papa alasi or. Concilium Lugdun.

¶ *Dilatatio.*

¶ *De hac Chronologia consulendus Eusebius.*

EXposita serie Romanorum Pontificum, nunc ad Augustum, sub quo natus est Dominus, & sic deinceps ad rerum ordinem redeamus. Anno Domini I. Augustus *XIII.* annis regnauerat. Anno Domini II. Augustus amicitiam fecit cum Parthis. Anno Domini III. Herodes occidit infantes. Anno Domini IV. Judas Galilæus ad rebellandum cohortatur Judæos. Anno Domini V. Asinius Pollio orator & Consularis, qui de Dalmaticis triumphauit in villa Tusculana moritur. Anno Domini VI. Herodes magno cruciatu moritur, pro quo filius eius Archelaus regnauit annis *IX.* Multos autem filios habuit Herodes ex diuersis vxoribus, quas plures duxerat. Antipatrum ex Doside, quam habuit antequam Rex fieret, Aristobulum, Alexandrum duasque filias ex Mariamme, Hyrcani * filia, quam ipse ex regio semine coniunxerat, postquam ipse factus est Rex, abiecta Doside cum filio Antipatro. Sed postea ipse, aliis accusantibus, occidit Mariammen, filiosque ipsius Alexandrum & Aristobulum, quasi de nece matris indignantes. Alexandro autem fuerunt filii duo, Tigranes & Alexander ex Glaphyra, regis Cappadociæ filia. Archelai, filia. Aristobuli verò filii fuerunt Agrippa, qui sub Caio rex factus est, & Herodes ac Aristobulus filiaque Herodias, ex Berenice, consobrina sua, scilicet filia Salomes, sororis Herodis, patris sui. Herodes & alios filios habuit, * Antipam &c. Archelaum & filiam Olympiadem, ex Matthaca Samaritide, Herodem ex filia Simonis Pontificis, item Herodem & * Philippum ex Cleopatra Jerosolymitide, Phaselidem ex Pallade. Postquam autem Alexandrum & Aristobulum filios suos, qui de semine regio erant, occiderat, Antipatrum, pro accusatione fratrum sibi placentem, propter fuit hæredem regni relinquere per testamentum. Sed cum ipse de nece illius traderetur, missum in carcerem sub ipso ferè mortis articulo interfici iussit, mutato testamento, successorem regni scripsit Archelaum. Regnauit autem Herodes, postquam Antigonus interemptus est, annis *XXXIV.* ex quo autem regnum à Romanis ac-

Posteritas Herodis Magni. Alexandri, Cuius Uxor Alexandra, Hyrcani F.

* *Philippum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

teperat, annis *XXXVII.* sicque post multa facinora malè moritur *XLIIX.* * annorum. Anno Domini IIX. qui est *Augusti XLIX.* fames Romæ facta est adeò dira, vt omnes peregrinos, & seruorum maximas copias, exceptis Medicis & præceptoribus, ex vrbe trudi præciperet *Augustus*. Anno Domini XI. Messala Coruinus, Orator, bien. nio antequam moreretur, ita sensum amisit & memoriam, vt vix duo verba conjungeret. Anno Domini XII. Jani portæ per XII. annos clausæ aperiuntur. Anno Domini XIII. *Augustus* cum Tiberio censum Romæ agitans, inuenit nogies ter centena & LXX. millia hominum. Anno Domini XV. *Augustus* moritur anno ætatis suæ *LXXVI.* Anno Dominicæ incarnationis XVI. Tiberius, priuignus *Augusti*, hoc est Liuiæ, vxoris eius, filius ex superiore genitus conjuge, ab *Augusto* secundus Romanum imperium adeptus est, & regnauit annis *XXIII.* Anno Domini XIX. Ouidius in exilio moritur. Anno Domini XXIIX. Pilatus à Tiberio præses Judææ mittitur. Herodes Tetrarcha in honorem Tiberii, & matris eius Liuiæ Tiberiadem condidit & Libiadem. Anno Domini XXX. hoc est imperii Tiberii *XV.* Johannes baptizauit Dominum, & ipse cœpit prædicare. Anno Domini XXXI. ipse discipulos elegit, & Johannes decollatur. Anno Domini XXXII. discipuli missi prædicant. Anno Domini XXXIII. ipse Dei filius crucifigitur, resurgit & ascendit. Anno Domini XXXIV. Jacobus Jerosolymis Episcopus ordinatur.

¶ Hieronymus: Euangelium, quod appellatur secundum Hebræos, & à me nuper in Græcum Latinumq; sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe vtitur, post resurrectionem Saluatoris refert: Dominus cùm dedisset Syndonem seruo sacerdotis, adiit Jacobum, & apparuit ei. Jurauerat enim Jacobus, se non comessurum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à dormientibus. Rursumque post paululum: *Afferte*, ait Dominus, mensam & panem. Statimq; additur: Tulit panem, benedixit ac fregit, & pòst dedit Jacobo jurato, & dixit, frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus. Triginta annis Hierosolymæ rexit Ecclesiam, id est, usq; ad *VII.* Neronis annum, juxta templum, vbi præcipitatus fuerat, sepultus. Titulum vsq; ad Titi tempora notissimum habuit. Quidam è nostris in monte oliueti eum conditum putant, sed falsa est eorum opinio. Anno Domini XXXIIX. Pilatus ad Tiberium scripsit de passione & resurrectione & de virtutibus eius. Tiberius autem cum magno fauoris suffragio retulit ad Senatum, vt Christus Deus haberetur. Senatus autem indignatione commotus, cur non prius secundum morem delatum esset, vt de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusauit, edictoque constituit, exterminandos vrbe Christianos. Petrus *Apostolus* ex consensu fidelium *Antiochiæ* jubatur in Episcopum. Stephanus lapidatur. Anno Domini XXXIIX. Caius fit Cæsar. Anno Domini XLII. Matthæus in Judæa prædicans, Euangelium scripsit Hebraicè. Anno Domini XLIII. Claudius *IV.* imperium ab *Augusto* adeptus est, & regnauit annis *XIII.* mensibus *IX.* diebus *XXIIX.* Simon magus, à facie *Apostolorum* fugiens, venit Romam. Anno Domini XLIV. diuisis *Apostolis*, Petrus fundat *Antiochia*, Romam tendit. Sed quidam dicunt *IV.* Claudii anno. Anno Domini XLV. Euodius *Antiochiæ* ordinatur Episcopus. Petrus sedem Pontificatus Romæ suscepit. Anno Domini XLIX. sub procuratore Judææ * tanta seditio Hierosolymis in diebus azymorum oritur, vt coarctato in exitu portarum populo *XXX.* millia Judæorum prostrata & compressa dicantur. Anno Domini L. Paulus, qui secundo anno post passionem Domini baptizatus est, apud *Athenas* aram IGNOTO DEO superscriptam reperit. Anno Domini LII. Phœnix apud Ægyptum visa est, quam volucrem ferunt DCLIV. ex *Arabia* memorato loco aduolare. Beata virgo obdormiuit. Vixit enim à passione Domini annis *XX.* in domo Johannis Euangelistæ *XII.* annorũ fuit cum Christum Dei filium concepit. Unde secundum annos Domini, quibus in mundo fuit, planè considerari potest, quòd *LXV.* annorum erat, cùm filius eius eam ad cœlos assumsit. Anno Domini LIV. Simon magus, auctor Simoniacæ hæresis, clatuit.

¶ *De isto Simone Mago mira legas apud Irenæum lib. 1. cap. 10. apud Euseb. histor. Eccl. lib. 2. cap. 13.*

* *alii LXX. nominant.*

Fames.

Messala Coruinus.

TIBERIVS Imp.

Pilatus.

Christi baptismus.

Passio.

Iacobus primus Episc. Hierosol.

¶ *Vide Tertullianum in Apologetico.*

Petrus, Episcopus Antiochiæ.

CALIGVLA Imp.

CLAVDIVS Imp.

Euodium, Episc. Antiochiæ.

* *Cumanæ. Camerar. Vit. Apost.*

¶ *Aliter Tacit. lib. 5. Dion. lib. 58.*

Simoniaca hæresis.

NERO Imp.

Anno Domini LVI. Claudius veneno interiit. Anno Domini LVII. Nero quintus ab Augusto, regnum obtinuit. Anno Domini LIIX. Paulus vinctus, Romam mittitur, & Petrus ei occurrit, & quia Linus jam excessit, Cletum ei subrogauit. Anno Domini LXIII. Jacobus lapidatur à Judæis, & Simon, frater eius, ei succedit. Anno Domini LXIV. Marcus patitur Alexandriæ. Anno Domini LXV. Persius moritur. Ante mensam Neronis fulmen cecidit. Anno Domini LXVI. Nero Romam incendit ad similitudinem Troiæ. Anno Domini LXVII. Senecæ patruus Lucani, incisione venæ obiit. Anno Domini LXX. Vespasianus à Nerone mittitur contra Judæos. Josephus capitur, sed vitam obtinet, prædicendo Vespasiano, quòd fieret Imperator. Petrus crucifigitur. Paulus decollatur. Nero se interficit. Lucas Euangelium scripsit, sed LXXXIV. annorum obiit. Clemens Petro succedit anno XIIX. Tamen secundum Ecclesiasticam historiam Linus eodem annò Ecclesiam dicitur suscepisse gubernandam.

O scelestum facinus. Iosephus Historicus. Afflictio Christianorum.

¶ *De Christianorum persecutionibus explicat historia Ecclesiast. Eusebii, Augustinus lib. 18. de Dei. Extat etiam de hoc argumento, luculentè tractato, liber Henrici Bullingeri.*

Ignatius Episc.

Anno Domini LXXI. Ignatius Euodio succedit Antiochiæ. Galba, Otho, Vitellius imperium inuadunt. Anno Domini XLVII. Claudii IV. Petrus Romam venit. Mittuntur ab eo in Galliam Eucharius, tertius septuaginta duorum, & Valerius & Maternus. Eucharium ordinauit Episcopum, Valerium Diaconum, Maternum subdiaconum. Venerunt vsque in Gelenhem, Altsatiæ, & ibi Maternus obiit & sepelitur. Sed duo Romam ad Petrum redeunt, & baculum Petri ad sepulcrum Materni referunt, & eum suscitant. A tali casu Papa baculo nunc vtitur. Anno LIV. Petri in Roma IIX. Eucharius Gallis prædicat, seditque XXXIII. annis. Anno Domini CXXIII Maternus obiit. Treuirenses pastorem suum reperiunt, & corpore eius contra fluctus in mari eunte, Treuirim aduehitur, & ibidem sepelitur.

Legenda S. Materni.

¶ *Ad marginem hæc ascripta erant: Maternus Tungrenses & Colonienses conuertit & his ciuitatibus præsedit.*

Iosephi de Christo testimoniũ.

Josephus inter cætera, quæ de Christi loquebatur tempore, scribit, sacerdotes commotiones & sonitus locorum audiisse, deinde ex adyto templi vocem erupisse. Transeamus ex his sedibus. De Christo sic dicit: Fuit autem his temporibus Jesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor hominum eorum, qui libenter audiunt, quæ vera sunt. Et multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum virorum nostræ gentis cùm Pilatus in crucem agendum decreuisset, non deseruerunt eum hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertiò die iterum viuus. Secundum quod diuinitus inspirati Prophetæ vel hæc vel alia de eo innumera miracula esse futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseuerat, & genus. Anno Domini LXXII. Vespasianus VI. ab Augusto regnauit annis IX. mensibus II. dieb. XXII. Hic in Judæa Imperator ab exercitu appellatus, & filio suo Tito commendans, Romam per Alexandriam proficiscitur. Anno Domini LXXIII. Jerusalem à Tito capitur, DC. millia Judæorum interficiuntur. Josephus scribit vndecies centena millia fame & gladio periisse, & C millia captiuorum publice vendita. Anno Domini LXXIIX. Colossus erectus est, habens altitudinem pedum CVII. Anno Domini LXXXI. Vespasianus moritur. Titus VIII. ab Augusto, suscepit imperium, & regnauit annis II. mensibus VIII. vir omnium virtutum genere mirabilis, adeò vt AMOR ET DELITIÆ HUMANI GENERIS ceretur. Hic amphitheatrum Romæ ædificat, & in dedicatione eius V. millia ferarum occidit. Anno Domini LXXXII. secundum Ecclesiasticam historiam Anacletus succedit Lino annis XII. Sed alii negant. Nicolaitarum hæresis ... Anno Domini LXXXIII. Domitianus IX. ab Augusto, fratre Tito junior, ... imperium, & regnauit annis XV. mensib. V. Hic secundus post Neronem Christianos

VESPASIANVS Imp.

Hierosolyma excidium

TITVS Imp.

Nicolaita. DOMITIANVS Imp.

stianos persequitur. Sub quo Apostolus Johannes in Pathmon insulam relegatus est, & Flauia Domicilla in insulam Pontianam ob fidei testamentum exiliatur. Iste etiam ipsum Johannem in feruentis olei dolium misisse dicitur. Et ad tantam deuenit mentis segniciem, vt remotis omnibus solus in palatio muscas persequeretur. Anno Domini LXXXIX. Anacletus tertius à Petro, Clementi succedit annis XII. Sed juxta Ecclesiasticam historiam Anacletus post XII. annos sedem Clementi tradidit, quam ille IX. annis tenuit. Anno Domini XCVI. Dionysius Areopagita, primus Athenienſium Episcopus à Paulo constitus, sed postea in Gallia à Clemente directus, apud Parisios decollatus est anno à passione Domini LXIV. Anno Domini XCIIX. Domitianus interficitur. Nerua decimus ab Augusto sucipit imperium ann I. regnans mensib. IV. dieb. IIX. Hic primo edicto suo cunctos exules reuocauit. Unde & Johannes Apostolus hac generali indulgentia liberatus, Ephesum rediit. Et quia concussam se absente per hæreticos vidit Ecclesiæ fidem, confestim hanc, descripta in Euangelio suo verbi Dei æternitate, stabilivit. Anno Domini C. Traianus, XI. ab Augusto, regnauit annis XIX. mensib. VI. dieb. XV. Huius anno primo Johannes Apostolus & Euangelista apud Ephesum obdormiuit, anno à passione Domini LXVIII. & vitæ suæ XCIX. qui in passione Domini erat XXI. annorum. Polycarpus, Johannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ Ecclesiæ Episcopus ordinatus, pro Christi nomine igni traditus III. persecutione. Hic Aniceti Papæ temporibus Romam venit. Cumque ei fortituto casu obuius fuisse Marcion, & diceret, cognosce nos, respondit ei: Cognosco primogenitum Sathanæ. Cerdo III. Alexandrinorum Episcopus ordinatur, qui sedit annis XI. Anno Domini CIII. Euaristus Papa IV. sedit annis IX. Anno Domini CX. Traianus quartam persecutionem mouit in Christianos, in qua Simon, filius Cleophæ, Hierosolymorum Episcopus post Jacobum, crucifigitur, cùm esset annorum CXX. Ignatius quoque Romam adductus, bestiis traditur, pro quo tertius Heros constituitur. Anno Domini CXI. Alexander Papa V. sedit annis X. Quartus in Alexandria Episcopus, primus, sedit annis XII. Anno Domini CXIV. Quartus Hierosolymorum Episcopus Zachæus. Anno Domini CXIX. Traianus moritur. Adhuc supererant ex Apostolorum discipulis Polycarpus, Smyrnæorum Episcopus, & Papias, apud Jerusalem sacerdotium gerens. Ælius Adrianus XII. ab Augusto regnauit annis XXI. Hic per Quadratum, discipulum Apostolorum, & Aristidem, Philosophum Athenienſem, virum fide sapientiaque plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Christiana religione compositis instructus, præcepit per epistolam, Christianos sine obiectu criminum non damnari. Ante Incarnationem Domini CCCCLX. annis, temporibus Ptolomæi Philadelphi LXX. interpretes floruerunt. Post ascensionem Domini annis CXX. Adriano regnante, Aquila primus interpres ex Hebræo in Græcum floruit. Deinde post annos LIII. Theodotio floruit sub Commodo, Symmachus sub Seuero. Demum post annos XXX. quinta editio inuenta est Hierosolymis, quæ dicitur vulgata, quia auctor eius ignoratur. Post annos XVIII. Origenes correxit cum asteriſco & obelo. Hi omnes de Hebræo in Græcum transtulerunt, plures autem de Græco in Latinum quia in primitiua Ecclesia scioli vtriusq; linguæ de Græco in Latinum transferebant sermonem. Hieronymus vltimo de Hebræo in Latinum transtulit. Anno Domini CXXI. Alexander Papa passus est. Sixtus, Papa sextus, sedit annis IX. Anno Domini CXXX. Telesphorus Papa septimus, sedit annis X. Anno Domini CXXXVII. Adrianus Judæos secundò repellens vltima cæde predomuit, etiam introeundi eis Hierosolymam licentia ablata, quam in optimum statum extructione murorum reparauit, & loco crucifixionis vrbi addidit, & Æliam de nomine suo vocari præcepit. Idem eruditissimus in vtraque lingua bibliothecam Athenis miri operis extruxit. Anno Domini CXXXIIX. Hierosolymæ primus ex gentibus constituitur Episcopus, Marcus, cessantibus his, qui fuerant ex Judæis, qui sunt numero XV. & præfuerunt

Tertia persecutio Christianorum.

Dionysium Areopagita.

NERVA Imp.

TRAIANVS Imp.

Polycarpus Episc.

Quartà persecutio Christianorum.

ADRIANVS Imp.

¶ *Exquisitiores hac de reloachemi Camerarij expositiones reperias Nicephor. Chronol. PAR. 56. & segq.*

Hierosolyma instaurata.

Marcus Episc. Hierosol.

runt à passione Domini per annos CV. Anno Domini CXL. Adrianus moritur.
Et hic anni ab initio mundi secundum Hebræos IV. millia C. computantur.
ANTONINVS Pius Imp. Antoninus, cognomento Pius, decimus tertius, ab Augusto, cum filiis suis,
Aurelio & Lucio, regnauit annis XXIII. mensibus III. Huic Justinus Philoso-
sophus librum pro Christiana religione compositum tradidit, benignumq; cum en-
Iustinus Philosoph. Martyr. ga Christianos fecit. Qui non longè pòst, suscitante persecutionem Crescente Cy-
nico, pro Christo sanguinem fudit sub Pio. Anno Domini CXLI. Hyginus Papa
octauus, sedit annis IV. Anno Domini CXLIV. Pius Papa nonus. sedit ann. XV.
Anno Domini CLXIX. Anacletus Papa decimus, sedit annis X. Anno Domini
ANTONINVS Philos. Imp. CLXII Marcus Aurelius decimus quartus, ab Augusto, cum fràtre Lucio regnauit
annis XIX. M.I. Hi primum æquo jure imperium administrauerunt, cùm vsque ad
hoc tempus singuli Augusti fuerint, bellumque contra Parthos admirabili virtute
& felicitate gesserunt. Anno Domini CLXX. Polycarpus passus est. Anno Do-
mini LXXI. Soter Papa undecimus, sedit annis IX. Anno Domini CLXXII. mor-
tuo Lucio, Antoninus Commodum filium suum consortem regni facit. Anno
Lucius, rex Britan. Domini DLXXIIX. Eleutherius Papa duodecimus, sedit annis XIII. Lucius Britan-
niæ rex, missa ad Eleutherium epistola, vt Christianus fiat, impetratur. Apollinaris
Asianus Hierapoli, & Dionysius Corinthi clari habentur Episcopi. Anno Domini
COMODVS Imp. CLXXXII. Antoninus moritur. L. Antoninus Commodus, XV. ab Augusto, regnauit
annis XIII. Hic aduersus Germanos bellum feliciter gessit. Cæterum ipse per
omnia luxuriæ & obscænitati mancipatus, nil patriæ virtutis & pietatis simile ges-
sit. Anno Domini *CLXXXVIII.* Origenes Alexandriæ nascitur. Anno *CXCI.* Vi-
ctor Papa decimus tertius, sedit annis *X.* Iste Episcopos totius Asiæ à communio-
ne suspendit propter diem Paschæ. Commodus Imp. Colossi capite sublato, suæ
PERTINAX Imp. imaginis caput ei jussit imponi. Anno Domini *CXCV.* Helius Pertinax, *XVI* ab Au-
gusto, regnauit menses *VI.* Hunc occidit Julianus, sed non regnauit vltra *VII.* men-
ses. Victor Papa datis latè libellis constituit, Pascha die Dominico celebrari, sicut
& prædecessor eius Eleutherius à *XIII.* Luna primi mensis vsque in *XXI.* Cuius
decretis fauens Theophilus, Cæsariæ Palestinæ Episcopus, scripsit aduersus eos, qui
Hist. Eccl. 5,23. *XIV.* Luna cum Judæis Pascha celebrant, cum cæteris, qui in eodem concilio e-
rant Episcopis, Synodicam & valdè vtilem epistolam. Anno Domini *CXCVI.* Se-
SEVERVS Imp. Origenes. uerus Pertinax, decimus septimus, ab Augusto, regnauit annis *XVIII.* Anno Domini
CCI. Seuerus Parthos & Arabes vicit. Anno Domini *CCIII.* Zephyrinus Papa de-
cimus quartus. sedit annis *XVIII.* Anno Domini *CCIV.* Leonides, pater Origenis
passus est pro Christo *XVIII.* anno Origenis, qui gentiles docuit, & multos ad fidem
conuertit. Anno Domini *CCVII.* Perpetua & Felicitas Carthagine bestiis deputan-
tur. Anno Domini *CCXII.* Origenes Alexandriæ studet. Anno Domini *CCXIII.*
CARACALLA Imp. Seuerus moritur in Britannia. Marcus Antoninus decimus octauus, ab Augusto,
imperauit annis *VI.* Anno Domini *CCXIIII.* Narcissus, Episcopus Cappadociæ,
Narcissus Episc. vixit decrepitus. Qui inter cætera virtutis suæ insignia in vigilia Paschæ cum
deesset oleum luminaribus, aquam infundi jussit, quam benedicens oleum fecit.
MACRINVS Imp. Anno Domini *CCXX.* Opilius Macrinus decimus nonus, ab Augusto, imperauit an-
no vno. Abgarus vir sanctus regnauit Edessæ, vt vult Africanus. Macrinus cum
filio Diadumeno, cum quo imperium inuasit, apud Archelaidem militari tumul-
HELIOGABALVS Imp. tu occiditur. Anno Domini *CCXXI.* Marcus Aurelius Antoninus Varius, vigi-
mus, ab Augusto, imperauit annis *IV.* Calixtus Papa decimus quintus sedit annis V.
In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emaus vocabatur, vrbs condita est, legationis
Nicopolis Palæstinæ. industriam pro ea suscipiente Julio Africano, scriptore temporum. Hæc est Emaus,
quam Dominus post resurrectionem suo ingressu sanctificauit. Anno Domini
CCXXIIII. Alexander *XXI.* ab Augusto, imperauit annis *XIII.* Huius mater Mam-
ALEXANDER Imp. mea doctrina Origenis Christiana facta est. Anno Domini *CCCXXVI.* Pontianus Papa
Papa decimus sextus, sedit annis *VIII.* Anno Domini CCXXXIV. Pontianus Papa
decimus

XVII. sedit annis.* Anno Domini CCXXXV. Origenes de Alexandria in Cæsaream transit. Anno Domini CCXXXVII Alexander Moguntinæ occiditur Julius Maximinus, XXII. ab Augusto, imperauit annis III. Hic aduersum Christianos persecutionem exercet propter Christianam Alexandri & Mammeæ, matris ejus, familiam, vel præcipuè propter Origenem. Anno Domini CCXXXIX. Pontiano passo, Antherus Papa XVIII. ei successit mense vno diebus XIII. Sed & ipse passus est. Anno Domini CCXL. Fabianus Papa XIX. sedit annis XIII. Maximinus Imperator Aquileiæ occiditur. Gordianus XXIII. ab Augusto, regnauit ann. VI. Anno Domini CCXLI. Origenes in Cæsarea Palæstinæ Theodorum, agnomento Gregorium, & Athenodorum fratrem eius, postea Ponti Episcopos insignes, diuina imbuit sapientia. Anno Domini CCXLVI. Gordianus à Pilippo occiditur. Philippus, XXIV. ab Augusto, inuadit imperium, & VII. annis imperat. Hic primus omnium Imperatorum cum filio suo Philippo Christianus effectus est. Hi vigilia Paschæ inter pœnitentes à Fabiano Papa locati, hoc libentissimè susceperunt. Huius Philippi annus III. erat vrbis conditæ millesimus. Hic annus est à Romanis cum maxima pompa per triduum celebratus. Anno Domini CCLIII. Philippus senior Veronæ, junior occiditur Romæ. Decius XXV. ab Augusto, regnauit duobus annis & dimidio. Quidam scribunt vno, sed hoc multum discordat passionibus sanctorum, sub eo passorum. Fabianus Papa passus est. Cornelius Papa XX. sedit anno vno, & mensibus VII. licet in Ecclesiastica historia legatur tribus annis sedem tenuisse. Anno Domini CCLV. Cornelius Papa passus est, & Sixtus Papa XXI. sedit mensibus X. Anno Domini CCLVI. Sixtus Papa passus est, item Laurentius, Abdon, Sennes, Hippolytus & alii multi. Dionysius Papa XXII. sedit annis III. Anno Domini CCLVI. Gallus, XXVI. ab Augusto, regnauit annis *II.* mensibus IV. Origenes presbyter anno ætatis suæ LXX. moritur, & in Tyro sepelitur. Dicit Hieronymus, se V. millia librorum eius legisse. Anno Domini CCLVIII. Gallus & Volusianus occiduntur. Valerianus XXVII. ab Augusto regnauit cum filio Gallieno annis XV. Lucius Papa *XXIII.* sedit mensibus *VIII.* quo passo, Stephanus Papa *XXIV.* sedit annis *III.* passus & ipse. Anno Domini CCLXII. Sixtus Papa XXV. sedit ann. *XI.* Anno Domini CCLXV. Valerianus in Christianos sæuiens, postea in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore, rege Persarum, captus & cœcatus, quàm diu vixit semper acclivis humi Regem in equum ascensurum dorso attollebat. Anno Domini CCLXXIII. Dionysius Papa XXVI sedit annis *IX.* Gallienus Mediolani interficitur. Theodorus, cuius suprà meminimus, cognomento Gregorius, Neocæsareæ Ponti Episcopus, magna virtutum gloria claret. E quibus vnum est, quod vt Ecclesiæ faciendæ locus sufficeret, montem precibus mouit. Anno Domini CCLXXIV. Claudius, XXVIII. ab Augusto, regnauit I. anno. mensibus *IX.* Iste Gotthos, iam per annos XV. Illyricum Macedoniamque vastantes, superat. Ob quæ in curia clypeus ei aureus, & in Capitolio statua aurea collocata est. Quo mortuo, frater eius Quintilius Imperator eligitur, & XVII. imperii die Aquileiæ occiditur. Anno Domini CCLXXVI. Aurelianus XXIX. ab Augusto, regnauit V. annis & VI. mensib. Hic primus apud Romanos diadema capiti suo imposuit, & vestes auro gemmisque contextas in vsu habuit, porcinæ quoque carnis usum populo instituit. Anno Domini CCLXXXI. Aurelianus occiditur. Tacitus, ab Augusto XXX. post VI. menses apud pontem occiditur. Huic Florianus successit *II.* mensibus & *X.* diebus. Nam cùm magna pars exercitus equitum Probum militiæ peritum, legisset, Florianus quasi per ludum imperio vsus, vena incisa interiit. Insana Manichæorum hæresis oritur. Anno Domini CCLXXXII. Probus ab Augusto XXXI. regnavit annis VI. mensibus IV. Huius pater erat rusticus, & cultor hortorum. Hic Gallias iamdudum à barbaris occupatas, per multa & grauia

MAXIMINVS Imp.

PHILIPPVS Imp.

DECIVS Imp.

¶ De Chronologia, hac in parte perturbatiore, consulatur Funcelius.

GALLVS Imp.

Origenes πολυγραφώτατος

VALERIANVS & GALLIENVS Imp.

Sapores rex Persarum.

Gregorius θαυματουργός.

CLAVDIVS Imp.

AVRELIANVS Imp.

TACITVS Imp.

PROBVS Imp.

prælia deletis tandem hostibus, ad perfectum liberavit. Anno Domini CCLXXXVII. Eutychianus Papa XXVIII. * sedit mens. X. Cui Caius XXX. successit annis XV. Hæresis Hispanica pullulauit de filio Dei & filio hominis quasi duobus. Archelaus, Mesopotamiæ Episcopus, librum disputationis suæ, quam habuit adversus Manichæum, exeuntem de Persida, Syro sermone compositi, qui translatus à Græcis habetur à multis. Anno Domini CCLXXXVIII. Carus, XXXII. ab Augusto, regnauit annis II. faciens Carinum & Numerianum Cæsares. Anno Domini CCXC. Carus fulmine perit, filii occisi sunt. Caius Papa passus est. Hierius, presbyter Alexandriæ sub Theona Episcopo, florentissimè populos docuit, & tantam sermonis disertorum quorumque tractatuum, qui vsque hodie extant, inuenit elegantiam, vt Origenes iunior vocaretur, vir miræ parsimoniæ, & voluntariæ paupertatis appetitor, qui post persecutionem omni tempore vitæ Romæ versatus est. Diocletianus, XXXII. ab Augusto, regnavit annis XX. qui Maximianum, licèt de genere rusticorum, Cæsarem fecit. Hic Maximianus genuit de Eutropia, Syra muliere, Maximitium & Faustam, conjugem Constantini, cujus pater Constantio dedit primo uignam suam, ex qua ille accepit VI liberos, fratres Constantini, quem ex concubina Helena genrauit in Gallia. Mauritius & socii eius martyrio coronatur. Anno Domini CCCIII. Marcellinus Papa XXX. sedit annis IV. Anno Domini CCCVII. Marcellus Papa XXXI. sedit anno, mensibus VIII. Anno Domini CCCVIII. * Diocletianus in oriente, Maximianus in occidente, Ecclesias subuertunt, libros diuinos succendunt, & tanta persecutio Christianorum facta est, vt vno mense XVII. millia martyrum necarentur. Anno Domini CCCIX. Diocletianus & Maximianus vna die purpuram & regnum deponunt. Marcello Papa in Catacumbis per inediam passo, Eusebius Papa successit XXXII. Cui post ann. V. M. VII. passo succedens Melchiades, Papa XXXIII. sedit annis III. Anno Domini CCCX. Cùm Diocletianus & Maximianus regnum reliquissent, Constantius & Galerius Augusti creati sunt. Constantius filium suum Constantinum Cæsarem fecit, eique Galliam commisit, & XVI. imperii sui anno Eboraci in Britannia obiit. Quo mortuo, Galerius Licinium Cæsarem fecit, natum de Dacia. Sed & antea Galerius duos Cæsares creauerat, Maximinum, quem orienti præfecit, & Seuerum, cui Italiam dedit, & ipse mansit apud Illyricum. Interea Romani excitato tumultu, Maxentium filium Maximiani, vocauerunt Augustum. Quo audito, Maximianus ad Romam aduolauit è Lucania spe imperium resumendi, & Diocletianum per literas sollicitans, non profecit. Tandem cùm filium Maxentium imperio mouere vellet, nec posset, ad Gallias tetendit, dolo composito, quòd à filio expugnatus esset, vt genero suo Constantino sociatus ipsum dolosè interficeret. Sed per Faustam filiam eius nequitia detecta est. Quem fugientem Constantinus insequitur, & Massiliæ captus, fractis laqueo ceruicibus, dignas perfidiæ suæ penas dedit, anno vitæ suæ LX. Anno Domini CCCXI. Constantinus, ex Helena concubina Constantii filius, omnibus annuentibus qui aderant, & præcipue Croco, Alemannorum rege, XXXIV. ab Augusto in Britannia factus est Imperator VI. Calend. August. regnauitque annis XXX. & mensibus X. Hic filium suum Crispum, & Licinianum, Licinii filium, Cæsares fecit. Huius autem primo Maxentius, Maximiani Herculii F. Augustus appellatur. Anno Domini CCCXIII. Maximianus apud Massiliam turpiter occiditur. Anno Domini CCCXIV. Sylvester Papa XXXIV. sedit annis XXII. Hic Constantinum baptizauit. Constantinus à Syluestro baptizatus, omne studium ad Ecclesiam conuertit. Fecit & Constantinopolin, eamquè caput orientis & Romani imperii constituit. Hujus mater Helena Hierosolymam petiit, crucem Domini requisiuit. Sed locus crucifixionis ad inveniendum erat difficilis: quia ab antiquis persecutoribus idolum Veneris ibi positum fuerat, vt Christiani, qui ibidem pro deuo-

* *Suprà ante Eutychianum nominatur Felix. Sic igitur numerus iste rectè se habet.*

CARVS *Imp.*

Hierius presbyter.

DIOCLETIANVS *& MAXIMIANVS Imp.*

* *Secundum Eusebium* CCCVI.

CONSTANTIVS *& Galerius Imp.*

CONSTANTINVS *Magnus Imp.*

¶ *Vide Historiam Ecclesiast. lib. 10. c. 7. & seq.*

deuotione veniunt, viderentur Venerem adorare, & ideo locus à Christicolis non frequentabatur. Vnde in obliuionem venerat plurimorum. Sed veniens Helena locum invenit, purgatisque ruderibus, crucem reperit sub ejusdem vrbis Episcopo Macario. Eodem tempore Arius, Alexandrinæ presbyter Ecclesiæ, à catholica fide deuians, plurimos infecit. Sed Alexander, eiusdem vrbis Episcopus, eum ab vrbe expulit. Syluester quoque Papa habita Synodo CCCXVIII. Episcoporum, Arium cum suo dogmate condemnavit. Eodem tempore Agricius, Antiochenæ ciuitatis Episcopus, rogatu Helenæ Treuerim mittitur à Papa Syluestro post inuentam crucem. Helena autem tunicam Domini, quam Matthias Apostolus de Iudæa transtulerat, & clauum Domini, dentem Petri Apostoli, sandalia Andreæ Apostoli, & caput Cornelii Treuerim detulit. Maximinus successit Agricio, qui Eufratam, Episcopum Colonienſem, hæreticum, deposuit, & Seuerinum subrogauit. Ipse etiam Athanasium Alexandrinum, qui fugit Constantium, suscepit, vndique vagabundum: quia quæsiuit eum Constantius vt ei deferretur viuus, aut caput ipsius. Sed Treueris VI. annis latuit in lacu pleno ossibus Martyrum, vbi Solem non vidit, & ibidem idem Athanasius, Quicunquè vult &c. composuit.

Arius.

Legenda Treuirenſis.

¶ *De eadem Chronicon Colon. in Syl. uestro.*

* ¶ *Sic donatio Constantini distinct. 96. C. Constantinus, Variat Eusebius lib. 4. de Vita, Hieronymus in Chron. Rufinus lib. 1. cap. 11. Socrates lib. 1. cap. 39. Theodoretus lib. 1. cap. 31. Ambrosius lib. de obitu Theodosii.*

¶ *Consulatur Historia Ecclesiast. lib. 10. cap. 17. & seq. Tripart. lib. 3. cap. 8. Historia & gesta Treuirorum lib. 2. cap 6.*

Anno Domini CCCXVI. Constantinus Maxentio bellum infert. Anno Domini CCCXVIII. Maxentius interiit, lapsu equi cadens de ponte Miluio, & in Tiberi submersus. Constantinus enim Romam veniens contra Maxentium, dum ipse portis Romæ ei apertis occurreret, victus & fugatus est, & hoc per crucem Domini, quæ ostensa fuerat Constantino, licet adhuc Pagano, in somnis, vbi & audiuit: Constantine in hoc vinces. Anno Domini CCCXIX. Diocletianus moritur. Anno Domini CCCXXII. Licinius persecutionem mouet in Christianos. Anno Domini CCCXXVII. Licinius occiditur à Constantino. Anno Domini CCCXXVIII. Concilium CCC. Episcoporum in Nicæa, cui Nicolaus, Myrensis Episcopus interfuit. Anno Domini CCCXXIX. Crux Domini ab Helena inuenitur. Anno Domini CCCXXX. Eusebius historiam suam finit, dehinc Hieronymus. Anno Domini CCCXXXII. Iuuencus, presbyter Hispanus, Euangelium composuit. Anno Domini CCCXXXIII. Athanasius Alexandriæ ordinatur Episcopus XVIII. Anno *D*omini CCCXXXIV. Constantinus Byzantium vrbem reparauit, & ex nomine suo Constantinopolim appellauit. Anno *D*omini CCCXXXVIII. * Marcus Papa XXXV. sedit annis * VIII. Anno *D*omini CCCXXXIX. Iulius Papa XXXVI. sedit annis XVI. II. Idus April. obiit. Anno *D*omini CCCXL. Constantia, soror Constantini, vxor Licinii, moriens Arianum quendam presbyterum fratri commendat. Constantinus dum bellum molitur aduersus Persas, qui Mesopotamiam infestabant, egrediens à Constantinopoli in Nicomedia moritur VI. Calend. Iunii anno vitæ LXVI. imperii XXXI. Sepelitur in Byzantio in Basilica Apostolorum. Constantius, filius Constantini, XXXV. ab Augusto, annis XXIV. mensib. XII. V. dieb. regnauit cum fratribus Constantino & Constante, & cum his *D*almatius, filius fratris Constantini, scilicet *D*almatii. Anno *D*omini CCCXLIII. Constantinus fratri bellum inferens, occiditur apud Aquileiæ Alsam. Anno *D*omini CCCXLVI. Athanasius, Alexandriæ Episcopus, à Constantio profugus, honorificè suscipitur à Maximino, Treuirorum Episcopo. Anno *D*omini CCCXLVIII. Athanasius ad Constantis litteras regreditur Alexandriam. Anno *D*omini *CCCLIII.* Constans haud longè ab Hispania interficitur anno ætatis *XXX.* Anno *D*omini *CCCLV.* Liberius Papa *XXXVII.* ordinatur. Quo ab hæreticis in exilium truso, *D*iaconus ejus Felix *XXXVIII.* ei substituitur. Qui cùm Constantium diceret

Interitus Maxentii.

ἐν τούτῳ νίκα.

¶ *Histor. miscell. Pauli D. lib. 11. Synodus Nicæna.*

Constantinopolis condita.

* *mensibus*

Mors Constantini M.

hæreticum, ab eo post annum deiectus est, & capite truncatus *IV.* Calend. Augusti. Liberius exilii tædio victus, hæresi subscripsit, & Romam quasi Victor intrauit. Anno *D*omini *CCCLVII.* Gallus, Constantii patruelis, Cæsar factus est. Anno *D*omini *CCCLX.* Victorinus Rhetor, & *D*onatus Grammaticus, Romæ insignes habentur. Iulianus à *C*onstantio *C*æsar efficitur. Anno *D*omini *CCCLXI.* Antonius Abbas obiit anno ætatis *CV.* Anno *D*omini *CCCLXI.* Hilarius, Pictauiensis Episcopus, Arianorum instinctu à *C*onstantio in Phrygiam exiliatus, cum *C*lyosimo * Mediolanensi & Eusebio Vercellensi, *IV.* exilii anno, cùm librum de fide *C*onstantio porrexisset, redire permissus est. Anno *D*omini *CCCLXIII.* ossa Andreæ Apostoli, & Lucæ Euangelistæ, *C*onstantinopolin allata sunt. Anno *D*omini *CCCLXIV. C*onstantius Imperator moritur, anno ætatis XLV. Iulianus Apostata, *XXXVI.* ab Augusto, regnauit annis II. mensibus *VIII.* Hic Christianos persequens, paganitatem in quantum potuit, dilatauit. Erat autem filius * Constantii, filii Constantini Magni, qui fecit Constantinopolin. Callistus, qui inter familiares Iuliani militabat, & heroico versu eius conscripsit historiam, ait eum à *D*æmone fuisse vulneratum. Libanius verò, Sophista Syrus, inter cætera, quæ de ejus vita scribit, in fine libri sic ait: *O D*æmonum alumne, dæmonumque discipule, & dæmonum obseruator Iuliane. Nos autem in libro vitæ S Basilii, Cæsariensis Episcopi, legimus certum, orante & jejunante eodem Basilio cum populo suo, quibus ad Persicum bellum pergens malaminatus est, iussu S. *D*ei genitricis Mariæ per Mercurium martyrem, in eadem ciuitate quiescentem, ipsum esse peremtum. Fertur autem manum suam sanguine impleuisse, & in aërem sparsisse, & ita dixisse: Vicisti Galilæe, vicisti. Quo defuncto, ingredientes in templum inuenerunt mulierem, à capillis suspensam, extensas manus habentem, cuius vterum aperuerat, vt exitum belli in iecinore eius inspiceret. In qua vrbe dum eius nunciatus fuisset interitus, publicam cuncti habuere festiuitatem, communiter omnes clamantes: Maxime fatue, vbi sunt vaticinia tua? vicit te *D*eus & Christus eius. Fuit autem hic liberalibus disciplinis apprimè eruditus, facundia ingenti, memoria tenacissima atque amplissima, corpore validus sed brevis, barba prolixa, oculis discurrentibus, & huc atque illuc directis, audax plus quàm Imperatorem deceret, cultor idolorum superstitiosus, religionis Christianæ insectator studiosus. Anno *D*omini *CCCLXV.* Pagani apud Sebastiam, Palæstinæ vrbem, sepulcrum B Iohannis Baptistæ inuadunt, ossa per agros spargunt, iterum collecta cremant, & latius dispergunt. Sed quidam Monachi ex Ierosolymis intermixti colligunt, prout possunt, & ad patrem suum Philippum deferunt. Iste per *D*iaconum suum Iulianum tale munus misit Alexandriam Athanasio, qui paucis arbitris reliquias clausit pariete subcauato.

Liberius Papa immutatur exilio.

Reliquiæ Andreæ & Lucæ

IVLIANVS Apostata Imp.

Legenda Basilii Episc.

Iuliani enormium.

¶ *Vide Histor. Ecclesiast. lib. 10. cap. 22. Tripart. lib 6. cap. 15.*

IOVIANVS Imp. Anno *D*omini *CCCLXVI.* Iouinianus, *XXXVII.* ab Augusto, regnauit mensibus *VIII.* Hic natus est patre Varromano. Qui cùm traheretur ad imperium, dixit, se nolle gentilibus imperare, cùm ipse christianus esset. Qui cùm clamarent, se christianos esse, consensit. Synodus Antiochiæ à Meletio facta & suis, in qua homousio & homusio reiecto, medium inter hoc homoiusion Macedonianum dogma vendicaverunt. Iouianus lapsu *C*onstantii prædecessoris admonitus, honorificis litteris Athanasium requirit, ab ipso formam fidei, & ecclesiarum disponendarum suscepit modum. Sed eius læta piaquè principia mors immatura corrupit. Mortuus est autem *VIII.* mense imperii sui *XIII. C*alend. Septembr. anno vitæ suæ *XXXIII.*

Athanasius sanæ doctrinæ magister.

VALENTINIANVS I. Imp. Anno *D*omini *CCCLXVII.* Valentinianus, *XXXVIII.* ab Augusto, imperium sumpsit. Hic tempore Iuliani scutarium Tribunus extitit, integra fide. Et cùm aliquadie Iulianum sequeretur, intrantem in templum Fortunæ, & ministri eum sicut alios aqua aspergerent causa purgationis, vt ipsi dicebant, hic indignatus, ministrum templi pugno percussit, dicens

dicens se tali aqua maculari potius quàm purgari. Vnde commotus Imperator præcepit, vt vel sacrificaret, vel militiam desereret, & statim deseruit. Hic factus Imperator, Valentem fratrem in communionem regni recepit, & Gratianum filium suum Augustum creavit. Habuit & alium filium Valentinianum de Iustina, cuius pater cùm esset Piceni iudex temporibus Constantii, vidit in somnis, quòd ex dextro femore imperialem purpuram genuisset, & ideo eum Constantius occidit. Sed Dei consilium impediri non potuit. Nam Valentinianus Iustinam, filiam eius pulcerrimam, duxit, & Filium Valentinum ex ea genuit. Apollinaris, Laodicenus Episcopus, multimoda nomine religionis scripta componit, qui propterea à fide deuians, hæresin sui nominis instituit. Ambrosius, præsidatum vrbis agens, mortuo Auxentio, Mediolanense Episcopo Ariano, in Episcopum eligitur, necdum baptizatus. Sed iubente Valentiniano baptizatus, Episcopus ordinatur. Tunc temporis Alani rebellauerunt Romanis. Quos cùm Romani in Mæotidas paludes propulsassent, Valentinianus dixit, quòd si quis Alanos de Mæotidis paludibus expelleret, X. annis absque tributo permaneret. Et hoc fecerunt quidam de Sicambria. Vnde Valentinianus appellauit eos Attica lingua Francos id est feroces, duros & fortes. Sicambri autem venerant de Troia post excidium ejus, & iuxta Mæotidas paludes applicuerant, terminos suos vsque in Pannoniam dilatantes. Aedificauerunt autem ciuitatem Sicambriam. Post decennium cùm Valentinianus tributum exigeret ab eis, nuncios occiderunt. Imperator iratus misit contra eos multitudinem Romanorum, & facta est pugna magna, pluribus hinc inde occisis. Tandem Franci multitudinem Romanorum ferre non valentes fugerunt, ibique mortuus est Priamus, rex eorum. Intrauerunt autem Germaniam ad gentem Romanis infestissimam. Primumque manserunt in Turingia, reges suos habentes: postea transeuntes Rhenum, totam ferè Germaniam deuicerunt. Agrippinam verò Coloniam vocauerunt. Erat sedes regni in Suessonia ciuitate, & ibi regnauit Siagrius post Ægydium patrem suum, quem Hildericus, rex Francorum, superauit. Et cùm XXIV. annis regnasset, mortuus est, & Clodoueus filius eius pro eo regnauit, & Siagrium interfecit, omne regnum suum sibi subiiciens, & Romanos in Gallia existentes funditus deleuit. Hic accepit filiam Helperici, fratris Gundebaudi, regis Burgundionum, puellam pulchram & Christianam, nomine Godehildam. Hæc Clodouæum sæpius ad fidem hortabatur. Is promisit se futurum Christianum, si vinceret Alemannos, contrà quos bellum susceperat. Et victis eis & subiugatis, baptizatus est à B. Remigio, Rhemorum præsule cum omni gente sua. Mortuus est autem anno regni sui *XXX.* à transitu S. Martini anno *CXII.* Anno Domini *CCCLXVII.* Valentinianus fratri suo Valenti regnum Orientis dedit. Anno Domini *CCCLXVIII.* Damasus Papa *XXXIX.* sedit *XXIII* annis, contra quem Vrsicinus quidam, ecclesiæ Romanæ Diaconus, sibi sacerdotium vsurpauit. Damasus fecit basilicam S. Laurentii iuxta theatrum, & aliam in catacumbis, vbi iacuerunt corpora sancta Apostolorum Petri & Pauli. Anno Domini *CCCLXIX.* Lana vera pluuiæ permixta de nubibus fluxit. Anno Domini *CCCLXX.* Hilarius, Pictauiensis Episcopus, obiit: Post Auxentii feram mortem omnis Italia ad fidem conuertitur per B. Ambrosium. Anno Domini *CCCLXXV.* Martinus Turonis Episcopus ordinatur. Anno Domini *CCCLXXVII.* Melania, quæ & Tecla, nobilissima Romanorum, Ierosolymam veniens, multis virtutibus claruit. Anno Domini *CCCLXXIX*, Valentinianus * rupta vena, nuper incisa, moritur.

* Subita sanguinis eruptione, quæ Græcis apoplexia, vt Chronicon Hieronymi.

Anno eodem Valens, *XXXIX* ab Augusto, frater Valentiniani, cum Gratiano & Valentiniano, fratris suis filiis, regnauit & mortuo fratre statim ab Eudoxio, Episcopo Ariano, rebaptizatus est. Anno Domini *CCCLXXX.* Valens per nigromantiam

VALENS imp.

Apollinarii.

Ambrosius Episc. Mediolan.

Alani.

Fabulosa nominis & gentis Francorum origo.

Nugatur.

¶ *Aegidius iste dux Romanus fuit. Plenius de Francorum historia Sigebertus, Trithemius & alii rerum Francicarum scriptores.*

Pluit lana.

Valentis ἀλεκτρυομαντεία.

mantiam à Diabolo requisiuit, quis post eum Imperator futurus esset. Sed Diabolus ei aliqua responsa dedit, & multos eum interficere fecit. Monstrauit enim ei quatuor litteras T. E. O. D. dicens, hoc nomen post Valentem culmen imperii accepturum. Vnde ille multos, qui habebant huius nominis initium, interfecit. Idem Valens legem dedit, vt Monachi militarent, nolentes quoque fustibus iussit interfici. Idem etiam petentibus Gotthis, vt eis prædicatores mitteret, misit eis Arianos Doctores, sicque omnis gens illa facta est Ariana. Ipse quoque ab eis in prælio sauciatus, fugit: sed eum in casa vilissima, in quam fugerat, cremauerunt, anno vitæ L. regni autem XV. quorum XI. regnauit cum fratre IV. post illum. Prima habitatio Gotthorum fuit in Scythia, iuxta paludem Mæotidem, secunda in Mysia, Tertia in Dacia, quarta iuxta mare Ponticum. Habebant autem Philosophos Doctores, & erant eruditissimi. Gens autem Hunnorum diu inaccessis celata montibus, repentina rabie percita exarsit in Gotthos, cosque sparsim conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi transito Danubio fugientes, à Valente sine armorum depositione susceptí, mox per auaritiam Maximi ducis fame ad rebellandum coacti sunt. Victoque Valentis exercitu, per Thraciam se miscentes, simul omnia cædibus, incendiis, rapinisquè fuderunt. Anno Domini CCCLXXXI. Valens moritur. Priscillianus ecclesiam maculauit, Itemque Macedonius & Apollinaris. Sedulius Poëta clarus habetur. Anno Domini CCCLXXXII. Gratianus, XL. ab Augusto, cum fratre Valentiniano regnauit annis VI. Anno Domini CCCLXXXIII. Theophilus Paschalos circulos inchoauit. Anno Domini CCCLXXXIV. Synodus CL. patrum Constantinopoli aduersus Macedonium, sub Damaso Papa, qui XXIII. annis rexit Ecclesiam. Anno Domini CCCLXXXVI. Theodosius à Gratiano Imperator creatus, Arcadium filium suum consortem regni facit. Qui Theodosius maximas illas Scythicas gentes, hoc est, Alanos, Hunnos & Gotthos magnis multisque præliis vicit. Anno Domini CCCLXXXVII. Maximus ex Britannia in Gallias veniens, regnumque sibi vsurpans, Gratianum apud Lugdunum occidit, & fratrem eius Valentinianum Italia expulit. Qui tamen iustissimam cum matre sua Iustina pœnam luit exilii. Quæ & ipsum Ariana polluit hæresi, & eminentissimam catholicæ fidei arcem, Ambrosium, perfida obsidione vexauit, nec prius quam prolatis beatorum Gervasii & Protasii martyrum, Deo reuelante, reliquiis incorruptis, nefanda cæpta deseruit. Anno Domini CCCLXXXVIII. Theodosius, filius Theodosii, XLI. ab Augusto, regnum accepit solus. Huius temporibus in castello Emaus natus est puer integer & perfectus, sed ab vmbilico sursum diuisus, habens II. pectora & II. capita. Vno bibente & comedente, alter abstinuit, vno dormiente alter vigilauit. Ludebant & flebant, & se inuicem percutiebant. Vixerunt ferè annis duobus, & vno mortuo, alter superuixit diebus IV. Symmachus præfectus Romæ claruit in Philosophia, ad quem scripsit Prudentius. Anno Domini CCCLXXXIX. Theodosius Valentinianum, Italia expulsum à Maximo, in regnum restituit. Ambrosius reperit reliquias sanctorum Geruasii & Protasii. Anno Domini CCCXCI. Augustinus ab Ambrosio baptizatur. Anno Domini CCCXCIV. Syricius Papa XL. sedens annis VIII. obiit V. Calend. Decembris. Anno Domini CCCXCV. Hieronymus librum, quem de illustribus viris scripsit, huc vsque perduxit. Anno Domini CCCXCVI. Valentinianus occiditur. Anno Domini CCCXCIX. Theodosius Mediolani moritur. Augustinus Hipponi Episcopus ordinatur. Arcadius, filius Theodosii, XLII. ab Augusto, cum fratre Honorio regnauit annis XIII. Hi imperium diuidunt, Arcadius orientem, Honorius obtinuit occidentem. Iohannes eremita obiit. Claudianus & Prudentius claruerunt. Anno Domini CCCC. Media nocte Dominica S. Martinus, Turonorum Episcopus, migrauit ad Dominum IV. Idus Nouembris. Et CCCCI. Ambrosius obiit. Anno Domini CCCCII. Anastasius Papa XLI. sedit annis II. obiit V. Calend. Maii. Anno Domini CCCCIII.

¶ Vide C. lib. 10. tit. 31. l. 26.

Antiquissima Gothorum sedes.

¶ De hoc argumento consulendi Herodotus, Thucydides, Strabo Iornandes &c.

GRATIANVS & VALENTINIANVS II. Imp.

Synodus Constantinopol.

THEODOSIVS I. Imp.

Maximus Tyrannus.

Monstrum bicorpor.

ARCADIVS & HONORIVS Imp.

CCCCIV. Synodus Alexandriæ fit propter doctrinam Origenis. Archadius Iohannem Chryſoſtomum inſtinctu Eudoxiæ vxoris relegauit in exilium. Iohannes Chryſoſtomus, Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopus, Græca lingua condidit multa præclara opera. Hic *XIII.* anno Epiſcopatus ſui diſcordia Theophili, Alexandrini Epiſcopi, oppreſſus eſt, & in exilium per Archadium innocenter remiſus. Anno Domini CCCCV. Innocentius Papa *XLII.* ſedit annis *XV.* obiit *IV.* Idus Martii. Pelagius & Cœleſtinus hæretici ſurrexerunt, quos damnauit Innocentius Papa. Corpora ſanctorum Abacuc & Micheæ Prophetarum diuina reuelatione produntur. Gothi Italiam, Wandali atque Alani Gallias aggrediuntur. Innocentius Papa dedicauit eccleſiam Geruaſii & Protaſii martyrum ex deuotione teſtamenti cuiusdam illuſtris fœminæ, Veſtinæ. Pelagius Brito Dei gratiam impugnat. Anno Domini CCCCVII. Seuerus vitam S. Martini deſcribit. Iſte Seuerus presbyter, cognomento Sulpitius, de Aquitania, in ſenectute ſua à Pelagianis deceptus, & recognoſcens loquacitatis crimen, ſilentium vſque ad mortem tenuit, vt peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo emendaret. Anno Domini CCCCX. Arcadius Conſtantinopoli moritur. Honorius, *XLIII.* ab Auguſto, poſt mortem fratris cum Theodoſio eius filio, regnauit annis XV. Temporibus Honorii & Theodoſii claruit Lucianus, vir ſanctus, cui reuelauit Deus locum ſepulcri, & reliquias ſancti Stephani protomartyris, & ſcripſit ipſam reuelationem ad omnes eccleſias Græco ſermone. Verba ſunt hæc Beati Hieronymi, cui in nulla aſſertione ſua aliquis poterit refragari. Sed ipſa reuelatio inter apocrypha computetur. Auguſtinus Afer, Hipponenſis Epiſcopus, mirus Philoſophus, fide clarus, ſcripſit quanta nec inueniri poſſunt. Tempore Honorii Crocus * Wandalorum rex, cum Sueuis & Alemanis Mogontiam, Metim & Treuerim ad ſolum deiecit, cùm Græciam hi etiam ante attentaſſent. Tempore Theodoſii junioris Attila Treuerim obtinuit. Anno Domini CCCCXIV. Alaricus, rex Gothorum, Romam inuaſit, partemque eius incendio cremauit. VIII. Calend. Septembr. Anno conditionis eius M. C. LXIV. Anno Domini CCCCXVIII. Corpora ſanctorum, Stephani, Gamaliëlis & aliorum reuelata ſunt. Anno Domini CCCCXX. Zoſimus Papa *XLIII.* ſedit annum vnum. Hic conſtituit, vt Diaconus læuam tegeret. Anno Domini CCCCXXI. Bonifacius Papa *XLIV.* ſedit annis tribus, menſibus *VI.* Britanni, Scotorum & Pictorum infeſtationem non ferentes, Romam mittunt, & ſui ſubiectione promiſſa, contra hoſtem auxilia flagitant. Quibus ſtatim miſſa legio magnam barbarorum multitudinem ſternit, cæteros Britanniæ finibus pellit, ac domum reuerſura præcepit ſociis, ad arcendos hoſtes murum trans inſulam inter duo maria ſtatuere. Qui absquè artifice magiſtro magis ceſpite quàm lapide factus, nihil operantibus profuit. Nam mox vt diſceſſere Romani, aduectus nauibus prior hoſtis quaſi maturam ſegetem obuia quæque ſibi cedit, calcat, deuorat. Iterum petentibus auxilia Romani aduolant, & cæſum hoſtem trans maria fugant, coniunctisque ſibi Britannis, murum non terra vt antè pulucreum, ſed ſaxo ſolidum inter ciuitates, quæ ibidem ob metum hoſtium fuerant factæ, à mari vsque ad mare collocant. Sed & in litore meridiano maris, quia inde hoſtis timebatur, turres per interualla ad proſpectum maris ſtatuunt. Sic valedicunt ſociis, tanquam ultrà non reuerſuri. Oroſius presbyter claruit, Hiſpanus vir eloquens, & hiſtoriarum conditor. Scripſit in *VII.* libris ferè totius orbis calamitates & inſidias. Hic ab Auguſtino ad B. Hieronymum pro diſcenda ratione miſſus, reliquias B. Stephani Protomartyris, tunc nuper inuentas, rediens primus intulit occidenti. Anno Domini CCCCXXII. Sanctus Hieronymus obiit anno vitæ *XCI. II.* Calend. Octobr. Anno Domini CCCCXXIV. Honorius Conſtantium conſortem regni fecit apud Rauennam. Anno Domini CCCCXXV. Cœleſtinus Papa *XLV.* ſedit annis ferè octo, & *VIII.* Calend. Aprilis obiit. Hic conſtituit Sanctus cantari. Anno Domini CCCCXXVI. Honorius Romæ moritur. Theodoſius Arcadii filius, *XLIV.*

Ioan. Chryſoſtomus.

Sulpitius Seuerus.

THEODOSIVS II. imp.

* *al. Gondigiſclus, hiſtor. miſ. Wodogiſclus.*

Scoti & Picti vexant Britaniam.

¶ *Vide Hiſtor. miſc. lib. 14.*

¶ *Idem tradit Sigebertus ad ann. 423. Polydorus Virgil. hiſtor. Angl. lib. 3. Nam Romani ſcriptores variant. Oroſius.*

XLIV. ab Augusto, solus obtinuit imperium. Antea regnauerat cum patruo annis XV. & postea XXVI. qui fuerunt XLI. Hic Valentinianum, amitæ suæ Placidiæ filium, Cæsarem facit apud Rauennam, & Placidia mater eius Augusta nuncupatur. Hieronymus: Sub isto Theodosio claruit Paschasius, Sicilien: Episcopus, vnam Paschalem epistolam ad Leonem Papam scribens, in qua sic refert: est, inquit, possessio, quæ appellatur Mentinas, in montibus arduis densissimisque constituta. Illic parua, & vili opere constructa est ecclesia, in cuius baptisterio nocte sacrosancta Paschali baptizandi hora, cùm nullus canalis sit vel fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur, paucisque qui affuerant consecratis, cùm deductorium nullum sit, vt venerat aqua descendit, & ex se. Nestorius Episcopus ecclesiam maculauit, quem Cœlestinus Papa damnavit. Effrena gens Wandalorum, Alanorum & Gothorum, ab Hispanis ad Africam transiens, omnia ferro, flamma, rapinis simul & Ariana impietate fœdauit. Sed B. Augustinus, Hipponensis Episcopus, & omnium doctor eximius ecclesiarum, ne ciuitatis suæ ruinam videret, tertio obsidionis eius mense migrauit ad Dominum V. Calend. Septembris, anno ætatis LXXVI. clericatus vei Episcopatus XL. B. Seruatius floruit. Attila, rex Hunnorum, Thraciam & Illyricum deuastauit. Eo tempore Wandali capta Carthagine, Siciliam, quoque delenerunt. Cuius captiuitatis Paschasius, Lilybitanus Episcopus, in epistola, quam de ratione Paschali Papæ Leoni scripsit, meminit. Ad Scothos in Christum credentes ordinatus à Papa Cœlestino Palladius primus Episcopus mittitur, anno Theodosii VIII. Recedente à Britannia Romano exercitu, cognita Scoti & Picti reditus denegatione, redeunt ipsi, & totam ab Aquilone insulam pro indigenis munitenus capessunt. Nec mora cæsis, captis, fugatis custodibus muri, & ipso interrupto etiam, intra illum crudelis prædo gassatur. Mittitur epistola lacrymis ærumnisque referta ad Romanæ potestatis virum, XXIII. Theodosii principis anno, petens auxilium, nec impetrat. In terra fames dira ac famosissima profugos infestat, qua coacti quidam hostibus dedere manus. Alii de montibus, speluncis ac saltibus strenuè repugnabant, ac strages hostibus dabant. Reuertuntur Scoti domum, post non multum tempus reuersuri. Picti extremam insulæ partem tùm primùm & deinceps inhabitatim detinent. Famem præfatam magna frugum opulentia, opulentiam luxuria & negligentia, negligentiam lues acerrima, & acrior mox hostium nouorum, id est, Anglorum plaga secuta est. Quos illi vnanimi consilio cum rege suo Vertigerno, quasi defensores patriæ ad se inuitandos elegerunt, sed exceptos mox impugnatores atque expugnatores sensérunt.

VALENTINIANVS III. Imp

Baptisterii aqua miraculosa.

Augustini Episc. mors

Seruatius.

Palladium. Iterata Scotorum & Pictorum in Britaniam irruptio.

κλημαξ.

Angli de auxiliarii hostes.

¶ *Accidit id scilicet notorio plurimarum gentium exemplo: & conuenit de equo & cerno Apollinem apud Horatium.*

Anno *D*omini CCCCXXXI. Clodius, Faramundi filius, regnauit in Francia annis XI. Anno *D*omini CCCCXXXI. Ioannes Cassianus collationes patrum scribit. Anno *D*omini CCCCXXXIV. Sixtus Papa XLVI. sedit annis VIII. Hic fecit basilicam S. Mariæ matris Domini, quæ ab antiquis Liberi cognominabatur. Hic obiit V. Calend. Aprilis. Anno *D*omini CCCCXXXV. Synodus vniuersalis CCC. Episcoporum congregatur in Epheso contra Nestorium. Anno *D*omini CCCCXL. Valentinianus filiam Theodosii in matrimonium accepit. Anno *D*omini CCCCXLI. Terræmotus maximi facti sunt Constantinopoli per IV. menses, ita vt populus extra ciuitatem cum Proclo Episcopo letanias cantaret. Quadam ergò die populo attentius Kyrie eleyson clamante, circa horam tertiam omnibus videntibus quidam adolescentulus in aerem subleuatus hanc vocem audiuit: Dic Episcopo & populo letanias facere, & sic dicere: Sanctus *D*eus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere nostri, nihil aliud apponendo. Quod cùm facerent, terræmotus cessauit, & Pulcheria, Sororor Theodosii, unà cum fratre super hoc miraculo valdè mirata, sanxit per totum

Synodus Ephesina.

Terræmotus Constantinopol. & Vide Hist. misc. lib. 14.

totum orbem taliter decantari. Roma etiam his temporibus multo terræmotu in ædificiis pluribus est concussa. Iulianus Pelagianista hæreticus à Sixto Papa damnatur. Anno *Domini* CCCCXLII. Leo Papa XLVII. sedit annis XVI. & IV. Calend. Iulii obiit. Anno *Domini* CCCCXLVI. B. Brictius obiit. Anno *Domini* CCCCXLVII. Eustochius Brictio succedit. Anno *Domini* CCCCXLIX. Bleda, Hunorum rex, fraude Attilæ fratris percutitur. Anno *Domini* CCCCLIII. Theodoricus nascitur. Theodosius iunior, orientis Imperator, obiit anno imperii XLI. apud Constantinopolin. Erat autem sapiens, patiens & clemens, ita vt reos mortis vsque ad portam sequens reuocaret. Fuit tamen mobilis quasi ventus. Martianus, XLV. ab Augusto, orientis Imperator efficitur. Nam Pulcheria, soror Theodosii, mortuo fratre Martianum, in pudicitia conuersantem, senem & idoneum virum sic alloquitur: Quoniam Imperator mortuus est, & ego te elegi ex omni Senatu, da mihi verbum, quòd virginitatem meam, quam Deo voui, custodias, pronuncio te Imperatorem. Quod illo pollicente, ipsa accersito Patriarcha Anatolio, pronunciauit eum Imperatorem. Regnauit autem cum Valentiniano annis VII. Aërius Attilam regem superauit. Anno Domini CCCCLV. Synodus IV. DC. XXX. Episcoporum in Chalcedone sub Leone Papa contra Eutychen. Gensericus, rex Wandalorum, despoliauit Romam, cui se Paulinus pro filio viduæ donauit in seruum. Gens Anglorum siue Saxonum Britanniam tribus longis nauibus aduchitur. Quibus dum iter prosperatum domi fama referret, mittitur exercitus fortior, qui iunctus primò hostes, quos petebat, abegit, deinde in socios arma vertens, totam propè insulam ab orientali eius plaga vsque ad occidentalem igne vel ense subegit, confícta occasione, quod pro se militantibus Britones minus sufficienter stipendia darent. Iohannes Baptista caput suum duobus Monachis orientalibus, qui ab oratione venerant Ierosolymam, iuxta Herodis quondam regis habitaculum reuelat. Quod deinceps Edessam, Mesopotamiæ vrbem, perlatum & digno honore cultum est. Hæresis Pelagiana Britannorum turbat fidem. Qui à Gallicanis Episcopis auxilium quærentes, Germanum, Altisiodorensis Ecclesiæ Episcopum, & Lupum Trecasenum, æquè Apostolicæ gratiæ antistitem, fidei defensores accipiunt. Confirmant Antistites fidem verbo veritatis simul & miraculorum signis. Sed & bellum Saxonum Pictorumque aduersus Britannos, eo tempore iunctis viribus susceptum, diuina virtute retundunt, cùm Germanus ipse dux belli factus non tubæ clangore, sed clamore Alleluia totius exercitus voce ad sydera leuata, hostes in fugam vertit immanes. Qui deinceps ad Rauennam perueniens, & summa reuerentia à Valentiniano & Placidia susceptus, migrauit ad Christum. Corpus honorifico agmine comitantibus virtutum operibus Altisiodorum defertur. Anno *Domini* CCCCLVI. Aëtius Patricius, magna occidentalis reipubl. salus, & regi quondam Attilæ terror, à Valentiniano occiditur, cum quo Hesperium cecidit regnum, neque hactenus valuit releuari. Anno *Domini* CCCCLVII. Valentinianus ab amicis Aëtii occiditur. Anno *Domini* CCCCLVIII. Hilarius *Papa* XLVIII. sedit annis VII. obiit IV. Idus Decembris. Per hunc scripsit Victorius *Paschalem* cyclum DXXXII. annorum. Anno Domini CCCCLIX. Martianus, orientis *Imperator*, moritur. Leo Bessita, XLVI. ab Augusto, ab Anatolio *Patriarcha* coronatur in oriente, & regnauit annis XVII. Hic filium suum Leonem socium sibi fecit in regno. Majorianus occidentale tenuit imperium apud Rauennam. Leo *Imperator* pacem faciens cum Ostrogothis, quibus tunc Walemir præerat fratris eius Thietmari filium, Theodoricum, quem de Verona nuncupant, iam VIII. annos habentem obsidem accepit. Sub Leone autem Anthemius & Olybrius Romæ regnauerunt. *Hæresis* Acephalorum orta est, qui respuerunt Chalcedonense consilium. Leo pro tomo Chalcedonense per vniuersum orbem singulis Orthodoxorum Episcopis singulas consonantesque misit epistolas,

Prosperi Aquitan. refert ad ann. 442.

Attilæ parricida.

Consuetudo Ecclesiæ mirabilis in Scell. in fine lib. 14.

MARTIANVS Imp.

Synodus Chalcedonensis.

Anglorum in Britannia primordia.

ἀπογραφὴ monastica.

Germanus & Lupus Episcopi Gallicani.

Victoria miraculosa.

Cædes Aëtii.

LEO Imp.

Majorianum.

Theodorici Veronensis.

Acephali.

las, quid de eodem tomo sentirent, rescribi sibi postulans. Quorum adeò consonantia de vera Christi incarnatione susceptit omnium scripta, ac si vno tempore vnoque dictante fuissent vniuersa conscripta. Theodorus, Episcopus ciuitatis, quæ à Cyro, Persarum rege condita, Cyri nomen habuit, scribit de vera incarnatione Domini aduersus Eutychem & Dioscorum, Alexandriæ Episcopum, qui humanam in Christo carnem negant. Scribit & historiam ecclesiasticam à fine Eusebii vsque ad suum tempus, id est vsque ad imperium Leonis huius, sub quo & mortuus est. Leo moriens Leonem nepotem suum ex Ariadne filia, Zenonis filium, Imperatorem constituit, qui manu sua patrem coronans, mortuus est. Primo anno Leonis senioris corpus S. Anastasiæ delatum est à Syrmio in templum eius in porticibus Domini. Anno Domini CCCCLXV. Simplicius Papa XLIX. sedit annis XII. obiit VI. Non. Martii. Anno Domini CCCCLXVII. Pictor quidam cum depingere præsumpsisset Saluatorem ad similitudinem Iouis, arefacta est manus eius, quem pœnitentem sanauit Gennadius Episcopus. Anno Domini CCCCLXVIII. Translatus est apud Alexandrinam Elisæus Prophetа in monasterium Pauli leprosi, qui leprosum sanauit, & leprosum fecit, & in domum leprosi translatus est. Anno Domini CCCCLXXV. Leo senior obiit, & iunior paucis regnauit. Zenon, genere Isaurus, XLVII. ab Augusto, regnauit in oriente annis XVII. Nepote in occidente tenente imperium, quem Orestes Patricius perturbans, Augustulum filium suum Imperatorem fecit, & cum rege Wandalorum Geiserico fœdus statuit. Interea Odoacar, genere Rugus, de Pannonia venit in Italiam, quem metuens Orestes, se in Papia inclusit. Sed Odoacar eam expugnans, Orestem trucidauit, & barbari continuò totam sibi Italiam subdiderunt, & Augustulus territus imperialem deposuit maiestatem, cùm vix XI. mensibus imperasset. Sic Augustalis sublimitas, quæ DCCIX. anno ab vrbe condita cœpit ab Augusto, in hoc Augustulo perlit, anno ab vrbe condita M. CC. XXVIII. Igitur deiecto Augustulo, Odoacar vrbem ingressus, totius Italiæ obtinuit principatum, & hoc per XIV. annos donec Theodoricus, quem de Verona dicunt, rex Ostrogotthorum, permittente Augusto, Italiam possessurus intrauit. Anno Domini CCCCLXXVII. Felix Papa L. sedit annis VIII. Anno Domini CCCCLXXVIII. Odoacar Italiam intrauit. Anno Domini CCCCLXXIX. Corpus Barnabæ Apostoli, & Euangelium S. Matthæi, stylo ipsius scriptum, inuentum est. Anno Domini CCCCLXXXIV. Clodoueus Hilderici filius, regnauit in Francia annis XXX. Hunc B. Remigius baptizauit. Anno Domini CCCCLXXXV. Gelasius Papa LI. sedit annis III. mensibus VIII. Obiit autem XIII. Calend. Decembris. Hic damnauit Acacium & complices eius. Saxones Galliam vastabant, & Britanniam Romanis abstulerunt. Concilia Galliæ & Burgundiæ Cæsarius Arelatensis instituit, & Auitus Viennensis. Anno Domini CCCCLXXXVI. Honoricus rex Wandalorum, filius Genserici amarus in Africa, exulatis diffugatisque plusquàm CCCXXXIV. Episcopis Catholicis, ecclesias eorum clausit, plebem variis affecit suppliciis, & quidem innumeris manus abscindens, linguas quoque præcidit, nec tamen loquelam catholicæ professionis eripere potuit. Horum B. Gregorius meminit in libro dialogorum. Britanni, duce Ambrosio Aureliano, viro modesto, qui solus fortè Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, occisis in eadem parentibus, purpura indutis, victricem eorum gentem prouocantes ad prælium, vincunt. Ex eo tempore nunc hi nunc illi palmam habuere, donec aduena potentior tota per longum potiretur insula. Anno Domini CCCCXC. Anastasius Papa LII. sedit ann. I. menses X. Anno Domini CCCCXCII. Anastasius, XLVIII. ab Augusto, regnauit XXVIII. annis. Theodoricus verò cùm Gotthis Romano præsedit imperio. Hic Arianus, ille Eutychianus hæreticus. His temporibus quidam Romani Symmachum, quidam Laurentium in Romanum Pontificem elegerunt. Pro qua causa multa homicidia facta per III. annos, donec Theodoricus Roman

Theodorus Episc.

Impia pictura pœna.

ZENO Imp.

Augustulus. Odoacer Rugus.

Augusti nomen Imperio Rom. fatale.

Saxones.

Honorici R. sauitia.

Ambrosius, dux Britannorum, victoriosus.

ANASTASIVS Imp.

Schisma Papale.

Romam veniens, licet Arianus esset, habita Synodo, Symmachum confirmauit, Laurentium verò in Nucerina ciuitate fecit Episcopum, & quia quiescere noluit, à Symmacho depositus, Dalmatiam in exilium mittitur. Symmachus Papa *LII.* sedit annis *XIV.* Beatus Fulgentius, Episcopus, claruit. *Blasphemus diuinitus punitus.*

Ipsis diebus quidam Olympius, Arianus, dum in balneo quædam indigna & blasphema loqueretur de S. Trinitate, subitò igneus gladius de cœlo venit, eumque percussit. Deuterius, Arianorum Episcopus, dum Byzantii quendam, nomine Barbam, baptizaret sic: baptizo te, Barbas, in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto, subitò aqua, in qua baptizare debuit, nusquam comparuit. Et Barbas ad ecclesiam catholicam confugiens, se baptizari impetrauit. Tunc etiam duo Ariani * Episcopi venerunt ad Alamundarum, Sarracenorum regem, baptizatum, suadentes ei, vt suæ sectæ consentiret. Ille memorabiliter eos radarguit huiuscemodi fabula. Ait enim: Hodiè litteras accepi, quod Michaël archangelus mortuus est. Illis autem dicentibus, hoc impossibile esse, Rexait. Et quomodo Christus crucifixus est, si naturarum non est duarum? Vnde cum confusione recesserunt Episcopi. Anno Domini CCCCXCIII. prima erat Indictio.

Prodigium baptismi Ariani.

** Eutychiani.*

Alamundarum Sarracenum.

¶ *De indictionibus vide Methodum nostram legendi Historiam.*

Anno Domini CCCCXCV. Theodoricus Odoacarum occidit, & regnum occidentis XXXI. ann. tenuit. Anno Domini CCCCXCVIII. Trasemundus, Wandalorum rex, catholicas ecclesias clausit & CCXX. Episcopos in exilium misit. Symmachus Papa inter multa ecclesiarum opera, quæ vel à fundamentis creauit, vel prisca renouauit, ad B. Petrum & B. Paulum & B Laurentium pauperibus habitacula construxit, & omni anno per Africam vel Sardiniam Episcopis, qui in exilio erant, pecunias & vestes ministrabat. Anno Domini *D. III.* Boëthius Consul Romæ plurima ingenii sui monumenta scribendo reliquit. Anno Domini *D. V.* Theodoricus Romam venit & multa ædificia construxit. Anno Domini *D. VI.* Hormisda Papa *LIV.* sedit annis *IX.* obiit *VIII.* Idus Augusti. Anno Domini *D. XIII.* Clodoueus, Rex Franciæ, obiit, cuius filius Lotharius post eum regnauit annis *LI.* Anno Domini *D. XV.* Iohannes Papa *LV.* sedit annis duobus. Anno Domini *D. XVI.* Theodoricus Amalasiuindam filiam suam dedit Eutharico. Anno Domini *D. XVIII.* Felix Papa *LVI.* sedit annis *II.* mensibus *VIII.* obiit *XI.* Calend. Ian. Anastasius Imperator, qui hæresi fauens Eutychetis catholicos insecutus est, diuino fulmine periit. Anno Domini *D. XIX.* Iustinus, vir catholicus, *XLIX.* ab Augusto regnauit *XIII.* annis. Anno Domini *D. XXII.* Bonifacius Papa *LVII.* sedit ann. *II.* Anno Domini *D. XXIV.* Iohannes, qui & Mercurius, Papa *LVIII.* sedit annis *II.* obiit *V.* Calend. Iunii. Anno Domini *D. XXV.* Iustinus Imperator præcepit ecclesias à catholicis Episcopis consecrari. Vnde Theodoricus, rex Arianus, Iohannem Papam misit ad ipsum, vt ecclesias hæreticis redderet, alioquin ipse totum Italiæ populum gladio feriret. Qui veniens Constantinopolin, cùm venisset ad portam auream cæcum illuminauit. Interea Theodoricus Symmachum Patricium & Boëtium Senatorem gladio peremit, & Papam redeuntem fame extinxit, inuidia ductus, quia Iustinus eum honorificè susceperat. Vnde vindicta Dei *XCIX.* dehinc die subitanea morte interiit, eique Athalaricus successit in regnum. Anno Domini *D. XXVI.* Iustinus Iustinianum, filium sororis suæ, consortem regni & successorem faciens obiit. Agapetus Papa LIX. sedit annis *X.* obiit *V.* Calend. Maji. Hildericus, Wandalorum rex, Episcopos ab exilio reuerti, & ecclesias instaurare præcepit, post annos *LXXIV.* hæreticæ profanationis. Sigismundus, rex Burgundionum, à Francis martyrio coronatur. Concilium Toletanum. Anno Domini *D. XXVII.* Iustinianus, *L.* ab Augusto, regnauit annis *XXXVIII.* Hic statum reipubl. reparauit. Herulorum regem, Getem, baptizatum Constantinopoli de fonte leuauit.

Symmachus Papa scribit.

Lotharius rex Francorum.

IVSTINVS I. Imp.

¶ *Vide Histor. misc. lib. 15.*

IVSTINIANVS Imp.

Getes, rex Herulorum.

Regem quoque Hunnorum, * qui iuxta Bosporum manebant, venientem ad se baptizari iussit, & cum donis remisit, ad Romanas res custodiendas, & Bosporum ciuitatem, quæ ideo sic dicitur, quia Romanis boues pro pecunia per annos singulos transmiserunt. In Antiochia cùm esset terræmotus maximus, Euphrasius Episcopus obrutus est, & omnis domus & ecclesia cecidit, & pulchritudo ciuitatis exterminata est. Nec facta est diuinitus talis ultio in alia ciuitate. Interea Papa Agapetus Constantinopolin veniens ad Imperatorem rogatu Theodati, regis Gotthorum, cui Imperator offensus fuerat, quia Amalasvvindam, quæ eum regem fecerat, occidit, reperit eum in Eutychetis hæresin corruisse. Sed tandem ad fidei regulam reuocauit. Anthemium, etiam Constantinopolitanum Episcopum, hæreticum mitti fecit in exilium, & non multo post ibidem defunctus est. Belizarius patricius, à Iustiniano in Africam missus, Wandalorum gentem deleuit. Carthago quoque anno cessionis suæ CVI. recepta est, pulsis deuictisque Wandalis, & Gelimero rege corum capto, & Constantinopolin misso. Parthi quoque longè latèque Romanum imperium vastabant. Franci etiam vastatis Thuringis, in terram eorum Saxones posuerunt. Iisdem temporibus S. Pater Benedictus in monte Cassino doctrinis & miraculis claruit. Quo cùm primo tenderet, tres corui, quos nutriebat, volando eum secuti sunt, & cùm veniret ad biuium, duo Angeli uiam ei in specie iuuenum ostenderunt. In ipso autem loco quidam Dei seruus habitabat, cui vox de cœlo dixit. *His tu parce locis, alter amicus adest.* Et B. Benedictus venit in summitatem montis, & ibidem facto monasterio habitauit.

* nomine Gordam. *Histor. misc.* Negatur. ¶ *Histor. miscell. lib. 15.*

Agapeti Papæ legatio Constantinopol.

Belisarius a.

Saxonum in Thuringia primordia. Benedictus Abbas.

a ¶ *De huius origine Germanica Ioann. Leunclauius proœm. in Zosimum, & pag. 125. in margine Procopii. Encomium eius habet Suidas* Βελισάριος.

Anno Domini D. XXVIII. terræmotus magnus Antiochiæ factus est. Dictum igitur est cuidam viro Dei, vt diceret omnibus, quòd scriberent in superliminaribus suis: Christus nobiscum est, state. Hoc facto, stetit plaga. Anno Domini D.XXIX. Iustinianus sententiam dedit, ne militarent hæretici vel pagani. Anno Domini D.XXXII. Cyclus finitus est. Anno Domini D.XXXII. Dionysius, Abbas Romanus Paschales Cyclos inchoauit. Ab hoc anno, qui est annus Diocletiani CC.LXVIII. Post Consulatum Lampadii & Orestis, quo anno Codex Iustiniani orbi promulgatus est, Victor quoque, Capuanus Episcopus, librum de Pascha scribens, Victorii arguit errores. Plurimi in computo studuerunt, ne Pascha sub errore celebraretur. Iulius bissextum adinuenit, vir peritus astrorum, sicut in Lucano * de eo legitur: *Media inter prælia semper Stellarum cælique plagis superisque vacaui.* Sed quamuis hoc pro inani gloria fecit, prout creditur, tamen in hoc studio Computum magnificè emendauit. Nam si bissextum Ecclesia non seruaret, infra DCC.XXXVI. annos dies natiuitatis Domini in diem S. Iohannis Baptistæ labetur. Et bissextum generant illæ VI. horæ, quæ singulis annis vltra CCC.LXV. dies supersunt, de quibus IV. anno conficitur vnus dies. Sol enim singulis annis percurrit totum Zodiacum id est CCC.LXV. gradus, & inde generatur bissextus. Præterea Sol singulis annis, dum lustrauerit prædictos gradus, & quartam partem vnius gradus annuatim adiicit percurrendo centesimam & vicesimam partem vnius gradus. Et hæc particula nunquam fuit ab initio mundi in calculatione annorum vel temporum obseruata, Vnde factum est, vt dies, qui in primo anno creationis mundi breuissimus erat illo tempore, quo nunc habemus VIII. Idus Februarii, nunc scilicet anno Domini M.CC.LVI. breuissimus sit XVII. Calend. Ianuarii. Dies autem Natiuitatis Christi, eo nascente erat in prolongatione per XXXIX. annos. Hodiè autem id est M.CC.LVI. anno gratiæ LIII. dies pleni à mundi principio intrauerunt, & calculationem istam in XVIII. Cal. Ianuarii perduxerunt. Sicque dies ille, qui nunc

¶ *Histor. misc. lib. 16.*

Cycli Paschales.

lib. 10.

De anno bissextili commentatio.

Quo tempore auctor vixerit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nunc est in prolongatione, id est *XI.* ante Natiuitatem Domini, habet *LXXXV.* annos consumptos, *XXV.* inconsumptos. Illis consumtis, iterum incipit dies proximus prolongari. Nam *C. XX.* annis semper vnum diem deducunt, ita quòd per *XXI.* millia annorum, si mundus tam diu subsisteret, vbi nunc est dies longissimus, fieret tunc breuissimus, & è conuerso. Si verò saltus Lunæ non seruaretur in ducentis *LXXXV.* annis, plenilunium esset, vbi primilunium legeretur, & econuerso. Prouenit autem ex eo saltus Lunæ, quòd in qualibet lunatione incircuitione, qua Luna Zodiacum peruolat, tantum supereſt, quòd expletis *XIX.* annis vnius diei cursus in Luna superfluit, & hic *XIX.* anno adiicitur, & pro *XXIX. XXX.* computatur mense Iulio. Supereſt autem cuilibet lunationi hoc, scilicet *IV.* momenta vna vncia & vna atomus. Et ex horum collectione per *XIX.* annos conficitur dies vnus. Anno Domini D.XXXIV. Iustinianus ad psallendum Ecclesiæ tradidit istud: Vnigenitus filius & verbum Dei. Anno *D*omini D.XXXVI. Syluerius Papa sexagesimus sedit annis *II.* Obiit *XII.* Calend. Iulii. Anno *D*omini D.XXXVII. Theodoricus, filius Clodouei, frater Lotharii, obiit anno regni sui vicesimo tertio. Anno *D*omini D.XXXVIII. Vigilius *P*apa *LXI.* sedit annis *XIV.* Hic pro eo, quòd nollet Anthemium hæreticum reuocare in communionem, ab Augusta Theodora iussus teneri, ductus est in Græciam, vbi per biennium de Anthemio interpellatus, & alapis cæsus, in custodiam missus est, ibique afflictus multo tempore. Anno *D*omini D.XLI. Hypapante Domini sumpsit initium apud Byzantium. Anno *D*omini D.XLIII. terræmotus magnus fuit in vniuerso mundo. Eodem anno quidam Italus, Andreas, per villas discurrens cum cane rufo & cæco, stetit in medio populi, & astantes posuerunt in terram annulos aureos, ferreos, argenteos, quos ille cooperuit, & ad eius præceptum canis singula tulit, & vnicuique, quod posuerat, dedit. Similiter diuersorum Imperatorum numismata iussus secundum nomina porrigebat. Interrogatus ostendebat fornicarios, adulteros, auaros, magnanimos, deuirginatas mulieres, & quicquid aliquis de singulis requirebat. Vnde dicebant quidam, quòd Spiritum Pythonis haberet. Anno Domini D.XLIV. Corpus S. Antonii Monachi, diuina reuelatione repertum, Alexandriam defertur, & in ecclesia B. Iohannis Baptistæ humatur. Anno Domini D.XLVI. Arator subdiaconus librum suum coram Vigilio *P*apa legit. Romæ Cassiodorus floruit, & Fortunatus, Poëta metricus, & apud Constantinopolin Priscianus Cæsariensis profundum Grammaticæ inquisiuit, & Iuliano consuli librum suum de arte Grammatica compositum obtulit. Anno Domini D.XLVII. Synodus quinta vniuersalis in Constantinopoli, sub Vigilio *P*apa contra Theodorum & omnes hæreticos. Anno Domini D.XLIX. facta sunt S. Apostolorum in Constantinopoli encænia Idib. Iulii, & recondita sunt lipsana Andreæ & Lucæ & Timothei, & transiit Menas Episcopus cum sanctis lipsanis, sedens in carruca Imperatoris aurea & gemmata, tenens tres thecas Apostolorum in genibus suis, & sic celebrauit encænia. Anno Domini *D. LII. P*elagius Papa *LXII.* sedit annis *XII.* Anno Domini *D.LV.* apparuit ignis in cœlo quasi species lanceæ. Anno Domini *D. LXIV.* Iohannes Papa *LXIII.* sedit annis *XIII.* Anno Domini *D.LXVI.* Iustinus, Iustiniani nepos, *LII.* ab Augusto, monarchiam accepit XI. annis, coronatus ab Eutychio Patriarcha. Hic primò pius & orthodoxus, postea cecidit in multa vitia. Fecit autem Tiberium, Comitem excubitorum, Cæsarem. Armenii fidem suscipiunt. Anno Domini D.LXVII. Narses patricius, qui Totilam, regem Gotthorum, in Italia superauit & occidit, per inuidiam Romanorum, pro quibus multa contra Gotthos laborauit, accusatus apud Iustinum, & coniugem eius Sophiam, quòd seruitio premeret Italiam, recessit Neapolin Campaniæ, & scripsit genti Longobardorum, vt venirent & possiderent Italiam. Longobardi ergo petentes Italiam, de Panno-

Theodora Aug. facit in Vigilium.

Hypapante.

Andreas circulator q Vide Histor. misc. lib. 16.

Λείψανα Antonij Abbatis.

Priscianus Grammaticus.

Encænia Constantinopol.

Cometa.

IVSTINVS II. Imp.

Longobardi in Italiam exeunt.

nia egressi sunt duce Narsete Eunucho, contra quem Romani sic scripserunt Iustino & Sophiæ, vxori eius: Melius esset nobis, seruire Gotthis quàm Græcis, tibi Narses castratus imperat, & nos seruitio premit: Aut libera nos de manu eius, aut certè ciuitatem & nos trademus. Vnde Augustus Longinum præfectum misit in Italiam contra Narsetem. Sophia quoque Augusta sic scripsit Romanis: Ponam illum castratum in gynæceo, vt perpensam filet lanam cum puellis. Ad hæc Narses respondit: Talem eidem ordiar telam, quòd quàm diu vixerit illa Sophia nequeat deponere eam. Et statim transtulit se Neapolin, & missis legatis ad Longobardos (erant enim in Pannonia) eos in Italiam introduxit. Anno Domini D.LXX. Longobardi Mediolanum intrauerunt. Anno Domini D.LXXV. Iohannes, Romanæ ecclesiæ Pontifex, ecclesiam Apostolorum Philippi & Iacobi, quam prædecessor eius Pelagius cœperat, fecit & dedicauit. § Iustinus Imperator obiit, & dicunt, quòd in hæresin Pelagianam inciderit, & cum amentia vitam finierit. Anno Domini D.LXXVII. Tiberius Constantinus, LIII. ab Augusto, regnauit annis VII. Hic plurima pauperibus erogauit, & thesaurum infinitum inuenit sub pauimento palatii, & in domo Narsetis. Hoc tempore B. Gregorius, tunc archidiaconus, missus est Constantinopolin à Pelagio Papa, & rogatu Leandri, Hispanensis Episcopi, & aliorum fratrum, moralia Iob scripsit, & Eutychium, eiusdem vrbis Episcopum, præsente Tiberio in fide resurrectionis erasse conuicit, ita vt ipse Augustus librum eius, quem de resurrectione scripsit, suis quoque catholicis allegationibus destruens, deliberaret flammis cremari debuisse. Docebat enim idem Eutychius, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, & ventis aëreque subtilius esse futurum, contra illud Dominicum: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Anno Domini D.LXXVII. Benedictus *Papa* LXIV. sedit annis IV. Anno Domini D.LXXXI. Pelagius Papa LXV. sedit annis X. Gens Longobardorum, comitante fame & mortalitate, omnem inuadit Italiam, ipsamque Romanam vastatrix obsidet vrbem, quibus tempore illo rex præerat Albuinus. Anno Domini D.LXXXIV. Tiberius Constantinus obiit. Mauricius, LIV. ab Augusto, primus ex genere Græcorum (erat enim Cappadox) regnauit annis XXI. Anno Domini D.XCI. Gregorius primus, Papa LXVI. sedit annis XIII. *Hic* filium Mauricii Imperatoris de fonte leuauerat ante, postea tamen ipse Pontifici fuit infestissimus, quia cum pro auaritia & rapacitate corripuit. Factum est diluuium magnum in finibus Venetiæ, Liguriæ & Italiæ, & pestis inguinaria. Pro quibus Gregorius adhuc Leuita letanias instituit, quæ vocantur maiores, Anno Mauritii IX. Anno Domini D. XCVI. Gregorius misit Augustinum prædicare Anglis. Anno Domini DCI. Vir quidam monachico indutus habitu, spatam dextera tenens, à foro vsque ad æneam gladiatoris statuam discurrens, Imperatorem gladio moritурum omnibus pronunciauit. Vnde compunctus, se à tyrannide cohercuit, & ad omnes Ecclesias dona transmittens supplicauit, vt hîc non in futuro Deus eum punire dignaretur. Hirmingildus, * Leuildi, Gotthorum regis, filius, ob fidei catholicæ confessionem inexpugnabilem à patre Ariano regni priuatus insulis, & in carcerem ac vincula proiectus, ad extremum nocte S. Dominicæ resurrectionis securi in capite percussus, regnum cœleste pro terreno rex & martyr intrauit. Cuius frater Richardus mox ut regnum post patrem accepit, omnem Gotthorum, cui præerat, gentem, instante Leandro, Hispalensi Episcopo, qui & Hirmingildum docuerat, catholicam conuertit ad fidem. Anno Domini DCIII. Gregorius, Romanæ ecclesiæ Pontifex, & doctor eximius, Synodum Episcoporum XXIV. ad corpus B. Apostoli Petri congregans, de necessariis Ecclesiæ decernit. Idem missis in Britanniam Augustino, Mellito, Iohanne & aliis, Anglos ad Christum conuertit. Et quidem

TIBERIVS Constantinus Imp. Gregorium Magnum.

Albeinus, rex Longobard.

MAVRICIVS Imp.

Cataclysmus & pestis.

¶ Histor. miscell. lib. 17.

** aliùs est Leouegildus, rex Wisigothorum in Hispania.*

Richardus rex.

Anglorum Christianismus.

dem † Edelberectus mox ad Christi gratiam conuersus cum gente Cantuariorum, cui præerat, proximis prouinciis etiam Episcopum, doctorem suum Augustinum, sed & cæteros Antistites episcopali sede donauit. Porro gentes Anglorum ab Aquilone Humbri fluminis sub regibus Elle & Edifrido sitæ, necdum verbum vitæ audierant. Gregorius XVIII. anno Mauritii, indictione IV. scribens Augustino, Lundoniæ, Cantuarienſi quoque & Eboraci Episcopis, accepto à sede Apostolica pallio, Metropolitanos esse debere decernit. Tunica Domini, super quam milites sortes dederunt, in lapha non procul ab Ierusalem in arca marmorea reperitur, quam Gregorius, Antiochenus Episcopus, & Thomas Hierosolymitanus, & Iohannes Constantinopolitanus cum aliis Episcopis, facto triduano ieiunio, ordine pedestri Ierosolymam in ipsa arca producentes, in ecclesiam, vbi crux Domini adoratur, perduxerunt. Mauritius pœnas scelerum suorum in hac vita, vt ipse orauerat, persoluens, à Phoca turpiter decollatur. Et hoc ei antea in somnis fuerat reuelatum. Quidam tamen aiunt, quòd eo occiso lac cum sanguine efluxerit, vnde plurimi lamentabantur. Anno Domini DC. IV. Phocas, LV. ab Augusto, regnauit annis VIII. Huius anno secundo B. Gregorius migrauit ad Dominum. Anno Domini DC. VI. Longobardi destruxerunt monasterium B. Benedicti in monte Cassino. Sabinianus Papa LXVII. sedit anno I. mensib. V. Anno Domini DC. VII. Bonifacius Papa LXVIII. sedit annum I. menses VIII. Quo rogante, Phocas fecit Romam matrem Ecclesiarum: quia ecclesia Constantinopolitana primam se omnium ecclesiarum scribebat. Anno Domini DC. IX. Bonifacius Papa LXIX. sedit annis VI. mensibus VIII. Cuius rogatu Phocas dedit Pantheon Ecclesiæ. Persæ aduersus rempublicam grauissima bella congerentes, multas Romanorum prouincias, & ipsam Hierosolymam auferunt, & destruentes ecclesias, sancta quoque prophanantes, inter ornamenta locorum vel sanctorum vel communium, quæ abstulerunt, etiam vexillum S. crucis abducunt. Anno Domini DC. XI. Phocas occiditur à vulgo, & in igne apud Taurum crematur. Nam cùm multa homicidia perpetrasset, Priscus patricius, gener eius, scripsit Heraclio, patricio & prætori Africæ, vt filium suum Heraclium mitteret contra Phocam. Venit, impugnauit & vicit. Heraclius LVI. ab Augusto, regnauit annis XXVII. * Anno Domini DC. XV. Anastasius Persa Monachus factus est, qui natus in Perside, magicas à patre puer artes discebat. Sed à captiuis Christianis Christi nomen accepit, & in eum mox animo toto conuersus, relicta Perside, Chalcedone Hierapolique Christum quærens, deinde Ierosolymam petit. Vbi accepta gratia baptismatis, quarto ab eodem vrbe milliario monasterium Abbatis Anastasii intrauit. Ibi VII. annis regulariter viuens, dum Cæsaream Palestinæ oratoris gratia venisset, captus à Persis, & multa diu verbera inter carceres & vincula, Marzabana iudice, perpessus, tandem mittitur in Persidem ad regem eorum Cosdroëm. A quo tertio per interualla temporis verberatus, ad extremum vna suspensus manu per tres horas diei, sic decollatus cum aliis LXX. martyrium compleuit. Mox tunica eius indutus quidam dæmoniacus, curatus est. Interea superueniens cum exercitu *Heraclius* princeps, superatis Persis, Christianos, qui erant captiui, reduxit gaudentes. Reliquiæ B. Martyris Anastasii primo in monasterium suum, deinde Romam adductæ, venerantur in monasterio B. Pauli, quod dicitur ad aquas salinas. Anno Domini DC. XVI. Deus dedit Papa LXX. sedit annis VII. Anno Domini *DC. XVII.* Eduinus rex fit Anglorum. Anno Domini *DC. XXI.* Anastasius Monachus passus est. Anno Domini *DC. XXIII.* Bonifacius Papa *LXXI.* sedit annum X. Anno Domini *DC. XXVI.* Muchamad princeps Arabum habebatur. Hic erat pseudopropheta maximus, oriundus ex stirpe Ismaëlis, filii Abrahæ. Qui cùm esset orphanus & inops, decepit quandam mulierem ditissimam, nomine Eadigam. Erat enim Epilepticus. Vnde cùm mulier turbaretur, finxit

† *al. Edelbertum.*

Tunica Christi inuenta.

¶ *Vide Cedrenum, Histor. misc. & alios.*

PHOCAS Imp.

Pantheon.

Bellum Persicum.

Interitus Phocæ.

HERACLIVS Imp.

Anastasii Persæ Christianismus.

Captiuitas & martyrium.

Eduinus, rex Northumbr.

Mahometi Sarracenus Pseudopropheta.

finxit & dixit, ſe illa hora viſionem Gabrielis Archangeli contemplari, & hoc per ſuos complices mulieri & aliis intimauit. Et venit fama hæc ad viros, & primò ad † Hebuber, quem & ſucceſſorem dimiſit, relinquens ei partem hæreſis & hæredis. Anno Domini *DC. XXVIII.* Honorius Papa LXXII. ſedit annis X. menſibus XI. Eduinus, rex Anglorum in Britannia tranſumbranæ gentis ad Aquilonem, prædicante Paulino Epiſcopo, quem miſerat de Cantia venerabilis Archiepiſcopus Iuſtus, verbum ſalutis cum ſua gente ſuſcepit, anno regni ſui *XI.* aduentus autem Anglorum in Britanniam anno C.LXXX. eique Paulino ſedem epiſcopatus Eboraci donauit. Profectò Regi in auſpicium venturæ fidei, & regni cœleſtis, poteſtas quoque terreni creuerat regni, ita vt vniuerſos Britanniæ fines, quod nemo Anglorum ante eum, quos vel ipſorum vel Britonum gentes habitabant, ſub ditione acciperet. Eo tempore exortum apud Scotos in obſeruatione Paſchæ errorem Quartadecimanorum Honorius Papa per epiſtolam redarguit. Sed & Iohannes, qui ſucceſſori eius Seuerino ſucceſſit, cùm adhuc eſſet electus in pontificatum, pro eodem Paſcha eis ſimul & pro Pelagiana hæreſi, quæ apud eos reuiuiſcebat, ſcripſit. Anno Domini *DC. XXVIII.* Heraclius Imperator ſuperatis Perſis, & interfecto rege eorum Coſdroë, crucem Dominicam, quam illo abſtulit, Conſtantinopolin reuexit, & anno ſequenti Ieroſolymam reduxit. Columbanus & Furſæus in Gallia prædicauerunt. Iſidorus Epiſcopus in Hiſpania claruit, doctor eximius, cum Eugenio & aliis. Columbanus, relictis in Alemania diſcipulis, receſſit in Italiam. Anno Domini DC.XXXI. Lotharius, Helperici filius, obiit anno regni ſui XLIV. relicto filio Daguberto. Anno Domini *DC. XXXVIII.* Seuerinus Papa LXXIII. ſedit annum I. menſes II. Heraclius hydropicus obiit. Ipſe autem aliquando à Sergio Patriarcha, & quodam Anaſtaſio, & aliis hæreticis circumuentus, in Eutychianam inciderat hæreſin, & Mathematicus factus, vidit imperium ſuum à circumciſis gentibus eſſe vaſtandum. Vnde à Daguberto, rege Francorum, omnes Iudæos regni illius baptizari impetrauit, & idem ipſe fecit. Poſtea Agareni, gens circumciſa, fines & prouincias Heraclii vaſtant, & CL. millia militum eius interficiunt. Vnde Heraclius portas Caſpias, quas Alexander Macedo ſuper mare Caſpium fecerat, aperuit, & M. CL. millia auro armata cum aliarum prouinciarum militibus contra Sarracenos miſit. Et cum craſtino pugnaturi eſſent, Angelus Dei percuſſit ipſa nocte LII. millia de exercitu Heraclii. Vnde ipſe correptus eſt, & factus hydropicus, mortuus eſt. Anno Domini DC. XXXIX. Conſtantinus, filius Heraclii, LVII. ab Auguſto, imperium ſumpſit. Qui cùm regnaſſet menſibus IV. à nouerca ſua, Martina, & Pyrrho Patriarcha impotionatur. Anno Domini DC. XL. Heracleonas, filius Heraclii, *LVIII.* ab Auguſto, occiſo per venenum fratre ſuo Conſtantino, cum matre ſua Martina regnauit annis duobus. Iohannes Papa LXXIV. ſedit annis duobus, menſibus IX. diebus *XVIII.* Cyrus Alexandriæ, Sergius & Pyrrhus regiæ vrbis Epiſcopi, Acephalorum hæreſin inſtaurantes, vnam operationem in Chriſto diuinitatis, & humanitatis vnam voluntatem dogmatizant. E quibus Pyrrhus ſub Theodoro Papa Romam veniens ex Africa, ficta, vt poſt apparuit, pœnitentia obtulit eidem Papæ, præſente cuncto Clero & populo, libellum cum ſua ſubſcriptione, in quo condonarentur omnia, quæ à ſe vel à deceſſoribus ſuis ſcripta vel acta ſunt aduerſus catholicam fidem. Vnde & benignè ſuſceptus eſt ab eo, quaſi regiæ ciuitatis pontifex. Sed quia reuerſus domum repetiit & errorem domeſticum, memoratus Papa Theodorus aduocatis cunctis ſacerdotibus & clero in eccleſiam, B. Petri, Apoſtolorum principis, condemnauit eum ſub vinculo anathematis. Anno Domini DC. XLI. Heracleonas turpiter deiicitur cum matre. Tamen ſecundum Bedam Heracleonas fratri Conſtantino anteponitur. Anno Domini *DC. XLII.* Conſtans, filius Conſtantini, qui & Conſtantinus, ſecundum

† *aliis Ebubezer.*

Eduini R. Chriſtianiſſimus.

ἀμοιβὴ pietatis.

Quartadecimani.

Heraclij Victoria Perſica. Furſæus Iſidorus Epiſc.

Dagobertus rex Francorum.

Heraclij Imp mors. Ineluctabile fatum.

Negatur.

CONSTANTINVS Imp.

HERACLEONAS Imp.

Acephali.

Pyrrhus patriarcha, hypocrita.

Beda σφάλμα.

CONSTANS Imp.

dum Bedam, *LIX.* ab Augusto, regnauit annis *XXVIII.* Huius temporibus, B. Gertrudis obiit. Theodorus *Papa LXXIV.* sedit annis *VII.* Anno Domini *DC. XLIX.* Martinus Papa *LXXV.* sedit annis decem. Anno Domini *DC. LVIII.* Martinus Papa apud Chersonam obiit IV. Idus Novembris. Anno Domini *DC. LIX.* Eugenius Papa *LXXVI.* sedit annis *II.* mensibus *IX.* Anno Domini *DC. LXII.* Vitalianus Papa *LXXVII.* sedit annis *IX.* mensibus *VI.* Pyrrhi successor, Paulus, non tantum vesana doctrina, sicut decessores eius, sed aperta persecutione catholicos cruciat, Apocrisiarios *S.* Ecclesiæ Romanæ, qui ad eius correctionem missi fuerant, partim carceribus, partim exiliis, partim verberibus afficiens. Sed & altare eorum, in domo Placidiæ sacratum in venerabili oraculo, subuertens diripuit, prohibens eos ibidem Missas celebrare. Vnde ipse, sicut prædecessores eius, ab Apostolica sede iusta depositionis vltione damnatus est. A quo etiam Constans Imperator deceptus, sicut Heraclius, auus eius, à Sergio eiusdem regiæ ciuitatis Episcopo, exposuit typum aduersus catholicam fidem, nec vnam nec duas voluntates aut operationes in Christo definiens esse confitendas, quasi nihil velle vel operari credendus sit. Vnde Martinus Papa, congregata Romæ Synodo *CV.* Episcoporum, damnauit sub anathemate præfatos Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum hæreticos. Et postilac missus ab Imperatore Theodorus Exarchus, tulit Martinum Papam de Ecclesia Constantina, & perduxit Constantinopolin. Qui post hæc relegatus Chersonam, ibidem vitam finiuit, multis in eodem loco virtutum signis vsque hodiè refulgens. Facta est hæc præfata Synodus anno imperii Constantis *IX.* mense Nouembr. indictione *VIII.* Sarraceni à Persis depulsi à sedibus suis, imperium Romanum vastare cœperant. Osvvald rex martyrio coronatur à paganis. In Gallia verò Dagubertus claruit, & Arnulfus, Episcopus Metensis, à quo natus est * Anchises, pater Pippini, regis Francorum. Constantinus Princeps cum Vitaliano Papa, nuper ordinato, misit B. Petro Apostolo Euangelia aurea, gemmis albis miræ magnitudinis ornata. Ipse post aliquot annos veniens Romam, obtulit super altare illius pallium auro textile, toto exercitu cum cereis ecclesiam intrante. Sequente anno facta est eclipsis solis, * quam nostra ætas meminit, quasi X. hora diei V. Non. Maii. Theodorus Archiepisc. & Adrianus Abbas, virque doctissimus, à Vitaliano missi in Britanniam, plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fæcundarunt. Anno Domini *DC. LXIX.* Constans, qui & Constantinus post plurimas & inauditas depredationes in prouinciis factas, à quodam Andrea occisus in balneo periit. Quo sepulto, Mitium quendam Armenium speciosum vi susceperunt in imperium, qui *LX.* ab Augusto regnauit. Constantinus autem filius Constantis, audiens de patris obitu, nauigio Siciliam intrauit, & Mitium interfecit, & Constantinopolin rediens, Romanis cum Tiberio & Heraclio fratribus suis imperauit. Anno Domini *DC. LXX.* Constantinus filius Constantis, *LXI.* ab Augusto, regnauit cum fratribus Heraclio & Tiberio annis *XVII.* Huius temporibus S. Lambertus in Traiectensi Episcopatu successit Theodardo. Anno Domini *DC. LXXII.* Adeodatus *Papa LXXVIII.* sedit annis *IV.* Anno Domini *DC. LXXVI.* Domnus *Papa LXXIX.* sedit anno *I.* mensib. *V.* Anno Domini *DC. LXXVIII.* Agatho, Papa *LXXX.* sedit annis *V.* mensibus *VI.* Sarraceni Siciliam inuadunt, & præda nimia secum ablata, mox Alexandriam redeunt. Anno Domini *DC. LXXXI.* Agatho Papa ex rogatu Constantini, Heraclii & Tiberii, principum piissimorum, misit in regiam vrbem legatos suos in quibus erat Iohannes, Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, non longe pòst Episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Ecclesiarum. Qui benignissimè susceptì à reuerendissimo fidei catholicæ defensore Constantino iussi sunt, remissis disputationibus Philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum patrum,

S. Gertrudis.

Paulus patriarcha, tyrannus.

Synodus Rom.

Osvvaldus, rex Northumb. martyr.

* *infrà Anglisus.*

Constantini religiosa munificentia

* *Verba scriptoris eius tempore, quando alter auctor sequitur.*

Nex in balneo.

Mitius Tyrannus.

CONSTANTINVS Pogonatus Imp.

Lampertus, Episc. Traiect.

Synodus VI. Constantinopol.

Opium Imperatorum pij institutum.

trum, quos petebant, libellis. Affuerunt autem & Episcopi CL. præsidente Gregorio, Patriarcha regiæ vrbis, & Antiochiæ Macario, & conuicti sunt, qui vnam voluntatem & operationem astruebant in Christo, falsasse patrum catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu Gregorius correctus est, Macarius verò cum suis sequacibus simul & prædecessoribns, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizatus, & in locum eius Theophanius Abbas de Sicilia, Antiochiæ Episcopus, factus. Tantaque gratia legatos catholicæ pacis comitata est, vt Iohannes, Portuensis Episcopus, qui erat vnus ex ipsis, Dominica octauarum Paschæ missas publicas in ecclesia S. Sophiæ coram Principe & Patriarcha latinè celebraret. Hæc est sexta Synodus vniuersalis, Constantinopoli celebrata, & Græco sermone conscripta temporibus Papæ Agathonis, exequente ac præsidente piissimo principe Constantino, simulque legatis Apostolicæ sedis, & Episcopis CL. residentibus. In hac ergo damnatis hæreticis, tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, vt sordes hæreticas omnes expulsas intelligerent. Prima vniuersalis Synodus in Nicæa congregata est contra Arium. CCCXVIII. patrum, temporibus Iulii Papæ sub Constantino principe. Secunda in Constantinopoli CL. patrum contra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damasi Papæ & Gratiani principis, quando Nectarius eidem vrbi est ordinatus Episcopus. Tertia in Epheso CC. patrum contra Nestorium, augustæ vrbis Episcopum, sub Theodosio Magno Principe & Papa Cælestino. Quarta in Chalcedone patrum DC. XXX. sub Leone Papa, temporibus Martiani principis contra Eutychen, nefandissimorum præsulem Manichæorum. Quinta item in Constantinopoli, temporibus Vigilii Papæ, sub Iustiniano principe contra Theodorum & omnes hæreticos. Sexta hæc, de qua in præsenti diximus. Anno Domini DC. LXXXIII. Leo Papa LXXXI. sedit anno I. mensibus X. Anno Domini DC. LXXXV. Benedictus Papa LXXXII. sedit mensibus V. obiit Non. Maii. Anno Domini DC. LXXXVI. Constantinus Imperator obiit. Iohannes, Papa LXXXIII. sedit anno vno. Conon Papa LXXXIV. sedit annis duobus, mensibus XI. à quo S. Kilianus pontificalem accepit potestatem. Cononi successit Sergius. Apud Gallias in Francia sub nomine MAIORIS DOMVS principatum gerebat Angisus, filius Arnulfi, viri præpotentis, & Deo dilecti, qui postea factus est Metensium Episcopus. Anno Domini DC. LXXXVII. Iustinianus, Constantini filius, LXII. ab Augusto, regnauit annis X. Anno Domini DC. LXXXVIII. S. Kilianus passus est. Anno Domini DC. LXXXIX. Pippinus, filius Angisi maior regnauit in Francia XXVII. annis. Anno Domini DC. XC. Sergius * sedit annis XVI. mensibus VIII. & V. Idus Septembr. obiit. Hic constituit Agnus Dei cantari.

Ostentum. 1. *Oecumenicæ Synodi.* ¶ *Vide Glycam p. 378. & seq.* 2. 3. 4. 5. 6. *S. Kilianus.* *Angisus, Maior Domus.* *IVSTINIANVS II. Imp.*

* *Mirum, cur numeri seriem in hoc Papa præterierit.*

Anno Domini DC. XCII. Clodoueus filius Tirici, fratris Daguberti, regnare cœpit. Anno Domini DC. XCIV. S. Remaclus obiit. Anno Domini DC. XCV. Willibrordus, qui & Clemens, à Sergio Papa ordinatur Episcopus ad prædicandum Frisonibus. Anno Domini DC. XCVI. Iustinianus ob culpam perfidiæ regni gloria priuatus, exul in Pontum secedit, cogente Leontio, qui & nasum ei abscidit, & pro eo regnauit. Anno Domini DC. XCVII. Leo, qui & Leontius, LXIV. ab Augusto, regnauit annis tribus. Sergius Papa in sacrario B. Petri capsam argenteam cum magna portione Dominicæ crucis inuenit, quæ omni anno in die exaltationis S. crucis ab omni populo salutatur. Reuerendissimæ ecclesiæ Lindisfarnensis in Britannia ex anachorita Antistes, Cudbertus, totam ab infantia vsque senium vitam miraculorum signis inclytam duxit. Cujus dum XI. annos maneret corpus humatum, incorruptum post hæc quasi eadem hora defuncti simul cum veste, qua tegebatur, inuentum est. Anno Domini DCC. Tiberius, qui & Absimarus, LXIV. ab Augusto,

Wilbrordus, Episc. Frisiorum. *Leontius Imp.* *Cudbertus Episc.* *Tiberius Absimarus Imp.*

Augusto ; deiecto Leone , cui & nasum præscidit , regnauit VII. annis. Anno Domini DCCIII. Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei quintum vniuersale concilium susc*i*pere diffidit , donec salutaribus B. Papæ Sergii monitis instructa , & ipsa huic cum cæteris Christi ecclesiis consentit. Anno Domini DCCVI. Iohannes Papa LXXXV. sedit annis tribus. Gisulfus , Dux gentis Longobardorum , Beneuentum & Campaniam igne, gladio & captiuitate vastauit. Cumque non esset, qui eius impetui resisteret, Iohannes Papa missis ad eum sacerdotibus, ac donariis perplurimis, vniuersos redemit captiuos, atque hostes domum redire fecit. Anno Domini DCCVII. Iustinianus, filius Constantini , à Leone expulsus , & naso truncatus, secundo regnauit annis VI. Hic auxilio Trebellis, regis Bulgarorum, regnum recipiens, occidit eos, qui se expulerant, patricios, & Leonem, qui locum eius occupauerat , nec non & Tiberium , successorem eius , qui eum de regno eiectum toto , quo ipse regnabat , tempore in eadem ciuitate in custodia tenuerat. Anno Domini DCCIX. Iohannes Papa LXXVI. sedit annis tribus. Hic inter multa operum illustrium fecit oratorium S. Dei genitricis opere pulcherrimo intra ecclesiam B. Petri Apostoli. * Heribertus, rex Longobardorum, multas curtes, & patrimonia Alpium Cocciarum, quæ quondam ad ius pertinebant Apostolicæ sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablata, restituit iuri eiusdem sedis, & hanc donationem aureis conscriptam litteris Romam direxit. Anno Domini DCCX. Dagubertus iunior regnare cœpit. Anno Domini DCCXI. Sisinnius, Papa LXXXVII. sedit dies XX. Constantinus Papa LXXXVIII. sedit VI. annis. Iustinianus Callinicum Patriarcham erutis oculis , misit Romam , & dedit episcopatum Cyro , qui erat Abbas in Ponto, qui eum exulem alebat. Hic etiam Constantinum Papam ad se venire iubens, honorificè susc*i*pit, ac remisit, ita vt eum die Dominico Missas sibi facere iubens , communionem de manu eius acciperet , quem prostratus in terra , pro suis peccatis intercedere rogans , cuncta Ecclesiæ priuilegia renouauit. Qui cùm exercitum mitteret in Pontum , multum prohibente Papa , ad comprehendendum Philippicum , quem ibi relegauerat , conuersus omnis exercitus ad partem Philippici , fecit eum ibidem Imperatorem. Reuersusque cum eo Constantinopolin , pugnauit contra Iustinianum ad 12. ab vrbe milliarum , & victo atque occiso Iustiniano , regnum susc*i*pit Philippicus. Anno Domini DCCXII. Iustinianus occiditur. Philippicus LXVI. ab Augusto , regnauit anno vno , mensibus sex. Hic eiecit Cyrum de Pontificatu , eumque ad gubernandum Abbatis iure monasterium suum in Pontum redire præcepit , & Iohannem quendam hæreticum fecit Episcopum : Erat enim & ipse hæreticus. Idem Constantino Papæ misit litteras praui dogmatis , quas ille cum Apostolicæ sedis consilio respuit. Et huius rei causa fecit picturas in porticu Sancti Petri, quæ acta sex sanctarum Synodorum vniuersalium continerent. Nam & huiusmodi picturas cùm haberentur in vrbe regia, Philippicus iusserat auferri , horteru cuiusdam Monachi incluſi , scilicet hæretici , qui ei prædixerat, Imperatorem se futurum. Statuitque populus Romanus , ne hæretici Imperatoris nomen , aut chartas , aut figuram solidi susciperent. Vnde nec eius effigies in Ecclesia introducta est , nec mors ad Missarum solennia prolata. Anno Domini DCCXIV. Anastasius, * LXVII. ab Augusto, regnauit annis tribus. Hic Philippicum captum oculis priuauit , nec occidit. Idem Constantino Papæ Romam per Scholasticum patricium , & Exarchum Italiæ , litteras direxit, quibus se fautorem catholicæ fidei , & sancti VI. concilii prædicatorem esse docuit. Dagubertus rex Francorum obiit. Anno Domini DCCXV. Pippinus senior , Maior domus , obiit. Cui Karolus succes*s*it. Horum tempore occisus est beatus Lambartus , sub Hilderico rege , à Diodone , * genero Karoli, qui cognominabatur Fortis. Habuit enim idem Diodones fi-

Synodus Aquileiensis.

Cisulfus, dux Longobardorum.

IVSTINIANVS II. redux.

** al. Aribertus.*

Possessiones Eccles. Rom. reddita.

Iustiniani gesta.

Cades. PHILIPPICVS Imp.

** qui & Artemius. ANASTASIVS Imp.*

** fecero. Carolum Fortis, vulgò Martellum.*

liam nomine Alhadis, quam relicta legitima ſuperduxit Karolus. Quod dum deteſtaretur beatus Lampertus, occiſus eſt à Diodone, Pippino, patre Karoli, vt aiunt, conſentiente. In * Romano autem apud Conſtantinopolin adhuc Imperatores erant, ſed ipſi inteſtinis & intrinſecis bellis penè annullati, parum valebant. Karolus verò regnum Francorum adminiſtrauit XXVII. annis. Gregorius Papa LXXXIX. ſedit annis X. Idib. Febr. obiit. Hic Sanctum Bonifacium ordinauit Epiſcopum. Luitbrandus, rex Longobardorum, donationem patrimonii Alpium Cocciarum, quam Heribertus rex ſecerat, & ille repetierat, admonitione venerabilis Papæ Gregorii confirmauit. Herecbertus, vir ſanctus de gente Anglorum, & ſacerdotium monachica vita, & pro cœleſti patria peregrinus exornans, plurimas Scoticæ gentis prouincias ad canonicam Paſchalis temporis obſeruantiam, à qua diutius aberrauerat, pia prædicatione conuertit, anno Domini DCCXVI. Anno Domini DCC.XVII. Theodoſius LXVIII. ab Auguſto, regnauit anno vno. Hic à militibus in Imperatorem electus, Anaſtaſium apud Nicæam ciuitatem graui prælio vicit, datoque ſibi ſacramento, Clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari. Ipſe verò vt regnum accepit, cùm eſſet Catholicus, mox in regia vrbe imaginem illam venerandam, in qua ſanctæ ſynodi erant depictæ, à Philippico deiectam, priſtino in loco erexit. Tiberis fluuius alueum ſuum egreſſus multa Romanæ ciuitati exitia, ita vt in via Latina ad vnam & ſemis ſtaturam excreſceret, atque à porta Sancti Petri vsque ad pontem oliuum aquæ ſe diſcedentes coniungerent. Manſit autem diebus VII. donec agentibus letanias crebras ciuibus, VIII. demum die reuertitur. His temporibus multi Anglorum gentis, nobiles & ignobiles, viri & feminæ, Duces & priuati, diuini amoris inſtinctu de Britania Romam venire conſueuerant. Inter quos etiam reuerendiſſimus Abbas Celfridus annos natus LXXIV. cùm eſſet presbyter annos XLVII. Abbas autem annos XXXV. vbi Lingonis peruenit, ibi defunctus, atque in eccleſia Beatorum geminorum martyrum ſepultus eſt. Qui inter alia donaria, quæ aferre diſpoſuerat, miſit eccleſiæ ſancti Petri Pandectem, à beato Hieronymo in Latinum ex Hebræo vel Græco fonte translatum. Anno Domini DCC.XVIII. Leo, Prætor Orientalium, LXIX. ab Auguſto, regnauit annis XXIV. Huic Theodoſius commiſit imperium, & Clericus factus vixit in pace. Anno Domini DCC. XVIII. Gregorius III. Papa XC. à Petro, ſedit annis VIII. obiit IV. Kalend. Decembr. Hic appoſuit in canone: Nec non & illorum, quorum hodie ſolennis in conſpectu g. t. c. triumphus. Sarraceni cum immenſo exercitu Conſtantinopolin venientes, triennio ciuitatem obſident, donec ciuibus multa inſtantia ad Deum clamantibus, plurimi eorum fame, frigore, peſtilentia perirent, ac ſic pertæſi obſidionis abſcederent. Qui inde regreſſi Bulgarorum gentem, quæ eſt ſupra Danubium, bello aggrediuntur, & ab hac quoque victi refugiunt, ac naues repetunt ſuas. Quibus cùm altum mare peterent, ingruente ſubita tempeſtate, plurimi etiam, merciſis ſiue confractis per æquora nauibus, ſunt necati. Luitbrandus audiens, quòd Sarraceni depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa, vbi oſſa ſancti Auguſtini Epiſcopi propter vaſtationem barbarorum olim translata, & honorificè fuerunt condita, miſit, & dato magno precio, accepit, & tranſtulit ea Ticinum, ibique cum debito tanto patri honore recondidit. Anno Domini DCC.XXXI. Germanus Patriarcha propter impietatem Leonis, quam etiam ſummo Pontifici nunciauit, Patriarchatum deſeruit, functus ſacerdotio annis XIV. menſibus V. In cuius locum Leo Anaſtaſium quendam, ſibi conſentientem, conſtituit. Sed Gregorius Papa hunc anathematizauit, & Leone redarguto, totam Italiam ab eius imperio cedere fecit. Beda Venerabilis, Anglorum presbyter, obiit. Anno Domini DCC.XXXIII. Karolus, Maior domus, Freſiam vaſtat. Anno Domini DCC. XXXV. Zacharias Papa XCI. ſedit annis

* *fortè Romania.*

Luitbrandus, rex Longobardorum.

Herecbertus Anglus.

THEODOSIVS Imp.

Cataclyſmus Tiberis.

Anglorum religioſa peregrinatio.

LEO Imp.

Sarracenorum cladες.

λείψανα Auguſtini Epiſc.

Papa auctor defectionis ab Imperatore.

annis XVIII. Anno Domini DCC. XXXVII. Theodoricus, rex Francorum, obiit. Anno Domini DCC.XXXIX. Sarraceni ceperunt Arelatum. Karolus autem misit ad Luitbrandum, regem Longobardorum, pro auxilio, quo veniente, fugerunt Sarraceni. Anno Domini DCC.XL. Karolus Saxoniam intrat. Anno Domini DCC.XLI. Leo Imperator impius obiit. Constantinus, filius Leonis, LXX. ab Augusto, regnauit annis XXXIV. mensibus duobus, diebus XXVII. Hic pessimus erat, & omnibus vitiis deditus. Persecutor erat Cleri non minus quàm Diocletianus, & alii tyranni. Huius anno I. Karolus, Pippini filius, Maior domus in regno Francorum, obiit, tribus filiis relictis, Karolomanno, Pippino & Gryphone. Sed Grypho minor natu, instinctu matris Svvanehildis, ad spem totius regni aspirauit, ita vt fratribus bellum indiceret, & Laudunum occuparet. Quem fratres ibidem obsident, & in deditionem accipiunt. Anno Domini DCC.XLIII. Pippinus & Karolomannus principatu potiuntur. Karolomannus Austriam, Alemanniam, Turingiam, Pippinus Burgundiam, Neustriam & Prouinciam obtinuit, & Karolomannus in annum VI. Pippinus in XI. principabatur. Neustria pars est Galliæ Celticæ, illa scilicet, quæ Sequanæ Ligerique interiacet. Anno Domini DCC.XLIV. Karolomannus in Saxoniam profectus, Theodoricum Saxonem, illius loci primarium, in deditionem accepit. Anno Domini DCC.XLV. Karolomannus & Pippinus Theodoricum Saxonem ceperunt. Vuldense monasterium fundatum est. Anno Domini DCC.XLVII. Karolomannus Romam tendit, Zachariæ Papæ se obtulit, & habitum Monachicum suscepit in monte Soracte. Sed postea propter frequentiam Francorum, Romam tendentium, in castrum Cassinum se transtulit, & ibi tempus vitæ compleuit. Anno Domini DCC.XLIX. Grypho Bauariam petiit. & Ducatum illum in suam potestatem subegit. Sed Pippinus illum cepit, vt cum eo domum reuersus, more Ducum XII. ei Comitatus contulit, quod ille contemnens, in Aquitaniam abiit. Anno Domini DCC. LI. Sanctus Burchardus accepit Episcopatum Wirceburgensem, & sedit in eo XL. annis. Hic itaque Sanctus Burchardus & Folradus Archicapellanus, quem quidam Abbatem, quidam Presbyterum scribunt, ad Zachariam, Romanum Pontificem, missi sunt, vt consulerent eum super Regibus, qui tempore illo fuerunt in Francia, nomen tantùm regis, sed nullam regiam potestatem habentes. Solebant enim Franci ex aliqua stirpe regum reges habere, qui à Merouco, Clodii, secundi regis eorum, filio Merouingi dicebantur, quorum genealogia vsque ad Hildericum, tunc temporis regem, permanebat, in quo deficiebat. Sed licet in illo finita posset videri, iam dudum tamen nullius vigoris erat, nec quicquam clarum in se præter inane regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia regni penes Palatii præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur, nec aliud quicquam regi permittebatur, quàm vt regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barba summissa solio resideret, ac speciem dominationis effingeret, legatos vndecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ doctus erat aut iussus, ex sua velut potestate redderet, cùm præter inutile regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud possideret. Quamquam vnam etiam perparui reditus villam, in qua domum, & ex qua famulos necessaria sibi ministrantes, atque obsequium paucæ numerositatis, haberet. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod iunctis bubus, & bubulco more rustico agente, trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum conuentum, qui Cal. Maii. ob regni vtilitatem annuatim celebrabatur, ire solebat, & coram tota gente præsidens, omnesque salutans, & ab eis salutatus, debitisque obsequiis honoratus, sic domum redibat, sicque secum vsque ad alium Maium domi residebat. At regni administrationem, & omnia quæ vel domi vel foris

Sarracenorum in Galliam irruptio.

CONSTANTINVS Copronymus imp.

Caroli Martelli mors & liberi.

Pipinus & Carolomanus herscisunt paternas prouincias.

Theodoricus Saxonum Dynasta.

Fulda.

Carolomannus è Principe Monachus.

Grypho, fratri rebellis.

Zacharias Papa disceptator causæ regiæ.

Merouingi.

Maiores domus, eorumque potentia.

¶ De his Francogallia Hotomanni c. 15.

¶ Meminit Cedrenus pag. 373. Histor. miscell. pag. 691.

agenda erant, ac disponenda, præfectus aulæ procurabat. Quo officio tunc, cùm prædicti legati Romam mittebantur, *P*ippinus, Karoli filius, idem Karoli pater, iam veluti hæreditario iure fungebatur. Zacharias verò Papa super huiusmodi negotio consultus, remandauit, melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret, dataque autoritate sua Pippinum regem constitui iussit. Anno *D*omini DCC.LII. Pippinus per Bonifacium, Episcopum Moguntinum, eleuatur in regni solium in Suessionum ciuitate. Translatio Sancti Kiliani. Zacharias *P*apa reperit in uenerabili Patriarchio caput Georgii martyris, in capsa reconditum, quod in Romanam vrbem transtulit. Hic etiam libros Dialogorum I V. quos Beatus Gregorius fecit, de Latino in Græcum transtulit eloquium. Anno Domini DCC. LIII. *S*tephanus Papa XCII. sedit annis *V*. diebus XXVIII. Anno Domini DCC. LIV. Pippinus manu valida Saxoniam ingreditur vsque ad Wisaram, & in eadem expeditione Hildegarius Episcopus occisus est. Stephanus Papa insolentias regis Longobardorum, Agistulfi, ad Pippinum deferens, eius implorat defensionem, & apud Parisios aliquandiu infirmatus, accepit à rege defensionis firmitatem, iunctoque Rege cum duobus filiis, Karolo & Karlomanno, & matre eorum Bertrada, auctoritate Beati Petri totius regni populum obligauit, vt nunquam sibi de alia stirpe Regem proponerent, sicque Pippinum à iuramento, quod regi Hilderico fecerat, absolutum in Regem sublimauit. Hildericus verò, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est. Anno Domini DCC. LV. *P*ippinus contra Agistulfum, regem Longobardorum, procedit, & occurrente sibi Rege, & montes defendente, circa clustra Clusarum acerbissimè est pugnatum. Sed cæsis Longobardis, Francorum copiæ intrauerunt. Agistulfus cùm in Papiam se reciperet, tam diu à Pippino obsessus est, donec pro facienda iustitia Romanæ Ecclesiæ dedit obsides XL. Karlomannus autem Monachus, qui ad præceptum Abbatis sui ad fratrem *P*ippinum, iubente Papa, etiam pro eodem negocio venerat, in Vienna obiit, & corpus eius iussu Regis ad monasterium Beati Benedicti, vbi Monachus fuerat, est relatum. Sanctus Bonifacius passus est. Hic sanctus, qui primus omnium australes Germaniæ partes, idolorum cultui deditas, ad cognitionem diuinæ ac Christianæ religionis adduxit, dictus erat Wunfridus, natione Anglus, verus Christi Philosophus, cui postea cognomentum ex virtute erat Bonifacius. Et quamuis alii scriptorum vel Gallum in Alemannia, vel Heimerannium in Bavaria, siue Kilianum in Franconia, seu certè Willebrordum in Fresia priores asserant verbum Dei prædicasse, hic tamen omnes alios, vti Paulus Apostolus, studio ac labore prædicationis anteuenit. Ipse enim, vt in gestis suis legitur, Apostolicæ sedis autoritate fultus, legationem ad gentes suscepit, Teutonumque populos, apud quos nunc & summa imperii Romani, & diuini cultus reuerentia, viget ac floret, Ecclesiis, doctrina, virtutibusque illustrauit. Quorum etiam prouincias in Episcopatus distribuens, seorsum Francos cis Rhenum, Hessones, aut Turingos, qui *S*axonum confines sunt, primitiuo quodam laboris sui fructu Christo & Ecclesiæ copulauit. Tandemque à Fresonibus, quos iam ante ad fidem conuerterat, illustri martyrio coronatus est. Post passionem sancti Bonifacii, Willehadus, & ipse Angligena, feruens amore martyrii properauit in Fresiam, vbi consistens ad sepulchrum beati martyris, paganos facti pœnitentes suscepit, & credentium multa millia baptizauit. Deinde cunctam in circuitu prouinciam cum discipulis perlustrans, idola confregisse, populosque ad culturam veri Dei euangelizasse dicitur. Tunc etiam gentilium Zelo fustibus percussus, & gladio legum ad iugulandum proscriptus, licet gratia Dei maioribus eum prædestinaret titulis, suæ tamen voluntati & studio nihil minus ad martyrium piger erat. Anno *D*omini DCC. LVI. Pippinus quia Agistulfus promissum & fidem datam fregerat, iterum intrauit Italiam.

¶ *Vide decreta Gratiani parte 2.c.15. Q.6.*

Francogalliam Hotomanni c.16

Pipinus inauguratur rex Francorum.

Depopulatur Saxoniam.

Fouet Papam, & ab eodem fouetur.

Mouet in Longobardos.

Mors Carolomanni.

Bonifacius Episc. & Martyr.

Willehadus.

Iterata Pipini in Longobardos expeditio.

Italiam, & ad implenda, quæ promisit, per obsidionem coëgit. Nam redditam sibi Rauennam, & Pentapolin, & omnem Exarchatum, ad Rauennam pertinentem, Sancto Petro dedit, & in Galliam rediit. Agistulfus autem dum fidem & promissa denuò frangere cogitaret, in venatione de equo labitur, infirmatur & moritur, cui Desiderius succedit. Anno Domini DCC. LVII. Constantinus Imperator misit Pippino munera in villa Compendio, vbi & Tassilo, Dux Bavariæ, cum primoribus suis venit, & fidelitatem suam promisit. Anno Domini DCC. LVIII. Pippinus Saxoniam intrauit, & licèt se defenderint, tamen se dederunt, promittentes CCC. equos annis singulis se daturos. Pippinus in Galliam rediit. Paulus Papa XCIII. sedit annis X. Anno Domini DCC. LIX. Pippino nascitur filius Pippinus, tertio anno immatura morte decedens. Anno Domini DCC. LX. Pippinus Waifarium, ducem Aquitaniæ, sibi, acceptis obsidibus, subiugauit. Sanctus Othmarus in insulam, quæ dicitur Stein, relegatus obiit. Anno Domini DCC. LXI. Waifarius, promissorum oblitus, contra Pippinum misit exercitum vsque Cabillonem. Pippinus hoc audiens, Aquitaniam intrauit, quædam opida cepit, & cætera ferro & igne vastauit. In hac expeditione fuit cum eo primogenitus eius Karolus, ad quem postea imperii summa peruenit. Anno Domini DCC. LXII. Pippinus tertiò Aquitaniam intrat, captaque Biturica, & castello Doartis, reuertitur, & sequenti anno quartò Aquitaniam ingreditur, per Lemouicum regrediens. Deinde in Wormatia, postea in Villa Antimaco conuentum habuit, quo eodem anno corpora Sanctorum Gorgonii, Naboris & Nazarii de Roma translata sunt in Franciam. Quintò demum Rex Aquitaniam intrauit, castrum Argentomagum, à Waifario destructum, reædificans. Anno Domini DCC. LXVII. orta quæstione inter Græcos & Romanos de sancta Trinitate, & sanctorum imaginibus, Pippinus in Villa Gentiliaca Synodum habuit, & ventilata quæstione, septimò intrat Aquitaniam, & multis castellis & pagis captis, & destructis, Veronam reuertitur, & ibidem Pascha celebrauit. Anno Domini DCC. LXVIII. Pippinus in Biturica natalem Domini celebrauit, & cùm primum ad gerendum bellum tempus aptum videret, euocato vndique exercitu, ad Santonicam ei ciuitatem contendit: captoque in itinere Remisteino, cùm ad vrbem prædictam veniisset, mater & soror & neptes Waifarii Ducis ad eum adductæ sunt. Quas cùm piè susceptas seruari iussisset, ad Garonnam fluuium proficiscitur, vbi & Herivvigus cum alia præfati Ducis sorore occurrit, seque & illam tradidit. Rebus igitur aliquot prosperè gestis, Rex reuertitur, & in Castello, quod dicitur Feis, Pascha celebrauit, assumptaque secum vxore sua atque familia, iterum ad vrbem Santonicam venit, dimissaque ibi vxore ac familia, cum omnibus copiis ad persequendum Waifarium Ducem animum intendit, nec prius desistere instituit, quàm aut caperet inimicum, aut rebellandum interficeret. Quo infecto in territorio Petragorico, confectoque prælio Aquitanico, Santonas reuersus est, ibique demorans aliquandiu ægritudine decubuit. Tum Turonis apud Sancti Martini memoriam orauit, indeque Parisium veniens, obiit VIII. Kalend. Octobr. corpusque eius in basilica Dionysii humatum est. Filii verò eius, Karolus & Karolomannus, omnium Francorum consensu ambo Reges creati sunt, ea conditione præmissa, vt totum regni corpus ex æquo partirentur, & Karolus eam partem, quam pater tenuerat, Karolomannus verò eam, quam parruus eorum, Karolomannus, possedit, susciperet. Et Karolus VII. Idus Octobr. in Nouiomo ciuitate, Karolomannus verò in Suessiona regni susceperunt insignia. Karolus quoque, qui maior erat natu, Aquasgrani profectus, natalem Domini ibi celebrauit, Pascha verò in Rothomago ciuitate. Susceptæ itaque sunt conditiones vtrique, & pars regni diuisi iuxta modum sibi propositum ab vtroque recepta est: mansitque cum ista, quamuis cum magna difficultate, concordia, multis ex parte Karolomanni societatem separare volentibus, adeò

Tassilo Dux Bauariæ.

Saxones Francis subiugales.

Pipinus F.

S. Othmarus.

Pipini expeditiones Aquitanicæ.

Controuersia de Trinitate & imaginibus.

Pipinus in Aquitania rem felicíter gerit.

cedit è vita.

Carolus & Carolomannus FF. & successores.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adeò vt quidam eos & bello committere sint meditati. Sed in hoc plus suspecti quàm periculi fuisse, ipse rerum exitus approbauit, cùm defuncto Karolomanno, vxor eius cum quibusdam ex primoribus eius Italiam fuga petiit, & nullis existentibus causis, spreto mariti fratre, sub Desiderii Longobardorum regis patrocinium cum liberis suis se contulit. Quia Karolomannus quidem post administratum communiter biennio regnum morbo decessit. Karolus autem defuncto fratre, consensu omnium Francorum Rex constituitur. De cuius natiuitate atque infantia vel pueritia dicit actuum eius scriptor Eginhardus, ab eodem principe educatus, quòd neque scriptis vnquam aliquid declaratum sit, neque quisquam suo tempore inuentus sit, qui horum notitiam se habere dixerit, de actibus verò & moribus cæterisque vitæ illius partibus explicuit.

¶ *Eginhardus scriptor vitæ Caroli M.*

¶ *Hæc hodie etiamnum extat, estque sequens expositio inde decerpta. Sed & de ipso Eginhardo scitu dignissima narratio est, quam in vetusto codice repertam primùm euulgauit I. Huberus I. C.*

Caroli M. bellum I. Aquitan.

Omnium bellorum, quæ gessit, primò Aquitanicum, à patre inchoatum, sed nondum finitum, quod citò peragi posse videbatur, fratre adhuc viuo, & auxilium ferre rogato, suscepit. Et licèt eum frater, malis quibusdam machinantibus, auxilio frustrasset promisso, susceptam expeditionem strenuissimè executus non prius destitit, quàm hoc, quod efficere moliebatur, perfecit. Nam & Hunoldum quendam, qui post mortem Waifarii Aquitaniam occupauit, bellumque iam penè peractum reparare tentauit, Aquitaniam relinquere, & in Wasconiam fugere coëgit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garonna, Lupo, Wasconum Duci, mandat, vt persugam reddat, quod ni festinatò faciat, bello se illum expostulaturum. Sed Lupus saniori vsus consilio, non solùm Hunoldum reddidit, sed etiam se ipsum cum prouincia, cui præerat, eius potestati permisit. Quo bello finito, rogatu & precibus Adriani, Pontificis Romani, insolentiam Desiderii, Longo-

II. Longobardicum.

bardorum regis, ferre non valentis, bellum contra Longobardos suscepit, copiasque quas adduxerat, diuidens, vnam partem cum Bernhardo, patruo suo, per montem Iouis ire præcepit, alteram partem ipse ducens, per montem Cenisium Italiam intrauit, nec prius destitit, quàm Desiderium regem longa obsidione in Papia fatigatum, in deditionem susciperet, & perpetuo exilio deportaret, filium verò eius Adalgisum, in quo omnium spes stare videbatur, non solùm regno, sed etiam Italia excedere compelleret, omnia Romanis ablata restitueret, Rochisum, Foroiuliani ducatus præfectum, noua molientem, opprimeret, totamque Italiam suæ ditioni subiugaret, subactæque filium suum Pippinum regem præponeret. Post cuius belli finem, Saxonicum,

III. Saxonicum.

quod quasi intermissum videbatur, repetitum est, quo nullum neque prolixius, neque atrocius, Francorumque populo laboriosius, susceptum est: quia Saxones, sicut omnes ferè Germaniæ nationes, & natura feroces, & idolorum cultui dediti, neque diuina neque humana iura polluere, vel transgredi arbitrantur inhonestum haberi. Susceptum est igitur aduersus eos bellum, quod magna vtrinque animositate, maiore tamen Saxonum damno, per continuos XXX. annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum perfidia hoc pateretur. Dictu difficilè est, quoties superati ac supplices Regi se dederunt, imperata facturos polliciti sunt, obsides, qui imperabantur, absque dilatione dederunt, legatos, qui mittebantur, susceperunt, aliquoties ita edomiti & molliti, vt etiam cultum dæmonum dimittere, & Christianæ religioni se subdere velle promitterent. Sed sicuti ad hæc facienda aliquoties proni, sic ad eadem peruertenda semper fuere præcipites. Regis verò magnanimitas aut per se, aut per Comites suos misso exercitu, perfidiam illorum semper vlciscebatur: donec omnibus, qui resistere solebant, profugatis &

millia

millia hominum ex his, qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum vxoribus & paruulis sublatos transtulit, & per Galliam & Germaniam multimoda divisione distribuit. Eaque conditione bellum, per tot annos tractum, constat esse finitum, vt abiecto dæmonum cultu, Christianæ religionis sacramenta susciperent. Hoc autem bellum licet tam diu protraheretur, ipse tamen non amplius quàm bis acie conflixit cum hoste, semel iuxta montem, qui Osneggi dicitur, in loco * Theotmelli nominato, & iterum iuxta Hasam flumium, & hoc vno mense, paucis diebus interpositis. Sed his duobus prœliis ita deuicti sunt, vt vlterius Regem neque prouocare, neque venienti resistere in aliqua loci munitione defensi auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilibus Francorum, quàm Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt. Tandem anno XXX. finitum est. Nec minus interea Hispaniam quoque debellauit: nam Aquitaniam & Wasconiam primùm subiecit. Britonés quoque domuit, missaque expeditione, imperata facere coëgit. Ipse præterea cum exercitu Italiam ingressus, ac per Romam iter agens, Capuam, vrbem Campaniæ, accessit: ibique positis castris, bellum Beneuentanis, ni dederentur, comminatus est. Præuenit hoc Dux gentis Aragisus, filiosque suos, Rumoldum & Grimoldum, cum magna pecunia Regi obuiam mittens, rogat vt filios suos obsides suscipiat, se cum gente imperata facturum, præter hoc solum, si ipse ad conspectum venire non cogeretur. Quod pro magno munere concessit, & maiore filio gratia obsidatus retento, maiorem patri remisit. Legatis quoque ob sacramenta fidelitatis, à Beneuentanis exigenda, cum Aragiso dimissis, Romam rediit, consumptisque ibi in veneratione Sanctorum aliquot diebus, Galliam reuertitur. Bauaricum demum bellum & repentè ortum, & celeri fine completum est, quod superbia simul & concordia Tassilonis Ducis excitauit. Qui hortatu vxoris, quæ filia Desiderii regis erat, ac patris exilium per maritum vlcisci posse putabat, vnito fœdere cum Hunnis, qui Bauariis contermini sunt, non solùm imperata non facere, sed Regem bello prouocare tentabat. Cujus contumaciam, quæ nimia videbatur, animositas Regis ferre nequiuerat. Ac proinde contractis vndique copiis Bauariam petiturus, ad Lechum amnem venit, qui Bauarios & Alemannos diuidit. Cujus in ripa castris collocatis, priusquam prouinciam intraret, animum Ducis statuit experiri. Sed ille pertinaciter agere, nec sibi vel genti vtile ratus, Regi se supplex permisit, obsides, qui imperabantur, dedit, inter quos & filium suum Theodonem, data insuper fide cum iuramento, quod ab illius potestate ad defectionem nemini suadenti consentiret. Sicque bello, quod quasi maximum videbatur futurum, celerrimus finis est impositus. Tassilo tamen postea euocatus ad Regem, neque redire permissus est, neque prouincia, quam tenebat, vlterius Duci, sed Comitibus est commissa. Nam cùm Tassilo Dux, reus maiestatis iudicatus, capite damnaretur, clementia Regis vita sibi concessa, mutato habitu in monasterium missus est. Filius quoque eius monasticæ conuersationi deputatus est. His motibus ita compositis, Sclauis, qui nostra consuetudine Wilci, propria verò lingua Weletabi dicuntur, bellum illatum est, in quo & Saxones velut auxiliares inter cæteras nationes, quanquam ficta & minus deuota obedientia, militabant, vnaque expeditione iidem Sclaui ita sunt domiti, vt vlterius non contrairent iussis. Maximum omnium, quæ à Karolo gesta sunt bellorum, post Saxonicum, huic bello successit, illud scilicet quod contra Auares siue Hunos susceptum est. Quod ille & animosius quàm cætera, & longè maiori apparatu administrauit. Vnam tamen per se in Pannoniam (Nam hanc prouinciam ea gens incolebat) expeditionem fecit, cætera Pippino, filio suo, ac præfectis prouinciarum, Comitibus ac Legatis perficienda commisit. Quæ cùm ab his strenuissimè fuissent impleta, octauo tandem anno idem bellum consummatum est. Quot

* hodiè est Detmolde aula Lippiensis sedes.

IV. Hispanicum.

V. Britanicum.

VI. Beneuentanum.

VII. Bauaricum.

¶ NOTA de finibus Bauarorum & Alemannorum.

VIII. Slauicum.

IX. Hunnicum.

prœlia in eo gesta sint, quantumque sanguinis effusum, testatur Pannonia, omni penè habitatore vacua, & locus, in quo regia Cagani erat, ita desertus, vt ne vestigium quidem humanæ habitationis in eo appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque vllum bellum contra Francos exortum humana potest recordari memoria, quo illi magis ditati, & opibus aucti sunt, quippe cùm vsque in id tempus penè pauperes viderentur. Tantum auri & argenti in regia repertum, tot spolia preciosa in prœliis sublata, vt meritò credi possit, hoc Francos Hunis iure abstulisse, quòd Huni prius iniustè aliis gentibus eripuerunt. Terra quippe Hunorum, vt antiquorum temporum relatores testantur, IX. circulis, quos Teutonici Haga dicunt, cingebatur, quorum singuli ita stipitibus quernis, siue faginis, vel abiegnis erant extructi, vt de margine ad marginem XX. pedum spacium tenderetur in altum, & totidē subrigerentur in altum, cauitas autem vniuersa aut durissimis lapidibus, aut creta tenacissima repleretur, porrò superficies vallorum, eorundem integerrimis cespitibus tegeretur. Inter quorum confinia plantabantur arbusculæ, quæ, vt cernere solemus, abscissæ, atque proiectæ, comas caulium foliorumque præferunt. De primo autem circulo vsque ad secundum XX. milliaria Teutonica protendebantur. Et inde similiter ad tertium, & ita vsque ad nonum, quamuis ipsi circuli, alius alio multo contractiores fuissent. Inter hos igitur aggeres vici villæque erant locatæ, vt de aliis ad alias humana vox possit audiri. Contra eadem verò ædificia inter inexpugnabiles muros portæ non satis latæ erant constitutæ, per quas latrocinandi gratia non solùm exteriores, sed etiam interiores solebant exire. De circulo quoque ad circulum sic erant possessiones & habitacula vndique versùm ordinata, vt clangor tubarum inter singula cujusque vici posset significatiuus aduerti. Ad has ergò munitiones per CC. & eo amplius annos, qualescunque, omniumque occidentalium, diuitias congregantes, cùm & Gotthi & Wandali quietem hominum perturbarent, orbem occiduum pene vacuum dimiserunt. Quos inuictissimus Karolus in annis VIII. ita perdomuit, vt de eis ne minimas quidem reliquias remanere permiserit. A Wolgaribus verò ideò manum retraxit, quia videlicet Hunis extinctis, regno Francorum nihil nocituri viderentur. Porrò prædam in Pannonia repertam per Episcopia vel Monasteria liberalissima diuisione distribuit. Duo tamen ex proceribus Francorum eo bello perierunt, Heinricus, Dux Foroiulianus, in Liburnia iuxta Tarsicam maritimam ciuitatem, insidiis oppidanorum interceptus, & Geroldus, Bavvariæ præfectus, in Pannonia, dum contra Hunos præliaturus aciem strueret, incertum à quo, cum duobus tantùm, qui eum obequitantem, ac singulos cohortantem, comitabantur, interfectus est. Cæterum incruentum penè Francis bellum hoc fuit, & prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sua magnitudine traheretur. Post quod & Saxonicum sua prolixitate finem accepit. Boëmicum quoque & Lilonicum, quæ posteà exorta sunt, durare non potuerunt, quorum vtrumque ductu Karoli iunioris celeri fine completum est. Vltimum contra Normannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde maiori classe littora Galliæ atque Germaniæ vastantes, bellum susceptum est. Quorum Rex Godefridus adeò inflatus vana spe erat, vt sibi totius Germaniæ potestatem promitteret. Fresiam quoque atque Saxoniam haud aliter, atque suas prouincias æstimabat. Præterea * Achodritos, vicinos suos, in suam deditionem redegerat, & eos sibi vectigales fecerat. Iactabat etiam, se breui Aquasgrani, vbi Regis comitatus erat, cum maximis copiis aduenturum. Nec dictis eius, quamuis vanissimis, omninò fides abnuebatur, quin potius aliquid tale inchoaturus, ni festinata fuisset morte præuentus, putabatur. Nam à proprio filio, cuius matrem abiecerat, & aliam duxerat, interfectus, & suæ vitæ, & belli à se inchoati, finem fecit. Hæc sunt bella, quæ Rex potentissimus per annos

Cagani regia.

Haga.

X. Boëmicum & Lilonicum.

XI. Danicum.

**Obtritos.*

Carolus ann. 46. rerum potitus.

nos XLVI. (tot enim annis regnauit) in diuersis terrarum partibus summa prudentia, atque felicitate gessit. Quibus Francorum regnum, quod post patrem Pippinum magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliauit, vt penè duplum reddiderit. Nam cùm prius non amplius, quàm ea pars Galliæ, quæ inter Rhenum & Ligerim fluuium, Oceanumque ac mare Balearicum iacet, & pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam, & Danubium ac Salam fluuium, qui Turingos & Sorabos diuidit, postea à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur: & præter hæc Alemanni atque Bavvarii ad regni Francorum potestatem pertinerent, ipse per bella memorata primo Aquitaniam & Wasconiam, tumque Pyrenæi montis iugum, & vsque ad Iberum amnem, qui apud Nauarros ortus, & fertilissimos agros Hispaniæ secans, sub Dertosæ ciuitatis mœnia Balearico mari miscetur, demum Italiam totam ab Augusta prætoria vsque in Calabriam minorem, in qua Græcorum ac Beneuentanorum constat esse confinia, tum Saxoniam, quæ Germaniæ quidem magna pars est, & eius, quæ à Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cùm ei in longitudine possit esse consimilis, item utramque Pannoniam, & oppositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam & iunctum cum eo fœdus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit, demum omnes barbaras & feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluuios, Oceanumque ac Danubium positæ, lingua quidem penè similes, moribus verò atque habitu valdè dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, vt eas tributarias efficeret. Auxit & gloriam regni sui, quibusdam Regibus ac gentibus per amicitiam sibi coniunctis. Adeò namque Adelfonsum, Galiciæ atque Asturiæ regem, sibi societate deuinxit, vt is cùm ad eum vel literas vel legatos mitteret, non aliter se apud illum, quàm proprium suum appellari iuberet. Scotorum quoque Reges sic habuit ad suam voluntatem per munificentiam inclinatos, vt eum nunquam nisi dominum, seque subditos & seruos eius pronunciarent. Cum Aaron, rege Persarum, qui excepta India totum penè tenebat Orientem, talem habebat in amicitia concordiam, vt is gratiam eius omnium, qui in toto erant orbe, Regum ac principum amicitiæ præponeret, solumque honore ac munificentia sibi colendum iudicaret. Imperatores etiam Constantinopolitani, Nicephorus, Michaël & Leo vltrò amicitiam & societatem eius expetentes, complures ad eum misere legatos. Cum quibus tamen propter susceptum à se Imperatoris nomen, & ob hoc, quasi qui imperium eis præripere vellet, valdè suspectum, fœdus firmissimum statuit, vt nulla inter partes cuiuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis & Græcis Francorum suspecta potentia. Vnde & illud Græcum conflat prouerbium: τὸν φραγκὸν φίλον ἔχιε, γείτονα οὐκ ἔχιε. Qui cùm tantus in ampliando regno, & subigendis exteris nationibus existeret, & in eiusmodi occupationibus assiduè versaretur, opera tamen plurima, ad regni decorem & commoditatem pertinentia, diuersis in locis inchoauit, quædam etiam consummauit. Inter quæ præcipua non immeritò videri possunt, basilica sanctæ Dei genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa, & pons apud Moguntiam in Rheno quingentorum passuum longitudinis (nam tanta est ibi fluminis latitudo) qui tamen vno anno, antequam decederet, incendio conflagrauit, nec refici potuit propter festinatum illius decessum, quanquam in ea meditatione esset, vt pro ligneo lapideum restitueret. Inchoauit & palatia operis egregii, vnum haud longè à Moguntiaca ciuitate iuxta villam, cui vocabulum est Ingelenheim, alterum Nouiomagi super Wahalem fluuium. Præcipuè tamen ædes sacras vbicunque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, Pontificibus & Abbatibus, ad quorum pertinebant, vt restaurarentur, imperauit adhibens curam per legatos, vt imperata perficerent. Talem eum in ampliando, & tuendo, simulque ornando regno fuisse, constat. Iam qualis in domestica cura fuisset, dicatur.

Profert pomœria regni Francici.

Iungit amicitiam & fœdera cum exterus Regibus.

Transijt cum Byzantinis Imperatoribus.

Studet extructionibus.

Caroli vita interiro.

Moderatio.

Matrimonia & soboles.

Concubina.

Pietas erga matrem.

Gisela Soror.

Educatio liberorum & nepotum.

In eosdem pietas.

Probrum filiarum dissimulatum.

Pipinus nothus.

Altera in Carolum coniuratio.

Post mortem patris regnum cum fratre partitus, tanta patientia simultates & invidiam eius tulit, vt omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo prouocari potuisset. Deinde cùm matris hortatu filiam Desiderii, regis Longobardorum, duxisset vxorem, post annum repudiauit eam, & Hildegardam, de gente Suauorum præcipuæ nobilitatis fœminam, in matrimonium accepit. De qua filios tres, Karolum videlicet ac Pippinum & Lodevvicum, totidemque filias, Rothrudem, Bertam & Gislam genuit Habuit & alias filias tres, Theodoratam, Hilthrudam & Rotheidem, duas de Fastrada vxore, quæ de Orientalium Francorum, scilicet Germanorum gente erat, tertiam de concubina quadam. Defuncta Fastrada, Lutgardam Alemannam duxit, de qua liberos non habuit. Post cujus mortem habuit concubinas: Gersuindam, Saxonicæ generis, de qua ei filia nomine Adeltrud nata est, Reginam, quæ ei Drogonem & Hugonem genuit, Adelindam quoque, quæ Theodoricum procreauit. Mater quoque eius Bertrada in magno apud eum honore consenuit. Colebat enim eam cum magna reuerentia, vt nulla vnquam invicem sit exorta discordia, nisi adjutorio filiæ regis Desiderii, quam illa suadente acceperat. Decessit tandem post mortem Hildegardæ, cùm jam tres nepotes suos, totidemque neptes ex filii domo vidisset, quam ille in eadem basilica, qua pater situs est, apud sanctum Dionysium magno cum honore fecit humari. Erat ei vnica soror, Gisla nomine, à puellaribus annis religiosæ conuersationi mancipata. Quam magna pietate similiter vt matrem coluit, quæ etiam paucis ante obitum illius annis ipsa eo, quo conuersata est monasterio, decessit. Liberos suos ita censuit instituendos, vt tàm filii quàm filiæ primò liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. Tùm filios, cùm primum ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venatibus exerceri fecit: filias verò lanificio assuescere, colloque ac fuso, ne per ocium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Ex his omnibus duos tantùm filios, & vnam filiam, priusquam moreretur, amisit, Karolum, qui maior natu erat, & Pippinum, quem regem Italiæ fecerat, & Rothrudem, quæ filiarum eius primogenita, & Constantino, Græcorum Imperatori, filio Leonis & Irenes, fuerat desponsata. Quorum Pippinus vnum filium, Bernhardum, filios autem V. superstites reliquit, in quibus Rex præcipuum pietatis documentum ostendit, cùm nepotem patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecit. Filiarum ac filiarum tantam in educando curam habuit, vt nunquam positus domi sine ipsis cœnaret, nunquam iter sine illis faceret. Adequitabant ei filii, filiæ verò ponè sequebantur, quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cùm pulcherrimæ essent, & ab eo plurimum diligerentur, maritarum dictu, quòd nullam earum cuiquam aut suorum, aut exterorum nuptum dare voluit, sed omnes secum vsque ad obitum retinuit in domo sua, dicens, se earum contubernio carere non posse. Ac propter hoc, licèt aliàs felix, adversæ fortunæ indignitatem expertus est, quod tamen ita dissimulauit, ac si de eis nulla vnquam alicujus probri suspicio exorta, vel fama fuisset dispersa. Erat ei filius, nomine Pippinus, ex concubina editus, cuius inter cæteros mentionem facere distuli, facie quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is cùm pater bello cum Hunis suscepto in Bauaria hyemaret, cum quibusdam è primoribus Francorum, qui eum vana regni promissione illexerant, aduersus patrem coniurauit. Quem post fraudem detectam, & coniuratorum damnationem detonsum, in cœnobio Prumia religiosæ vitæ iam volentem vacare permisit. Facta est & alia prius contra eum in Germania valida coniuratio, cuius auctores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen exilio deportati sunt, neque vllus ex eis interfectus est, nisi tres tantùm, qui cùm se ne comprehenderentur strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coërceri non poterant, interempti sunt. Harum tamen coniurationum Fastradæ re-

gina

ginæ crudelitas causa & origo dicitur extitisse, & idcircò in ambabus contra Regem conspiratum est ; quia vxoris crudelitati consentiens , à suæ naturæ benignitate, ac solita mansuetudine videbatur exorbitasse. Cæterùm per omne vitæ suæ tempus ita cum summo omnium amore, atque fauore, domi & foris conuersatus est, vt nunquam ei vel minima iniustæ crudelitatis nota à quoquam fuisset obiecta. Amabat peregrinos, & in eis susciendis magnam habebat curam, adeò vt multitudo non solum palatio, verùm etiam regno non immerito videretur onerosa. Ipse tamen præ magnitudine animi huiusce-modi pondere minimè grauabatur, cùm etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac famæ bonæ mercede in compensaret. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen iustam non excederet: nam VII. suorum pedum proceritatem eius constat habuisse mensuram: apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedenti, canicie pulchra, facie læta & hilari: nam formæ auctoritas ac dignitas tàm stanti quàm sedenti plurima acquirebatur. Quamquam enim ceruix obesa & breuior, venterque videretur proiectior, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas. Incessu erat firmo, totaque habitudine virili, voce clara quidem, sed quæ minus corporis formæ conueniret, valetudine prospera, præter quod antequam decederet, per IV. annos crebris febribus corripiebatur, ad extremum etiam vno pede claudicabat. Erat eloquentia copiosus & exuberans, poteratque quicquid vellet aptissimè exprimere. Nec patrio sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam dabat, in quibus Latinam ita didicit, vt æquè ea ac patria orare sit solitus. Græcam verò melius intelligere quàm pronuntiare poterat. Artes liberales studiosissimè coluit, earumque Doctores plurimum veneratus , magnis extulit honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum, Diaconum, senem audiuit, in cæteris disciplinis Albinum, cognomento Alcuuinum, item Diaconum de Britannia, virum vndecunque doctissimum, præceptorem habuit, apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impendit. Discebat & artem computandi, & intentione sagaci syderum cursum curiosissimè rimabatur. Tentabat & scribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lecto sub ceruicalibus circumferre solebat, vt cùm vacuum tempus esset, manum literis effigiandis assuesceret. Sed parum succesisit labor præposterus, ac serò inchoatus. Assiduè exercebatur equitando ac venando , quod illi gentilicium erat, quia vix vlla in terris natio inuenitur, quæ in hac arte Francis possit coæquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenter se natatu exercens, cuius adeò peritus fuit, vt nullus ei iustè valeat anteferri. Ob hoc etiam Aquisgrani regiam extruxit, ibique extremos vitæ annos vsque ad obitum perpetim duxit. In cibo & potu erat temperans, sed in potu temperantior, ita vt super cœnam rarò plus quàm ter biberet. Cibo non adeò abstinere poterat, vt sæpè quereretur, noxia suo corpori esse ieiunia. Consuabatur rarissime, & hoc præcipuis tantùm festiuitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero. Cœna quotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter carnem assam, quam venatores verubus inferre solebant, qua ille libentius quàm vllo alio cibo vescebatur. Inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei Historiæ, & antiquorum res gestæ. Delectabatur etiam libris Sancti Augustini, præcipuè his, qui de Ciuitate Dei prætitulati sunt. Circa pauperes sustentandos, & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemosynam vocant, deuotissimus erat, vt qui non in patria solùm, & in suo regno, id facere curauerit, verùm etiam trans maria in Syriam, & Ægyptum, atque Africam, Ierosolymas, Alexandriam, Karthaginem, vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat, ob hoc maximè transmarinorum Regum amicitias

Eiusdem ὁμοήθεια.

Benignitas erga exteros.

Forma corporis.

Incessus.

Valetudo.

Eloquentia.

Peritia linguarum.

Studium bonarum artium.

Exercitia corporis.

Temperantia.

ἀναθήματα Sanctor.

Respectus ad egenos.

expetens, vt Christianis, sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac releuatio proueniret. Colebat præ cæteris sacris locis apud Romam beati Petri Apostoli ecclesiam, in cuius donaria magnam vim pecuniæ contulit. Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma opera sua, suoque labore, vetere polleret auctoritate, & Ecclesia sancti Petri per illum non solùm tuta ac defensa, sed etiam operibus suis præ omnibus Ecclesiis esset ornata, atque ditata. Quam cùm tanti penderet, tamen intra XLVI. annorum, quibus regnauerat, spacium quater tantùm illò votorum persoluendorum, ac supplicandi causa, profectus est. Vltimi aduentus sui non solùm hæ fuerunt causæ, verùm etiam, quòd Romani Pontificem Leonem, multis affectum iniuriis, erutis scilicet oculis, vt quidam dicunt, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus extraxit. Quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit; quod primò in tantum auersatus est, vt affirmaret, se eo die, quamvis præcipua esset festiuitas, Ecclesiam non intraturum fuisse, si præscire potuisset Pontificis consilium. Inuidiam tamen suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epistolis fratres eos appellando. Post susceptum Imperiale nomen cùm multa aduerteret legibus populi sui deesse (Nam Franci duas habent leges, in plurimis locis valde diuersas) cogitauit quæ deerant addere, & discrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere. Sed de his nihil aliud ab illo factum est, nisi quòd pauca capitula, & ea imperfecta, legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ sub eius dominatu erant, iura, quæ scripta non erant, scribi, ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus, & bella canebantur, scripsit, & memoriæ mandauit. Inchoauit & Grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam propria nomina imposuit, qui ante id tempus apud Francos partim Latinis partim barbaricis nominibus pronunciabantur. Et Ianuarium appellauit Wintermanoth, Februarium Hornung, Martium Lerinmanoth, Aprilem Ostermanoth, Maium Wunnemanoth, Iunium Brachmanoth, Iulium Hewimanoth, Augustum Arnanmanoth, Nouembrem Herbistmanoth, Decembrem Heilichmanoth. Item ventos XII. propriis nominibus insigniuit, cùm non amplius quàm IV. ventorum vocabula possent inueniri. Et Subsolanum vocauit Ostervvinth, Eurum Ostsundroni, Euroaustrum Sundrossoni, Austrum Sundroni, Austroafricum Sundvvestroni, Africum Westersundroni, Zephyrum Westroni, Corum Westernordroni, Circium Nordvvestroni, Septentrionem Nordroni, Aquilonem Nordostroni, Vulturnum Ostnordroni. Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè vixit, & cum summa pietate excoluit, ac propter hoc plurimæ pulchritudinis basilicam Aquisgrani extruxit, auroque & argento & luminaribus, atque ex ære solido cancellis & ianuis adornauit: Ad cujus structuram cùm columnas & marmora aliunde habere non posset, Roma atque Rauenna deuehenda curauit. Ecclesiam manè & vespere, item nocturnis horis & sacrificii tempore quoad valetudo permiserat, impigrè frequentabat, curabatque magnopere, vt omnia, quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honestate, ædituos crebrimè commonens, ne quid indecens aut sordidum vel inferri vel in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex auro & argento, vestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, vt in sacrificiis celebrandis ne ianitotibus quidem, qui vltimi ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè emendauit: erat enim

Amor Ecclesiæ & vrbis Rom.

ἀξίωμα Imperij.

Cura legum.

φιλοσοφία.

Grammatica Francica.

Nomina mensium.

Item ventorum.

Religionis Christianæ cultura.

ζυτάξια Ecclesiastica.

enim vtriusque admodum eruditus; quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi submissè & in commune cantaret. Fuit autem consuetudo, vt in basilica eius magister scholæ designaret pridiè singulis, quod responsorium quis cantare in nocte deberet, lectiones verò nullas cuiquam recitandas iniunxit, nullas ad terminum, vel ceram imposuit, vel vnguibus saltem quantulumcunque impressit, sed cum homelia, quæ legenda erat, ita sibi nota facere curârunt, vt cùm inopinatò legere iuberentur, irreprehensibiles apud eum inuenirentur. Digito autem, vel baculo porrecto, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo, demonstrauit, quem legere voluisset. Finem verò lectionis sono gutturis designauit, ad quem vniuersi ita intentè suspensi sunt, vt siue finita sententia, siue in media distinctione, siue subdistinctione significaret, nullus sequens superius, nullus inferius incipere præsumeret: quantumcunque incongrua finis aut initium viderentur. Et hoc modo factum est, vt etiamsi non intelligerent, omnes in suo palatio optimi lectores fuissent. Nullus alienus, nullus etiam novus, ni legere sciens & canere, chorum eius ausus est intrare. *Carolus designat successorem Ludouicum F.* Extremo vitæ tempore cùm iam morbo & senectute premeretur, euocatum ad se Lodevvicum filium suum, Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildegardæ reginæ supererat, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni, & Imperialis nominis hæredem, constituit, impositoque capiti eius diademate, Imperatorem & Augustum iussit appellari. Susceptum est hoc consilium ab omnibus, qui aderant, cum magno fauore: nam diuinitus propter regni vtilitatem ei videbatur inspiratum; auxitque maiestatem eius hoc factum, & exteris nationibus non minimum terroris incussit. Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito, quamuis senectute confectus, non longè à regia Aquensi venatum proficiscitur: exactoque in hujuscemodi negocio quod reliquum erat autumni, circa Kal. Nouembr. Aquasgrani reuertitur. Cumque ibi hyemaret, mense Ianuario febre valida correptus decubuit, statimque, vt in febribus solebat, cibi abstinentiam sibi indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, vel certè mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci pleurisin dicunt, illoque adhuc inediam retinente, neque corpus aliter quàm rarissimo potu sustentante, septimo, postquam decubuit, die sacra communione percepta, decessit, anno ætatis suæ LXXII. & ex quo regnare cœperat, XLVI. Indictione VII. V. Kalend. Febr. hora diei tertia, Anno Domini DCCC. XIV. Cuius corpus more solenni lotum, & curatum, maximo totius populi luctu Ecclesiæ illatum atque humatum est. Dubitatum est primò, vbi reponi deberet, cò quòd ipse viuus de hoc nihil præcepisset. Tandem omnium animus sedit, nusquam honestius eum tumulari posse, quàm in ea basilica, quam ipse propter amorem Dei & Domini nostri Iesu Christi, & ob amorem sanctæ & æternæ Virginis genitricis ejus, proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem die, qua defunctus est. Arcusque super tumulum eius deauratus cum imagine & titulo extructus est. Qui titulus hoc modo descriptus est: SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPUS KAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNUM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVI. FELICITER REXIT. His summatim de rege Karolo explanatis, iterum ad propositum redeamus. Anno Domini DCC. LXVIII. Stephanus Papa XCIV. sedit annis III. mens. V. dies viginti octo. Anno Dominicæ Incarnationis DCC. XIX. Karolus, Pippini filius, Magnus regnare cœpit, & XLVI. annis regnauit, tribus cum fratre, XLIII. solus. Anno Domini DCC. LXX. Karolus conuentum habuit in Wormatia. Corpus S. Othmari in insula, qua defunctus est, per X. annos incorruptum reperitur, & in basilica Sancti Galli sepelitur. Anno Domini DCC. LXXI. Karlomannus obiit II. Non,

Venatur.

Febricitat.

Cedit è vita.

Inhumatur Aquisgrani.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Mors Carolomanni. Non. Decembr. cuius vxor cum filiis, & parte optimatum, ad Italiam est profecta. Karolus ad capiendum ex integro regnum intendens animum, in Villam Carbonacum venit. Ibi ad eum primates & Comites accesserunt. Anno Domini DCC. LXXII. Karolus, habito in Wormatia conuentu, Saxoniam bello adiens, castrum Eresburg cepit, idolum, quod Erminsul vocabatur, euertit. Posteà ad Wisaram fluuium accessit, ibique acceptis à Saxonibus XII. obsidibus recessit. Adrianus Papa XCV. sedit annis XXIV. Anno Domini DCC. LXXIII. Adrianus Papa insolentiam Desiderii, regis Longobardorum, ferre non valens, opem Karoli implorauit. Qui veniens Desiderium inter Ticinum obsedit, & totam hyemem in hac obsidione consumpsit. Saxones pro absentia Karoli contiguos sibi Hassorum populos deprædantur: & Fritslar venientes, ecclesiam Sancti Bonifacii moliti sunt incendere. Apparuerunt autem quibusdam duo iuuenes, qui eam defenderunt ab igne, & hostes terrore percussi, in fugam sunt conuersi, nemine persequente. Inuentus est posteà vnus è Saxonibus iuxta Ecclesiam mortuus, ligna & ignem habens in manibus, & quasi ore flans ad eandem ecclesiam incendendam. Prædixerat enim Beatus Bonifacius, ipsam ecclesiam nunquam incendio concremandam. Rex dimisso exercitu apud Ticinum, Romam pergit orandi gratia, reuersusque longa obsidione ciuitatem ad deditionem compulit, quam reliquæ ciuitates sunt secutæ. Rex pro tempore ordinata Italia, reuertitur in Franciam, ducens secum Desiderium regem. Adalgisus verò filius eius in Græciam sese contulit ad Constantinum Imperatorem, ibique in Patriciatus honore vitam finiuit. Anno Domini DCC. LXXIV. Karolus in Saxoniam tripertitum misit exercitum, qui interfectionibus prædis & incendiis omnia vastantes, cum magnis spoliis sunt reuersi. Anno Domini DCC. LXXV. Karolus Saxones aut religioni Christianæ subdere, aut omnino delere cupiens, totis viribus Saxoniam petiit, castrum Sygiburgum cepit, Eresburgum castrum à Saxonibus destructum muniuit, & in eo Francorum præsidium posuit, & multa strage facta, obsides ab eis & à Westualis accipiens, est reuersus. Corpora Sanctorum, Gordiani & Epimachi, de Roma in Alemanniam sunt translata. Constantinus Imperator, filius Leonis, persecutor Christianorum, mortuus est. Anno Domini DCC. LXXVI. Leo, filius Constantini persecutoris, LXXI. ab Augusto, regnauit annis V. Hic à principio pius visus est, & Monachorum amicus. Vnde ex Monachis Metropolitanos in primis sedibus collocauit, multosque ordines amplificauit in vrbe. Hic ad petitionem populi & Principum Constantinum, filium suum in sancto die Paschæ fecit coronari Imperatorem, licet adhuc paruulum, Principibus & populo iurantibus, se nunquam alios Imperatores admissuros, præter Leonem & Constantinum, & ex semine ipsorum, & hoc scripto confirmauerunt. Primo itaque Leonis anno, qui est Karoli VIII. Karolus tendens in Italiam, Rotgaudum interfecit, quia plures ciuitates sibi allexerat, non reminiscens, quod Karolus cum Foroiuliensibus Ducem dederat. Rex autem audiens Saxones rebellasse, illuc tetendit, & quòd veniam petebant, baptizauit qui volebant, & acceptis obsidibus, in Franciam est regressus. Anno Domini DCC. LXXVII. Karolus Padebrunno veniens, iterum intrauit Saxoniam, omnesque fallaciter deuotos inuenit. Cuncti quippe ad eum venerunt. Sed Widikindus, unus ex primoribus, qui multorum sibi conscius erat facinorum, ad Sigifridum, regem Danorum, profugit. Et baptizata est multitudo maxima Saxonum, ita quod si vlterius sua statuta violarent, tam libertate quàm patria priuarentur. Anno Domini DCC. LXXVIII. Karolus Hispaniam petens, quasdam vrbes subegit, obsides à Saracenis accepit. Interea Saxones, comperto quòd Rex tàm longè abisset, armis assumptis, vsque Rhenum sunt profecti, & quicquid à Tuicio ciuitate vsque ad Mosellam villarum fuit, ferro & igni populati sunt, non prædandi occa-

Caroli expeditio Saxonica.

Alia in Longobardos.

Fritislaria Hassorum.

Pœna sacrilegij.

Excidium regni Longobardorum.

Saxonia vastata.

Caroli successus.

LEO Imp.

Rotgaudus Dux Foroiul.

Widekindus Saxon. dynasta.

Caroli expeditio Hispan.

occasione sed vleiscendi. Rex Antisiodori positus hoc audiuit, & Orientales Francos & Alemannos contra eos misit. Qui inuenerunt eos in partibus Hassorum super fluuiam Adernam. Et tanta cæde strauerunt, quòd pauciſſimi redierunt. *Victoria Saxon.* Anno Domini DCC.LXXIX. Karolus in Villa Wirciniaco benignè suscepit Hildebrandum, Ducem Spoletanum, ad se venientem, & honoratum redire dimisit. *Benignitas in Spoletanum.* Ipse verò Saxoniam petens, Rhenum traiecit, & vsque ad Lippiam cum exercitu peruenit. Saxones autem resistere tentantes, victi fugit, & fugati, & Rex Westfaliam ingressus, omnes in deditionem accepit, & inde ad Wisaram veniens castra posuit. Ibi Angrarii & Ostfali obsides dederunt, & fidelitatem iurauerunt. Rex autem rediens in Wormatia hyemauit. *Iterata de Saxonibus victoria.* Anno Domini DCC. LXXX. Karolo Saxoniam intranti omnes Orientalium partium Saxones occurrerunt, multis de populo baptizatis. Veniens ad locum vbi Hora & Albia confluunt, ordinauit Restam tàm Saxonum quàm Sclauorum, reuersusque in Franciam, Romam causa orationis cum vxore Hildegarde & liberis perrexit, & Natalem Domini Papiæ celebrauit. *Profectio Saxon.* Anno Domini DCC. LXXXI. Constantinus, filius Leonis, LXXII. ab Augusto, cum matre sua Irene regnum accepit, & annis XVII regnauit. Huic filia Karoli & Hildegardis reginæ, Rothrudis, desponsata fuit, sed mater eius aliam ei, eo inuito, coniunxit. *Item Romana. CONSTANTINVS Imp.* Huius anno primo Karolus ab Adriano Papa Romæ honorificè suscipitur, & cùm ibi sanctum Pascha celebraret, baptizauit idem Papa filium eius Pippinum, eumque de sacro fonte susceptum vnxit in Regem Italiæ, & fratrem eius in Regem Aquitaniæ. *Pipinus Caroli F.* Rex autem cùm rediisset Mediolanum, baptizata est filia eius Gissa ibidem ab Archiepiscopo Thoma. Karolus Wormatiam venit, vbi Tassilo dux, datis XII. obsidibus, fidelitatem Regi iurauit, sed domum rediens non diu in fide permansit. *Tassilo Bauarum.* Anno Domini DCC. LXXXII. Karolus, traiecto apud Coloniam Rheno, ad fontem Lippiæ venit, & ibi inter cætera recepit legatos Sigifridi, regis Danorum, & illos, quos pacis causa miserant ad eum Caganus & Iugarrus. *Legatio Danica & Vngarica.* Rege redeunte in Franciam, Wedekindus Saxones rebellare persuasit. Intellexit etiam Rex, quòd Soraui Selaui, qui habitant inter Salam & Albiam, fines Turingorum & Saxonum prædarentur. *Widikindus fax belli. Sorabi.* Contra quos cùm Rex suos satellites direxisset, illi ad Saxones se diuertunt, & ab ipsis penè omnes occisi sunt. *Carolum animaduertit in rebelles.* Rege pro eadem re veniente, omnes Wedekindum istius sceleris auctorem clamauerunt. Sed illo fugiente, alii qui consenserant circiter IV. mill. & quingenti ad eius imperium sunt decollati. Anno Domini DCC. LXXXIII. Rege iam Saxoniam intrare volente, Hildegardis regina obiit II. Kalend. Maii, scilicet vigilia Ascensionis Domini. *Hildegardis.* In Saxoniam veniens, in loco, qui Theotmelli dicitur, vicit eos. Inde Patherbrunnen veniens, audiuit eos in finibus Westfalorum iterum ad pugnam paratos, ad quos rediens feliciter dimicauit. *Noua Saxonum clades.* Inde reuersus in Franciam, duxit vxorem Radolfi filiam de Orientali Francia, nomine Fastradam, & qua habuit duas filias. Berthrada regina, mater *Regis*, obiit IV. Idus Iulii. *Fastrada.* Anno Domini DCC. LXXXIV. Karolus, traiecto *Rheno*, in loco, qui dicitur Lippenheim, pagos Westfalorum vastauit. Veniens ad Wisaram, dimisit Karolum, filium suum, in finibus Westfalorum. Ipseque per Turingiam diuertens, depopulatus est partes circa Albiam, & in Franciam reuersus est. *Lippenheim.* Saxones verò congregati, pugnabant cum filio eius Karolo, sed ille magna cæde facta, cum victoria rediit ad patrem suum Wormatiam. *Caroli P. prælium secundum.* Anno Domini DCC. LXXXV. Widikint, dux Saxonum, incentor rebellionis, & Albio de Transalbia venerunt ad Karolum, adducente eos vno aulicorum, & recepti sunt in gratiam, & baptizati, quieuitque Saxonicæ perfidiæ peruicacitas per aliquot annos. *Widikindi & Albionis Christianismus.* Anno Domini DCC. LXXXVI. *Rex* misit exercitum contra Britannos, quos Angli & Saxones olim extorres egerant, ductorem statuens Andolfum, præpositum mensæ *Reginæ*. Hic contumaciam eorum citò repressit, *Britanni subacti.*

preſſit, & obſides acceptos cum populi primoribus Wormatiam ad regem adduxit. *Rex* iterum ſtatuit ire *Romam*, vt Beneuentum ſuæ ſubiiceret poteſtati, cuius maiorem partem, capto Deſiderio, iam ſibi ſubiecerat. Pergens igitur, natalem Domini apud Florentiam celebrauit. Anno Domini DCC. LXXXVIII. Karolus *Romæ* honorificè ſuſceptus eſt à Papa Adriano, inde Beneuentum cum Papa contendit. Aragiſus autem Dux Beneuentanorum, relicto Beneuento, *Salernum* ſe tranſtulit, & duos filios *Regi* obtulit, metuens ante conſpectum eius venire. Et *Rex* iuniore retento, ſcilicet Grimoldo, maiorem dimiſit, & acceptis à populo obſidibus, Beneuentum ſacramento ſibi aſtrinxit. Et dimiſſis legatis Irenes & Conſtantini, filii eius, qui pro petenda filia Karoli venerant, *Romam* reuerſus, ibidem Paſcha Domini celebrauit. Poſteà in Franciam rediens, in VVormatia conuentum habuit generalem. Deinde contra Taſſilonem, Ducem Bavvariæ, proceſſit. Et ſuper Lycum fluuium in ciuitatis Auguſtæ ſuburbio ſe transferens, aliosque Francos ſuper Danubium in locum, qui Pheringa dicitur, conſtituens, Bauaros vndique circumfudit. Hoc videns Taſſilo, ad ipſum veniens, veniam petiit, & *Rex*, quia pius erat, ſupplicanti pepercit: acceptoque ab eo filio eius Theodone cum aliis XII. obſidibus, in Franciam remeauit. Anno Domini DCC. LXXXVIII. Karolo Paſcha celebrante, & generale conſilium habente, Taſſilo ràm de fide violata, quàm de aliis hoſtiliter actis apud *Regem* eſt accuſatus, videlicet quòd ſuadente vxore ſua Lutburga, Deſiderii Longobardorum regis filia, Auares in diſſipationem regni vocauit, vnde reus maieſtatis iudicatus eſt. Sed pro agenda pœnitentia tonſuratur, & in monaſterium cum filio mittitur, cæteri verò exilio retruduntur. Eo anno fundata eſt Eccleſia Bremenſis. Nam VVillehadus miſſus à Karolo rege in Saxoniam, primus omnium doctorum maritimas & boreales Saxoniæ partes, ac transalbinos populos, ad Chriſtianam prouocauit fidem. Septem annos prædicaſſe dicitur in ea regione, vsque ad annum rebellionis Saxonum *XII*. Tum VVidikind pertinacitionem mouens in Chriſtianos, Francorum terminos vsque ad Rhenum vaſtabat. In qua perſecutione diſcipuli ſancti VVillehadi quidam Bremæ, muliri per Freſiam, cæteri trans Albiam paſſi leguntur. Vnde confeſſor Dei magnus adhuc lucrum expectans de conuerſione plurimorum, legitur ſecundum Euangelicum præceptum de ciuitate in ciuitatem fugiſſe, diſperſisque ad prædicandum ſociis, ipſe Romam cum Luidgero veniſſe. Vbi ſanctiſſimi Papæ Adriani conſolatione releuati, Luidgerus in montem Caſſinum ad profeſſionem ſancti Benedicti, VVillihadus in Galliam ad ſepulchrum ſancti repedauit VVilleborchi. Itaque biennio vterque recluſi, contemplatiuæ vitæ operam dabant, orantes pro perſecutoribus & gente Saxonum, ne iactum in eis ſemen verbi Dei inimicus homo zizaniis oppleret. Nam VVidikind dux, incentor rebellionis, ad fidem, ſicut dictum eſt, venit, baptizatus cum aliis Saxonum magnatibus. Et tunc demum Saxonia ſubacta in prouinciam redacta eſt, quæ ſimul in VIII. Epiſcopatus diuiſa, Moguntino & Colonienſi Archi-Epiſcopis eſt ſubiecta. Exemplar privilegii, Bremenſi Eccleſiæ à Karolo donati. In nomine Domini Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Karolus, diuina ordinante prouidentia Rex. Si Domino Deo exercituum ſuccurrente, in bellis victoria potiti ſumus, in illo & non in nobis gloriamur, & in hoc ſeculo pacem & proſperitatem, & in futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter nouerint omnes Chriſti fideles, quod Saxones, quos à progenitoribus noſtris ob ſuæ pertinaciam perfidiæ ſemper indomabiles, ipſique Deo & nobis tam diu rebelles, quousque illius non noſtra virtute ipſos & bellis vicimus, & ad baptiſmi gratiam Deo annuente perduximus, priſtinæ libertati donatos, & omni nobis debito cenſu ſoluros, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios & ſubiugales de-

Erbum Beneuentanum.

Taſſilo Bauarus.

Idem maieſtatis damnatus.

Willehadus Euangeliſta Saxonum.

Luidgerus.

Widikindus baptizatus Chriſtianiſmi per Saxoniam.

Diploma fundationis Eccleſiæ Brem.

Saxones libertate donati, Deo tributales addicuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

uotè addiximus, videlicet vt qui noſtræ poteſtatis iugum hactenus ferre detrectauerunt, victi iam, Deo gratias, & armis ac fide, Domino ac ſaluatori noſtro Ieſu Chriſto, & ſacerdotibus eius, omnium ſuorum iumentorum & fructuum, totiusque culturæ decimas ac nutrituræ, diuites ac pauperes legaliter conſtricti perſoluant. Proinde omnem terram eorum, antiquo Romanorum more, in prouinciam redigentes, & inter Epiſcopos certo limite diſterminantes, ſeptentrionalem illius partem, quæ & piſcium vbertate ditiſſima, & pecoribus alendis habetur aptiſſima, piè Chriſto, & Apoſtolorum ſuorum principi Petro, pro gratiarum actione deuotè obtulimus, ſibique in Wigmodia, in loco Bremon vocato, ſuper flumen Wirraham, Eccleſiam & Epiſcopalem ſtatuimus cathedram. Huic parochiæ X. pagos ſubiecimus, quos etiam, abiectis eorum antiquis vocabulis, & diuiſionibus, in duas redegimus prouincias, his nominibus appellantes, Wigmodiam & Lorgoe. Inſuper ad præfatæ conſtructionem Eccleſiæ in ſuprà dictis pagis LXX. manſos cum ſuis colonis offerentes, totius huius parochiæ incolas decimas ſuas Eccleſiæ ſuoq; prouiſori fideliter perſoluere, hoc noſtræ maieſtatis præcepto iubemus, donamus, & confirmamus. Adhuc etiam ſummi Pontificis & vniuerſalis Papæ Adriani præcepto, nec non & Mogontiacenſis Epiſcopi, Hillonis, omniumq; qui affuere Pontificum conſilio, eandem Bremenſem Eccleſiam cum omnibus ſuis appendenciis Willehado, probabilis vitæ viro, coram Deo & ſanctis eius commiſimus. Quem etiam primum eiusdem Eccleſiæ III. Idus Iulii conſecrari fecimus Epiſcopum, vt populis diuini ſemina verbi, ſecundum datam ſibi ſapientiam, fideliter diſpenſando, & nouellam hanc Eccleſiam canonico ordine, & monaſteriali competentia, vtiliter inſtruendo, interim plantet & rigget, quousque precibus ſanctorum ſuorum exoratus, incrementum det omnipotens Deus. Innotuit etiam idem venerabilis vir ſerenitati noſtræ, eam, quam diximus, parochiam propter barbarorum infeſtantium pericula, ſeu varios euentus, qui in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula, ſiue ſtipendia, Dei ſeruorum inibi Deo militantium, minimè ſufficere poſſe. Quamobrem quia Deus omnipotens in gente Freſonum, ſicut & *Saxonum*, oſtium fidei aperuit, partem prænominatæ regionis, videlicet Freſiæ, quæ contigua huic parochiæ eſſe dignoſcitur, eidem Bremenſi Eccleſiæ, ſuoque prouiſori Willehado Epiſcopo, eiusque ſucceſſoribus perpetualiter delegauimus retinendam. Et quia caſus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, ne quis, quod non optamus, aliquam ſibi in eadem diœceſi vſurpet poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari, eique hos terminos, mare Oceanum, Albiam fluuium, Liam, Steinbach, Haſalam, Wimarcham, Sncielbach, Oſtam, Mulinbach, Motam paludem, quæ dicitur Sigefridiſmor, Quiſtinam, Thiſennor, Aſebroch, VViſebroch, Biuernam, Vternam, iterumque Oſtam. Ab Oſta verò vſque quo perueniatur ad paludem, quæ dicitur Heſſenvveg, Sturmegoe & Longoe diſterminantem, Sethba-Sigefridiſmor, Quiſtinam, Thiſennor, Aſebroch, VViſebroch, Biuernam, Vternam, iterumque Oſtam. Ab Oſta verò vsque quo perueniatur ad paludem, quæ dicitur Caldenbach. Deinde ipſam paludem vſque VVennam fluuium, à VVenna verò Bicinam, Farſinam, vſque in VVirraham fluuium. Deinde ab orientali parte eiusdem fluminis viam publicam, quæ dicitur Heſſenvveg, Sturmegoë, & Longoë diſtirminantem, Sethbaſam, Alapam, Taldhovva, iterumque VVirraham. Ex occidentali autem parte viam publicam, quæ dicitur Foltvveg, Dètue & Lorgoë diuidentem vſque in Huntam flumen. Dein ipſum flumen, & Amrinum lacum ſilueſtrem, quem incolæ loci VVildloch nominant, Finolam, VVaſtemor, Berepol, Eddenriad paludem, Emiſgoë & Oſtergoë diſterminantem, Bruſtlacho, Biberbach, iterumque mare; firmos & intransgreſſibiles circumſcribi iuſſimus. Et vt huius donationis ac circumſcriptionis auctoritas

Eccleſia Brem. prouincia.

Willehadus I. Epiſc.

Iuriſdictio in Friſia.

Limites.

nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconuulsa manere, manu propria subscripsimus, & anuli nostri impressione signari iussimus.

Hildibaldus, Archiepisc. Colon.

Signum Domini Karoli, regis inuictissimi. Hildibaldus, Archiepiscopus Colon. & sacri palatii Capellanus, recognoui. Data II. Idus Iulii, Anno Dominicæ incarnationis DCC. LXXXVIII. Indictione XII. Anno autem regni Domini Karoli XXI. Actum palatio Nemetensi feliciter. Amen.

Mors Willehadi.

Sedit igitur in Ecclesia Bremensi Beatus VVillehadus post ordinationem suam annos II. menses III. dies XXVI. prædicauitque tàm Fresis quàm Saxonibus post martyrium Sancti Bonifacii, omnes annos XXXV. Obiit autem senex & plenus dierum in Fresia in villa Pleecazee, quæ sita est in Rustris. Corpus eius Bremam deportatum, in basilica sancti Petri, quam ipse ædificauit, sepultum est. Transitus eius celebratur festiuis gaudiis VI. Idus Nouembr. ordinatio III. Idus Iulii. Anno Domini DCC. LXXXIX Rex contra Sclauos, qui

Wilzi debellati.

VVilzi dicuntur, ducens exercitum Albiam duobus pontibus transiuit, & alterum ex vtroque capite vallo & turri muniuit, & tam diu terram eorum vastauit,

Irene Aug. fœdifraga.

donec eos subiecit. Hoc anno Irene Imperatrix adduxit puellam de Armenicis, nomine Mariam, & eam filio suo copulauit. Sed ille grauiter hoc tulit, quia erga filiam Karoli flagrabat, sibi antea desponsatam. Anno Domini DCC. XC. Karolus resedit in VVormatia, audiens legatos Hunorum. Anno

S. Burchardus.

Domini *DCC. XCI.* Sanctus Burchardus, *VV*irceburgensis Episcopus, obiit. Facta est dissensio inter Irenen & filium eius, Constantinum, & hæc instinctu malorum hominum, ita vt ipsum regno priuare vellet. Karolus de *VV*ormatia in Bavvariam iuit, vt Hunis bellum inferret, vnam partem exercitus per aquilonare latus Danubii ire iubens, ipseque cum altera per australe latus descendit.

Bellum Hunicum.

Veniensque ad Anesum fluuium, qui est limes Pannoniæ & Bavvariæ, ibi castra posuit. Huni autem diuinitus territi fugerunt. Karolus Pannonia vsque ad

Coniuratio Pipini nothi.

Raba flumen deuastata, dispositi per Sabariam remeare. Anno Domini *DCC. XCII.* Karolo à natali Domini per totam æstatem Ratisbonæ commorante, conspirauit contra eum Pippinus, ex concubina filius, & multi alii propter Fastradam reginam, scilicet ob eius crudelitatem. Fardolfus Longobardus hoc detexit. Vnde concessum est ei monasterium Sancti Dionysii intrare. Alii

Danubij & Rheni coniunctio frustra tentata.

partim gladio cæsi, partim patibulo sunt suspensi. Anno Domini *DCC. XCIII.* Persuasum est regi, posse commodè à Danubio in Rhenum nauigare, si inter Redantiam & Altmonam fluuios fossa duceretur nauium capax, quia horum fluuiorum alter Rheno, alter Danubio misceretur. In hoc opere laboratum est duum millium passuum in longitudine, & ducentorum pedum in latitudine, sed frustra, quia propter iuges pluuias, & loca palustria, opus non poterat consumari. Interea nunciatur Karolo Saxonum defectio, & Francorum à Sarracenis plurima interfectio. Reuertitur in Franciam, natalem Domini in Herbipoli celebrans, & Pascha Franckeneforde, vbi etiam hyemauerat. Anno Do-

Hæresis Feliciana. Synodus Oecumenica VII. damnata.

mini *DCC. XCIV.* Magna Synodus est collecta, & legati Adriani Papæ affuerunt, vbi damnata est hæresis Felicis Episcopi, qui Christum adoptiuum filium esse asseruit secundum carnem. Synodus etiam, quæ ante paucos annos in Constantinopoli sub Irene, & Constantino, filio eius, septima & uniuersalis dicta est, quasi superuacua, est ab omnibus abdicata. Fastrada regina obiit, & apud Sanctum Albanum in Moguntia sepelitur. Rex diuiso inter se & filium Karolum exercitu, cum magno intrat Saxoniam apparatu. Sed ipsi eum reuerriti, datis obsidibus, se obsecuturos per omnia iurârunt.

¶. Saxones imperata facere coacti.

¶. De hùmotibus plenius annales Francici.

¶ *Atqui Synodo hac Generatio imaginum (Græcis est εἰκόνων προσκύνησις) sancita fuit. Nicetam Frederici Barbarossa temporibus eam apud Germanos receptam fuisse, è Niceta historia liquet.*

Anno Domini *DCC. XCV.* Rex ob perfidiam Saxonum conuentum habuit generalem in villa Cuffenstein, vltra Rhenum contra Moguntiam, iuxta Mo-

nam

num flumen, ac deinde penè totam Saxoniam depopulatus est, acceptisque item obsidibus, in Gallias remeauit. Anno Domini DCC. XCVI. Leo Papa XC VI sedit annis XX. quidam dicunt XXV. Hic Karolum fecit Imperatorem, & claues confessionis Sancti Petri, & vexillum Romanæ vrbis Karolo cum muneribus misit. Rex Saxoniam petens, Pippinum filium suum Italiæ regem fecit. Ipseque depopulata Saxonia, Aquasgrani redit. Pippinus fugatis Hunis vltra fluuium Tiza, reuertitur cum residuo Hunorum thesauro. Anno Domini DCC XCVII. Karolus expeditionem mouit in Saxoniam vltra omnes paludes ad Oceanum vsque in Hadoloha, quod nunc vrbanius dicitur Hatheleria (Ibi enim Oceanus Saxoniam alluit) & moratus aliquandiu in Albia in eo loco, qui ab ipso Karlessant dicitur, Aquasgrani reuertitur, accepta prius in deditionem tota Saxonum gente. Accepit etiam ibidem legatum Constantini, Imperatoris Constantinopolitani. Hyemauit autem in Saxonia, natalem Domini & Pascha ibi celebrando. Proximum Sancto Willehado ex discipulis eius Willericum in Bremensi ecclesia præfuisse legimus, quem alii Willeharium nuncupant. Seditque annos L. vsque ad annum Lothevvici senioris penultimum. Anno Domini DCC. XCVIII. Saxones trans Albiam aduocatos Karoli trucidant, & capiunt. Vnde Rex totam Saxoniam inter Albiam & VViseram populando transiuit. Transalbiani contra Obodritos, Karolo fideles, arma mouent. Sed Dux eorum Thrasico cum ipsis pugnans IV. mill. ex eis occidit. Rex in Franciam reuertitur, & vbi Aquasgrani venit, nuncios Irenes Imperatricis, de pace agentes, audiuit, cuius filius Constantinus consilio, vt creditur matris, fuerat excæcatus. Recepit etiam legatos Adelfonsi, regis Galiciæ & Asturiæ. Constantinus Imperator post excæcationem obiit. Post illum mater eius V. annis regnauit. Sol obscuratus est per dies XVII. ita vt naues in pelago oberrarent. Anno Domini DCC. XCIX. Cùm Leo Papa in Letania maiore procederet de Lateranis ad ecclesiam Sancti Laurentii ad Craticulam, Romani iuxta eandem ecclesiam eum ab equo deiicientes, cæcauerunt, & lingua amputata, nudus ac semiuiuus in media platea dimissus est, cognatis Adriani Papæ eandem seditionem mouentibus. Papa enim superbiæ Romanorum restiterat, dum ea, quæ Imperialis erant potestatis, sibi vendicare volebant. Dicunt quidam, quòd Romani vnum oculum ei eruerint, alii quòd neutrum, sed rasorio per medios oculos inciderint, nec visum abstulerint. Mittitur in monasterium Sancti Erasmi martyris. Sed à VVinigiso, Duce Spoletano, qui audito tali facinore Romam festinus venerat, suscipitur, & Spoletum deducitur. His auditis, Karolus ipsum cum summo honore ad se adduci præcepit. Rhenoque transmisso in loco, qui Lippenheim dicitur, Paderbrunne venit, ibique Pontificem expectauit. Venit Pontifex, & diebus aliquot cum eo mansit, tandem à Rege remissus est, & honorificè restitutus. Anno Domini DCCC. Rex Turonos venit, ibique Lutgardis eius coniunx obiit II. Non. Iunii. Rex itenum versus Italiam direxit. Cui Romam tendenti, pridie quàm Romam intraret, Leo Papa occurrit, eoque vna nocte ibi dimisso, Romam præcessit. Postera die Papa cum Episcopis, Clero & populis honorificè Karolum suscepit, cunctisque psallentibus, in ecclesiam Beati Petri eum introduxit VIII. Kalend. Decembr. Post VII. dies causam aduentus sui, concione facta, omnibus exposuit, scilicet de discutiendis, quæ obiecta erant Papæ, criminibus. Calumniatores Pontificis, vt se monstrarent innoxios, ei crimen mortiferum impegerunt. Sed cùm nullus esset criminis probator, Pontifex sumpto Euangelio, ambone conscenso, omnibus astantibus plenè se, inuocato sanctæ Trinitatis nomine, expurgauit. Anno Domini DCCCI. Karolus Magnus, Rex Francorum, Pippini regis filius, LXXIII. ab Augusto, Romanorum Imperator creatur, anno regni sui XXXIII. Sicque imperauit annis XIV. Nam Leo Papa in die natiuitatis Domini infra Missarum solennia, dum ante confessio-

Pipinus, rex Italiæ.

Hadeleria.

Carlsand.

Willericus, successor Willehadi.

Saxonum rebellio.

Obotriti.

Alfonsus rex.

Eclipsis solis.

Seditio contra Papam.

Winigisus, dux Spoletanus.

Lutgardis regina mort.

Carolus petit Romam.

Cognoscit Papa causam.

Creatur Imperator.

nem Beati Petri Apostoli Karolus ab oratione surgeret, ei coronam imposuit, & Imperatorem Romanum pronunciauit. Et statim est à cuncto populo acclamatum: KAROLO AVGVSTO, A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO ROMANORVM IMPERATORI VITA ET VICTORIA. Et decantatis laudibus vnctus ab Apostolico, Imperator & Augustus est de cætero appellatus. Post paucos dies aduersariis Papæ quæstionem mouit, qui secundum legem Romanorum decollationi sunt adiudicati. Papa pro ipsis intercessit: Sed pro magnitudine facinoris sunt exilio perpetuo relegati. Quidam tamen dicunt, quòd de maioribus eorum vna die in Lateranensi campo CCC. sunt decollati. Sic autem *D*ominus beati Leonis innocentiam approbauit, vt clariores oculos ei postea donauerit, tantùm cicatrice pulcherrima remanente. Ordinatis itaque tàm publicis quàm Ecclesiasticis rebus, Imperator *VIII.* Kalend. Maii Romam egreditur. Anno Domini DCCCII. Irene Imperatrix legatum suum, Leonem, ad Imperatorem Karolum direxit, pro pace firmanda inter Francos & Græcos. Et Imperator legatos suos vicissim ad ipsam misit, Iesse scilicet Episcopum Ambianensem, & Helmgaudum Comitem, Irenen ei in coniugium postulantes. Sed eisdem legatis adhuc in Constantinopoli existentibus, Nicephorus imperium inuasit, & Irenen in monasterium, quod ipsa construxerat in quadam insula, relegauit. Anno *D*omini DCCCIII. Legati Imperatoris de Constantinopoli redeunt, & Apocrisiarii Nicephori pro pace facienda veniunt ad Imperatorem Karolum, & inueniunt eum in Germania super fluuium Salam, & cum epistola eius redeunt. Anno *D*omini DCCCIV. Imperator Aquisgrani hyemauit, & in æstate omnes Saxones, trans Albiam habitantes, duxit in Franciam, & pagos translbiam. nos Obodritis dedit. Godefrid, Rex *D*anorum, venit in confinium regni sui & Saxoniæ in Diesdorp. Sed territus, ad Imperatorem non accessit, sicut promiserat, sed nuncios ad ipsum misit in loco dicto Holdenstein prope Albiam. Nunciatum est tunc Imperatori, sanguinem *D*omini in Mantua repertum, & pro inquisitione huius facti ipse misit ad Papam. Vnde Papa in Longobardiam tendit, deinde ad Imperatorem, denuncians ei, se velle cum eo natalem *D*omini celebrare. Qui statim misso filio suo Karolo ad sanctum Mauricium, præcepit cum honorificè suscipi, obuiamque ei pergens, apud villam Carisiacum cum eo natalem *D*omini celebrauit. *D*einde Aquasgrani perduxit, donatisque magnis muneribus, per Bavvariam ire volentem deduci fecit vsque Rauennam. Anno *D*omini DCCCV. Karolus, filius Imperatoris, missus à patre, Boëmiam totam depopulatus est, & *D*ucem illius terræ, Lechonem, occidit. Anno *D*omini DCCCVI. Imperator filiis suis regnum diuisit, vt eo mortuo vnusquisque terminos suos tueretur, & hoc est cum Francorum primoribus confirmatum. Anno *D*omini DCCCVII. Legati Regis Persarum * Imperatori precios*i*ssima munera detulerunt, scilicet tria tentoria maxima & pulcherrima, omnia byssina tàm funes quàm tentoria, pallia serica, vnguenta, balsamum, Horologium ex aurichalco arte mechanica mirificè compositum, in quo XII. horarum cursus ad clepsydram vertebatur cum totidem pillulis, quæ in completione horarum cadebant, & casu subiectum cymbalum tinnire faciebant, additis duodecim equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impulsu suo fenestras prius apertas claudebant. Et alia multa in Horologio erant, Anno *D*omini *DCCC. VIII.* Imperator *K*arolum, filium suum, misit contra regem *D*anorum, Godefridum, qui Obodritos inpugnauit, & ille, scilicet *D*anorum Rex, expugnatis aliquibus Sclauorum castris, non sine detrimento reuertitur; nam inter alios filium fratris amisit, nomine Reinoldum. Anno *D*omini *DCCC. IX.* Lodevvicus, filius Imperatoris, Hispaniam ingressus, *D*ertosam obsedit, & dimissa obsidione, in Aquitaniam se recepit. Anno Domini DCCCX. Pippinus, rex Italiæ, Venetiam subiugauit. Imperator autem Aquis-

Plectit fontes.

Ambit coniugium Irenes Aug.

Nicephori, Imp. Byzant. legatio.

Colonia Saxonum in Gallia.

Godefridus rex Danorum.

Congressio Caroli imp. & Papæ.

Lecho, dux Boiem.

Imperator filiis regna dispertitur.

** Is fuit Aaron Caliph. Vide appendicem nostram ad Haythonum.*

Honoratur legatione & muneribus Regis Persarum.

Expeditio Godefridi R. in Obodritos.

Ludouici R. in Hispanias.

Pipinus.

Aquisgrani manens, contra Godefridum ire cogitans, nuncium accepit, CC. naues de Normannia Fresiam appulisse. Qui positis iuxta Wisaram castris Godefridum expectat, qui se velle congredi cum Imperatore iactauerat. Interea diuersi veniunt nuncii, scilicet classem Godefredi regressam, & Godefridum *Godefridi R. interitus* à suo satellite, vel à proprio filio, cuius matrem, alia ducta, dimiserat, in- *Hochburi nunc* terfectum, castellum quoque Hochburi, quod nunc Hamburg dicitur, Albiæ *Hamburgum.* appositum, in quo vico legatus Imperatoris erat, à Wilzis captum, & Pippi- *Eclipsis* num, filium eius, VIII. Idus Iulii defunctum. Eo anno Sol & Luna bis defe- *Solis & Luna.* cerunt, Sol VII. Idus Iulii & pridie Kalend. Decembr. Luna XI. Kalend. Iulii & VIII. Kalend. Ianuar. Rodthruth, maior filia Imperatoris, VIII. Idus Iunii *Episcopa-* obiit. Eodem tempore cùm Sclauorum quoque gens Francorum Imperio *tus Ham-* subiiceretur, Karolus Hamburg, ciuitatem Nordalbingorum, extructa ibi- *burg.* dem Ecclesia, Heridago cuidam sancto viro, quem loci Episcopum designa- *primordia.* uit, ad regendam commisit. Cui etiam propter infestationem barbaricam, vbi interdum posset consistere, cellam quandam in Gallia Rodnach donauit, disponens, eandem Hamburgensem Ecclesiam cunctis Sclauorum Danorumque gentibus metropolin statuere. In qua re ad perfectum ducenda, & mors Heridagi presbyteri, & occupatio regni Karolum Imperatorem, ne desiderata compleret, impediuit. Willericus etiam, Bremensis Episcopus, transalbianis ante Anscharium prædicauit, & Ecclesiam in Milinthorp * frequenter visitauit, vsque ad tempus, quo Hamburg metropolis facta est. Karolus Imperator nouissimum bellum cum Danis suscepit. Dani autem & cæteri, qui trans Daniam sunt populi, omnes Normanni vocantur. Quorum Rex Godefridus iam antea Fresis, itemque Nordalbingis, Obodritis & aliis Sclauorum populis tributo subactis, ipsi Karolo bellum minatus est. Hæc dissensio voluntatem Imperatoris vel maximè de Hamburg retardauit. Tandem extincto cælitus, vt dictum est, Godefrido, Hemmingus patruelis eius successit, qui mox pacem cum Imperatore faciens, Egdoram fluuium regni sui terminum accepit. Anno Domini DCCC. XI. Imperator habito placito generali, vnum exercitum misit trans Albiam, & Liniones vastauit, & castellum Hochburi, nunc dictum Hamburg, à Wilzis superiori anno destructum, restaurauit: Alium in Pannoniam contra Hunos & Sclauos: Tertium contra Britones, & omnes prosperè redierunt. *Karolus*, filius Imperatoris maior natu, pridie Nonas Decembris obiit. Anno Domini DCCC. XII. Nicephorus, Imperator Constantinopolitanus, pugnans contra Bulgaros, occiditur, cui Michael, gener eius successit. Hic pacem cum *Karolo* firmauit. Anno Domini DCCC. XIII. Imperator Aquisgrani conuocatis principibus, Lothevvicum, filium suum, ad imperium coronauit, & Bernardum, filium Pippini, filii sui, Italiæ regem præfecit. Iussu quoque eius super statu Ecclesiæ per totam Galliam sunt concilia celebrata, Moguntiæ, Rhemis, Cabillone, Arelati. Michaël, Imperator Orientis, à Bulgaris non prosperè rediens, Morachus efficitur. Cui Leo, filius Bardæ patricii, successit. Pons Rheni apud Moguntiam, quem *Karolus* per decem annos mirabili opere de lignis ita construxerat, ut perenniter posse durare videretur, in mense Maio ita tribus horis infortunato incendio conflagrauit, vt præter hoc, quod aqua regebatur, ne vna quidem hastula remaneret. Anno *Domini* DCCC. XIV. *Karolus* Imperator dum Aquisgrani hyemaret, febre & pleurisi tactus, V. *Kalend.* Februarii hora tertia obiit, anno ætatis LXXI. regni XLVI. subactæ Italiæ XLIII. subactæ Saxoniæ anno XIII. Imperii verò anno XIV. Willerici, Bremensis Episcopi, anno XXV. & Lothevvicum filium suum imperii reliquit hæredem. Qui die tricesimo de Aquitania Aquisgrani veniens, Lotharium filium suum Bavvariæ, Pippinum præfecit Aquitaniæ. Anno *Domini* DCCC. XV. Lothevvicus, *Karoli* Magni filius, *LXXIV.* ab Augusto, regnum XXVI. annis obtinuit. Audiuit

** hodiè Meldorp. nempe Dithmarsiæ oppidum.*

Dani & cætera boreales gentes Francis Normanni.

Hemmingus F. patruelis & successor Godefridi.

Imperatorum triplex expeditio.

Mors Caroli F.

Res Byzantinæ.

Ludouicus designatur Imperator.

Pons Rheni publicus.

Mors Caroli M.

LVDOVI. CI Pij imperium.

diuit eodem anno, quòd in mortem Leonis Papæ conſpiraſſent quidam de primoribus Romanorum, & miſit eos, qui ſuper hac re diligentius indagarent.

Inaugu-ratio. Anno *D*omini DCCC. XVI. Leo Papa vita deceſſit *IV. K*alend. Iunii. Cui Stephanus, *D*iaconus, Papa *LXXXXVII.* ſucceſſit menſibus *VII.* Hic Rhemis Lothovvicum coronauit. Anno *D*omini DCCC. XVII. Stephanus Papa *III.* menſe poſtquam Romam redierat, VIII. *K*alend. Februarii vitam finiuit.

Lotharium imperij conſors lectus. Paſchalis Papa *XCVIII.* ſedit annis iuxta quosdam IX. Imperator Aquisgrani Lotharium, primogenitum ſuum, imperii conſortem fecit.

Bernardus rex Italiæ. Bernardus rex Italiæ, nepos Imperatoris, tyrannidem meditans, tandem armis depoſitus, apud Cabillonem Imperatori ſeſe tradidit.

Motus Danici. Lothevvicus Imperator voluntatem patris oblitus, prouinciam tranſalbianam Bremenſi & Ferdenſi Epiſcopis commendauit. Per idem tempus Hemmingo, *D*anorum rege, mortuo, Sigefrid & Anulo, nepotes Godefridi, cùm inter ſe de primatu regni conuenire non poſſent, prælio ſceptrum diuiſerunt: in qua congreſſione XI. millibus hominum interemptis, Reges ambo ceciderunt, pars Anulonis cruenta victoria potita, Reginfridum & Haroldum in regnum poſuerunt. Moxque Reginfridus ab Haroldo pulſus, piraticam exercuit, *H*aroldus verò cum Imperatore fœdus iniit.

Ebo Rhemenſis Zelotes. In diebus illis Ebo Rhemenſis, cùm de ſalute gentium religionis ſtudio ferueret, legationem ad gentes cum *H*alugario ſuſcepit à Paſchali Papa, quam poſtea beatus Anſcharius, diuina opitulante gratia, feliciter peregit.

Anno *D*omini DCCC. XVIII. Imperator, detecta fraude coniurationis, Aquisgrani reuertitur, & paucis poſt Paſcha diebus auctores coniurationis, minibus iuſſit orbari.

Hermingardis regina mort. Hermingardis regina V. Nonas Octobris obiit, quæ genuit Imperatori Lotharium, Pippinum & Lothevvicum.

Iuditha, Welfi F. Aug. Anno *D*omini DCCC. XIX. Imperator habito conuentu Aquisgrani, duxit Welpi Comitis filiam, nomine Iudith, quæ genuit ei *K*arolum Caluum.

¶ *De familia VVelforum diligenter explicat Veſſergenſis. Habent etiam idem argumentum Origines noſtræ illuſtriſſ. familiæ Brandeburg.*

Michael Imp. Byzant. Anno Domini DCCC. XX. Leo, Imperator Conſtantinopolitanus, in baſilica ſanctæ Dei genitricis intra Palatium occiditur conſilio Michaelis Comitis, qui inſulas imperii ſuſcepit, & IX. annis regnauit.

Prodigia. Anno *D*omini DCCC. XXI. Leo Papa, ſecundùm quosdam, obiit, & Stephanus ei ſuccedit. Anno *D*omini DCCC. XXII. in Turingia iuxta fluuium quendam ceſpes in longitudine pedum L. in latitudine *XIV.* in altitudine ſeſquipedali, de terra ſe eleuauit, & per ſpacium *XXV.* pedum ſe tranſtulit. In parte orientalis Saxoniæ, iuxta lacum Arneſſe terra in modum aggeris quadam nocte in longitudine leucæ ſe erigendo intumuit.

Nuptiæ Lotharij. Stephanus Papa ſecundum quosdam obiit, & Paſchalis ſucceſſit. Lotharius, filius Imperatoris, duxit Hermingardam, filiam Hugonis Comitis, de qua genuit Lotharium, Lothevvicum, poſt ſe regnantem, & *K*arolum. Eundem *I*mperator miſit in *I*taliam, Pippinum verò in Aquitaniam, cui iunxit filiam Tyderici, Comitis Matricenſis.

Contentio de regno Wilzorum. Anno *D*omini DCCC. XXIII. Imperator habuit conuentum Franconfurth, quod nunc vrbanius dicitur Frankenuorde, & venerunt duo fratres ad Imperatorem de regno VVilzorum, Milegaſt & Celeadrogo, filii Lubith, regis VVilzorum, qui Milegaſtum filium ſuum regem conſtituerat. Sed cùm non dignè regnum adminiſtraret, VVilzi illo abiecto, Celeadrogo iuniori honorem regium detulerunt. Vnde ambo ad *I*mperatorem venerunt.

Lotharius inauguratur Imp. *I*mperator autem ad fauorem gentis iuniori regnum dedit, & ambos remiſit muneribus honoratos. Lotharius, filius *I*mperatoris, diſpoſita *I*talia, rogatus à Papa Paſchali, Romam venit, & in die Sancti Paſchæ apud ſanctum Petrum regni coronam accepit, vocatus *I*mperator & Auguſtus, & in menſe *I*unio ad patrem rediit.

Drogo frater Imp. *I*mperator Drogonem, fratrem ſuum, Canonicum Metenſem, ibidem Pontifi-

Pontificem fecit. Eodem anno terræmotus factus est in Aquensi Palatio. Et in Tullensi territorio puella quædam annorum duodecim, post communionem in die Paschæ per duos annos & dimidium sine omni ciborum desiderio ieiunauit, & postea more hominum manducauit. In territorio Tumecensi, Italicæ ciuitatis, in vico Grabadona, in Ecclesia sancti Johannis Baptistæ, imago Beatæ Virginis, puerum gremio continens, in apside eiusdem Ecclesiæ depicta, & ob vetustatem penè deleta, tanta claritate fulsit per duos dies, vt splendorem nouæ picturæ sua pulchritudine offuscaret: Imagines tamen trium Magorum, iuxta eam depictas, splendor ille minimè illustrabat, præter munera, quæ manibus continebant. Anno Domini DCCC. XXIV. Paschalis Papa obiit, duobus per contentionem electis. Eugenius tamen, Presbyter tituli sanctæ Sabinæ, Papa XCIX. ordinatur, seditque annis III. Legati Michaëlis, Imperatoris Constantinopolitani, pro pace firmanda ad Imperatorem Lothevvicum veniunt, condignoque responso, & literis absoluuntur. Hoc Anno circa festum Beati Johannis in territorio Augustodunensi, aëre in tempestatem subita mutatione conuerso, fragmentum ex glacie in longitudine XV. pedum, in latitudine VII. crassitudine duorum, narratur cum grandine decidisse. Anno Domini DCCC. XXVI. Hildvvinus, Abbas Sancti Dionysii, impetrauit à Papa Eugenio corpus Sebastiani Martyris, & in Suessona ciuitate, in basilica Sancti Medardi, iuxta ipsius tumulum collocauit. Vbi tunc temporis insignia miracula contigerunt. Lothevvicus Imperator nouam in Saxonia Corbeiam exorsus, religiosissimos Franciæ Monachos ad illud congregauit cœnobium. Inter quos præcipuus fuit sanctissimus Christi Philosophus, Anscharius, vitæ atque scientiæ merito clarus, & omni Saxonum populo acceptus. Eodem tempore rex Danorum Haroldus à filiis Godefridi regno spoliatus, ad Lothevvicum supplex venit Imperatorem. Qui & mox Christianæ fidei catechismo imbutus, apud Moguntiam cum uxore, fratre ac magna Danorum multitudine baptizatus est. Quem Imperator à sacro fonte suscipiens cùm decreuisset in regnum suum restituere, dedit ei trans Albiam beneficium, fratri eius Horico, vt piratis obsisteret, partem Fresiæ concessit. Quæ adhuc Dani, quasi legitima sui iuris, reposcunt. Cùm autem nemo doctorum facilè posset inueniri, qui cum illis ad Danos ire vellet, propter barbaricam crudelitatem, qua gens illa fugitur ab omnibus, Sanctus Anscharius, diuino, vt credimus, Spiritu accensus, & qui ad martyrium aliqua optabat occasione pertingere, cum socio se vltroneum obtulit Audberto, non solùm inter barbaros, verùm etiam in carcerem, & in mortem pro Christo ire paratus. Itaque biennio in regno Danorum commorati, multos ex gentilibus ad Christianam fidem conuerterunt. Inde reuersi, cùm denuò ab Imperatore postularentur, vltimos * Sueonum populos Euangelii gratia tentare, intrepidus Christi athleta Anscharius, assumptis secum fratribus Gislemaro & Withmaro, doctoribus, gaudens peruenit ad Daniam. Vbi relinquens Gislemarum Haroldo, ipse cum Withmaro in Sueoniam transfretauit. Vbi benignè à rege Biorn susceptì, verbum *Dei* publicè prædicare permissi sunt. Multos itaque per annum integrum lucrati sunt *Domino* Jesu Christo. In quibus Hertgarius, oppidi Bircæ præfectus, credidit, quem tradunt etiam miraculis & virtutibus insignem. Hac legationis suæ prosperitate gauisi, Corbeiam noui Apostoli cum triumpho duarum gentium regressi sunt. Tunc Imperator cum magnatibus sancto Anschario de gentium congratulatus salute, ingentes Christo gratias persolverunt. Anno *Domini DCCC. XXVII.* Eugenius Papa decessit mense Augusto, & Valentinus, *Diaconus*, Papa ei successit, complens vix vnum mensem in Papatu. Post quem Gregorius, Presbyter tituli sancti Marci, Papa CI. eligitur, deinde Sergius III. post quem Leo ciuis. Corpora sanctorum Marcellini & Petri mense Nouembri de Roma in Germaniam sunt translata.

Prodigia.

Legatio Byzant.

Tempestas.

Λειψανα Sebastiani Martyris.

Corbeia condita.

Anscharius. Haroldi R. Christianissimus.

Horicus donatur parte Frisiæ.

Euangelista Danorum & Suconum.

** Hi etiam a Tacito nominantur: nunc populari enunciatione Schweden, Latini Suecos vocamus. Sed & auctor Suediam memorat ad ann. 928. & alibi.*

Biorn rex. Hertgarius.

Successio Papatum.

Prodigium translata. Anno Domini DCCC. XXVIII. In Waſchonia trans Garonnam in pago Aginenſi annona ſimilis frumento quaſi pluuia cecidit, quod Imperatori Aquisgrani allatum eſt. Wentinus, Augienſis Monachus, raptus in ſpiritu mirabilem vidit viſionem. A. Domini DCCC.XXIX. In quadrageſima Aquisgrani terræmotus & ventus maximus eſt exortus, qui non ſolùm domos, ſed etiam capellam Beatæ Virginis, tectam plumbeis laminis, denudauit. Anno Domini DCCC. XXX. Michaël, Imperator Orientis, obiit. Anno Domini DCCC. XXXI. Theophilus, filius Michaëlis, regnauit annis *XII.* Anno Domini DCCC. XXXIII. Habito generali ſacerdotum conſilio, pius Cæſar votum parentis cupiens implere, Hamburg tranſalbianorum ciuitatem, metropolim omnibus barbaris ſtatuit nationibus, Danorum, Sueonum, itemque Sclauorum, & aliis coniacentibus in circuitu populis, eique cathedræ primum Archiepiſcopum ordinari fecit Anſcharium. Conſecratus eſt autem à Drogone, Metenſi Epiſcopo, Cæſaris fratre germano, aſtantibus atque ſuentibus Othgario Magontienſi, Ebone Rhemenſi, Hetti Treuerenſi, & aliis, conſentientibus etiam Willerico Bremenſi, & Helmgaudo Ferdenſi, Epiſcopis, quibus antea diœceſis illa commendata eſt, roborante id Papa Gregorio IV. Apoſtolica auctoritate, & pallii donatione. Habenturin Eccleſia Bremenſi præcepta Imperatoris, & priuilegia Papæ, ſancto Anſchario data. In quibus hoc quoque vnà continetur, quandam ei cellam in Gallia, Turholt vocatam, ad ſupplementum legationis ſuæ à Cæſare conceſſam. Beatus autem Anſcharius nunc Danos nunc Tranſalbianos viſitans, innumerabilem vtriusque gentis multitudinem traxit ad fidem. Si quando verò perſecutione barbarorum impeditus eſt ab ſtudio prædicandi, apud Turholt ſe cum diſcipulis ſuis retinuit. In adiutorium etiam prædicationis ſuæ datus eſt ei, Ebo Rhemenſis Archiepiſcopus, de quo & antea diximus. Hic ſeu fatigatione itineris, ſeu corporis debilitate impeditus, ſiue potius occupatione ſeculi delectatus, vicarium pro ſe dedit Anſchario nepotem Gaudbertum. Quem ipſi ambo conſecrantes Epiſcopum, vocauerunt eum Simonem, eumque diuinæ gratiæ commendatum in Sueoniam miſerunt. Imperator Lotheyvicus filio ſuo Karolo, ex Iudith nato, dedit Alemanniam & partem Burgundiæ, indignantibus fratribus. Willericus, Bremenſis Epiſcopus, diœceſin ſuam ſollicitè circumeundo, gentiles baptizando, & fideles in Chriſto confortando, ſtrenuè prædicatoris officium peregit. Eccleſias ubique per Epiſcopium congruis erexit in locis, tres verò Bremæ, quarum primam, ſcilicet domum S. Petri, de lignea lapideam fecit, & corpus S. Willehadi exinde translatum, in auſtrali, quod fecit, oratorio recondidit. Quod fecit præ timore piratarum, qui propter virtutem miraculorum corpus eius auferre maluerunt. Eodem tempore Beatus Anſcharius corpora Sanctorum, quæ dono Ebonis Archiepiſcopi ſuſceperat, transAlbiam deportauit, & corpus S. Materniani apud Heiligenſtad reposuit, Sixti verò & Sinnicii cum aliorum Martyrum patrociniis in vrbe Hamburg collocauit, Beati verò Remigii cimelia cum ingenti honore ſeruauit Bremæ. Willericus igitur Clerum maximum collegit, de populo verò magnam Eccleſiæ Bremenſi hæreditatem acquiſiuit. In diebus ſuis Karolus eleemoſynam obtulerat Saluatori ad Bremenſem eccleſiam centum manſos. Anno Domini DCCC. XXXVII. VVillericus, Bremenſis Epiſcopus, obiit *IV.* Non. Maji, ſepultusque eſt in domo S. Petri à parte altaris aquilonari. Cui ſucceſſit Leudericus, & ſedit annis *VIII.* Hunc tradunt ſuperbum fuiſſe, quod exinde coniici poteſt, quia ſe aliquando cuſtodem, aliquando paſtorem Bremenſis gregis gloriatur. In diebus illis Sanctus Anſcharius legationem ſibi creditam fideliter executus, apud Hamburg nouellæ plantationi inſudauit, doctrina oris & opere manuum exercens Eccleſiam. Sæpe etiam monaſterium Galliæ, quod dono Cæſaris poſſedit, Turholt viſitans, fratribus ibidem DEO militare-

Ecſtaſis monaſtica.

Terræmotus.

Theophilus Imp. Byzant.

Hamburgum fit metropolis.

Anſgarius Archiepiſc.

Turholt.

Ebo Rhemenſis è zelote aſorus.

Gaudbertus, Epiſcopus Sueorum.

Carolus Caluus.

Willericus Epiſcop. doctor Eccleſiæ.

Leudericus ſucceſſor Vuilberici.

Anſgarius Archiepiſc. ſtrenuum doctorem agit.

militantibus salutaris regulæ tramitem verbo exemploque monstrauit. In quorum nobili contubernio iam tunc à puero sanctus effulsit Rembertus. Quem sanctus Anscharius adoptans in filium prophetico spiritu, quo plenus erat, longè antè prædixit, illum suæ virtutis æmulum, & in cathedra pontificali succedere, gratiaque meritorum in cœlesti regno consortem fore. Anno Domini DCCC. XXXVIII. Pippinus, filius Imperatoris, obiit. Anno Domini DCCC. XL. Lothevvicus Imperator obiit XII. Kalend. Iulii. Sepultus est in ecclesia Metensi. Paschalis Papa, secundum quosdam, obiit. Nordmanni piraticis excursionibus vsque quaque degrassati, Fresones tributo subiiciunt. Eodemque tempore per Rhenum vecti, Coloniam obsederunt, per Albiam verò Hamburg incenderunt. Inclyta ciuitas tota aut præda aut incendio disperiit. Ibi ecclesia, ibi claustrum, ibi bibliotheca, summo collecta studio, consumpta est. Sanctus autem Anscharius cum reliquiis sanctorum Martyrum nudus euasit. Tunc quoque Gaudbertus Episcopus, zelo gentium à Sueonia depulsus, & Nithardus, Capellanus eius, martyrio cum aliis coronatus est. Et exinde Sueonia septennio caruit sacerdotali præsentia. Quo tempore Anundus, regno pulsus, in Christianos mouit persecutionem. Herigarius verò, Bircæ præfectus, Christianitatem ibi solus sustentauit. Qui etiam tantam fidei gratiam meruit, vt potentia miraculorum, & exhortatione doctrinæ, multa paganorum millia saluaret. Anno Domini DCCC. XLI. Lothevvicus, filius Lothevvici superioris, LXXV. ab Augusto, regnauit XXXVI. annis. Post mortem Lothevvici, Lotharius, frater Lothevvici iunioris, reuersus de Italia, & Pippinus, filius Pippini, patrui sui, de Aquitania, voluerunt Karolum Caluum priuare ea parte, quam pater sibi concesserat, & secundum testamentum Karoli Magni regnum inter se in tres partes diuidere, sicque regnum in contentione remansit. Vnde apud Antisiodorum magna strage pugnauerunt, vbi etiam omnes Francorum vires consumptæ sunt, nullo tamen eorum triumphante. Discordiæ incentor Ebo, Rhemensis Archiepiscopus, qui & antè in patrem filios armauerat, & nunc fratres intestina seditione concitauerat, conspirationis crimine accusatus, à Papa Gregorio deponitur. Sed aliis hoc criminantibus, aliis hoc rectè factum astruentibus, veritatem nos in medio relinquemus, præsertim cùm à sancto Anschario ea dilectione, quam ab initio secum habuit, vsque in finem habitus fuerit. Tandem mediante Papa Sergio, fratres pacificati regnum per quatuor tetrarchias diuiserunt. Lotharius cum nomine Imperatoris possedit Italiam, Lothevvicus Germaniam, Pippinus Aquitaniam, Karolus Galliam. Hac inter fratres sortita regni diuisione, Turholt monasterium in partem cessit Karoli: Sicque alienatum est à iure S. Anscharii. At ille in paupertate sua Deum glorificans, verbum Dei cuius legatione functus est, tam suis, quàm alienis infatigabiliter seminauit. Vnde contigit, vt predium, quod Ramsolan dicitur, à quadam venerabili matrona susceperit, nomine Ikia. Qui locus in Episcopatu Ferdensi positus, ab Hamburg tribus disperatur rastris. Ibi sanctus DEI cœnobium constituens, reliquias sanctorum Sixti & Sinnicii locauit confessorum, & alia patrocinia, quæ ab Hamburg fugiens portauit, vbi & gregem profugum collegit, depulsosque à gentilibus socios in eo portu retinuit. Ab eo ergo loco Hamburgensem Ecclesiam visitans, Nordalbingos in fide reformauit, quos antea persecutio turbauit. Tunc quoque ne legatio gentilium tarditate sua frigesceret, prædicatores misit in Daniam, Hargarium verò eremitam direxit in Sueoniam. Fertur etiam veniisse Bremam, atque ab Episcopo illius loci, qui doctrinæ ac virtutibus eius inuidit, depulsum esse. Theophilus Imperator Orientis obiit, cuius filius Michael regnauit annis XXVI.

S. Rembertus.

Mors Pippini. Item Imperatoris.

Normanni piratæ.

Vastant Hamburgum.

Afflictio Christianorum in Suecia.

Herigarius

Ludouicus rex Germaniæ.

Fratrum exitialis discordia.

Ebo rubebelli.

Tetrarchia.

Hamburgum instauratur.

Hargarius doctor Sueonum.

Michael Imp. Byzant.

¶ *Mirum autem, cur ab auctore Imperatorum numero accenſeatur, & infrà Pius cognominetur, ἀνεπιφυῶς & trunque craſſiſſima, ſimilem quæ dubitatur habeat Adamum Brem. lib. 1. cap. 4. Interim tamen Lotharium Imp. agnoſcit, ſed ut de ſucceſſorum ſerie variet. Quæ notoria ſcilicet, commentatione noſtra tantùm non explicatione indigebant.*

Mors Leuderici Epiſcopi.

Anno Domini DCCC. XLIV. Leudericus, Bremenſis Epiſcopus, obiit, & ſepultus eſt in eccleſia Beati Petri ab auſtrali parte altaris. Deceſſit autem IX. Kalend. Septembris, & Eccleſia diu viduata permanſit. Anno Domini DCCC. XLV. Lothevvicus Pius, Cæſar inclytus, Hamburgenſis Eccleſiæ de-

Anſgarius ſucceſſor.

ſolationem miſeratus, venerabili Anſchario contulit Bremenſem Epiſcopatum. At ille quamvis Canonum non ignoraret decreta, quibus cautum eſt, vt Epiſcopus, qui à ſua ciuitate perſecutionem paſſus, expellitur, in alia vocante recipiatur, tamen ne per inuidiam cæteri ſcandalizarentur, Cæſari ſuper hac re diu reſtitit, poſtremò ſi abſque fratrum querela fieri poſſet, tunc ſolummodo concederet. Ductus eſt autem in Epiſcopatum ab Aldrico, Clerico, & Comite Reginbaldo, anno Lothevvici Secundi IX. Multum verò temporis fluxit, ex quo Bremenſem Epiſcopatum ſuſcepit, antequam hoc à Papa Nicolao firmaretur. Sanctus itaque Anſcharius Bremis receptus ſedit annis XVIII. Nam antea in Hamburgenſi cathedra præfuit annis XVI. qui fiunt ſimul XXXIV. Hoc regalis munificentiæ dono confeſſor Dei valdè gauiſus, in Daniam feſti-

Horicus, rex Danorum.

nauit. Vbi regem Danorum Horicum inueniens, Chriſtianum reddidit. Is ſtatim eccleſiam in portu maritimo erexit apud Sliasvvig, data pariter licentia, vt quisquis vellet in regno ſuo, fieret Chriſtianus. Infinita gentilium credidit multitudo, de quibus plures vt aqua baptiſmatis loti ſunt, ab omni etiam corporis infirmitate liberati ſunt. Anno Domini DCCC. XLVII. Iudith Imperatrix, vxor Lothevvici prioris, obiit. Anno Domini DCCC. LV. Eccleſia S. Kiliani in Wirceburg fulminibus eſt exuſta. Lotharius Imperator, Monachus factus in Prome, obiit. Cui Lotharius filius cum fratre Lothevvico ſuccedit. Translatio S. Martini. Anno Domini DCCC. LVII. Leo Papa deceſſit. Cui Benedictus Papa CIV. ſuccedens, & ipſe eodem anno vitam finiuit. Anno Domini DCCC. LVIII. Nicolaus Papa CV. ſedit annis XI. Anſcharius re-

¶ Hodie eſt Sleſwig.
Iudithæ Aug. mors.
Lotharius ex Imp. Monachus.
Anſgarius denuò ad Sueciam animum adjicit.

bus ex voto completis, dum adhuc pro gente Sueonum æſtuaret, cum Gauberto Epiſcopo conſilium habuit, quis eorum laudabile pro Chriſto ſubiret exilium. At ille periculum ſponte declinans, ſanctum, vt potius iret, rogauit Anſcharium. Extemplò athleta intrepidus Horici regis miſſum rogauit atque ſigillum, & à littore Danorum transfretans, in Sueoniam peruenit.

Olaus rex.

Vbi tunc Oleph rex apud Bircam generale populi ſui habuit placitum. Quem præueniente miſericordia Dei, ita placatum inuenit, vt ex eius imperio, & populi conſenſu, & iactu ſortis, & idoli reſponſo, Eccleſia ibidem fabricata, & baptiſmi licentia omnibus conceſſa ſit. His etiam ex ſententia finitis, ipſe Sueonum Eccleſiam Erimberto commendauit Presbytero, & rediit. Interea quæſtio magna ſurrexit in regno Francorum de Bremenſi Epiſcopatu, ad inuidiam B. Anſcharii conflata. Ea contentio diu per regnum graui & ancipite diſ-

Controuerſia de Epiſcopatu Bremenſi.

ſenſione profligata, multis partium ſtudiis collidebatur. Tandem orthodoxus Cæſar Lothevvicus, compoſitis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipuè Guntharii, Colonienſis Archiepiſcopi, cujus ſuffraganea prius erat Brema, ſuper his Romam nuncios ad ſanctiſſimum Papam direxit Nicolaum. Ille verò quod Eccleſiaſtica neceſſitas perſuaſit, & quod Patrum conſiliis fieri poſſe comprobatum eſt, facilè conſenſit. Ergo Bremenſem ac

Papa diſceptator.

Hamburgenſem Epiſcopatum Apoſtolica auctoritate copulari, & deinde pro vno ſanxit haberi. Idem etiam Nicolaus Papa tam ipſum Anſcharium, quam ſucceſſores eius, legatos & vicarios Apoſtolicæ ſedis conſtituit in omnibus gentibus Danorum, Sueonum & Sclauorum, quod & antea Gregorius Papa conceſſit. Poſt hæc beatus Anſcharius veniens in Daniam, iuuenem Horicum

Horicus iunior, rex Dan.

in regno reperit. Eodem tempore Nordmanni per Ligerim vecti, Turonos succenderunt, per Sequanam Parisios obsederunt, Karolum verò, timore compulsum, terram eis ad inhabitandum dare coëgerunt. Deinde Lotharingia vastata, & Fresia subacta, sunt in sua victrici conuersi viscera dextra. Contendentibus namque ad inuicem Gudure principe Nordmannorum cum patruo suo, Horico scilicet, rege Danorum, tanta cæde vtrique mactati sunt, vt vulgus omne caderet, de stirpe autem regia nemo omnium remaneret, præter iam dictum Horicum iuniorem. Qui mox vt regnum susscepit Danorum, ingenito furore super Christicolas efferatus, sacerdotes Dei expulit, & ecclesias claudi præcepit. Ad quem sanctus Anscharius venire non trepidans, comitante secum gratia diuina, crudelem tyrannum sic placatum reddidit, vt Christianitatem ipse susciperet, suisque omnibus, vt Christiani fierent, per edictum mandaret, insuper in alio portu regni sui apud Ripam extrueret Ecclesiam in Dania secundam. His ergo Ecclesiastico ordine compositis, beatus Anscharius Ecclesiam illam Remberto commendauit Presbytero. In Hamburg reversus, de venditione Christianorum Nordalbingos correxit. Vnde Fresos adiens, castigauit eos pro labore Dominici diei, pertinacius verò agentes igne cœlesti mulctauit. Et quoniam totum studium eius erat pro salute animarum, si quando à prædicatione gentilium foris liber erat, domi congregationum suarum curam egit. Quarum primam, quæ ab Hamburg olim barbarica incursione depulsa est, ipse, vt prædiximus, transtulit ad Ramsolas; secundam in Bremis habuit sanctorum virorum, qui habitu quidem vsi Canonico, regula viuebant monastica, vsque ad nostri ferè temporis ætatem: tertiam sanctarum virginum congregationem in Brixinon adunauit. Vbi deuota Christi matrona, Luidgart, totum patrimonium suum offerens cœlesti sponso, magnum chorum castitatis suo nutriuit ducatu. Ad curam autem pauperum, & susceptionem peregrinorum, multis locis hospitalia præparauit. Vnum autem vel præcipuum habuit Bremæ, quò per se ipsum quotidiè veniens, infirmis non erubuit ministrare, quorum plurimos verbo vel tactu sanauit. Anno Domini DCCC. LXI. Beatus Anscharius transtulit corpus Sancti Willehadi in matricem beati Petri Apostoli ecclesiam ab illo australi oratorio, quo deportatum est à Willerico. Eo tempore in Saxoniam translatio sancti contigit Alexandri. Interea beatus Anscharius captiuos redimendo, tribulatos refouendo, domesticos erudiendo, barbaros euangelizando, foris Apostolus, intus Monachus, nunquam ociosus comparuit. Anno Domini DCCC. LXV. Fidem Huni recipiunt. Superuixit autem beatus Anscharius post illam plenariam Hamburg & Bremæ copulationem annis VIII. Sedit annis *XXXIV.* Cuius depositio colitur III. Non. Febr. Obiit ergo anno Domini isto, Indictione XIII. qui est Lothevvici XXVI. Sepultusque est in basilica sancti Petri ante altare sanctæ genitricis Mariæ. Eadem verò die, qua ipse commendatus est, Rembertus, Diaconus eius, à Deo simul & populo electus est. Sedit ergo Sanctus Rembertus annis *XXIII.* Mox autem vt electus est, à Theodoro, Mindensi Episcopo, & Adalgario, Corbeiensi Abbate, iussu Cæsaris ductus est Magontiam, vbi à clarissimo Pontifice consecratus Lutberto, venit Corbeiam, vestemque susscepit cum professione monastica. Cui Adalgarius Abbas germanum & æquiuocum tuum concessit, Adalgarium, qui postea & socius prædicationis, & hæres meruit esse dignitatis. Pallium pontificale susscepit à Papa Nicolao, ferulam pastoralem à Cæsare Lothevvico. Præterea legationis suæ officium, quod ad prædicandum gentibus verbum Dei primitus à decessore suo susceptum est, & postmodum sibi iure successionis quasi hæreditarium prouenit, impigrè executus est, ipse quidem per se, quoties occupationes aliæ sine rent, eidem legationi insistens semper autem constitutos habens Presbyteros, per quos & verbum Dei gentiles audirent, & solatium captiui Christiani habe-

Normannorum irruptio in Galliam.

Bellum ciuile.

Anscarium persuadet Horico R. Christianum.

Satagit efficii sui.

Rembertus successor.

Luidgard.

Idem doctrinæ intendit.

Relatæ S. Alexandri.

Hunorum Christianissima.

Mors Anscarii.

rent ad Ecclesias, inter ipsos paganos longè constitutas, quodque grauissimum erat, marinis discriminibus adeundas. Quæ discrimina ipse frequenter sustinens, sæpè naufragium pertulit, sæpè etiam alia pericula sustinuit. In diebus suis Sigifrid cum fratre Haldan regnauit in Dania. Qui etiam munera Lothevvico Cæsari miserunt, gladium videlicet capulo tenus aureum, & alia multa, pacem rogantes, & missis utrinque ad Egdoram fluuium mediatoribus, pacem firmam ritu gentis per arma iurauerunt. Erant & alii reges Danorum, vel Nordmannorum, qui piraticis excursionibus eo tempore Galliam vexabant. Quorum præcipui erant: Horig, Ordvvig, Godefrid, Rodulf & Inguar, Tyranni. Crudelissimus omnium erat Inguar, filius Lotparchi, qui Christianos vbique per supplicia necauit.

Sigefrid & Haldan reges Danorum.

Normanni iidem qui Dani. ¶

¶ *Loquitur eodem modo paulo post, & infrà aliquoties. Sequitur autem Adamum Brem.*

Anno Domini DCCC. LXVII. Basilius, occiso Domino suo Michaele, Imperatore Orientis, regnauit XX. annis. Anno Domini DCCC. LXVIII. Adrianus Papa CVI. sedit annis V. Anno Domini DCCC. LXX. Lotharius, filius Lotharii, cùm uxorem aliam legitimæ superduxisset, Romam vocatus est, nolensque Papæ consentire, excommunicatus est, & in redeundo Placentiæ mortuus. Anno Domini DCCC. LXXII. Iohannes Papa CVII. ordinatur. Martinus CVIII. Adrianus CIX. Agapetus CX. * Basilius CXI. Stephanus CXII.

Basilius Imp. Byzant.

Lotharius bigamus arcetur sacris.

¶ *De Pontificum serie ista deprauatiore consulantur rerum Pontificiarum scriptores. Basilium quidem etiam à Sigeberto nominatur ad Ann. 891.*

Anno Domini DCCC. LXXV. Lothevvicus, filius Lotharii Imp. item Lotharii frater, obiit Anno Domini DCCC. LXXVI. Lothevvicus Pius, Imperator, superioris Lothevvici filius, obiit. Ipse Boëmannos, Sorabos, Lusos & cæteros Sclauorum populos ita perdomuit, vt tributarios efficeret, Nordmannos autem, fœderibus ac bellis compressos, eo modo retinuit, vt cum Franciam totam vastauerint, regno eius vel minimè nocuerint. Post mortem verò Imperatoris effera barbaries laxis regnabat habenis. Tunc Saxonia à Danis, vel Nordmannis, vastata est, Brun Dux occisus cum aliis XII. Comitibus, Tiadricus & Marquardus Episcopi obtruncati. Tunc Fresia depopulata est, Traiectum ciuitas excisa. Sanctus Rabbodus, vrbis Episcopus, cedens persecutioni, Dauentriæ sedem constituit, ibique consistens, anathemanis gladio paganos vltus est. Tunc piratæ Coloniam & Treuiros incenderunt, Aquisgrani palatium stabulum equis suis fecerunt. Mogontia verò, propter metum barbarorum instaurari cœpit. Quid multa? vrbes cum ciuibus, Episcopi cum toto grege sunt obruti simul, ecclesiæ illustres cum fidelibus incensæ sunt. Lothevvicus Imperator cum paganis dimicans, victor exstitit. Interea beatus Rembertus ad redemptionem captiuorum, cunctis pene quæ habebat expensis, cùm multos adhuc apud paganos detentos miserabiliter cerneret, altaris etiam vasa non dubitauit impendere, dicens melius esse animas Domino quàm aurum seruare. Contigit eo tempore, Nordmannos diuino iudicio ad quendam Fresiæ pagum deuolui, qui in remotis, ac mari magno vicinis locis, situs est, Nordvvige hunc appellant. Quem subuertere aggressi sunt: erat enim illic eo tempore venerabilis Episcopus, Rembertus; cuius adhortationibus & doctrinis confortati & instructi Christiani, cum hostibus iunctis congressi, & prostraverunt ex eis X. mill. *CCC. LXXVII.* pluribus insuper, dum fugæ præsidium quærerent, in transitu fluuiorum necatis. Cuius rei miraculo vsque hodie merita Sancti Remberti penes Fresones egregia, & nomen eius singulari quodam gentis colitur desiderio, adeò vt collis, in quo sanctus oratio, dum pugna fieret, perpetua cespitis viriditate notetur. Nordmanni plagam quam

Mors Ludouici, regis Germ.

Normanni vastant Germaniam.

Remberti pietas in captiuos redimendis.

Animositas aduersus hostem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam in Fresia receperunt, in totum imperium vlturi, cum Regibus, Sigafrido & Godefrido, per Rhenum, Mosam & Scaldam fluuios Galliam inuadentes, miserabili cæde Christianos obtruncauerunt, ipsumque Karolum bello petentes, ludibrio suo habuerunt. In Angliam quoque miserunt vnum ex sociis Haldani, qui dum ab Anglis occideretur, Dani in locum eius Gundredum constituerunt. Is autem Northumbriam expugnauit, atque ex illo tempore Fresia & Anglia in ditione Danorum esse feruntur. S. Rembertus quædam miracula frequenter operatus est. Dum iret in Sueoniam, tempestatem maris oratione sedauit, cœcum per confirmationem, quam Episcopali more in eo faciebat, illuminauit. Sed & filium regis à dæmonio liberauit, Karolum nomine. Vbi multis astantibus Episcopis, spiritus immundus sæpe ex ore vexati clamabat, Rembertum solum inter eos dignè commissum egisse officium, ipsumque sibi esse cruciatui. Idem Karolus, Lothevvici iam defuncti filius ille ipse est, qui paterno regno potitus, & nouissimis S. Remberti temporibus à regno depositus, Arnulfum, germani sui filium, accepit successorem. Quadam etiam vice cùm ad partes venisset Danorum, vbi etiam Ecclesiam nouellæ Christianitati constructam habebat in loco, qui dicitur Sliasvvig, vidit multitudinem Christianorum catena trahi captiuam, statimque catenam oratione dirupit, & captiuos equo suo redemit. Et quia vastatio Nordmannorum, vel Danorum, excedit omnem crudelitatem, eo plus mirum videri posset, quòd sancti confessores Dei, Anscharius & Rembertus, per tanta pericula maris & terræ illas gentes intrepidi adibant, & prædicabant, ante quarum impetum nec armati Reges, aut potentes Francorum populi, subsistere poterant. Anno Domini DCCC.LXXVII. Karolus junior, filius Lothevvici, qui fuit Nepos Karoli, LXXVI. ab Augusto regnare cœpit, & cum fratribus, Karolomanno & Lothevvico, regnauit annis XI. Nam Lothevvicus tenuit Ostfranciam, Karolus Alemanniam, Karlomannus Bavvariam, cuius filius Arnulfus postmodum obtinuit monarchiam. Anno Domini DCCC.LXXVIII. Karolus, Rex Galliæ, cognomento Caluus, frater Lothevvici secundi, obiit. Anno Domini DCCC.LXXIX. Lothevvicus Balbus, filius Karoli, obiit. A.Dn. DCCC.LXXX. Lothevvic⁹, frater Karoli; viuente fratre suo Karolomanno, Bavariam ingreditur. Anno Domini DCCC. LXXXI. Karolus iunior cum uxore sua Richarda imperiali benedictione sublimatur. Anno Domini *DCCC. LXXXII.* Lothevvicus, Rex Franciæ, frater Karoli Imperatoris, obiit. S. Rembertus defuncti animam presbyteri, qui sic in visu ei apparens supplicauit, *XL.* dies in pane & aqua ieiunans, à tormentis absoluit. Prædecessor eius IV. cœnobia fundauit. His ille quintum addidit in solitudine Buckin. Cæterum omnium districtam solicitudinem habens, Hamburgensis cathedræ præcipuam egit curam, tam fratribus quam pauperibus opportuna ministrans solatia. Xenodochium Bremæ, quod à sancto Anschario ad sustentationem pauperum instructum est, ipse nobiliter auxit, & non solùm in Episcopatu, sed ubicunque esset pauperibus, alimoniam cum omni diligentia ministrauit, nobile pastoris verbum relinquens exhortationis: Non est, inquiens, tardandum, vt cunctis subueniamus pauperibus: quia quis sit Christus, vel quando ad nos veniat, ignoramus. Eleemosynam verbi incessanter omnibus ministrauit, ad quod opus dicta S. Gregorii curauit excerpere, quæ & manu sua descripsit. Anno Domini DCCC. LXXXVI. Vto, vir militaris & strenuus, à principibus Galliæ Rex creatur in palatio Compendii. Hic patrem habuit ex equestri ordine Robertum, auum verò Widikindum, ex Germania profugum. Et idcirco eum in regnum promouerunt, quia Karolus, filius Karoli, nepotis Karoli Calui, Galliarum regis, cui regnum debebatur, vix adhuc triennis erat, patre defuncto cùm puer biennis fuit, matre vix per quadriennium superstite. Anno Domini DCCC.LXXXVII. Karolus viuus regnum dimisit. Basilius, Imperator Orien-

Sigefridus & Godefridus reges Danorum.

Gundredus.

Rembertus θαυματουργὸς.

¶ Vide Adamum Brem. lib. 1. c. 36. Metropolin Crancii lib. 2. c. 10. CAROLVS Crassus Imp. Sliasuuig.

Ludouici. Regis Germaniæ filii.

Mors Caroli Calui.

Item Ludouici Balbi.

Imperator inauguratur.

Ludouicus rex Ostfranciæ.

φάσμα Pontificium.

Rembertus sedulum & beneficum Episcopum agit.

Otho, rex Galliæ.

Carolus Calui N.

Rembertus decrepitus laborat ex pedibus.

Orientis, obiit. Cùm iam ſenio gravaretur ſanctus Rembertus, etiam con-
tinuus ei pedum dolor acceſſit. Vnde apud glorioſiſſimos principes, Lothe-
vvicum & filios, eius hoc obtinuit, vt inſignis vir, Adalgarius, Monachus
videlicet Corbeiæ, in adiutorium illi confirmaretur, quatenus ipſe infirmi-
tate detentus, in Adalgario haberet ſolatium circumeundi Epiſcopatum, pla-
cita adeundi, & quando exigeretur, in expeditionem vel ad palatium cum co-
mitatu ſuo proficiſci. Impetrauit etiam, vt ipſe illi in electione ſucceſſor con-
firmaretur, & inter conſiliarios Regis locaretur, aſſentientibus fratribus, &
Abbate monaſterii eius, ac ſancta Synodo hæc omnia roborante. Anno
Domini DCCC. LXXXVIII. Arnulfus, filius Karlomanni, fratris Karoli iu-
nioris, LXXVII. ab Auguſto regnauit annis XII. Huius anno primo Karolus
Imperator, dimiſſo prius imperio, obiit. Leo & Alexander, filii Baſilii,
regnum Conſtantinopolitanum tenuerunt annis *XXII.* Poſtea Alexander
anno 1. deinde Conſtantinus Porphyrogenitus, qui fuit Leonis filius, annis
VI. cum matre ſua Zoë. Poſtea Romanus Lecapenus cum eodem Conſtan-
tino annis *XXVI.* Deinde idem Conſtantinus cum filio ſuo Romano annis
XV. S. Rembertus, morbo confectus & ſenio, quos ipſe per ſe non potuit,
per Adalgarium, Coadiutorem ſuum, in Domino confortans, eumquè ma-
nibus Regis commendans, obiit hoc anno Domini Indictione VI. Cuius
depoſitio III. Idus Iunii celebratur. Sepultus eſt extra baſilicam S. Petri ab
oriente, vt ipſe rogauit, eique ſucceſſit Adalgarius, & ſedit annis *XX.* Feru-
lam paſtoralem ſuſcepit ab Arnulfo rege, pallium pontificale à Stephano Papa
Conſecratus eſt autem à Mogontino Archiepiſcopo, Lindroldo, ſedit que
difficili tempore barbaricæ vaſtationis, nec tamen legationis ſuæ ad gentes
ſtudium omiſit, verum ſic vt prædeceſſores ſui, Presbyteros ad hoc opus
conſtitutos & ipſe habere curauit. Bellum cœlitus adminiſtratum, in quo
Nordmanni, vel Dani, ab Arnulfo rege vſque ad internecionem ſunt deleti.
Siquidem centum millibus paganorum proſtratis, vnus de Chriſtianis cecidiſſe
repertus eſt. Godefrid & Sigafrid Reges, ibi ſunt occiſi, & ita reſtincta eſt
perſecutio Nordmannorum, Domino vindicante ſanguinem ſeruorum ſuo-
rum, qui iam per annos *LXX.* effuſus eſt. Arnulfus itaque Rex potens prin-
cipabatur Bavvaris, Svveuis, Francis orientalibus, & poſt mortem Karoli
Calui, Lotharingis, audacibusque Saxonibus. Cui Zuentebaldus, Morauo-
norum rex, viriliter repugnauit. Quo deuicto, regno ſecurius eſt potitus.
Anno Domini DCCC. LXXXIX. Arn, Wirceburgenſis Epiſcopus, occiſus eſt
in Saxonia inter Miſſarum ſolennia. Anno Domini DCCC. XCI. Ratisbona
incendio deflagrauit. Anno Domini *DCCC. XCV.* Arnulfus Italiam ſibi ſub-
iecit. Anno Domini *DCCC. XCV.* Arnulfus Rex Romam veniens, Imperator
efficitur. Huius temporibus Formoſus erat Papa *CXIII.* quem ſucceſſor de tu-
mulo eiecit, ſicut ſuperius in catalogo Pontificum inuenitur. Poſt eladem
Nordmannicam Heiligo in Dania regnaſſe legitur, vir populis amabilis pro-
pter iuſtitiam & ſanctitatem ſuam. Cui ſucceſſit Olaph, qui veniens à Sueo-
nia regnum obtinuit Danicum vi & armis, habuitque filios multos. Ex qui-
bus Ehnob & Giurd regnum poſt patris ſui obitum tenuerunt. Eodem tem-
pore Herimannus, Colonienſis Archiepiſcopus, magnis Adalgarium fatiga-
bat iniuriis, Bremam Coloniæ ſubiungere conatus. Collecta ergo apud Tri-
buriam ſynodo, Haddone Mogontino præſidente, caſſata ſunt Apoſtolicæ
ſedis priuilegia, & glorioſorum principum annullata ſunt præcepta, conſen-
tientibus iniquis decretis Formoſo Papa & Arnulfo rege. Deinde facta ſub-
ſcriptione, Adalgarius Archiepiſcopus in cauda concilii poſitus eſt. Fabula
grandis de Adalino & Widgero, qui diſceptantes, ad ſpectacula ſynodum
traxerunt. Tragœdia lugubris, victum Widgerum, & poſtero die mortuum
Et amplius ſub Adalgario & Hogero omni tempore Brema Coloniæ facta eſt
ſuffi-

Legit ſibi adiutorem & ſucceſſorem.

ARNVLFVS Imp.

¶ Vide Byzant. hiſtoriæ auctores.

Remberti Epiſc. mors.

Adalgarius ſucceſſor.

Strages Normanorum.

Zuentebaldus, rex Morauorum.

¶ De Arno Epiſc. diſertius Ditmarus lib. 1.

Imperator inauguratur.

Res Danica.

Colonienſis Bremenſi litem mouet.

Nemeſis.

suffraganea. Anno deinde secundo Formosus Papa, quarto verò pòst Arnulfus Imperator miserabilem vitæ finem inuenerunt, magna Dei vindicta, sicut in subsequentibus apparebit. Anno *D*omini DCCC. XCVII. Karolus iam quinquennis creatur in regem Galliæ, Vtone viuente, sed eodem anno moriente. Huius Vtonis frater Robertus, à Karolo Dux Celticæ prælatus, cùm regnum affectaret, à militibus Karoli est interfectus. Cuius filio Hugone, dante consilium, Rodulfus, filius Burchardi Burgundionis, Rex creatur: Et Karolus Rex ab Heriperto, Hugonis cognato, capitur, & carceri mancipatur, in quo post quinquennium moritur anno regni sui *XXXVI.* vitæ verò *LIV.* Karolus ex sorore Adelstani, regis Anglorum, filium procreauerat nomine Lothevvicum, qui post patris necem, & Rodulfi mortem, paternum rexit imperium. Hic ex Gerberga, sorore Ottonis Magni, & Heinrici, Ducis Saxonum filia, filium accepit Lotharium, qui patri successit in regno. Anno Domini DCCC. XCVIII. Formosus Papa decessit, qui à successore suo etiam mortuus degradatus, de sepulchro eiectus est, eique Papa Iohannes CXIV. successit. Anno *D*omini DCCC. XCIX. Magna fames homines se inuicem comedere coëgit. Anno *D*omini DCCCC. Arnulfus Imperator multos Romanorum decollando, Formosi Papæ iniuriam vindicauit. Ipse verò eodem anno viuens à vermibus consumptus, veneno tandem extinctus est. Stephanus Papa CXV. sedit. Anno *D*omini DCCCCI. Lothevvicus, Arnulfi Imperatoris filius, LXXVIII. ab Augusto, regnauit annis XII. Anno *D*omini DCCCCVII. Pugna erat inter Albertum, filium fororis Heinrici Ducis, qui erat pater Magni Ottonis, & Conradum, fratrem Lothevvici Imperatoris, in qua Conradus occiditur. Anno *D*omini DCCCCVIII. Albertus perfidia Hattonis, Archiepiscopi, & cuiusdam Lippaldi deceptus, Lothevvico iubente decollatur. Bavvari ab Vngaris interficiuntur. Adalgarius senex valdè minus poterat vel inimicis resistere, vel agenda disponere. Quare à monasterio Corbeiensi Hogerum suscepit Adiutorem, cuius ope fultus, & ministerio, ipse emeritæ senectutis ocio potiretur. Sergius Papa, qui ferè per totidem annos 7. à Formoso cathedram tenuit, calumnias Adalgarii miseratus priuilegia Bremensis Ecclesiæ renouauit, & omnia quæ à Gregorio & Nicolao, prædecessoribus suis, Anschario & Remberto concessa sunt; roborauit. Ad hoc, quia senectutis pondere grauatus, pastorale officium obire non poterat, circumeundo, prædicando & consecrando Episcopos, dati sunt ei adiutores à Papa circum-vicini quinque Episcopi, Simundus Haluerstadensis, Wigbertus Ferdensis, Biso Padarburnensis, Bernarii duo, Mindensis scilicet & Osnabrugensis, quorum ope senex fulciretur. Anno *D*omini DCCCCIX. Vngari Saxoniam & Turingam vastant. Adalgarius obiit VII. Idus Maii, & sepultus est in basilica sancti Michaëlis, quam ipse pro dilectione magistri super tumbam eius exiit. Cui successit Hogerus, qui sedit annis septem. Pallium suscepit à Sergio Papa, ferulam à rege Lothevvico, ordinatusque est per contentionem ab Episcopo Colonienſi. Iste seueriſſimus in Ecclesiastica disciplina, pro consuetudine monasteria suæ diœcesis crebrò circuiuit. Nam etiam cùm apud Hamburg consisteret, explorans quid fratres agerent, nocte intempesta Ramsolam ad vigilias properauit matutinas. Anno Domini DCCCCX. Vngari Alemanniam petunt. Leo Imperator Constantinopolitanus obiit. Anno Domini DCCCCXI. Franci pugnant cum Vngaris. Anno Domini DCCCCXII. Lothevvicus Rex obiit. Hic iuxta quosdam vltimus dicitur Karolorum apud Orientales Francos Imperatorum, & secundum quosdam Conradus, qui post eum imperauit, vltimus computatur. Anno Domini DCCCCXIII. Conradus, filius Conradi, quem Albertus occidit LXXIX. ab Augusto, regnauit annis VII. sub quo potentissimi principes erant, Arno-

Motus Gallici.

Horribilis fames. Imperatorum mors.

LVDOVICVS & successor. Conradus Dux.

Alberti Com sup-plicium.

Adalgarius senex deponitur.

Restituitur in integrum.

Subleuatur opera vicinorum.

Defungitur Gira.

Hogerus successor.

Irruptio Vngarorum.

CONRADVS Cæsar.

dus in Bavvaria, Burchardus in Sueuia, Everhardus, Comes potentissimus in Francia, Geiselbertus Dux in Lotharingia, inter quos Heinricus, Dux Saxonum & Turingorum præpotens, clarebat. Hi secundo regni eius anno ei rebelles extiterunt, quos ille tam sapientia quàm fortitudine ad suam fidelitatem perduxit. Primo anno Conradi Vngari ab Alemannis & Bavvaris occiduntur. Post Olaph, Sueonum principem, qui regnauit in Dania cum filiis suis, ponitur in locum eius Sigerich. Cumque paruo regnasset tempore, Hardegon, filius Suein, à Nordmannia * veniens eum regno priuauit. In diebus illis immanissima persecutio Saxoniam oppressit, cùm hinc Dani & Sclaui, inde Boëmi & Vngri laniarent Ecclesias. Tunc parochia Hamburgensis à Sclauis, & Bremensis Vngrorum impetu demolita est.

Primarii Imperii principes.

Clades Vngarorum.

Res Danica.

* *Norvegiam dicere videtur. Eodem modo loquitur ad ann. 913. 920. 921. 948. Primùm autem Norvegiam nominat ad ann. 984. etsi ibi quoque Normannia nomen inculcat, & iterum ad ann. 1028. 1029. &c. Sequitur autem Adamum Brem.*

Anno Domini DCCCCXIV. Rodulfus Rex obiit. Martinus Papa CXVI. extitit. Anno Domini DCCCCXV. Vngari Alemanniam devastant. Harto Archiepiscopus obiit. Cui Herigerus successit. Hogerus Archiepiscopus obiit XIII. Kalend. Ianuarii, & sepultus est in ecclesia sancti Michaelis cum prædecessore suo, cuius corpus cùm post annos C. & XX. diruta senio capella, quæreretur, præter cruces pallii & ceruical Episcopi nihil potuit inueniri. Reginvvardus, Hogero succedens, vix vnum annum sedit. In diebus illis grande miraculum Bremæ contigit. Vngari, incensis Ecclesiis, ante altaria sacerdotes trucidauerunt, & clerum vulgo mixtum aut impune occiderunt, aut in captiuitatem duxerunt. Tunc etiam Cruces, à paganis truncatæ, ludibrio sunt habitæ, cuius signa furoris vsque ad nostram duraverunt ætatem. Sed Deus Zelotes, cuius ibi derisa est passio, incredulos abire non passus est inultos. Nam subita & mirabilis orta tempestas ab ecclesiarum tectis scindulas eleuauit, quas in faciem & ora paganorum rotans, dum fugæ præsidium quærunt, aut in fluuium præcipitari compulit, aut in manus ciuium concludi. Nec mora prostratum gregem boni pastoris occubitus secutus est. Qui depositus in Kalend. Octobris, vnà cum prædecessoribus suis in basilica sancti Michaëlis commendatus est. Eique Vnni successit, qui sedit annis XVIII. Cùm ergò transisset Reinvvardus, Leidradus Bremæ chori præpositus, à Clero & populo est electus, qui hoc Vnni pro capellano vtens, venit ad curiam. Rex autem Conradus diuino, vt creditur, afflatus spiritu, contemta Leidradi specie, paruulo Vnni, quem retro consexit stare, virgam obtulit pastoralem. Cui etiam Papa Iohannes X. dedit pallium. Erat autem vir, sicut in eius transitu videri potest, sanctissimus. Pro qua sanctitate Conrado & Heinrico regibus familiaris & reuerendus permansit. Anno Domini DCCCCXVII. Vngari Alemanniam totam igne & gladio vastant, & sequenti anno per Alemanniam & Alsatiam transeuntes, Lotharingiam inuadunt. Burchardus Dux constituitur, & Conradus Rex moritur. Cuius consilio & præcepto Heinricus, Dux Saxoniæ, in regnum prouehitur. Et sic defecit imperium Karolorum, sublimitate regni per Heinricum ad Saxones transeunte. Sed antequam procedamus, pauca de origine Saxonum prælibemus. Tempore quo Tidericus, rex Francorum, contra *H*irminfridum, Ducem Turingorum, dimicabat, Saxones studio & necessitate quærendarum sedium Germaniæ litoribus sunt appulsi in loco *H*athuloga, qui nunc vrbanius dicitur *H*athelcria. Super origine eiusdem gentis varia est opinio. Quidam æstimant, quia de Dania originem traxerint & Nordmannis. Dicunt alii, quod ab Anglis, Britanniæ incolis, sint egressi. Inuenitur etiam, quòd reliquiæ fuerint Macedonum

Mors Hattonis & Hogeri, Archiepisc.

Reginuuardus. Vngarorum immanitas.

Pœna cœlestis.

Vnni sacellanus præfertur Episcopo suo.

Vngari vastant Germaniam.

Burchardus Dux.

HENRICVS Augusti Cæs.

Fabulosa Saxonum origo.

¶ *Eadem habent annales Widechindi, Morte nominis Saxonum petatur è commentario nostro de Mysis.*

num, & mortuo Alexandro per totum orbem sint dispersi. Quia enim Alexander virtute eorum deuicerat Asiam, eo defuncto, se illi terræ amplius committere non audebant, sed cum CCC. nauibus recesserunt, quæ omnes perierunt, exceptis LIV. quarum XVIII. Pruciam * occupârunt, XII. Rugiam, XXIV. applicuerunt ad Albiam, quarum vna trans Albiam syluam incoluit & succidit, in qua postmodum sunt inuenti, & Holzati appellati. Cùm vero applicuissent littori prædicto, Turingi, cultores eiusdem terræ, aduentum eorum grauiter ferentes, arma contra eos mouerunt. Sed Saxones acriter resistentes, portum obtinuerunt. Diu dimicatum est, & multis hinc inde cadentibus, vtrisquè placuit pacem taliter confirmare, vt Saxones vendendi & emendi haberent copiam, & à cæde & spoliis abstinerent. Stetit tale fœdus diebus plurimis. Deficiente pecunia Saxonibus, inutilem sibi pacem iudicant, quod emerent aut venderent non habentes. Contigit adolescentem quendam egredi de nauibus, oneratum multo auro, torque aurea & armillis. Cui Turingus obuians, ait: Quid sibi vult tam ingens aurum circa collum tuum famelicum? Cui Saxo: Aurum gero, emptorem quæro, qui fame periclitor, cur auro delecter? Et Turingus: quale precium pro auro vis? Nullum, ait Saxo, mihi est discrimen in precio, quicquid dabis, gratum habeo. Turingus subridens, Saxoni arenam obtulit, & ille recepit. Turingus ad suos rediens de emtione auri & argenti pro arena risum maximum excitauit. Saxo autem ad suos rediens, & subsannatus mirabiliter: Socii, ait, ne me pro hoc mercimonio subsannetis, sequimini, & quod persuasero, faciatis. Exeunt de nauibus hortatu illius, totam terram seminant cum arena. Eia, inquit, socii terra hæc nostra est, quam auro & argento proprio comparastis: State viriliter, & vt fortes viri eam fortiter defendite contra hostes. Continuò Saxones rapiunt, & mactant animalia Turingorum. Audientes hoc Turingi veniunt, & Saxones incusant de pacis fœdere violato. Respondent Saxones, se terram eandem sua pecunia comparasse, & retulerunt eis modum emptionis, ita dicentes: Vos primò terram istam quasi vestram à nostro impetu defendistis: modò nos eam quasi nostram à vestris incursibus defendemus: mori volumus, aut nostram terram, quam emimus, possidere. Turingi redeunt, arma præparant, Saxones expulsuri. Bellum exoritur diuturnum, Saxones viriliter se defendunt; pax tandem promittitur. Turingi autem à viribus diffidentes, Saxones ad colloquium inuitant, statuentes, vt sine armis idem colloquium celebretur. Cogitant verò Saxones dolo inuadere, & sic interemptos ab his finibus propulsare. Res Saxonibus innotescit, præparant sibi cultellos absconditos, & eos secum ad colloquium deferunt, hoc signum inter se colloquentes, vt dum hoc verbum auditum fuerit, nemeth iuvve * Saxes, confestim Turingos inuadant, & eisdem cultris interimant. Factum est ita. Vnde ab eodem instrumento sunt Saxones appellati. Inuadunt deinde reliquam prouinciam, Turingos sine differentia occidentes. Plures autem se eis dederunt proprios, & qui ab eis viuere sunt permissi, Litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde Litones in prouincia Saxonum sunt exorti. Vexillum eorum habebat sacrum Leonis & Draconis, & desuper Aquilæ volantis, significans fortitudinem, potentiam & constantiam eorundem. Postea, sicut superius inuenitur, Karolus Magnus plusquàm XXX. annos contra eos pugnans, ad fidem conuertit. Ducem habebant Widikindum, perfidiæ incentorem, quem Karolus ad fidem coegit, & apud Timachum baptizari fecit, & de fonte leuauit. Widikindus filium habuit Wicbertum Christianum. Hic genuit Walbertum, qui causa orationis Romam veniens, corpus sancti Alexandri, filii sanctæ Felicitatis, integrum accipiens à Papa Leone, in Saxoniam detulit, & loco, qui dicitur * Wigalthingohusen,

* Prussiam.

Holsatiæ.

Aurum non potuit vendere.

¶ Similis huic de Didone seu historia seu fabula apud Virgilium Æneid. 1. Iustinum lib. 18.

* Sabri

Litones. ¶

Widekindi posteritas.

* nunc Wildeshusen.

huſen, locauit. Ex eadem Saxonicæ gentis ſtirpe vir nobilis eſt egreſſus, nomine Ludolfus, qui etiam orationis cauſa Romam profectus, reliquias Papæ Innocentii inde adduxit. Hic habuit duos filios, Brunonem & Ottonem, quorum maior Bruno cùm Ducatum totius Saxoniæ adminiſtraſſet, exercitum contra Danos ducens, ibidem occubuit, & Ottoni fratri Ducatum relinquit. Huic erat ſoror, nomine Ludgard, quam Lothevvicus rex, filius Arnulfi Imperatoris, duxit vxorem. Quo ſine filiis mortuo, omnis Francorum Saxonumque populus voluit Ottoni Duci diadema regni imponere. Ille propter ſenium recuſauit, ſed eius conſilio Conradus, Francorum Dux, coronam accepit. Natus eſt Ottoni filius, nomine Heinricus, qui primus libera poteſtate regnauit in Saxonia. Conradus Rex virtutem Heinrici Ducis ſemper extimuit. Hatto Moguntinus Archiepiſcopus, qui etiam Albertum Bavembergenſem deceperat, huius doli miniſter fuit: fecit fieri torquem auream, & conſiderandi operis gratia ingreſſus ad aurificem, viſa torque, ingemuit. Gemitus cauſam aurifex requiſiuit. Præſul reſpondit: Optimi, & mihi chariſſimi viri, ſcilicet Heinrici Ducis, ſanguine hæc torques debet intingui. Aurifex tacuit, ſed Duci hæc poſtea reuelauit. Inuitatus tandem ab Hattone ad conuiuium Dux, tanquam magnis muneribus honorandus, ſic inuitanti reſpondit: Vade, dic Hattoni, quia durius collum non gerit Heinricus, quàm Albertus, domi ſedebo, de Hattonis ſeruitio tractaturus. Et ſtatim reuerſus, omnia quæ Hattonis erant in Saxonia & Turingia, occupauit. Hatto autem Epiſcopus præ triſtitia non diu pòſt interiit. Quidam dicunt, eum fulmine interiiſſe. Sub eodem Duce inter Francos & Saxones multa prælia ſunt commiſſa, & ſemper Duci Heinrico fortuna fauit in prælio. Septimo autem anno regni ſui, Conradus ægrotare cœpit, & conuocatis principibus omnibus præter Heinricum Ducem, perſuaſit eis, & fratri ſuo Euerhardo, vt eo defuncto, Heinricum in honorem imperii ſublimarent. Conſenſerunt omnes, & frater cœpit lacrymari. Mortuo rege, Euerhardus Heinricum adiit, ſeque cum omnibus theſauris illi tradens, pacem cum eo fecit, & amicitiam eius in finem obtinuit. Deinde congregatis principibus, & exercitu Francorum in loco Fritzlare, deſignauit eum Regem coram populo Saxonum & Francorum.

Ludgard.

Henricus Duc. primus libera poteſtate in Saxonia dominatur.

Mariſcitur Moguntinum pellatum.

Deſignatur Rex ſuffragio hoſtis.

¶ *Forſan iidem ſunt, qui Saxonum legibus* LITI *dicuntur. Quatuor enim apud eos fuere hominum genera, Nobiles, Liberi, Liti & Serui. Eadem de Anglis traduntur, ſcribus tamen dudum commutatis: nam pro Nobilibus Adelingi, pro Litis liberti nominantur. Conuenit inſuper de Saxonum Adamus Bremenſ. lib. 1. cap. 5. ſed Gr & ipſe pro Litis Libertos inculcet.*

Anno Domini DCCCC. XX. Heinricus, genere Saxo, filius Ottonis Ducis, vir illuſtris & ſapiens, & omninò virtuoſus, LXXX. ab Auguſto, in regnum eligitur. Regnauit annis XVII. Cui cùm vnctio & diadema à ſummo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, offerretur, noluit acceptare, ſe tanto honore indignum iudicans, dicens ſibi ſufficere, quod Regis nomine vocaretur. Hic aduerſarios ſuos ſibi ſubiecit, videlicet Burchardum, Ducem Alemanniæ, & Arnulfum, Ducem Bavvariæ, cui etiam conceſſit, vt Pontifices Bavvariæ ſuæ poteſtati in dignitatum conceſſionibus ſubiacerent. Huius anno ſecundo Robertus, frater Vtonis regis, Dux Gallicæ, conſilium habuit, vt abiecto Karolo, rege Francorum, ipſe eligeretur in Regem. Robertus à militibus Karoli interficitur. Cui Rodulfus, vt dictum eſt, ſubrogatur, & Karolus captus cuſtodiæ mancipatur. Contigit, Henricum regem tranſire Rhenum, ſcilicet Lotharingos, pro imperio obtinendo. Miſit ad eum Karolus, ſe quondam Regem, modò priuatum regno denuncians, & licet ab inimicis eſſet circumuentus, nihil ei iucundius, quàm de magnitudine ſui profectus & gloria aliquid audire. Et hoc ſibi ſignum fidei & veritatis, ait nuncius, & protulit de ſinu manum præcidi-

Reſpuit inauguratio-nem.

Arnulfum, Ducem Bauariæ.

Motus Gallici.

¶ *Diſertius de hac hiſtoria Sigebertum. Adde quæ auctor infra habet ad ann. 922.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

martyris Dionysii, auro & gemmis inclusam, Regique obtulit, hoc, inquiens, pignus fœderis perpetui & amoris vicarii, ecce vnicum Francorum solatium. Postquam sanctus Martyr nos ad nostram perniciem deseruit, & corpus eius translatum est à nobis, nunquam prælia cessauerunt. Nam eodem anno Dani & Nordmanni regionem nostram hostiliter inuaserunt. Dico etiam tibi, bone Rex, quòd quidam Folradus sanctum Vitum de Roma transtulit, & in Pago Parisiaco collocauit. Regnante Lothevvico Imperatore hæ venerandæ reliquiæ in Saxoniam sunt translatæ, & ex hoc tempore res Francorum cœperunt minui, & Saxonum dignitas dilatari. Rex autem diuinum munus multa gratiarum actione suscipiens, reliquiis sanctis prosternitur, & eas deosculans summa reuerentia veneratur. Burgundiorum Rex Rodulfus, qui nonnullis annis Italicis imperabat, lanceam quandam à Samsone quodam Comite dono acceperat, quam Constantini Magni, Helenæ filii, fuisse dicebat, quæ excepta cæterarum specie lancearum, nouo quodammodo opere, nouaque elaborata arte & figura, iuxta mediam spinam habuit vtrobique quasi fenestram, & in media cruces ex clauis, manibus & pedibus Saluatoris Domini nostri Iesu Christi affixis. Heinricus itaque Rex, audiens Rodulfum tam cœleste donum habere, vt erat Domini timens, totius religionis amator, legatis directis, tentauit si præmiis aliquibus posset illud acquirere. Quod cùm Rex Rodulfus modis omnibus se nunquam acturum diceret, Rex Heinricus, quia hunc muneribus mollire nequiuerat, minis terrere magnopere curabat, omne quippe regnum eius cæde atque incendiis se depopulaturum esse minabatur. Quia verò munus, quod petebatur, illud erat, quod cœlestibus terrena coniunxerat, Rodulfi Regis cor Deus emolliuit, iustoque regi iusta iusteque petenti protinus tradidit. Quanto autem amore rex Heinricus prædictum cœleste munus dilexerit, cùm in multis rebus tum in hoc maximè elaruit, quòd huius datorem non solùm auri argentique muneribus, verùm etiam Sueuorum prouinciæ parte non minima honorauit. Hac ergo occasione, imò Dei voluntate, sanctam Rex Heinricus adeptus est lanceam, per quam ipse de hostibus sæpè triumphauit, eamque filio suo Ottoni decedens cum regno reliquit. Ipsaque est, quæ ex tunc hodieque in Imperatorum tutela solet manere. *Hinc* Rex Boëmiam ingreditur, ipsaque tributaria facta, in Saxoniam reuertitur. Erat Regi vxor & consors regni clara & nobilissima, nomine Machthilda, filia Theodorici, ex eadem Saxonum gente, cuius fratres erant Widikint, Immod & Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnauit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus vsque in præsentem diem. Et hi erant ex stirpe Widekindi Magni, Ducis, qui bellum potens gessit contra Karolum Magnum per annos fermè XXX. Genuit autem Heinrico Machtilda ante regni susceptionem filiam Gerbergam, quam Giselberto, Duci Belgicæ dederat, filium quoque Ottonem. Post regiam dignitatem genuit secundum, quem patris nomine vocauit *Heinricum*, tertium quoque Brunonem, quem frater postea Otto præsulem fecit Colonienſium. Duxit autem Otto, filius Regis, viuente adhuc patre vxorem ex gente nobilissima Anglorum, filiam fratris Adelstani regis, quæ Otgit, siue Edidis vocabatur. Hæc peperit ei filium, quem vocauit Ludolfum, qui sibi postea rebellauit. Anno Domini DCCCC. XXI. Vngri non solùm Saxoniam, aliasque cis Rhenum prouincias, verùm etiam trans Rhenum Lotharingiam & Franciam demoliti sunt. Dani quoque Slauos auxilio habentes, primò transalbianos Saxones, deinde cis Albiam deuastantes, magno Saxoniam terrore quassabant. Apud Danos eo tempore filius * Hartevvich, Gvvrm regnabat, crudelissimus inquam vermis, & Christianorum populis non mediocriter infestus. Ipse enim Christianitatem, quæ in Dania fuit, prorsus delere molitus, sacerdotes

λείψανα Dionysii.

Lancea Domini.

Pro eadem ἀντίδωρον.

Cæsaris expeditio Boëm.

Mathilda uxor.

Widekindus Magnus.

Editha.

Vngari depopulantur Germaniam.

* *Forsan Haroldi.*

Germo Rex Christiani nominis hostis.

Cæsar compescit rebellantes. Dei à finibus suis depulit, plurimos quoque per tormenta necauit. At verò Heinricus Rex iam tunc à puero timens Deum, & in eius misericordia totam habens fiduciam suam, Vngros quidem multis & grauibus prælliis triumphauit, itemque Bohemos & Sorabos à prioribus regibus domitos, & cæteros Sclauorum populos vnâ, grandi prælio ita percussit, vt residui, qui pauci remanserant, & Regi tributum & Deo Christianitatem vltro promitterent. Deinde cum exercitu ingressus Daniam, Gvvrm regem primo impetu adeò perterruit, vt imperata sibi faceret, & pacem supplex deposceret. Tunc venerabilis Vnni Archiepiscopus, videns ostium fidei gentibus esse apertum, latitudinem suæ diœcesis per se ipsum elegit circuire. Postquam verò peruenit ad Danos, vbi prædictus Gvvrm regnauit, illum quidem pro ingenita flectere nequiuit sæuitia, filium autem eius Haroldum ita fidelem Christo perfecit, vt Christianitatem, quam pater eius semper odio habuit, ipse haberi publicè permitteret, quamuis nondum baptismi sacramentum perceperit. Ordinatis itaque in regno *D*anorum per singulas Ecclesias sacerdotibus, multitudinem credentium Haroldo commendauit. Cuius etiam fultus adiutorio, & legato, omnes Danorum insulas penetrauit, prædicans verbum Dei gentibus, & fideles, quos ibi captiuatos inuenit, in Christo confortans. Deinde mare Balticum nauigans, graui labore venit ad Bircam, oppidum Gothorum, in medio Sueoniæ positum. * Ad id ergo quia nauium statio ibi tutissima est, in maritimis Sueoniæ regionibus solent *D*anorum, Nordmannorum, Sclauorum, Semborum naues, Scytiæque populi pro diuersis commerciorum necessitatibus solenniter conuenire. In eo portu confessor Dei egressus, insolita populos appellare cœpit legatione. Sueones quippe, Gothi & Nordmanni propter barbaricæ excursionis tempora, qua paucis annis multi Reges cruento dominati sunt imperio, Christianæ religionis penitus obliti, haud facilè poterant ad fidem persuaderi. Apud Sueones tunc temporis imperauit Ring, cum filiis Erich & Emund, ipseque ante se habuit Amund, Biorn & Olaph. Hos ergo Vnni adiens, eorum licentia verbum Dei per Sueoniam prædicauit. Sueones igitur & Gotthi, à sancto Anschario primùm in fide plantati, iterumque relapsi ad paganismum, à sancto Vnni sunt reuocati.

Vnni Archiepisc. doctor Danorum & Sueconum.

Haroldus, Gormonis F.

Birca.

Ring. rex Suecia.

* *Non longè ab eo templo, quod celeberrimum Sueones habent in cultu Deorum, Vpsala dicto, &c. Adamus Brem. lib. 1. cap. 50. De eodem idolo idem lib. 2. cap. 41.*

Anno *D*omini DCCCC. XXII. Ropertus, frater Vtonis regis, & pater Hugonis, machinante Giselberto *D*uce, * socero Heinrici regis, in deiectionem Karoli regno Galliarum præponitur. Anno *D*omini DCCCC. XXVI. Sanguis *D*omini in Rugiam insulam venit. Anno *D*omini DCCCC. XXVII. Burchardus, *D*ux Alemanniæ, in Italia occiditur, & *H*erimanno Alemannia committitur. Anno *D*omini DCCCC. XXX. *H*eriger Archiepiscopus obiit, cui Hilpertus succedit. Anno *D*omini DCCCC. XXXI. *H*einricus Boëmiam petit. Anno *D*omini DCCCC. XXXIV. *H*einricus Vngaros interficit. Post Martinum Papam, Agapetus CXVII. Romanæ sedi præfuit. Deinde Octauianus CXVIII. Leo CXIX. Benedictus CXX. Iohannes CXXI. *H*einricus Rex cùm esset in exaltando gentem suam, rarus aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia erat, quem aut præclaro munere, aut officio aliquo non promoueret. Erat autem ingenti prudentia pollens, forma quoque corporis regiæ dignitati decorem adiiciens. In exercitiis etiam ludi tanta eminentia omnes superabat, vt terrorem cæteris ostentaret. In venatione tam fuit accriter & timorem infundebat, vt etiam ludenti non crederent ad aliquam laici-

* *genere.*

Ducet Alemanis.

Successio Pontificum.

Cæsaris encomium.

¶ *Idem de se lobus affirmat c. 29.*

uiam

uiam se dissoluendos. Anno Domini DCCCC. XXXV. * Heinricus Rex, perdomitis circumquaque gentibus, postremo Romam statuit proficisci. Sed infirmitate correptus, intermisit iter. Infirmatus autem est in castello, quod dicitur Hiemeleuua, quod est inter Saxonum & Turingorum confinia, vbi & defunctus est. Cumque se iam morbo grauari sensisset, conuocato omni populo, designauit Ottonem, filium suum, Regem, cæteris filiis suis prædia cum thesauris distribuens, ipsum verò Ottonem, qui maximus natu fuit, & optimus, fratribus & omni Francorum imperio præfecit. Et in hoc quanta sapientiæ fuerit, & religionis, probari potest, quòd eum, quem potissimum & religiosissimum nouerat, licet in imperio natus non esset, Regem constituit. Testamento itaque legitimè facto, & rebus omnibus ritè compositis, defunctus est anno regni sui XVIII. vitæ autem ferè LX. Translatum est autem corpus eius à filiis suis in ciuitatem, quæ dicitur Quidilingaburg, & in basilica sancti Petri ante altare sepultus. Anno Domini DCCCC. XXXVI. ab vrbe autem condita M. DC. LXXXVIII. Otto Magnus, Heinrici filius, LXXXI. ab Augusto, eligitur ab omni populo Saxonum & Francorum. Regnauit annis XXXVIII. Electus est autem apud Aquisgranum, vbi & mox vnctus est in Regem à Pontifice Moguntinæ sedis, nomine Hildeberto, Fuldensis monasterii Monacho. Rex autem vnctione benedictionis accepta, quàm sapientem in regni moderamine, quàm fortem in aduersantium certamine, quàm strenuum in religione se exhibuerit, facilè enarrari non valet. Vnni Archiepiscopus, peracto legationis suæ tempore, apud Bircam ægritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit. Discipuli autem eius cætera quidem membra sepelierunt in eodem oppido, caput verò Bremam deportantes decenti honore condiderunt in ecclesia sancti Petri ante altare. Obiit autem hoc anno, qui est à transitu sancti Willehadi CXLVIII. Isti successit Adaldagus, & sedit annis LIV. Iste genere illustris, ætate iuuenis, specie decorus, morumque probitate speciosior, à choro sumptus Hiltineshemensi, consanguineus & discipulus beati Adalvvardi, Ferdensis Episcopi, cuius tunc vita probata, fama illæsa, & fides in palatio erat cognitissima. Qui etiam doctrina & miraculis celebris, Sclauorum populis eo tempore prædicauit, quo Vnni ad Scythas legatus extitit. Eius nimirum opera & testimonio commendatus in curia Adaldagus, ferulam pastoralem à Magno Ottone suscepit, pallium à Papa Leone VII. manus impositionem, sicut prædecessores eius, à Moguntino præsule. Necdum autem Hamburgensis cathedra suffraganeos habuit, quos huius Adaldagi studio recepit. Adaldagus itaque primò vt ingressus est Episcopatum, Bremam, longo prius tempore potestatibus ac iudiciaria manu oppressam, præcepto Regis absolui, & instar reliquarum vrbium immunitate, simulque libertate fecit donari. Regis autem ita vsus est familiaritate, quòd à latere eius rarò vnquam diuelleretur. Nunquam tamen aut parochiæ necessitati defuit, aut legationis suæ curam postposuit, quinimo victorioſi & iustissimi Regis animum in omnibus, quæ Dei sunt, paratum cernens, studium eius ad conuersionem paganorum incitare non cessauit. Anno Domini DCCCC. XXXVII. Vngari Franciam & Alemanniam & Galliam, vsque Oceanum, Burgundiamque deuastantes, per Italiam redierunt. Monasteria sancti Galli & sancti Bonifacii cremantur. Rodulfus, rex Burgundiæ, & Arnolfus, Dux Noricorum, obierunt. Anno Domini DCCCC. XXXVIII. Heinricus, frater Ottonis regis, ab Euerhardo Comite in præsidio Bachliki comprehenditur. Thankmarus, frater Regis ex patre, non ex matre, cuius mater erat filia materteræ Sigifridi Comitis, cùm mortuo Sigifrido, ea affinitate legationem Comitatus Saxoniæ sibi vendicasset, quæ regali dono cesserat Geroni Comiti, capta vrbe Hereburg, in qua sedens multa exercuit contra Regem latrocinia, cùm tandem ad reprimendam eius insolentiam à Rege impeteretur, stans iuxta altare

Mors.

Prudentia in successore deligendo.

Sepultura.

OTTO Magnus Imp.

Vnni Archiepisc. mors.

Adaldagus successor.

Grassationes Vngarorum.

Heinrici D. captiuitas.

Thancmarus perduellis.

Iugulatur ad aram.

altare in ecclesia B. Petri in eadem vrbe, à quodam per fenestram à tergo perfos-
sus est. Anno Domini DCCCC. XXXIX. Otto Rex, militibus suis pugnanti-
bus contra Heinricum fratrem suum, & Giselbertum, Ducem Belgicæ, so-
cerum suum, & Euerhardum Comitem, de equo descendens, orationemque
ante lanceam, in qua erant claui Domini, faciens, hostes fugat, suisque victo-
riam reportat. Anno Domini DCCCC. XL. Rege in partibus Alsatiæ castel-
lum Brisach obsidente, Episcopi quidam, relictis noctu tentoriis, subtraxe-
runt se. Eberhardus Comes ab Vtone & Conrado iuxta Rhenum occisus est,
Giselbertus Dux in aqua suffocatus, Heinricus, frater Regis, assumptis secum
quibusdam Episcopis, nudis pedibus ad Regem ipso ignorante peruenit, sup-
plexque misericordiam eius implorans, veniam obtinuit. Deinde defuncto
Duce Bavvariorum Bertoldo, monitu & intercessione sanctæ matris suæ præ-
fecit eum regno eidem, faciens cum eo misericordiam & pacem, in qua etiam
fideliter permansit in finem. Anno Domini DCCCC. XLI. Grauis persecutio
Monachis oritur, affirmantibus quibusdam Pontificibus, melius esse paucos
vitæ claros, quàm multos negligentes in monasteriis esse, ideoque oportere
conuersationes per monasteria perspicere, & non benè conuersantes abiicere.
Vnde plures infirmitatis propriæ conscii, relictis monasteriis, habitum depo-
suerunt. Fridericus, Moguntinæ sedis Episcopus, qui etiam in deiectionem
Regis Heinrico, Giselberto & Euerhardo consenserat, huius rei magister erat,
quod idcirco fecit, quatenus virum venerabilem Hademarum, Fuldensem
Abbatem, dehonestaret. Ipse autem Abbas, qui Fuldense templum famo-
sum, suis temporibus igne consumptum, in melius restaurauit, eundem Pon-
tificem, propter coniurationem prædictam à Rege captum, sub custodia re-
nuit, primò quidem honorificè, sed cùm literas ab eo scriptas deprehendisset,
satis seuerè. Postea miseratione Regis Pontifex dimissus, & à rege pristinæ
dignitati restitutus, dum vltionem quæreret, nec contra tantum virum præua-
leret, humilima monasteria statuit tentare, si fortè ad excellentissima posset
æqualiter accedere. Sed huiusmodi simulationes in cassum profusæ sunt. Nam
Abbas in gratia Regis permansit, & causis intercurrentibus ipse, quod voluit,
non impleuit. Otto igitur Rex diuino fultus auxilio, cùm primùm ab insidiis
fratrum suorum ereptus est, iudicium & iustitiam populis fecit. Abiit autem
in Burgundiam, & Regem cum regno accepit in suam potestatem. Defuncto
autem Ottone, Lothariorum præside, ac regis nepote, Heinrico, Giselberti
filio, Ducatum regionis Conrado Rex concessit, cui & vnicam filiam suam,
Luthgardam, desponsauit, qui erat adolescens acer & fortis, domi militiæque
optimus, commilitonibus suis carus. Huic Lutholfus, filius Regis, nimia
dilectionis familiaritate astrictus est. Otto Rex Gallias petiit. Anno Domini
DCCCC. XLII. Otto & Lothevvicus reges pacificantur. Huic Lothevvico so-
ror Ottonis, Gerberga, genuit duos filios, Karolum & Lotharium post se
regnantem. Anno Domini DCCCC. XLIV. Vngari cum Bavvaris pugnant,
& vincuntur. Lothevvicus à Duce Hugone capitur, quod dolens Otto Rex,
festinat intrare regnum Karoli, causa vindicandæ iniuriæ amici. Quod au-
diens Hugo, iurat, legatione missa, per animam patris sui, quòd tanta sibi
armorum copia esset, quantam Rex nunquam vidisset, addiditque contem-
ptum, loquendo vanè tumideque super Saxonibus, quia imbelles essent, &
quia facile posset vna potione septem Saxonica tela absorbere. Ad quod Rex fa-
tis famosum reddidit responsum, sibi fore tantam multitudinem pileorum fe-
ninorum, quos ei repræsentari oporteret, quantam nec ipse nec pater suus vn-
quam vidisset, aut visurus esset. Et reuera cùm esset magnus exercitus valdè,
XXX. scilicet & duarum legionum, non est inuentus, qui fenino non vteretur
pileo, vt Abbas Corbeius cum tribus suis sequentibus. Dimissus ergò Lothe-
vvicus, occurrit Regi cum suis, quibus etiam Conradus, rex Genauorum,
cum

Imperatoris victoria votis parta. ¶ Vide Annales Widechindi.

Clementia erga fratrem.

Moguntini artes.

Captiuitas.

Vindicta cupido.

Imperator δικαστήριος.

Confert Lotharingiam Conrado genero.

Pacificatur cum Gallo.

Agit constantem amicum.

Retundit stolidam iactantiam.

cum magna expeditione occurrit. Juncti ergo pariter Lugdunum adeunt. Sed eam locorum asperitate capere non valentes, Rhemensem ciuitatem expetunt, vbi nepos *Hugonis* Ducis, *Hugo*, contra ius & fas subrogatus est Episcopus, legitimo pontifice adhuc superstite. Vrbem verò capientes, iniustum sacerdotem expellunt, legitimumque sedi propriæ restituunt. Post tres itaquè menses Rex Saxoniam cum incolumi exercitu rediit, omnibus, quæ armis exquisita sunt, Lothevvico relictis. *Hugo* autem expertus potentiam Regis, Saxonumque virtutem, non passus est eos vltrà terminos suos hostiliter intrare, sed anno sequenti in eandem expeditionem Regi pergenti occurrit iuxta fluuium, qui dicitur Kar, & iuxta imperium regis cum Domino suo Lothevvico pactum iniit, manum dedit, vtilisque exinde permansit. Anno Domini DCCCC. XLVI. Edidis regina obiit, relicto filio Ludolfo, filia quoque Lutgarda, quæ nupserat Conrado Duci. Anno Domini DCCCC. XLVIII. Otto Rex, postquam ferè omnia regna, quæ post mortem Karoli defecerant, suo imperio subiugauit, in Danos arma corripuit. Enimuero tum rebellare moliti, apud *Heidebam* legatos Ottonis cum Marchione trucidant, omnem Saxonum coloniam funditus extinguentes. Ad quam rem vlciscendam Rex cum exercitu inuadit Daniam, transgressusque terminos Danorum, ferro & igne totam vastauit regionem, vsque ad mare nouissimum, quod Danos à Nordmannis dirimit, & vsque in præsentem diem à victoria Regis Ottinsunt dicitur. Cui regredienti *Haroldus* apud Sliasvvig occurrit, bellumque intulit. In quo vtrisque viriliter certantibus, Saxones victoria potiti, Danos ad naues cedere coegerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Ottoni subiicitur, regnumque ab eo suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spopondit, statimque ipse cum vxore sua Gunhild & filio baptizatus est, quem filium Rex Otto à sacro fonte susceptum Sueinotto vocauit. Eo tempore Dania cis marina, quæ Iuthlant dicitur, in tres diuisa Episcopatus, Hamburgensi Episcopatui est subiecta. Rex autem Otto regnum Danicum in sua ditione adeò tenuit, vt etiam ipse Episcopatus donauerit. Agapetus verò Papa de salute gentium congratulatus, omnia quæ à prædecessoribus suis, Gregorio, Nicolao, Sergio, *Hamburgensi* concessa sunt Archiepiscopatui, & ipse concessit Adaldago. Cui etiam sua vice ius ordinandi Episcopos tam in Dania quàm in Septentrionis populos Apostolica auctoritate concessit. Igitur Adaldagus omnium primus ordinauit in Dania Episcopos, Haroldum ad Sliasvvig, Liafdagum ad Ripam, Reinbardum ad Arhusan. Quibus etiam illas commendauit Ecclesias, quæ trans mare sunt in Suinæ, Seland, Sconæ & in Sueonia. Eo etiam tempore Rex Otto vniuersos Sclauonum populos suo subiecit imperio. Et quos pater eius vno grandi bello domuerat, ipse deinceps tanta DEI adiutorio potentia constrinxit, vt tributum & Christianitatem pro vita simul & patria libenter offerrent victori. Sicque baptizatus gentilium populus universus, & Ecclesiæ tunc primum in Sclauania sunt constitutæ. Igitur post hæc Colonensis Archiepiscopus, Bruno, videns Hamburg diuina opitulante gratia suffraganeos habere, veterem de Bremainstaurauit querelam, sperans, se quæ voluit eò facilius adepturum, quòd filius erat Ottonis regis. Sed dum frustra omnibus modis laborasset, nec Papæ consilium, nec patris meruit habere auxilium. Ita vir nobilis atque sapiens auctoritate Pontificis Adaldagi facilè superatus, in gratiam Bremensis Ecclesiæ cum digna satisfactione rediit, prædicans ipsam Ecclesiam, quæ in tanto gentilium periculo constituta sit, non debere lædi in aliquo, verùm dignam esse, quæ omni consolationis amore foueatur, & celebretur ab omnibus ubique Ecclesiis. Adhuc posteris in memoria est, quendam Erp, Diaconum Adaldagi, qui fideliter ei astitit in præfata contentione, Ferdensi à Rege Episcopatu donatum, & simul alios fratrum, qui in prædicatione Danorum

Gerit rem feliciter.

Cogit perduellem ad officium redire.

Mors Editha. Imperatoris expeditio in Danos.

Victoria.

Haroldi R. Christianissimus.

Episcopatus Iutia.

Adalgagi Brem. iurisdictio.

Slaui domiti.

Coloniensis irrita machinatio.

Adaldagi operarii.

& Sclauorum cum eo ſtudioſi fuerunt, pro labore ſuo maioribus aſſerunt ca-
Encomium. thedris inthronizatos. Nempe ſtudium Adaldagi totum in conuerſione fuit gentilium, in exaltatione Eccleſiarum, in ſalute animarum, pro cuius rei magiſterio meruit vir DEO & hominibus dilectus, vt omnibus in veneratione
Ludolfus ſucceſſor Hermanni. haberetur etiam inimicis. Anno Domini DCCCC XLIX. Herimannus, Dux Alemannorum, obiit, cuius Ducatum Ludolfus, filius regis Ottonis, cum omni poſſeſſione ſua, copulata ſibi vnica filia eius, iure hæreditario poſſedit. Eo tempore vſurpato imperio, regnauit in Longobardia homo ferus & auarus,
Beringarius Tyrannus. & qui omnem iuſtitiam pecunia venderet, Berengarius, qui ad regem Ottonem quondam venit, Hugonem, regem Italiæ, fugiens, benignèq; ab illo tractatus, cùm multam pecuniam *H*ugo pro eo dare vellet, non eſt redditus. Anno Domini DCCCC.L. Otto Rex Italiam venit, eamque ſibi ſubiecit, rediensque, Papiam Conrado, Duci Lotharingorum, tuendam commiſit. Anno Domini
Venit in deditionem. DCCCC. LI. Berengarius, rex Longobardorum, Conrado ſuadente, apud Auguſtam cum filio ſuo Adelberto ad deditionem venit, factusque miles Regis,
Imperatoris altera nuptiæ. remiſſus eſt in regnum cum pace. Anno *D*omini DCCCC. LII. Otto Rex Italiam intrauit cauſa Adelheidæ reginæ, ipſaque accepta vxore, nuptias celebrauit Papiæ. Quod videns filius eius Ludolfus, triſtis ab eo diſceſſit, profectusque eſt in Saxoniam. Lapis miræ magnitudinis, tonitru ac tempeſtate
Prodigium. iactus de cœlo, apud Auguſtam ingens miraculum multis videntibus, præbuit. Nati ſunt autem Regi filii ex ſereniſſima regina, primogenitus Heinricus, ſecundus Brun, tertius paterni nominis maieſtate deſignatus, filia quoque ſanctæ
Ludolfi & Conradi rebellio. matris eius vocabulo inſignita. Anno *D*omini DCCCC. LIII. Ludolfus Dux patri rebellat, & *D*ux Conradus cum eo. Anno *D*omini DCCCC. LV. Vngarii totam Bavvariam depopulantes, iuxta Auguſtam ab Ottone pugna victi,
Clades Vngarorum. immenſa cæde necantur. Anno *D*omini DCCCC. LVI. Ludolfus filius Regis, Italiam hoſtiliter intrauit. Anno *D*omini DCCCC. LVII. Ludolfus Adelbertum vincit, & ipſe eodem anno moritur. Anno *D*omini DCCCC. LXI. Otto Rex victorioſiſſimus, cùm ad liberandam ſedem Apoſtolicam vocaretur in Italiam, conſilium habuit, quem poſt ſe vicarium poteſtatis ad faciendam
Saxonia Ducatu expers. iuſtitiam relinqueret in his partibus, quæ barbaris confines ſunt terminis. Nondum enim poſt tempora Karoli, propter veteres gentis illius ſeditiones, Saxo-
Hermanni Billingi in tremenda. nia *D*ucem accepit niſi Cæſarem. Qua neceſſitate Rex perſuaſus, *H*ermanno primùm tutelæ vicem in Saxonia commiſit. Vir iſte pauperibus ortus natalibus, primo VII. manſis totidemque manentibus, ex hæreditate parentum fuit contentus. Deinde, quia erat acris ingenii, decorisque formæ, cùm pro merito fidei & humilitatis, quam *D*ominis & paribus exhibuit, facilè notus eſſet in curia, ad familiaritatem ipſius Regis peruenit. Qui comperta iuuenis induſtria, ſuſcepit eum in numero miniſtrorum, deinde nutricium præcepit eſſe filiorum, mox etiam, ſuccedentibus proſperis, commiſit ei vices præfecturæ. In quibus officiis ſtrenuè adminiſtratis, manentes ſuos pro furto in iudicium delatos, data ſententia, omnes ad mortem damnauit. Cuius nouitate facinoris & tunc cárus in populo, & clariſſimus deinceps factus eſt in
Ducatus. palatio. Poſtquam vero Ducatum meruit Saxoniæ, iudicio & iuſtitia gubernauit prouinciam, & in defenſione ſanctarum Eccleſiarum ſtudioſus vſque in finem permanſit. Nam & Bremenſi Eccleſiæ, & Hamburgenſi fidelis extitit, ac deuotus, multa faciens bona in fratres, & in omnes Saxoniæ congregationes. Igitur tali viro piiſſimus Rex & Archiepiſcopus Adaldagus, vices ſuas
Prorogatum. Imperator exauctorat Papam. in hac regione commendantes, in Italiam diſceſſerunt. Vbi Rex Epiſcoporum habito conſilio, Iohannem Papam, cui Octauianus nomen erat, multis accuſatum criminibus fecit deponi, quamuis abſentem (nam fuga iudicium
Inauguratur. ſubterfugerat) & in locum eius promotum Leonem, ordinari præcepit: A quo ipſe mox coronatus, Imperator & Auguſtus à populo Romano conſalutatus

tatus est, anno regni sui XXVI. * post coronatum Karolum Romæ *CLI.* Dicunt tamen alii, quòd Otto Rex rogatu prædicti Iohannis Papæ, & querimonia multorum, de Berengario & filiis eius proclamantium, Romam tendens, ibique Imperator ab eodem Papa factus, Berengarium ceperit, & cum coniuge sua, Willa nomine, ad castellum Bauenberg miserit, ibique præsentem vitam clauserint. Eo tempore Imperator in Italia per quinquennium commoratus, filium suum Ottonem ad se venire fecit, qui & in natali Domini coronam regni ab Apostolico accepit. Missa etiam legatione Constantinopolin, filiam Imperatoris Theophano inde accepit, quam celebratis nuptiis in Italia, eidem filio suo coniunxit. Interea filios Berengarii debellauit, Romamque pristinæ libertati reddidit. His diebus, annisque totidem, Adaldagus Archiepiscopus, apud quem summa consiliorum pendebat, in regno Italiæ conuersatus est, non sponte inquam, sed quod à Regum latere diuelli non poterat, vnde magnum Ecclesiæ suæ lucrum parauit. Tunc etiam Sanctorum, quibus nunc & in æuum hoc triumphat Episcopium, patrocinia collegisse traditur. Populus itaque boni pastoris diuturnam grauiter ferens absentiam, nunciis & litteris, metum ingerentibus, tandem vt suum reuiseret gregem, sollicitare curauit. Cui etiam demum in patriam venienti, totus simul populus, & extranei cum ipsis, itinere tridui occursantes, & præ gaudio flentes, quasi alteri Christo clamabant, dicentes, Benedictus qui venit in nomine Domini. Reuersus ergo in patriam, duxit in comitatu suo Benedictum, Papam ordinatum, sed ab Imperatore Ottone depulsum, quem ille in *H*amburg custodiæ mancipari præcepit, Archiepiscopus verò ipsum cum magno honore vsque ad obitum eius detinuit. Nam vir sanctus & literatus fuisse dicitur, qui & dignus Apostolicæ sedi videretur à populo Romano, nisi quod per tumultum electus est, expulso eo, quem ordinari præceperat Imperator. Igitur in sancta conuersatione, aliosque sanctè docens, cùm iam Romanis poscentibus à Cæsare restitui debuisset, apud Hamburg in pace quieuit IV. Nonas Iulii. Quo tempore Bremæ claruit Eilhardus, vir spontanea paupertate clarus, Ecclesiæ præpositus, & regulæ canonicæ custos. Tunc & scholas Ecclesiæ florentissimo studio rexit Tiadhelmus, qui fuerat magni Octrici Magdaburg discipulus. Adaldagus autem sanctorum Martyrum reliquias, quas ab vrbe Roma deportauit, magna per parochias suas diligentia distribuit. Nam antecessores sui Deo seruientium animarum quinque cænobia fundarunt. *H*is ille sextum addidit apud Heislinge, vbi nobilissima Christi virgo, Wendilgard * & pater eius, Haddo nomine, totum patrimonium suum offerens Deo, & martyri sancto Vito, magnam virginum turmam congregauit. Septimam in Fresia congregationem fecit sanctorum virorum, de prædio & oblatione quarundam nobilium matronarum, Reingerd & Wendile, vbi & reliquias sanctorum locauit. Hæ sunt reliquiæ sanctorum quas ab Italia Adaldagus deportauit, corpora videlicet Quiriaci & Cæsarei, Victoris & Coronæ, Felicis & Feliciani, Cosmæ & Damiani. Cumque sanctus Pontifex omnium Ecclesiarum paternam gereret solicitudinem, Xenodochii Bremensis magnam habuit curam. Quod etiam multò maioribus auxit reditibus, quàm antecessores eius, adeò vt præter hospites, qui frequenter suscipiebantur, quotidie in hospitali XXIV. pauperes pascerentur. In quo ministerio fidelissimus extitit Libentius, quem secum duxit ab Italia. Anno *D*omini DCCCC. LXVII. Otto Imperator de Italia in Saxoniam rediit. Anno *D*omini DCCCC. LXIX. Mater Imperatoris Machtildis obiit. Anno *D*omini DCCCC. LXXI. Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit. Otto Imperator subiugatis, Christianæque fidei copulatis, Sclauorum gentibus, inclytam vrbem Magdaburg super ripas Albiæ fluminis condidit, quam Sclauis metropolin statuens, Albertum, magnæ sanctitatis virum, ibidem consecrari fecit Archiepiscopum. Is primus in Magdaburg ordi-

** Variat de hac Chronologia Adamus Brem. lib. 2. cap. 5. Deportat Beringarium.*

Othonis P. nuptiæ.

Adaldagus Archiepisc. consilii Cæsarei princeps.

Reuocatur domum.

Habet Benedictum expapam honorificè.

Eilhardus.

Tiadhelmus Ecclesiastici ludi magister.

Monasteria ab Adalgago constructa.

** Ditmaro lib. 2. p. 25. dicitur Winbulgert, pater Hed.*

λείψανα Italica.

Xenodochium Brem.

Imperator redux.

Chasma.

Magdeburgum, metropolis Sclauorum.

ordinatus XII. annis ſtrenuè Pontificatum adminiſtrauit, multosque Sclauorum populos prædicando conuertit. Cuius ordinatio facta eſt hoc anno Domini, Imperatoris & Adaldagi XXXV. poſt ordinationem ſancti Anſchari C. XXXVII. Otto Imperator Magdeburgenſem Eccleſiam condidit in reſtitutionem, vt dicitur, eccleſiæ ſancti Mauricii, quam deſtruxit, quando Romam pro conſecratione iturus, ibidem eſt prohibitus. Magdeburgenſi autem

Eiusdem ſuffraganei.

Archiepiſcopatui ſubiecta eſt tota Sclauania vſque ad Penem fluuium. Episcopatus ſuffraganei V. quorum Mersburg & Cicia ſuper Salam fluuium conditi. Miſna verò ſuper Albiam, Brandanburg & *H*auelberg interius vadunt. Sextus Epiſcopatus Sclauaniæ eſt Aldinburg, quem quia nobis vicinior eſt, Imperator Hamburgenſi Archiepiſcopatui ſubiecit, ibique Adaldagus Edvvardum primum ordinauit Epiſcopum, quem latinè dicimus Euagrium. Anno Domini DCCCC. LXXIV. Otto Imperator cum filio rege Galliam ingreſſus eſt, inde Germaniam tranſiturus, & primùm Paſcha Quitinlaburg celebraturus. Tertia verò feria ante Pentecoſten venit ad locum, qui dicitur Mimileva. Proxima nocte tranſacta, hora conſtituta lætus ad menſam conſedit, venientque tempore veſpertinis laudibus interfuit, ſed peracto cantu Euangelii æſtuare ac fatigari cœpit. Quod cùm intellexiſſent principes circumſtantes, impoſuerunt eum ſedili: Inclinantem autem caput quaſi iam defeciſſet, refocillauerunt eum, expetitoque ſacramento Dominico, & accepto, ſine gemitu cum magna tranquillitate ſpiritum reddidit Domino, Nonis Maii, IV. feria ante Pentecoſten. Inde transportatur in cubiculum, & cùm ſerò iam eſſet, tranſitus eius nunciatur populo. Cuius corpus magnis lugentium cuiis à filio Rege translatum eſt in ciuitatem, quam ipſe conſtruxit, ſcilicet Magdaburg, ibique honorificè tumulatum eſt. Huius temporibus Dani ſunt ad fidem per Popponem quendam conuerſi, qui ferrum candens & ignitum, in modum chirothecæ formatum, coram populo ſine læſione portauit. Quod videns Rex *H*aroldus, abiecta idolatria, cum toto populo ad colendum verum Deum ſe conuertit. Poppo autem in Epiſcopum eſt promotus. Wenceslaus, princeps Bohemiæ, à fratre ſuo Bugezlao, quia principatum ſibi vſurpauit, martyrizatur, pro quo Deus vrbem Pragam, vbi requieſcit, multis miraculis illuſtrat. Poſt Iohannem Papam Benedictus *CXXII.* ordinatus, poſt quem item Benedictus. Anno Domini DCCCC. LXXV. Otto II. Magni Ottonis filius, LXXXII. ab Auguſto, regnare cœpit, & annis IX. regnauit. Hic viuente patre in regnum electus, Romæque ab Apoſtolico regni corona decoratus, mox vt pater defunctus eſt, ab omnibus, qui aderant, denuò eligitur, & in regni ſede locatur. Anno Domini DCCCC. LXXV. Otto II. Magni Ottonis filius, LXXXII. ab Auguſto regnare cœpit, & annis IX. regnauit. Hic viuente patre in regnum electus, Romæque ab Apoſtolico regni corona decoratus, mox vt pater defunctus eſt, ab omnibus, qui aderant, denuò eligitur, & in regni ſede locatur. Anno Domini DCCCC. LXXXII. Otto Imperator, Lothario & Karolo Francorum regibus ſubactis, cùm in Calabriam bellum transferret, occiſo à Græcis exercitu, de naui exiliens natando aufugit. Anno Domini DCCCC. LXXXIII. Otto Imperator Romæ moritur VI. Idus Decembris, ibique ſepelitur. Poppo Epiſcopus obiit. Anno Domini DCCCC. LXXXIV. Otto III. Ottonis II. filius, admodum puer, LXXIII. ab Auguſto, in regnum patri ſubſtitutus, annis XVIII. forti & iuſto ſceptrum ornauit imperio. His tribus, æquè fortiſſimis ac iuſtiſſimis, Imperatoribus tam carus & familiaris erat Adaldagus pro virtutum merito, & doctrinæ magiſterio, vt à latere eorum vix aut rarò diuelleretur, ſicut præcepta Imperatorum, ad nutum eius diſpoſita, oſtendunt, in quibus etiam hoc eſt notandum, quòd tertius Otto in Wildashuſan conſiſtens, præcepta fecit. Eodem tempore Hermannus, Saxonum Dux, obiens Bennonem filium ſuum reliquit hæredem,

Eduardus I. Epiſc. Aldeburg.

Imperatoris Obsequia.

Funus.

Poppo, Danorum doctor.

Haroldus Rex.

S. Wenceslaus Mart.

OTHO II. Imp.

Eiusdem anceps fortuna.

Mors.

OTHO III. Imp.

Adaldagi Archiepiſc. auctoritas.

Bennо dux Saxon.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui etiam vir bonus & fortis memoratur, excepto, quod degenerans à patre, populum rapina grauauit. Apud Magdaburg quoque defuncto Alberto Pontifice, Gisilarius succeſſit, & ipſe vir ſanctus, qui nouellos Winulorum populos doctrina & virtutibus illuſtrauit. Haroldus, rex Danorum, religione ac fortitudine inſignis, Chriſtianitatem in regno ſuo iam dudum benignè ſuſceptam vſque in finem conſtanter retinuit. Vnde & regnum ſuum ſanctitate & iuſtitia confirmans, vltra mare in Nordmannos & Anglos ſuam dilatauit potentiam. Emund, filius Erici, tunc in Sueonia, regnauit. Is Haroldo confœderatus, Chriſtianis eò venientibus placabilis fuit. In Nordwegia Acquin princeps erat, quem dum Nordmanni ſuperbius agentem regno depellerent, Haroldus ſua virtute reſtituit, & Chriſticolis placatum reddidit. Acquin iſte crudeliſſimus ex genere Inguar, & Giganteo ſanguine deſcendens, primus apud Nordmannos regnum obtinuit, cùm antea Ducibus regerentur. Igitur Acquin XXXV annis in regno exactis obiit, * Haroldum ſceptri relinquens hæredem, qui ſimul Daniam poſſedit atque Nordvvegiam. Anglia autem poſt mortem Gundredi à filiis eius, Analaph, Sigirich & Regiinold, per annos ferè C. permanſit in ditione Danorum. Tunc verò Haroldus Hiring, filium ſuum, miſit in Angliam. Qui ſubacta inſula, à Northumbris tandem proditus, & occiſus eſt. Adaldagus igitur ordinauit in Daniam plures Epiſcopos, quorum nomina quidem reperimus, ad quas verò ſedes ſpecialiter inthronizati ſint, non facilè potuimus inuenire: æſtimo ea faciente cauſa quòd pro rara Chriſtianitate nulli Epiſcoporum adhuc certa ſedes deſignata fuerit. Verùm ſtudio plantandæ Chriſtianitatis quisque in vlteriora progreſſus, verbum Dei tam ſuis, quàm alienis communiter prædicare certabant, quod hodie trans Daniam per Nordmanniam & Sueoniam facere videntur. Igitur Epiſcopi in Dania ordinati ſunt Hored, Liafdag, Reinbrand, & poſt eos Harig, Stercolph, Folbrecht, Adelbrecht, Merha, & alii Odinkarum ſeniorem ferunt ab Adaldago in Sueonia ordinatum, ſtrenuè in gentibus legationem ſuam adimpleuiſſe. Erat enim vir ſanctiſſimus & doctus in his, quæ ad Deum ſunt, quantum verò ad ſeculum, nobilis, & origine Danus. Vnde & barbaris quælibet potuit de Chriſtiana Religione perſuadere. Cæterorum verò Epiſcoporum vix aliquem ſic clarum prodit antiquitas, præter Liafdagum Ripenſem, qui & miraculis celebris fuit, & transmarinis prædicauit Sueonibus & Nordmannis. In Aldinburg ordinauit Adaldagus primò, vt diximus, Evvardum, deinde Wegonem, poſtea Ericonem, quorum tempore Slaui Chriſtiani permanſerunt. Ita etiam Hamburg in pace fuit. Eccleſiæ in Sclauonia vbique erectæ ſunt, monaſteria etiam virorum & mulierum, Deo ſeruientium, conſtructa ſunt plurima. Sclauonia in duos deuiginti pagos eſt diſpertita qui omnes absque tribus ad Chriſtianitatem ſunt conuerſi. Principes etiam eius temporis Chriſtiani, ſub quibus pax continua fuit, Sclauique ſub tributo ſeruierunt. Hæc nomina principum, Miſizza, Naccon & Selderich. Nouiſſimis itaque temporibus Adaldagi Chriſtianitas in Dania turbata eſt. Nam tunc Suenotto, filius magni Haroldi, regis Danorum, multas in patrem molitus inſidias, quomodo eum iam longæuum, & minus validum, regno priuaret, conſilium habuit cum his quos pater ad Chriſtianitatem inuitos coëgit. Subitò ergo facta conſpiratione, Dani Chriſtianitatem abnegantes, Suein regem conſtituunt, bellumque Haroldo indicunt. At ille, qui ab initio regni ſui totam ſpem in Deo poſuit, tunc verò maximè Chriſto euentum rei commendans, cùm bellum execraretur, armis ſe tueri decreuit. Et procedens ad bellum, lugebat filium, magis illius dolens ſcelus, quàm ſua pericula. In quo miſerabili, & plus quàm ciuili bello, victa eſt pars Haroldi. Ipſe autem vulneratus ex acie fugiens, aſcenſa naui elapſus eſt ad ciuitatem Sclauorum, quæ Jumne dicitur. A quibus contra ſpem, quia pagani

Gisilarius, Archiepiſc. Magdeburg.
Haroldus Rex.
Emund rex Suecia.
Acquin, rex Norwegia.
* *Hartildum & Adamus Brem. lib. 2. c. 15.*
Gundredi R. filii.
Hering, Haroldi F.
Adaldagus conſtituit Epiſcopos Dania.
Odincarum.
Liafdagum.
Epiſcopi Aldēburg.
Slauorum Chriſtianiſmus.
Principes.
Haroldus R. filii bello petitus.

pagani erant, receptus, post aliquot dies ex eodem vulnere deficiens, incon-
Perit à vulnere. fessione Christi decessit. Cuius corpus in patriam ab exercitu reportatum,
apud Roskild ciuitatem in ecclesia, quam ipse primus in honorem sanctæ Tri-
nitatis constructit, est sepultum. Regnauit autem annis L. Ipseque Transal-
bianis & Fresonum genti leges & iura constituit, quæ adhuc pro tanti auctori-
tate viri seruare contendunt. Anno Domini DCCCC.LXXXVIII. Adaldagus,
Mors Adaldagi. Bremensis Archiepiscopus, migrauit ad Dominum IV. Kalend. Maii. Indictio-
ne I. anno sacerdotii sui LIV. sepultusque est in Ecclesia Bremensi à capite Leui-
Libentius successor. derici Episcopi à meridionali plaga. Cui succedens Libentius, sedit annis XXV.
Pallium suscepit à Papa Iohanne XV. virgam pastoralem ab Ottone III. primus
omnium consecratus est à suffraganeis. Erat itaque vir literatissimus, & omni
Eiusdem encomium. morum probitate decoratus, ab Italia quondam secutus Adaldagum. Cuius
etiam vitam æmulatus & magisterium, solus ex dispositione tanti patris dignus
est inuentus, cui Bremensis cura parochiæ crederetur. Erat enim vir tantæ
castitatis, vt rarò se mulieribus videndum præbuerit, tantæ abstinentiæ, vt
pallida ieiuniis ora portauerit, tantæque humilitatis & charitatis, vt in clau-
stro, sicut vnus fratrum, vixerit. Multæ nimirum virtutes eius; quippe
contentus acquisitis, rarò curiam adiit pro acquirendis, domi sedens quietus.
Parochiæ suæ curam egit diligentissimam, totumque studium ad lucra vertens,
animarum, districtissima regula omnes congregationes suas custodiuit. Ar-
chiepiscopus etiam per se curam egit Hospitalis, fratribus & infirmis quoti-
diano ministrans obsequio, ipse quoque vice sua xenodochium nepoti suo
commendauit Libentio. Dum adhuc pax esset in Sclauania, transalbianos
populos frequenter visitauit, & matrem Hamburg paterno fouit honore. Le-
gationem suam ad gentes, vt prædecessores eius, studiosè executus est, licet
Sueno Tyrannus. dierum obstaret malitia. Quo tempore cùm magnam Christianorum perse-
cutionem in Dania Suein Rex exercuisset, supplicibus Archiepiscopus legatis,
crebrisque muneribus, laborabat, quatenus ferocis Regis animum mansue-
tum redderet Christianis. Quibus ille reiectis, in sua nimirum crudelitate ac
perfidia sæuire non cessauit. Vnde & vltio diuina Regem Deo rebellem est sub-
secuta. Nam cùm contra Slauos bellum susciperet, bis captus, & in Scla-
Ericus, rex Suecia. uiam ductus, totiens à Danis ingenti auri pondere est redemptus. Nec tamen
adhuc ad Deum reuerti voluit, quem primò in morte patris offendit, & deinde
in nece fidelium irritauit. Tunc potentissimus Sueonum Rex, Hericus, col-
lecto innumerabili exercitu, Daniam inuasit, & occurrit ei Suein, à Deo de-
relictus. Sed cùm vtrinque bello nauali (sic enim gens illa confligere (olet)
omnes copiæ essent Danorum obtritæ, Hericus rex victor Daniam obtinuit.
Aschomani piratæ vexant Saxoniam. Suein ergo depulsus à regno, dignam factis suis à Deo mercedem recepit. Eo-
dem tempore classis piratarum, qui Aschomanni vocantur, Saxoniæ appul-
sa, omnia Fresiæ atque Hatheleriæ vastauit maritima. Cumque per Albiæ fu-
minis ostium ascendentes irrumperent prouinciam, congregati Saxonum
magnates, cùm paruum habuissent exercitum, egredientes à nauibus apud
Stadium barbaros exceperunt, quod est opportunum Albiæ portus præsidium.
Magnum & memorabile minusque felix erat illud prælium, in quo virtute
vtrisque certantibus, Saxones tandem minores sunt reperti. Sueones ergo
Saxones in captiuos. & Dani totam Saxonum obtriuere virtutem. Capti sunt ibi Sigafridus Mar-
chio, Thiadricus Comes, & alii illustres viri, quibus post terga iunctis ma-
nibus, barbari traxerunt ad naues, pedesque eorum catena strinxerunt, to-
tam exinde prouinciam impunè deprædantes. Sed cùm ex captiuis solus Mar-
chio Sigafridus cuiusdam auxilio piscatoris furtim noctu sublatus euaderet, fu-
ratæ mox in furorem versi, omnes, quos in vinculis tenuerunt, meliores ho-
dibrio habentes, manibus pedibusque truncauerunt, ac nare præcisa deco-
mantes, ad terram semianimes proiecerunt. Ex quibus nobiles quidam vul-
erant

erant, qui multo superuixerunt tempore, opprobrium imperio, & miserabile spectaculum omni facti populo. Quam videlicet plagam, mox cum exercitu superuenientes, Dux Benno & Sigafridus Marchio, vindicarunt in tantum, vt piratæ omnes, qui apud Stadium egressi sunt, ab ipsis, auxiliante Domino, fuerint contriti, Altera pars Aschomannorum per Witraham flumen egressa, per quendam Equitem Saxonum, ab eis captum, nomine Hetivvard, qui ductor eorum factus, in difficiliora eos paludis loca perduxit, nomine Glindesmor, à Saxonibus vsque ad vnum obtruncata est. Quorum numerus erat XX. millia. Ex eo tempore piratarum hostilisque crebra irruptio facta est in hac regione, & omnes Saxoniæ ciuitates grandi metu perculsæ sunt, & exinde Brema muro muniri cæpit. Anno *D*omini DCCCC. LXXXIX. Fames magna facta est. Anno *D*omini DCCCC. XCIV. Sanctus Albertus, Episcopus de Praga ciuitate, à * Prucis martyrio coronatur. Anno *D*omini M. In Nordmannia à Rege eorum Cracaben Christianitas per edictum suscipi iussa.

Benno Dr & Sigefrid. dum M. ἀμνημονέυ. ται.

Aschomannorum internecio.

Brema muro cincta.

** Prussi. Cracabe, rex Norueg.*

¶ *Adamo Brem. lib. 2. cap. 25. & 27. est Turucco, Hacenis, seu Aequini F. Idem tamen cap. 36. & ipse Cracaben nominat.*

Anno *D*omini M. I. Otto Imperator, qui iam Danos, Sclauos, Francos & Italos domuerat, cùm iam tertiò Romam victor intrasset, immatura morte præuentus, occubuit V. Kalend. Februarii. Cuius intestina Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur, regnumque in contentione remansit. Tunc Sclaui à Christianis iudicibus plus iusto compressi, excusso tandem iugo seruitutis, libertatem suam armis defendere sunt coacti. Primò autem totam Nordalbingiam depopulati sunt, deinde reliquam peragrantes Sclauaniam, omnes ecclesias incenderunt, & ad solùm vsque diruerunt, sacerdotes autem reliquosque Ecclesiarum ministros variis necantes supplicíis, nullum trans Albiam Christianitatis vestigium reliquerunt. Apud Hamburg eo tempore multi ex Clero & ciuibus in captivitatem abducti sunt, plures etiam interfecti propter odium Christianitatis. In Aldinburg, ciuitate magna Sclauorum, qui Vaigri dicuntur, sita iuxta mare Balticum, vel Barbaricum itinere diei ab Hamburg, sexaginta Presbyteri, cæteris pecudum more obtruncatis, ibi ad ludibrium seruati sunt, talique martyrio consummati, vt cute capitis in modum crucis incisa, ferro singulis cerebrum aperiretur. Deinde ligatis post terga manibus, professores Dei per singulas Sclauorum tracti sunt ciuitates, aut verbere aut alio modo vexati, quousque deficerent. Ita illi Angelis & hominibus spectaculum facti IV. Nonas Iunii victorem exalauerunt spiritum. Omnes igitur Sclaui, qui inter Albiam & Egdoram habitant, per annos LXX. & amplius Christianitatem coluerunt, omni videlicet tempore Ottonum, talique modo se à corpore Christi & Ecclesiæ, cui ante coniuncti fuerant, abscíderunt. Eodem tempore venerabilis Comes Heinricus in Rosafeldan, quod nunc Herseuelde; vel vrbanius Rosenuelde dicitut, fecit Præposituram, annuente Libentio Archiepiscopo, & Ecclesiam consecrante. Hæc facta sunt vltimo tempore Libentii sub Duce Bernhardo * filio Herimanni, qui populum Sclauorum grauiter afflixit. Quo etiam tempore contentio Bernarii, Ferdensis Episcopi, de Ramsolan coram Papa Sergio est terminata. Ramsolan sita est in Episcopatu Ferdensi, non longè à vico Bardorum, cuius ordinationem, & ius gubernandi, cùm Ferdensis Episcopus reposceret, Apostolicæ sedis decreto cessit ab incepto. Anno *D*omini M. II. Heinricus II. primùm Dux Bavvariæ, deinde Ottone III. absque filiis defuncto, in regni prouectus culmine, LXXXIV. ab Augusto regnum accepit, & annis XXIII. regnauit, XII. sub nomine *R*egis, XI. dignitate & nomine Imperatoris. Hic in regni sede sublimatus, Marchionem Heinricum, aliosque sibi resistentes, cum exercitu petit & superat. Anno *D*omini M. III. Heinricus *R*ex Italiam, Boëmiam,

Sæuiunt in Clericos.

Henricus Comes.

** qui supra & paulo post Benno.*

HENRICVS II. Imperator.

Boliz-

Bolizlaum Ducem cum omni Sclauorum gente ſubiugauit. Anno Domini M. IV. Fames magna facta eſt. Anno Domini M. VI. Epiſcopium Babenberch à rege Heinrico conſtituitur, & Eberhardus ibi Epiſcopus præficitur. Anno Domini M. VIII. Brun Epiſcopus à Prucis multis ſuppliciis afflictus, & pedibus manibusque abſciſſis, poſtremò capite plectus, cœlos petiit. Anno Domini M. X. Gens Vngariæ ad fidem conuertitur per Gislam, ſororem Imperatoris, quæ nupta regi Vngariæ, ipſum regem induxit, vt ſe & ſuos baptizari faceret, & in baptiſmo Stephanus eſt appellatus, qui poſtea ſanctus fieri meruit. Eodem anno Benno, Dux Saxonum obiit, & Lutgerus frater eius, qui cum vxore ſua venerabili, Emma, Bremenſi Eccleſiæ plurima bona fecit. Apud Magdaburg Giſilario Archiepiſcopo Daganus ſucceſſit, deinde Walthardus. Interea Libentius Archiepiſcopus, de legatione ſua in gentes ſollicitus, plurimos ordinauit Epiſcopos, quorum nomina & ſedes incertæ ſunt, quia tempus perſecutionis incubuit. Poſt obitum Adaldagi, tota regio Iuthland in duos Epiſcopatus bipertita eſt, terrio apud Arhuſen deficiente. In Sclauania verò ordinauit Libentius Folquardum, deinde Reginbertum, quorum prior à Sclauania pulſus, in Sueoniam vel Nordmanniam miſſus eſt à Libentio. Qui multos in Domino lucratus, cum gaudio remeauit. Anno Domini M. XIII. Heinricus Romæ imperiali benedictione coronatur à Benedicto Papa. Eodem anno Libentius Archiepiſcopus obiit, vnaque Ferdenſis Epiſcopus, Indictione XI. & ſepultus eſt in medio chori ante gradus Sanctuarii pridie Nonas Ianuarii. Cui ſuccedens Vnvvanus, ſedit annis XVI. Ferulam ſuſcepit ab Heinrico Imperatore, pallium à Papa maiore benedicto. Iſte Vnvvanus primus omnium congregationes ad canonicam traxit regulam, quæ antea quidem mixta ex Monachis vel Canonicis conuerſatione degebant. Iſte per Simoniacam peſtem inthronizatus dicitur, eo quòd magnam habuerit hæreditatem, cuius partem ipſe inuitus imperatori dimiſit, partem verò alteram Eccleſiæ ſuæ obtulit, quam piè gubernauit, tertiam parentibus dimiſit. Hic etiam omnes ritus paganicos in hac regione funditus amouit, ita vt ex lucis, quos paludicolæ ſtulta frequentabant reuerentia, faceret Eccleſias XII. renovari. Ex quibus baſilicam ſancti Viti extra oppidum conſtrui, & capellam ſancti Willehadi combuſtam iuſſit reparari. Ipſo tempore ferunt aggerem Bremenſem firmatum contra iniquas & impetus inimicorum, præcipuè quoniam Dux Bernardus Heinrico Imperatori auſus rebellare, turbauit omnes Eccleſias Saxoniæ. Ex illo enim tempore, quo Dux in Saxonica conſtitutus eſt regione, nunquam diſcordia inter Archiepiſcopum & Ducem ceſſauit, illo impugnante Regem & Eccleſiam, iſto pro ſalute Eccleſiæ certante. Hæc æmulatio partium dum prius occulta eſſet, ex eo tempore vires accepit, & creuit in immenſum. Bernardus enim Dux tam initæ humilitatis, quàm paternæ religionis oblitus, primò quidem per auaritiam gentem Winulorum crudeliter opprimens, ad neceſſitatem paganiſmi coëgit. Deinde per ſuperbiam beneficiorum immemor, totam ſecum adbellandum Cæſari mouit Saxoniam. Nouiſſimè ſurgens in Chriſtum, Eccleſias impugnauit, præcipuè Bremenſem, quæ & ditior eo tempore cæteris, & Hamburgenſem, quæ remotior videbatur à manu Imperatoris. Huius tamen viri Vnvvanus taliter ſua magnitudine refregit, vt præ pudore ſapientiæ & libertatis Epiſcopi cogeretur ipſe Dux Eccleſiæ, cui antè aduerſatus eſt, deceps hilaris & benevolus in omnibus exiſtere. Ergo habito Vnvvani conſilio, rebellis tandem flexus princeps, Scaldinborg Cæſari Heinrico ſupplex dedit manus. Moxque fauente Vnvvano, Sclauis tributo ſubactis, pacem reddidit Nordalbingis, & Eccleſiæ Hamburg. Ad cuius reſtaurationem Vnvvanus poſt Sclauicam cladem, ciuitatem & eccleſiam fecit novam, ſimul & ſingulis congregationibus ſuis, quæ virorum eſſent, tres eligens fratres,

Fundatio Epiſcopatus Bamberg.

Brunonis Epiſc. martyrium.

Chriſtianiſſimus Vngarorum.

Funera Principum & Antiſtitum.

Epiſcopatus Iutiæ.

Folquardus Doctor Normannorum.

Mors Libentii Archiepiſc.

¶ Adde hunc quæ habet Adamus Brem. lib. 2. c. 33.

Lucі exciſi

Vallum Brem.

Bernardi Ducis maleficia.

Reconciliatio cum imp.

vt XII. fierent, qui in Hamburg canonica degerent conuersatione, populum ab idololatriæ reuocantes errore. Ordinauit etiam in Sclauaniam, mortuo Reginberto, Bennonem, virum prudentem, qui de fratribus Hamburgensis Ecclesiæ electus, in populo Sclauorum multum prædicando fructum attulit. Anno Domini M. XIV. Ernestus Dux in venatu occiditur. Anno Domini M. XIX. Benedictus Papa Babenberg veniens, Ecclesiam sancti Stephani dedicauit. Eodem anno Werenherus, ciuitatis Argentinæ Episcopus, cum Alemannis contra Burgundiones pugnauit, & vicit. Anno Domini M. XX. Terræ motus factus est IV. Idus Maii, feria V. Eo anno Heribertus, Coloniensis Archiepiscopus obiit, cui Biliginus successit. Anno Domini M. XXI. Euerhardus, primus Ecclesiæ Babenbergensis Episcopus, ordinationis suæ anno XIII. dedicauit Ecclesiam sancti Michaëlis in monte, in honore eiusdem sancti Archangeli, sanctique Benedicti Abbatis. Eundem locum inhabitare cœpit primus Pater eiusdem monasterii, Rato, anno incarnationis Domini M. XV. Eodemque anno fundamenta ipsius monasterii locata sunt, & secundo anno Heinrici, Abbatis secundi, templum ipsum dedicatum est. In Villa * Colbizce in Saxonia, in monasterio sancti Magni martyris, completis matutinis, cœperunt chorizare XV. viri & tres mulieres in cœmeterio. Presbyter cùm primam Missam inchoaret, non cessarunt à cantilenis & chorea, donec ipse, volens insolentiam eorum compescere, accessit ad eos, rogans, vt quiescerent. Nolebant. Et presbyter, dictus Egbertus, sic eis imprecatus est: Vtinam potentia Dei, & meritis sancti Magni martyris, sic inquieti annum ducatis. Qui verba eius subsannantes, perstiterunt cantando. Erat vna trium mulierum filia presbyteri, nomine Mersindis. Quam iubente patre frater matris, Iohannes, brachio apprehendens, nitebatur eam à chorea extrahere. Et brachium eius detraxit à corpore, nec inde gutta sanguinis emanauit, sed in cantando, & pedibus strependo, cum aliis per annum in chorea permansit. Sex mensibus euolutis, terræ vsque ad genua sunt immersi. In toto anno illo nec biberunt nec comederunt, nec pluuia illos irrigauit. Fiebant tegumenta super eos, quæ statim aura deiecit. Vestimenta eorum & calciamenta non sunt attrita, vngues & capilli non creuerunt. Anno euoluto, demersi erant in terra vsque ad latera. Tunc die natiuitatis Domini veniens Herbertus, Coloniensis Archiepiscopus, orationem fudit super eos, & à ligatura, qua se inuicem manibus tenebant, eos soluit, & ante altare sancti Magni ductos reconciliauit. Ante altare autem grauissimus eos sopor inuasit, & itidem tribus diebus & totidem noctibus continuis dormierunt. Vnus autem ex ipsis, Iohannes nomine, cum filia Presbyteri, & cum duabus aliis fœminis, ante Archiepiscopum solo prostrati, statim spiritum emiserunt. Alii post excitationem se leuantes, ad propria sunt reuersi, cibum sumentes, sed in recordatione hujus signi mirifici, vsque in diem mortis, non sunt à timore corporis liberati. Vnus eorum, qui Otbertus nomen habuit, hoc factum postea plurimis indicauit. Aliqui se emendauerunt, & profecerunt in tantùm, vt ex diuina gratia post mortem miraculis coruscarent. Anno Domini M XXII. Heinricus Imperator nouam Troiam in deditionem accepit, & mortalitas magna secuta est in exercitu. Vnvvanus Archiepiscopus thesaurum Ecclesiæ, diu solliciteque collectum, & quasi minus necessarium, si infra parietes clauderetur, ad commodum legationis suæ intrauit expendere, vt ferocissimos Aquilonis reges hilaritate suorum munerum ad omnia, quæ voluit, benignos & obedientes haberet. Suein, regi Danorum, Knut filius eius successit, qui deuicto Adelrad, rege Anglorum, victor ab Anglia rediens, in ditione sua per annos multos regnum Daniæ possedit & Angliæ. Quo etiam tempore multos in Daniam ab Anglia adduxit Episcopos. De quibus Bernardum posuit in Sconiam, Gerbrandum in

Benno Episc.

Mors Ernesti D. VVernerus Episc. bellator.

Terræmotus.

Euerhardus I. Episc. Bamberg.

** Colbeke, Villa Halberstad. Vt Metropolis Crancii lib. 4. c. 34. Chorea prodigiosa.*

Herbertus Archiepisc. Colon.

Vnuani callida munificentia.

¶ Consulatur Adamus Brem. lib. 4. c. 36. 37. 38.

Sclandiam, Reinherum in Friune. Quod zelatus Vnvvanus, Herbrandum redeuntem ab Anglia cepit, quem ab Elnodo, Anglorum Archiepiscopo, ordinatum esse cognouit. Ille verò vt necessitas persuasit, satisfaciens, fidelitatem Bremensi Ecclesiæ cum subiectione debita spondens, familianissimus deinceps Vnvvano effectus est. Per quem & suos legatos ad Knut regem cum muneribus transmittens, congratulatus est ei de rebus benè gestis in Anglia, sed corripuit eum de præsumptione Episcoporum, quos transtulit ex Anglia. Quod Rex grauiter accipiens, in posterum conjunctus est Archiepiscopo, vt ex sententia eius omnia deinceps facere maluerit. Anno Domini M.XXIIII. Vnvvani XII. Heinricus Imperator, iusticia & sanctitate insignis, cùm iam Saxones, Italos & Burgundicos imperio subiecerat, ad cœlestè migrauit imperium, sepultusque est Babenberg in Episcopio à se facto, in sancti Petri Apostoli monasterio, anno regni sui XXIIII. imperii XI. vitæ verò LII. eiusque vxor Conigunt absque filiis obiit.

Legatio ad Canutum Regem.

Mors Henrici II.

¶ *Hic auctor familiam Imperatorum Saxonicorum, facto initio à LUDOLFO, inseruerat. Nos transferenda huc censuimus, quæ tanquam ἀπροσδιόνυσον ϗ ἄλλοτι ποῦ ἔπω infra ad ann. M.C.LII. Imperatorum catalogo assuissent, & HEINRICI Auctus mentioni præmisissent. Vt perperam diuulsa membra coagmentarentur, & omnia in iustam compagem redirent. Quæ σύμμετρος σωσις, cuius βάσις, seu, secundissimè germinans quasi stipes, VVIDEKINDUS MAGNUS (nam hoc ei cognomentum auctor suprà apposuit ad ann. DCCCCXX.) ita se habet.*

VVIDEKINDUS, inclytus Dux Saxonum, per Carolum baptizatus.

VVicbertus, Dux Saxonum Christianus.

VValbertus, Dux Saxonum Christianissimus.

LUDOLFUS, Dux Saxonum nobilissimus.

Bruno Dux à Danis occisus.

OTTO, Dux Saxonum inuictissimus — *Dana.*

Ludgard, vxor Lotheuvici regis, Arnulfi Imp. F.

¶ *A LVDOLFO deductam generis prosapiam, dedimus locupletiorem in calce Ditmari nostri.*

HEINRICUS Rex.

OTTO MAGNUS. Imperator primus de Saxonibus.

OTTO, Imperator secundus.

OTTO, Imperator tertius.

Heinricus, Dux Bavvariæ.

Heinricus, Dux. Bavvariæ.

HEINRICUS Bauenbergensis, Dux Bavvariæ, postea Imperator.

Anno

Anno Domini M.XXV. Conradus, ex regni primoribus vnus, LXXXV. ab Augusto, regnum suscepit. *CONRADVS II. Imp.* Hic sublimatus in regni sede consilio Brunonis, Episcopi Augustensis, fratris Heinrici Imperatoris, qui semper felicibus fratris actibus inuidebat, Babenbergensem Episcopatum meditabatur destruere. *Bruno, Henrici II. frater.* Sed per visionem fratris idem Bruno territus in somnis, ne Rex propositum perficeret, impediuit. Primo itaque regni sui anno dissensio magna contra eum in regno tumultuatur, sed diuinitùs citò sedatur. Anno Domini M.XXVI. Conradus Rex Heinricum filium suum regem facit, & ipse Romam pergens, imperialem benedictionem adeptus est. *Henricum Imp. F.* Anno Domini M.XXVII. Bruno, Augustensis Episcopus, & Welp Comes, prædas & incendia inter se conficiunt. *Welfus Comes.* Conradus Imperator Polanos, & regem eorum Misingum, magna cum virtute perdomuit, & auxiliatores eorum Bohemos, cæterosque Sclauorum populos, sub tributum misit. *Imperatoris bellum Polonie.* Herico, regi Sueonum Olaph, filius eius, successit, & alter Olaph in Nordmannia regnum post patrem suum Cracaben * obtinuit, qui Christianismi simili religionis amore floruerunt. *Res Suecica & Danica.* Separati sunt autem à rege Danorum, ideoque inter eos & Knut continuum fuit bellum, nec cessauit omnibus diebus vitæ suæ eorum, Danis pro imperio certantibus, ipsis verò pro libertate pugnantibus. Eo tempore cùm esset pax firma inter Sclauos & transalbianos, Vnvvanus Archiepiscopus Hamburg renouauit, Clerumque dispersum collegit, magnamque ibidem tam ciuium quàm fratrum multitudinem adunauit. *Vnuuanus satagit rerum suarum.* Itaque cum Duce Bernardo frequenter inhabitans locum; sæpè dimidium annum vixit in Hamburg, gloriosissimum regem Knut inuitans ad colloquium, item Sclauorum Satrapas. Vtonem & Sedericum. *Vto & Sederich Sclauorum reguli.* Accepit etiam ibidem nuncios Olaph, regis Nordmannorum, cum muneribus petentis suppliciter, vt Episcopos eius benignè susciperet, suosque ad eum transmitteret, qui rudem Nordmannorum populum in Christianitate confortarent. *Scarrane.* Ad ciuitatem autem Scarrane, in occidentali Gothia maximam, petente Christianissimo rege Sueonum Olaph, primus ab Vnvvano Archiepiscopo Turgot est ordinatus Episcopus. Qui strenuè legationem suam agens in gentibus, duos nobiles Gothorum populos Christo suo lucratus est labore. Per illum ergo Episcopum rex Sueonum Olaph ingentia Vnvvano direxit munera. Idem autem Rex duos habuit filios, quos ambos cum vxore sua ac populo baptizari præcepit. Quorum alter, qui natus est ex concubina, Emund nomen habuit, alter Amund, quem ex legitima genuit, qui cognomento fidei & genere dictus est Iacobus, qui sapientia & pietate omnes, qui fuerunt ante eum Reges, præcessit, nec quisquam eorum populo Sueonum tam acceptus fuit, sicut ille. *Emund & Amund, Sueci FF.* Tali modo Vnvvanus domi forisque clarus legationem suam in gentibus implevit. Anno Domini M.XXVIII. Ernest, Dux Alemannorum, & Welf Comes, Conrado Imperatori ad deditionem veniunt. *Welfus.* Olaph, Nordmannorum Rex, solertissimus stituitatum obseruator, cùm propter diuinam religionem, & ob gratiam Knut, Regis Danorum, à principibus suis depulsus esset à regno, & denuò bello regnum adjutorio Olaph, regis Sueonum, cuius habebat filiam, recuperasset, in ipso procinctu, in papilione dormiens, somnium vidit. Cumque superuenirent hostes, adhuc illo quiescente, Dux exercitus sui, Phin nomine, accedens Regem excitauit. Tunc ille suspirans, ó quid feci*sti*, inquit, videbam me per scalam, cuius vertex sydera tangeret, ascendisse, heu iam peruenera*m* ad schalæ illius summum, cælumque mihi apertum est ingredienti, nisi tu me suscitando reuocasses. Postquam visionem vidit Rex, circumuentus à suis, ob gratiam regis Knut, cùm non repugnaret, occiditur, & martyrio coronatur. Regnauit autem annis XII. cuius passio celebratur IV. Kal. August. Corpus verò eius in ciuitate regni sui, quæ Trondennis dicitur, requiescit. *Olaus, rex Norueg.* Et regnauit Knut in Anglia, Nordmannia, simul & Dania, quod

* Vide Adamum Brem. lib. 2. cap. 40. & 43.

Canutus, trium regnorum monarcha.

quod nulli regum prius contigit in Dania. Per idem tempus quidam ab Anglia, Wolfredus nomine, instinctu diuini amoris Suediam ingressus, paganis verbum DEI cum magna fiducia prædicauit. Qui cum multos prædicatione ad fidem Christianam conuertisset, idolum gentis, nomine Torstan, in concilio paganorum cœpit anathematizare, simulquè arrepta bipenni simulachrum in frusta concidit. Qui pro talibus ausis statim mille confossus vulneribus, animam martyrii laurea dignam transmisit in cœlum. Cui corpus barbari laniatum post multa ludibria merserunt in paludem. Eo tempore apud Magdeburg, Walthardo successit Gero, deinde Humfrid, ambo viri sancti, & Episcopali nomine digni. Anno Dominī M. XXIX. Vnvvanus Archiepiscopus obiit VI. Kalend. Februarii, Indictione XII. & sepultus est juxta prædecessorem suum à latere sinistro. Brun, Augustensis Episcopus, obiit. Poppo, celeberrimus Danorum Episcopus, obiit, cui mox subrogatus Episcopus, cùm ad Egdoram fluuium peruenisset, ibidem ægritudine correptus, obiit. Vnvvano Libentius Bremæ successit, & sedit annis ferè quatuor. Is cùm esset nepos alterius Libentii, & tunc maior domus præpositus, fauore Gisle Imperatricis ferulam suscepit à Cæsare Conrado, pallium verò à Papa Iohanne XIX. vir simplex & rectus, ac timens DEUM. Cumque omnibus esset affabilis, singulari quodam amore Clerum dilexit, inopum necessitatibus erat valde compatiens. Ipse igitur vicum trans flumen redimens ab incolis terræ precio, fratribus offerens XXX. ex eo dari per annum conuiuia, statuit. At verò xenodochii talem omnino sollicitudinem curauit habere, vt hac in parte sola negligentias omnium prædecessorum sanare videretur. Adeò redundauit Episcopatus & præpositura & xenodochium, ut vix egens quisquam inueniri posset. Sed fortè hoc incredibile videtur his, qui huius temporis egestatem vident, fortassè tunc quisquam crederet ea futura, quæ nunc facta videntur. Libentiùs itaque bonus in præpositura, multo melior in cathedra, legationem suam ad gentes feruenti animo ingressus est. Et primo omnium concilians sibi Knut, regem Danorum, in Seland Gerbrando subrogauit Auoconem, in Aldinburg ordinauit Meinherum. Turgoto autem successorem posuit de Ramsola Godeschalcum Episcopum. Illis namque diebus beatissimus Turgot Episcopus, pro labore prædicationis Bremæ cum Archiepiscopo diutius consistens, asperrimo lepræ morbo percussus, diem vocationis suæ cum magna expectauit patientia, tandemque bono consummatus fine, in sancti Petri tumulatus est basilica, ubi & Foliquardus, & Harich, & magnus Odincarus, & Poppo in pace quiescunt. Aderant tunc cum Archiepiscopo prædicatores inclyti, Odinkarus iunior, Sigafrid à Suedia, Rodulf à Nordmannia Episcopus, narrantes ei, quanta fecerit Dominus in salute gentium, qui quotidiè conuertebantur ad Dominum. Quos Libentius, vt par fuit, honorificè dimissos, ad prædicationem denuò misit. Anno Domini M. XXX. Conradus Imperator Stephanum, Pannoniæ regem, cum exercitu petit. Interea in Alemannia Ernest Dux, & Wernerus Comes, cum aliis multis occiduntur XVI. Kalend. Septembris. Anno Domini M. XXXI. Stephanus rex per legatos cum Imperatore pacificatur. Anno Domini M. XXXII. Rodulfus, Rex Burgundiæ, moriens diadema suum Conrado Imperatori misit. Eo tempore virtute regis Knut, & Bernardi Ducis, pax firma trans Albiam erat, & Libentius crebrò Hamburg visitabat. Cæsar autem Winulos bello domuerat, quorum principes Gneus & Anatrog Pagani erant, Vto verò III. filius Mistivvoi malè Christianus. Vnde & pro crudelitate sua à quodam Saxonum transfuga interfectus est, filium habens Godeschalcum, qui per idem tempus apud Luniburg, monasterium Ducis, liberalibus eruditebatur studiis. Godeschalco, Gothorum Episcopo, eiusdem cœnobii curam habente. Verùm is comperta morte parentis, ita furore commotus est, vt

Wolfredi Angli martyrium.

Funera & successiones Antistitū.

Libentius, Archiepisc. Brem.

Eiusdem encomium.

Curatio doctrina.

Turgotus.

Episcopi Sueciæ & Norwegiæ.

Imperatoris bellum Vngarici.

Res secundæ.

Reguli Slauorum.

Godeschalcus.

vt reiectis cum fide litteris, arma corriperet, amneque transmisso, Winulis se DEI inimicis coniungeret. Quorum fretus auxilio Christianos impugnans, multa millia Saxonum in patris vindictam prostrauit. Hunc tandem quasi latronum principem Bernardus Dux capiens, in custodia tenuit, virumque arbitrans fortissimum, juncto secum fœdere, dimisit eum. Qui veniens ad Knut regem, profectus est cum eo in Angliam, & ibi mansit multo tempore. Interea Libentius piis operibus semper intentus Ecclesiam suam episcopaliter exordinauit, & filios Ecclesiæ pastoraliter educans, omnibus erat acceptus, etiam quod difficile est, Principibus. Suo ergo tempore Bernardus Dux, & frater eius Theothmarus, exhortante piissima Emma, quæ Ecclesiam valde dilexit, Bremensi Ecclesiæ multa bona fecerunt, suumque thesaurum DEO & genetrici eius, sanctoque Willehado confessori, eadem Emma ferè totum obtulit. Eodem anno Libentius ægrescens in festiuitate sancti Bartholomæi duas celebrauit Missas, finitoque pro more psalterio, eadem die gaudens migrauit ad Dominum. Cuius obitus contigit Indictione *XIII. IIX.* Kalend. Septemb. anno Domini *M. XXXII.* Isti successit Herimannus, & sedit annis vix tribus. Ferulam suscepit à Cæsare Conrado, pallium à Papa iuniore Benedicto. Ab Haluerstadensi choro electus, eiusdem ecclesiæ præpositus fuit, vir miræ simplicitatis, sed parum habens prudentiæ serpentis, ideoque facilè decipiebatur à clientibus. Rarò parochiam visitauit, semel Hamburg accessit, & tunc cum exercitu veniens, Episcopatum quasi non suum despoliauit, abiensque velut terram salsuginis dereliquit. Rapacitatis incentor, & auctor consiliorum, quidam Macco fuit, Archiepiscopi Vice Dominus. Cæterùm nobiles viros habuit capellanos, Theodericum, Suidgerum. Iste Suidger ex Babergensi Episcopatu, assumptus est in sedem Apostolicam, reiectis ex ordine tribus Schismaticis, dictusquè est Clemens. Subdiaconus autem Archiepiscopi erat Albertus, postea Bremensis Archiepiscopus, jam tunc minax vultu & habitu, verborumquè altitudinè audientibus suspectus. Herimannus ergo parui pendens omnia, quæ in Episcopatu inuenit, primo quidem musicum Guidonem Bremam adduxit, cuius industria melodiam & claustralem disciplinam correxit. Quod solùm ex eius prosperè cessit operibus. Deinde antiquissimum sancti Michaëlis oratorium diruens, corpora trium prædecessorum eius, Adaldagi, Hogeri & Reinvvardi, ab eo loco sustulit, & recondidit in maiori basilica sub ipso tribunali. Anno Domini *M. XXXIII.* Conradus Imperator in hyeme Burgundiam petit. Eclipsis solis facta est III. Kalend. Julii, hora VI. Anno Domini *M. XXXIV.* Imperator Franciam petit contra Vtonem, item Burgundiam vastat. Anno Domini *M XXXV.* Wirbina, castellum in confinio Saxoniæ positum, pagani, qui & Luitici dicuntur, obtinent, multis ex Christianis occisis & captis. Quos Imperator cum exercitu petit. Herimannus Archiepiscopus, magnum ingressurus opus, murum ciuitati Bremensi circumdare voluit, vixque iactis fundamentis, cum opere vitam finiuit IV. Kalend. Octobris, corpusque eius subterratum est in medio chori, eique successit Bezelinus, cognomento Alabrandus, & sedit annis X. Iste assumptus est ex Ecclesia Coloniensi, vir omni bonorum genere decoratus, Episcopali dignus officio, dilectusquè DEO & hominibus, ipsique Conradus Imperator baculum obtulit, & Benedictus Papa pallium misit; Ordinatus autem est à suffraganeis & aliis VII. Saxoniæ Episcopis in vrbe Hamburg cum ingenti gloria. Hic ergo cum omnibus esset talis, qualem singuli desiderabant, singularem curam & amorem super Clericos habuit, de quibus nec tolerare poterat, vt cuiquam malum diceretur verbum. Nam & claustrum renouauit, & Canonicis mensam primus instituit. Prius enim cum præbenda ferè tenuis videretur, *XXX.* conuiuia, quæ Libentius Episcopus dari per annum constituit, adiectis ex sua parte quibusdam decimis, ita ordinauit,

Bernardus dux Sax.

Theothmarus frater.

Mors Libentij. Hermannus successor.

Macco μηχανόῤῥαφος κακών.

Suidgerus.

Alberti tirocinium.

Guido Musicus.

Eclipsis Solis.

Luitici Slaui grassantur.

Bezelinus Archiepis. amor & delicia suorum.

Lautitia Canonicorum.

dinauit, ut albus detur fratribus panis vltra ſolitam annonam quotidiè, in dominicis verò diebus duplex mellitæ copia. Nam & vinum dari fratribus contra naturam Saxoniæ diſpoſuit, quod & in diebus ſuis peregit. Compoſita igitur menſa, manum vertit ad clauſtrum, quod dum prius eſſet ligneum, lapideum fecit forma vt mos eſt quadrata, vario cellarum ordine diſtinctum, & viſu delectabile. Deinde murum ciuitatis, à prædeceſſore ſuo Herimanno orſum, in giro conſtruens, aliquibus in locis eum vſque ad propugnacula erexit: aliâs quinque aut VII. cubitorum altitudine ſemiperfectum dimiſit. Cui etiam ab occaſu porta grandis inhæſit, ſuperquè portam firmiſſima turris Italico munita opere, & VII. ornata cameris ad diuerſam oppidi neceſſitatem.

Murus Brem.

q *Hos alio nomine Wilzos dici, quo etiam auctor noſter ſuprà vſus eſt, docet Adamus Brem. lib. 2. cap. 12.*

Anno Domini XXXVI. Conradus Imperator filiam regis Knut Heinrico filio ſuo accepit in matrimonium. Et regio ſtatim faſtu Italiam ingreſſus, Knut regem itineris ſui homines comitem, potentia trium regnorum barbaris gentibus valde terribilem, regno fecit juſticiam. Knut autem cùm tres haberet filios, ſingulos ſuper ſingula regna poſuit, ipſe aliquando viſitans Danos, aliquando verò Nordmannos, ſæpiſſimè autem ſedit in Anglia. Luitici tributarii facti ſunt Imperatori. Piligrinus, Colonienſis Archiepiſcopus, moritur, pro quo Herimannus ordinatur. Anno Domini M. XXXII. Conradus Imperator Italiam cum exercitu petit, & Mediolanenſem Epiſcopum in cuſtodiam mittit, qui fuga elapſus, Imperatori rebellat. Vto, princeps Karolingorum, * à Gazilone, Lothariorum Duce, pugna victus, fugiensque à quodam milite occiditur. Eodem tempore Bezelinus dum prædicta Bremæ operis inſignia relinqueret, mox ad Hamburgenſis eccleſiæ ædificationem toto cordis amore accingitur. Ibi enim poſt cladem Sclauanicam, quam ſuprà contigiſſe retulimus, Vnvvanus Archiepiſcopus, & cum eo Dux Bernardus, clauſtrum nobile de ruinis antiquæ ciuitatis eleuantes, eccleſiam & diuerſoria omnia conſtruxerunt lignea. Bezelinus verò Pontifex aduerſus Sclauorum arbitratus, primus omnium eccleſiam, quæ conſtructa erat in matris Dei honore, lapide quadrato ædificauit. Aliam deinde ſibi domum fecit lapideam, turribus & propugnaculis valde munitam. Cuius æmulationis operis Dux prouocatus, & ipſe domum in eodem loco parauit.

Imperatoris cum Dano affinitas.

Luitici repreſſi.

Imperatoris expeditio Italica.

Bezelini Archiepiſc. extructiones.

* *Francos occidentales dicit à Carolo Calvo ſic denominatos, & à Lotharii Lotharingos. Vide de hac hiſtoria Sigebertum ad ann. 1033. & ſeq. 3. Schafnaburg. ad ann. 1033. & 1037.*

Anno Domini *M.XXXIIX.* Stephanus, Vngariorum rex religioſus, obiit. Anno Domini *M.XXXIX.* Cunigunt Imperatrix, mater pauperum, migrauit ad Chriſtum V. Non. Martii. Hermannus, Dux Alemannorum, filius Gislæ Imperatricis, obiit. Eodem tempore Bezelinus pro legatione, ſibi ad gentes credita, amore prædeceſſorum ſuorum, ſollicitus, coadiutores prædicationis ſuæ ordinauit Epiſcopos, Rodulfum ex Capellanis ſuis in Sliaſwig, Abellinum in Slauaniam, Wal à Bremenſi choro in Ripam. Trans Albiam ſuo tempore, ac per totum regnum, pax firma erat. Principes Sclauorum Anatrous, & Gneus, & Ratibor, pacificè ad Hamburg venientes, Duci ac præſuli militabant. Sed cùm diuerſo modo in gente Winulorum Dux & Epiſcopus laborarent, dux ſcilicet pro tributo, Pontifex verò pro Chriſtianitate augenda, jam dudum ſacerdotum ſtudio Chriſtiana ibidem religio convaluiſſet, ſi conuerſionem gentis auaricia Principum non præpediret. Eodem tempore Herimannus, nobiliſſimus Colonienſis Archiepiſcopus, vere

Mors Stephani Regis. Cunegundæ Aug. Hermanni Ducis.

Epiſcopi à Bezelino lecti.

Auaritia religionis remora.

rem de Brema querimoniam renouauit. Sed & ipse tam auctoritate Bezelini, quàm triennali silentio repulsus, Archiepiscopo satisfecit, & per integrum mensem cum secum Coloniæ habuit in conuiuio. Anno Bezelini sexto Conradus obiit II. Idus Junii, & sepultus est Spiræ. Reginboldus, Spirensis Episcopus, obiit III. Idus Octobris. Anno eodem Eclipsis Solis facta est XI. Kalend. Septembris. Anno Domini M.XL. Heinricus tertius, Conradi Imperatoris filius, jam dudum patre viuente Rex constitutus, LXXXVI. ab Augusto, regnauit annis XVII. Euerhardus primus, Bauenbergensis Episcopus, obiit. Anno Domini M.XLI. Heinricus Rex Ducem Boëmiæ, Vratislaum, bello petiit. Sed multis proceribus & militibus in præstructione syluæ occisis, vel captis, nil memoria dignum efficere potuit. Petrus quoque Vngariorum Dux eidem Duci contra Regem auxilia misit. Anno Domini M.XLII. Vngarii quendam Ouonem sibi Regem fecerunt, & Petrum regem suum expulerunt. Qui profugus & exul Heinrici regis, cui priori anno rebellauit, gratiam quærit, & inuenit. Heinricus Rex Boëmiam ingressus, igne, prædaque cuncta deuastat, & rebellem Ducem obsides dare ipsumque post se Ratisbonam ad deditionem humilimam venire, sibique jureiurando fidelitatem ac seruitium confirmare coartat. Ouo, Rex Vngariorum, ob susceptum à Rege Heinrico Petrum, à se expulsum, fines Bavvariæ prædis depopulatur. Sed Magna pars exercitus eius ab Albertone Marchione deletur. Illo tempore Suein, * Nordmannorum Rex, dum in Angliam iter ageret, maritima Hatheleriæ nauibus appulit. Quem proxima quæque locorum more piratico vastantem, milites quidam Bezelini Archiepiscopi capiunt, & in præsentiam eius pertrahunt. Ille verò captiuum cum honore recipiens Bremam duxit, & juncta secum amicitia, post dies aliquot regiè donatum permisit abire. Qui reuersus in patriam, retulit suis de regio Pontificis apparatu, & thesauro Ecclesiæ inæstimabili, summa laude prædicans illum, forma corporis & liberalitate animi omnibus acceptum. Pro hac enim à Duce Bernardo, ac eius germano Dietmaro, valde honoratus est. Solis inuisus erat malefactoribus, sicut Vtoni Marchioni, cuius superbiam sua confudit magnanimitate. Ipso tempore Ascomanni & piratæ per ostium Wirrahæ progressi, vsque ad Lismonam venerunt, insperatè omnia vastantes. Quibus inde ad naues redeuntibus bellum ad locum, qui Anno dicitur, illatum est, ibique maxima pars eorum trucidata est. Eodem tempore filius Olaph martyris, Magnus nomine, regnauit in Dania simul & in Norvvegia. Ad quem Bezelinus vsquè ad Sliasvvig pro colloquio venit, habens in comitatu suo Ducem Bernardum, & Thiatmarum, Hildensemensem Episcopum, & Rodulfum eiusdem ciuitatis Sliasvvig Episcopum. In quo colloquio soror Magni regis, Ordulfo, filio Ducis, desponsatur. Qui vix peractis nuptiis, in gratiam cognati quendam Haroldum Danorum principem, redeuntem ab Apostolorum liminibus, trans Albiam obtruncauit innoxium. Ea res initium calamitatis peperit in familiam Ducis. Interea Ratibor, Sclauorum Dux, interfectus est à Danis, qui Christianus vir magnæ inter barbaros erat potestatis. Habuit enim IIX. filios, Sclauorum Principes, qui omnes occisi sunt à Danis, dum patrem vlcisci quæsiuerunt. Ad cuius mortem vlciscendam cum magno exercitu Winuli venientes, vsque ad Ripam vastando progressi sunt. Eo tempore Magnus rex à Nordmannia rediens, * Heidabam appulit. Qui Danorum copiis vndique collectis, egredientes à Dania Winulos in campestribus Heidabæ excepit, & XV. millibus occisis, facta est pax & læticia Danis omni tempore Magni. Eodem etiam tempore Godeschalcus post regis Knut mortem, & filiorum eius, rediens ab Anglia, contra Sclauaniam venit infessus, omnes impugnans, magnumque Paganis terrorem incutiens. Et hæc quidem dum varia sorte sunt gesta, in Bremis status rerum labefactati cœpit.

More Conradi II.

HENRICVS III. Imp.

Eiusdem bellum Boiém.

Motus Vngarici.

Dux Boiém. debellatus.

** junior videlicet, natus sorore Caauti Magni. Vide Adamum Brem. lib. 2. cap. 54. & seq.*

Sueno Rex captiuus tractatur βασιλικῶς.

Vdo Marchio.

Piratæ repressi.

Magni R. colloquium cum Bezelino.

Affinitas cum Ordulfo.

** Slesuuig quæ nunc Hedheby, vt Adamus Brem. lib. 1 cap. 48.*

Victoria de Slauis.

Godeschalcus regulus.

In

Mort Emmæ Comitissæ. In diebus illis nobilissima senatrix Emma obiit, vxor quondam Liudgeri Comitis, & soror Meginvverki, Episcopi Padaburnensis, sed vidua jam per annos XL. quæ ingentem thesaurum, quem habuit, totum ferè pauperibus & Ecclesiis dispersit, cuius corpus Bremæ quiescit. Quæ dum adhuc viueret, Bremensi Ecclesiæ curtem Stiplaga juxta Rhenum dedit, Lismonia verò in partem cessit Imperatoris, pro qua Gisla regina eo tempore Bremam accedens, fratribus multa bona & Ecclesiæ fecit, & omnibus indigenis, deinde Lismonam cum Archiepiscopo visitauit. Anno Archiepiscopi penultimo domus

Brema conflagratio. sancti Petri Bremæ conflagrauit. Eiusdem flamma incendii claustrum cum officinis, vrbem cum ædificiis totam consumpsit, veteris quoque habitaculi nullum remansit vestigium. Ibi sacer thesaurus Ecclesiæ, ibi libri & vestes, ibi omnia ornamenta consumpta sunt. Ex illo tempore fratribus, qui antea Canonicè vixerant, extra claùstrum vagantibus, regula sanctorum patrum, per multa prius secula studiosè conseruata, primò negligentius haberi cæpit, deinde funditus abjecta consenuit. Et sunt ab ordinatione sancti Willehadi, cùm Bremensis Ecclesia fundata est, vsque ad finem Bezelini quando eadem ecclesia combusta est, anni ferè CC. LXX. Combusta est autem III. Idus Septemb. Eodem tempore Archiepiscopus in Fresia iter egit.

Bezelinus nouæ sanè fundamenta jacit. Qui conflagratione ecclesiæ audita, mox pedem retorsit, jactisque sequenti æstate fundamentis, ad formam Colonienſis ecclesiæ disposuit ipsius magnitudinem perficere. Et profectò si longiorem vitam sibi fata concessissent, omne opus ecclesiæ paucis perfecissèt annis. Tanta erat illius animositas, & in omni opere instantia, præcipuè verò in templi ædificatione. Porrò sola æstas, qua inceperat hoc opus, fundamenta ecclesiæ iacta, columnas & arcus earum, lateraque earum in alta erecta vidit. Anno Domini M. XLIII.

Agit religiosè. Transacta hyeme, cùm jam Paschalis immineret festiuitas, beatissimus Pontifex Bezelinus, qui & Alabrandus, pridie ante Dominicam cœnam, non inscius vocationis suæ, ab ecclesia Scirinbeke Bremam nudis pedibus accessit. Vbi multa oratione cum lachrymis effusa, Deo & Sanctis eius commendauit

Cedit è vita. Ecclesiam: Cumque jam febribus tangeretur, nauigio ad Buccensem delatus est præpositurum, ibique VII. superuixit diebus. Contigit autem depositio eius circa diem XVII. Kalend. Maii, Indictione XI. Corpus eius cum ingenti luctu Bremam deportatum, in medio nouæ, quam ipse tunc orsus est, basilicæ tumulatum est. Per idem tempus apud Magdaburg felicis memoriæ Hunfrid Archiepiscopus obiit, cui Engilhard, reiecto Winthero, qui Episcopatum sperauit, successit. Odinkar, Ripensis Episcopus, obiit. Heinricus rex Pannoniam ingressus, duas populosissimas ciuitates euertit, populos

Imperatoris expeditio Vngarica. deditione sibi subiecit. Albertus, Archiepiscopus Bremensis, sedit annis XXX.

Albertus Archiepiscopus Brē. Virgam pastoralem suscepit ab Heinrico Imperatore, pallium à supradicto Papa Benedicto. Ordinatio eius facta est Aquisgrani, Cæsare præsente cum

Eiusdem encomium. principibus astantibus, & XXI. Episcopis ei manum imponentibus. Ille nobilissimus genere, Haluerstadensis prius Præpositus erat, ingenio acri, memoriæ celebris, eloquentiæ singularis, forma corporis speciosus, castitatis amator, largitatis eiusmodi, vt petere haberet indignum, tardè aut humiliter acciperet, promptè verò hilariterque sæpè non petentibus largiretur. Humilitas in eo dubia videbatur, quam solis exhibuit seruis Dei, pauperibus & peregrinis, adeò vt sæpè antequam cubitum iret, XXX. & amplius mendicantibus ipse genu flexo pedes lauaret. Principibus autem seculi, & coæqualibus suis, humiliari nullo modo voluit. Anno ergo ordinationis suæ

Institutum temerariū. primo, videns basilicæ nouiter inceptæ opus immensum vires quærere maximas, nimis præcipiti vsus consilio, statim murum ciuitatis, à prædecessoribus suis orsum, & quasi minus necessarium, destrui fecit, lapidesque in templo jussit poni. Tunc & turris speciosa, quæ septem cameris ornata fuerat, fundi-

funditus diruta est. Clauſtrum quoque, quod lapide polito conſtructum pulchritudine ſua viſus contuentium refecit, absque mora diſſipari præcepit, quaſi aliud pulchrius citò facturus. Cogitauit enim, vt ipſe fratribus ſciſcitantibus de ea re aperuit, refectorium, dormitorium, cellarium, & cæteras fratrum officinas per omnia ex lapide facere, ſi locus aut otium ſuppeditarent. Ad quæ omnia cùm ſibi cuncta ad manus fore gloriaretur, ſolam clericorum & lapidum penuriam ſæpè querebatur. Interea feruet opus, ſurgit eccleſiæ murus, cuius formam ante Alabrandus ad inſtar Colonienſis incepit. Ipſe verò ad exemplum Beneuentanæ domus cogitauit perducere. Gisla Imperatrix obiit XVI. Kalend. Martii, & ſepelitur Spiræ. *Mors Giſela Aug.* Anno Domini M. XLIV. Heinricus rex Pannoniam inuadens, ſatisfactionem & obſides, ac munera, paciſque confirmationem per jusiurandum accipiens, diſceſſit, indeque reuerſus Synodo Conſtantienſi affuit, vbi cunctis in ſe delinquentibus debita dimiſit, omnibusque inimicitiis deſtructis pacem hactenus inauditam tam in tota Sueuia, quàm in aliis regni ſui prouinciis per edictum regiæ cenſuræ confirmauit. *Imperatorvs iterata in Vngaros expeditio.* Deinde Agnetem, Wilhelmi, Pictauienſis Principis, filiam apud Mogontiam vngi faciens in Reginam, regalibus ſibi nuptiis apud Inglenheim copulauit, vnde infinitam hiſtrionum atque joculatorum multitudinem non ſolùm muneribus, ſed etiam cibo potuque vacuam, & merentem, abire permiſit. Peſtis pecudum maxima, hyemsque dura & niuoſa. *Edictum de pace. Nuptiæ.*

cap. 21. ¶ *Nimirum exemplo non diſſimili, quod de Alexandro M. memoriæ prodidit Quintilianus lib. 2.*

Anno Domini M XLV. Heinricus Rex tertiò Pannoniam ingreſſus, Ouonem cum vxore & filiis à regno effugauit, Petrum in regnum reſtituit, ſubditoque ſibi Vngariorum regno, cum honore ſummo reuertitur. *Ouo Tyrannus.* Godefridus, Dux Lotharingorum, Heinrico regi rebellans, ad deditionem coactus, in caſtello Gibichenſtein vſque ad dignam ſatisfactionem cuſtodiæ mancipatur. *Godefridus Dux perduellis.* Anno Domini M. XLVI. Heinricus rex Italiam ingreſſus, à Romanis pacificè ſuſcipitur, Papas tres, qui pro Apoſtolica ſede certauerant, Benedictum, Gratianum & Sylueſtrum, ſynodaliter depoſuit, & Suidgerum, Bauenbergenſis Eccleſiæ ſecundum Epiſcopum, Papam conſtituit, à quo ipſe & vxor eius Agnes in ſancto Dominici natalis die Imperiali benedictione ſublimantur. *Papatus triceps. Imperatorvm inauguratio.* Huic Synodo interfuit Albertus, Archiepiſcopus, ad cuius petitionem Suidgerus Papa, qui & Clemens, renouauit Eccleſiæ Bremenſi & Hamburgenſi priuilegia omnia, quæ dudum à Romana ſede conceſſa ſunt. Imperatrix verò Agnes inde reuerſa, apud Rauennam genuit filiam. Imperator autem per Apuliam, multasque prouincias, feliciter ducens exercitum, cum honore magno reuertitur. *Succeſſus.* Clemens Papa deceſſit VII. Idus Octobris, cui Poppo, Patriarcha Aquileienſis, ſucceſſit. Anno Domini M. XLVII. Petrus, Vngariorum Rex, à quodam Tyranno Pannonico captus, & cæcatus eſt, ille verò qui eum expulerat, regnare cœpit. *Petrus, rex Vngar. exoculatus.* Anno Domini M. XLIIX. Poppo Papa obiit, pro quo Brun, qui & Leo, Tullenſium Epiſcopus, Papa ordinatur. Anno Domini M. XLIX. qui eſt Alberti Bremenſis Archiepiſcopi VII. incæpti operis in Brema moles eſt à fronte leuata, ac principale ſanctuarii altare in honore ſanctæ Mariæ eſt dedicatum. Nam ſecundum, in occidentali apſide conſecratum altare, in honore ſancti Petri diſpoſuit, ſub cuius vocatione legitur antiqua baſilica fuiſſe extructa. Emergentibus itaque multis Archiepiſcopo anguſtiis, opus imperfectum vſque ad XXIV. Pontificii eius annum permanſit. Et tunc demum templi parietes dealbabantur, occidentalisque crypta ſancto Andreæ dedicata eſt. Et quoniam Pontifex vidit Eccleſiam, Epiſcopatumque ſuum, quem prædeceſſoris ſui Adaldagi prudentia liberauerat, iniqua Ducum potentia iterum vexari, ſummo niſu reddere conatus eſt eandem Eccleſiam priſtinæ *Baſilica Brem.*

Alberti Archiepisc. ambitio.

libertati, ita vt nec Dux, nec Comes, nec aliqua judicialis persona aliquam jurisdictionem aut potestatem in suo haberet Episcopatu. Quod nisi per odium fieri nequiuit, dum correpti pro nequicia Principes ad iram magis accenderentur. Bernardus enim Dux cum pro nobilitate sua ac sapientia suspectum haberet Pontificem, sæpè fertur dixisse, eum quasi exploratorem positum in has regiones, qui infirma terræ alienigenis & Cæsari esset proditurus. Ideoque dum ipse aut aliquis filiorum eius aduixerit Episcopum nunquam in Episcopatu diem bonum habiturum. Quod in Episcopi pectus altius, quàm quisquam ratus erat, descendit. Itaque ex eo tempore ira & metu anxius moliri, atque in animo habere cœpit ea, quæ Duci & suis profutura non essent. Dissimulatoquè ad tempus animi dolore, cùm alia via consilium non inueniret, totus ad auxilium Palatii confugit, nec sibi, nec suis, nec Ecclesiæ pepercit, Cæsarem & alios suos aulicos placando, dummodo id efficeret, quo Ecclesia posset liberari. proinde tantos in curia labores tolerauit, tantisque vbique terrarum expeditionibus cum suis sponte desudauit, vt infatigabilem eius constantiam miratus Cæsar, ad omnia Reipublicæ consilia eum habere primum maluerit. Expeditiones verò eius, quas in Vngariam, Sclauaniam, Italiam & Flandriam cum Cæsare fecit, multæ erant, quæ singulæ magnis Episcopii sumtibus, multisque familiarum oppressionibus, exigebantur. Anno Domini M.L. Albertus Archiepiscopus Imperatorem ab Italia reuertentem Bremam vocauit, occasione data, quasi Lisimonam visere deberet, vel regem Danorum ad colloquium inuitare, sed reuera vt Ducum fidem exploraret. Imperator autem Bremæ regio, vt decuit, apparatu receptus, curtem, quæ Balgardicitur, fratribus obtulit, Ecclesiæ verò Comitatum Fresiæ concessit. Inde Lismonam veniens, per insidias à Ditmaro Comite circumuentus est, sed Archiepiscopi studio defensus. Quare idem Comes à Cæsare in jus vocatus, cùm se duello expurgare mallet, a satellite suo est interfectus. Cuius mortem germanus eius Dux, filiique illius, zelantes in Archiepiscopum, ex eo tempore ipsum & Ecclesiam, Ecclesiæque familiam lethali prosecuti sunt odio. Cumque pax ficta interdum vtrasque conciliasse videretur partes, nihilominus tamen illi, qui Ducem sequebantur, antiqui memores odii, quod patres eorum in Ecclesiam exercuerunt, ipsam inquietare & impugnare non cessabant, affligentes omnibus modis. Archiepiscopus autem econtra bonis cedens studiis, & beneficiis redimens tempus, quoniam dies mali erant, pacem cum Ducibus fecit. Deinde verò sollicitudinem gerens parochiæ, aliquod magnum dignumque cogitauit vbique nobilitatis suæ monumentum relinquere. Igitur magnis animi & sumtuum conatibus pugnans, vt Bremam cæteris coæquaret vrbibus, statim ex bonis, quæ ipse acquisiuit, duas fecit Præposituras, vnam sancto Willehado, vbi corpus eius aut requiescit, aut translatum est, alteram sancto Stephano, cuius se famulum multoties gloriabatur. Has duas constituit à principio, verumetiam alias postea fecit, hoc est in Bremis tertiam sancto Paulo, de bonis, quæ hospitali pertinebant Liudmonæ; quartam de prædio eiusdem curtis: quintam voluit fieri apud Stache: sextam verò trans Albiam in Sullenberg: septimam quoque incepit in Aspice, qui locus in Mindensi parochia est syluestris & montuosus. Odalia est Abbatia Gozzicana juxta Salam fluuium, quæ fundata est à parentibus Archiepiscopi. Alia etiam plurima diuersis locis inchoauit opera, quorum pleraque ipso adhuc viuente defecerunt, & Reipublicæ negotiis intento, sicut illa domus lapidea, quæ in Aspice ipso præsente subito casu lapsa corruit. Cætera verò ex raptu vel negligentia præpositorum dissipata probantur, in quos comperta fraude atrociter aliquando vltus est Archiepiscopus. Et res quidem domesticæ à principio ab illo benè & laudabiliter prouisæ sunt. Hoc autem foris pro legatione gentium egit. Statim vt ingressus est Episcopatum ad

Suspecta industria.

Vindicta cupiditas.

Laborum tolerantia.

Imperator appellit Bremam.

Anquirit Ditmarum Com. majestatu.

Albertus Archiepisc. seruit tempori.

Amplificat vem Ecclesiasticam.

Satagit munero sui.

ad reges Aquilonis pro Amicitia legatos misit. Epistolas quoque commonitorias per omnem sparsit Daniam, siue Nordmanniam, ac Suediam, & vsque in fines terræ, exhortans Episcopos & Presbyteros, in illis partibus degentes, vt Ecclesias Domini nostri Jesu Christi fideliter custodirent, atque ad conversionem paganorum intrepidi accederent. Eo tempore cùm Rex juuenis Suein tria pro libitu suo regna, Danorum videlicet, Normannorum & Anglorum teneret, mox succedentibus prosperis, regis cœlestis est oblitus; quia consanguineam suam à Suedia duxit vxorem. Quod dum Alberto Archiepiscopo valdè displiceret, furentem Regem, missis ad eum legatis, de scelere tanto terribiliter increpauit; postremò ni resipisceret, excommunicationis gladio feriendum esse minatus est. Tunc ille in furorem conuersus, omnem Hamburgensem parochiam vastare & exscindere minabatur. Ad quas minas interritus Archiepiscopus, arguens & obsecrans, perstitit immobiliter, donec tandem per litteras Papæ Danorum Tyrannus flexus, libellum repudii dedit consobrinæ. Anno Domini M.LI. Jacobus, Sueonum rex Christianissimus, obiit, & successit ei frater eius Emund, Gamul pessimus. Nam iste à concubina Olaph natus erat & cùm baptizatus esset, non multum de Christiana religione curauit. Habuitque secum Episcopum, nomine Osmund Acephalum, quem dudum Sigafridus, Nordmannorum Episcopus, Bremæ scholis docendum commendauit. Quo egresso Bremense claustrum, regula, disciplina fratrum, & concordia defecit, Acephalis omnia turbantibus. Verùm is postea beneficiorum oblitus, Romam pro ordinatione accessit, indeque repulsus, per multa loca circumiuit erroneus, & sic demum meruit à quodam Poloniæ ordinari Archiepiscopo. Qui veniens in Suediam, jactauit se à Papa consecratum ad illas partes Archiepiscopum. Sed cùm Albertus Archiepiscopus legatos suos ad regem dirigeret Emundum, inuenerunt ibi eundem gyrouagum Osmund, crucem Archiepiscopali more ante se ferentem. Audierunt etiam, quòd barbaros adhuc neophytos non sana doctrina fidei Christianæ corruperit. Quorum ille territus præsentia, solitis Regem populumque dolis impulit, vt legati repellerentur, quasi Apostolici non habentes sigillum. Erant autem legati fratres Bremensis Ecclesiæ, quorum potissimus fuit Adalvvardus, Bremensis clastri Decanus, verùm tunc Sueonum genti ordinatus Episcopus. Hos igitur à Sueonibus taliter expulsos, quidam Regis nepos, nomine Steinkeil, prosecutus suppliciter se commendauit orationibus eorum. Iste namque solus super fratres misericordia motus, obtulit eis munera, transmisitque eos per montana Suedorum saluos, vsque ad sanctissimam Gude reginam, quæ à rege Danorum pro consanguinitate separata, in prædiis suis trans Daniam commorabatur, hospitalitati eleemosynisque vacans, & cæteris sanctitatis insistens operibus. Quæ legatos cum ingenti honore, quasi à Deo missos, recipiens, magna per eos xenia Archiepiscopo misit. Interea Sueones, qui Episcopum suum repulerant, diuina vltio subsecuta est. Et primò quidem filius Regis, nomine Amund, à patre missus, vt dilataret imperium, cùm ad Amazonas peruenisset, veneno, quod illæ fontibus immiscuerunt, tam ipse quam exercitus eius perierunt. Deinde cum aliis cladibus tanta siccitas & frugum sterilitas Sueones afflixit, vt missis ad Archiepiscopum legatis, Episcopum suum cum satisfactione reposcerent, fidem gentis pollicentes. Gauisus ergo Pontifex, petenti gregi Adalvvardum præfecit pastorem. Qui perueniens in Sueoniam, tanta omnium acceptus est alacritate, vt gentem Wirnilanorum & Scritifingorum integram Christo lucratus, etiam minuscula virtutum in populo fecerit. Eodem tempore mortuus est Amund, Rex Sueonum: post quem Steinkil, nepos eius, leuatur in regnum, qui fidelis erat Domino Jesu Christo. Adalvvardus Episcopus à rege Haroldo inuitatus venit in Nordmanniam, ibique corpus cuiusdam viri, qui ante annos LX.

Sueno trium regnorum monarcha.

Emund Rex, successor Iacobi.

Osmund Acephalo-pisueonos.

Steinkeil.

Gude regina repudiata.

Amund, Emundi F. Amazones

Adalwardus Episcopus.

Steinkil, successor Amundi.

defunctus est, nec omnino putrescere potuit, facta absolutione reconciliationis, mox in puluerem redegit. Erat enim ille homo quondam à Libentio Archiepiscopo propter piraticam excursionem excommunicatus, sicut ipsi Adalvvardo per visionem reuelatum est. Synodus generalis habita est apud Moguntiam, præsidente Domino Leone Apostolico, & Heinrico Imperatore, cum Episcopis Bardone Moguntino, Euerhardo Treuirensi, Hermanno Colon. Alberto Bremensi, Engelardo Magdaburgensi, cæterisque Prouinciarum sacerdotibus. In qua quidam Spirensis Episcopus, Sibico, cui adulterii crimen intendebatur, examinatione sacrificii purgatus est. Præterea multa ibidem sancita sunt in vtilitatem Ecclesiæ, præ quibus Simoniaca hæresis, & nefanda sacerdotum coniugia holographa Synodi manu perpetuò damnata sunt. Albertus Archiepiscopus eo tempore, quo tam clari in Ecclesia homines fuerunt, sapientiæ ac virtutum merito ferè omnes præcelluit. Tantus itaque apud Papam, tantus apud Cæsarem habebatur, vt de rebus publicis absque eius consilio nihil ageretur. Quapropter nec in procinctu belli, vbi vix locum habet Clericus, Imperator illum sibi deesse voluit, cuius inexpugnabile consilium sæpè ad euincendos expertus est inimicos. Eodem tempore Cæsar Heinricus ingentibus diuitiis regni vtens, in Saxonia Goslariam fundauit, quam de paruo, vt dicitur, molendino, vel tugurio formans venatorio, in tam magnam, sicut nunc videri potest, ciuitatem bono auspicio, & celeriter perduxit. In qua etiam sibi construens palatium, duas omnipotenti Deo congregationes instituit, vnam ex his donans regendam tenendamque Pontifici, eo quòd illi indiuiduus comes, vel cooperator, in omnibus existeret. Tunc etiam sibi data est spes acquirendi vel accipiendi Comitatus, & Abbatias, vel prædia, quæ magno deinceps Ecclesiæ periculo mercata est Bremensis Ecclesia, vt puta cœnobia Lauresse, vel Corbeiæ, Comitatus autem Bernardi & Ekberti, prædia verò Syncicum, Plisna, Gromingor, Dispergum & Listmona. Quibus jam dubia fide possessis, arbitrabatur Archiepiscopus, se aut per mare ambulaturum, aut per terram nauigaturum, postremò omnia, quæ in animo habuit, facilè perfecturum, præsertim eo fultus amminiculo, quod potentissimus Papa Leo, pro corrigendis Ecclesiæ necessitatibus, venit in Germaniam, quem sciret sibi pro veteri amicitia nil negaturum, quod jure cuipiam præstari deberet. Anno Domini M.LII. Imperator Pannoniam petit, & macte redit, habuitque secum in comitatu Leonem, Apostolicæ sedis Præsulem. Qui Papa veniens Ratisbonam, reliquias Beati Dionysii Martyris, de quibus diu dubitatum est, an ibi haberentur, præsentibus Parisiorum legatis prospexit, ibique teneri probavit. Sanctum quoque Wolfgangum, eiusdem vrbis Episcopum, de tumulo leuauit, indeque Bauenberg cum Imperatore transiens, priuilegia eiusdem loci, qui sibi postea successit, perspici, & coram Imperatore, populoque pronunciari mandauit, suaque auctoritate illa confirmauit. Anno Domini M.LIII. Apostolico & Imperatore natalem Dominicum diuino & regio cultu Wormatiæ agentibus Missarum celebratione in sancta die peracta, vt oportuit Apostolico, in sequenti die Luitboldum, Mogontinæ sedis Archiepiscopum, nepote in sua diœcesi præcipuúm, subrogauit officio. Qui peracta processione, & vbi ad hoc ventum est, dicta oratione, postquam se in sua sede locauit, quidam ex Diaconis, Humbertus nomine, sicut multi ob illius festi venerationem solent, lectionem decantauit. Quod quidam ex Romanis Papæ assistentibus, vituperantes, & contra Papam, quasi Romano more non ageretur, obiurgantes, persuaserunt ei, vt ad eundem Diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cùm ille juvenum more contemneret, iterum Papa mittendo interdixit. Sed mox ille eadem vocis sonoritate, qua prius cantauit, legendo decenter, lectionem vsque ad finem perduxit. Qua finita Papa ad se illum vocauit & quasi pro inobedientiæ contumacia degradauit.

Synodus Mogunt.

Inter dictũ de Ecclesiasticorum matrimoniis, id est portentum in vltimas terras exportandũ.

Alberti Archiepis. auctoritas.

Goslaria condita.

Possessiones Ecclesiæ Brem. acquisitæ.

Leo Papa petit Germaniam.

Facit fidẽ reliquiis Dionysii.

Wolfgangũ Episc. ascribit Diuorum albo.

Luitboldus Archiepis. Mogunt.

Archie-

Archiepiſcopus ergo miſit ad Papam, vt ſuum ſibi redderet miniſtrum. Quod vbi Papa abnuit, Pontifex, vt erat antiquæ diſciplinæ, licèt ægrè, patienter tamen interim tacendo ſuſtinuit. Perlecto autem Euangelio, & decantato offertorio, vbi ſacrificii tempus aduenit, Pontifex in ſede ſua reſedit, verè conſtans, nec ſe nec alium quenquam completurum illud officium, niſi reciperet proceſſionis ſuæ miniſtrum. Quod vbi Papa intellexit, Pontifici ceſſit, reindutumquè miniſtrum continuò remiſit. Quo recepto, debito ſe Præſul iniunxit officio. Qua in re & Pontificis auctoritas, & Apoſtolici conſideranda eſt humilitas, dum & ille officii ſui dignitatem defendere contendebat, & iſte licèt maioris dignitatis, Metropolitano tamen in ſua diœceſi cedendum perpendebat. Anno Domini M. LIV. Leo Papa obiit, cui Victor ſucceſſit. Anno Domini M. LVI. Fames multas regiones afflixit, egeſtas & penuria vndique prævaluit, multi Principes diuerſarum prouinciarum perierunt, multa mala tunc temporis facta ſunt. Heinricus Imperator pro his rebus corde tenus dolore compunctus, infirmari cœpit, & perductus ad mortem, ſapienti vſus conſilio, ab omnibus, quibus potuit, veniam petiit, quibusdam prædia, quæ abſtulit, reſtituens, cunctis quoque, qui contra eum & regnum culpas damnabiles fecerant, relaxans, filium quoque ſuum Heinricum, Romani Pontificis, cunctorumque Pontificum & Principum regni electione, Regem conſtituit. His & aliis, pro vt vitæ poſſibilitas admiſit, benè diſpoſitis, III. Non. Octobris præſentem vitam finiuit. Poſt cuius obitum, quia filius eius Heinricus adhuc puerulus fuit, Domina Agnes Imperatrix, mater pueri, regnum ſub ſua cura aliquandiu tenuit, ac ſapienter & ſtrenuè rexit, donec Principes aliqui inuidia ducti, puerum matri abſtulerunt, eamque regimine regni abalienauerunt, quorum numero Anno, Colonienſis Archiepiſcopus, ſe immiſcuit, qui puerum in loco, qui Werida dicitur, naui imponens, matri abduxit, & ex eo tempore multa incommoda orta, & deinceps aucta ſunt. Nam exinde diſſenſio in regno, perturbatio Eccleſiæ monaſteriorum deſtructio, Clericatus deſpectio, totius juſticiæ ac religionis conculcatio & cœpit & permanet. Imperatrix verò rerum permutationes conſiderans, in Italiam ſe contulit, & apud monaſterium, quod dicitur Fruteria, religioſam vitam aliquanto tempore duxit, poſtea Romæ defuncta, in eccleſia ſanctæ Petronillæ honorificè eſt ſepulta. Anno Domini M. LVII. Heinricus quartus, Heinrici Imperatoris filius, LXXXVII. ab Auguſto, regnare cœpit, & regnauit annis XLII. * Agnes Imperatrix, mater eius, Ducatum Bavvariæ ſuſcepit. Victor Papa decedit, eique Stephanus Papa ſuccedit, Saxones congregato exercitu, gentem efferam Luiticiorum hoſtiliter inuaſerunt, diuerſisque malis eam affligentes, Romanæ ditioni ſubdiderunt, & acceptis obſidibus, ad propria redierunt. Ex illo tempore Bremenſem Eccleſiam omnes calamitates oppreſſerunt, Alberto Archiepiſcopo tantum curiæ negotiis intento. Ad gubernacula enim regni mulier cum puero magno imperii præfuit detrimento. Indignantes enim Principes, aut mulicbri poteſtate conſtringi, aut infantuli ditione regi, primo quidem communiter vendicârunt ſe in priſtinam libertatem, vt non ſervirent, deinde contentionem moverunt inter ſe, quis eorum videretur eſſe maior, poſtremò armis audacter ſumtis, Dominum & Regem ſuum deponere moliti ſunt. Tandem ſeditionibus ad pacem inclinatis, Albertus Bremenſis, & Anno Colonienſis, Archiepiſcopi, Conſules declarati ſunt, & in eorum conſilio deinceps ſumma rerum pendebat. Otto de Sueinfurte obiit, & Rodolfus de Reinueldon Ducatum eius accepit. Anno Domini M.LIIX. Stephanus Papa deceſſit. Cui Alexander, Lucenſis Epiſcopus, ſucceſſit. Huius tempore Hildibrandus, poſtea Pontifex, Archidiaconatus officio functus eſt Romæ. In Nordvvegia Rex Haroldus crudelitate ſua omnes Tyrannorum furores

Idem juris ſui tenax.

Fames.

Imperatorum morbus ex animi ægritudine.

Mors.

Agnes Aug. exauctoratur.

Defungitur Gisla.

HENRICVS IV. Imp.

Luitici debellati.

ἀναρχία.

Duumviri reipub. conſtituendæ.

Rudolfus D. Sutuiæ.

Haroldus Tyrannus.

furores exceſſit illo tempore. Multæ enim per illum eccleſiæ dirutæ, multi Chriſtiani ab illo per ſupplicia ſunt necati. Oblationes quoque ac theſau-
ros, qui ſumma fidelium deuotione ad tumulum fratris ſunt collati, ipſe vn-
ca manu corrodens, militibus ſuis diſperſit. Pro quibus cauſis Albertus Ar-
chiepiſcopus legatos ſuos direxit ad eundem Regem, literis ſuis tyrannicas
eius increpans præſumptiones, ſpecialiter verò admonens de oblationibus,
quas non liceret cedere in vſus laicorum, & de Epiſcopis, quos vel in Anglia
vel in Gallia contra fas, ſe contempto, fecit ordinari, cùm per eum aucto-
ritate ſedis Apoſtolicæ jure conſecrari deberent. Ad hæc mandata tyrannus
commotus in iram, legatos Pontificis ſpretos abire præcepit, dicens, ſe
neſcire, quis ſit Archiepiſcopus, aut potens in Nordvvegia, niſi ſolus Ha-
roldus. Et alia plura deinde fecit & dixit, quæ ſuperbiæ eius proximam in-
tendebant ruinam. Nam & Papa Alexander, confeſtim miſſis ad eundem
Regem literis, præcepit, vt tam ipſe, quàm Epiſcopi ſui vicario ſedis Apo-
ſtolicæ dignam exhiberent ſubiectionis reuerentiam. Et ecce reſcriptum
literarum.

¶ De hoc planius Adamus Brē. lib. 3. cap. 18

Ploccipendit legationē Alberti Archiepiſ.

Litera Papa ad Haroldum.

Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Haroldo Nordmannorum regi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quia adhuc rudes in fide exiſtitis, & in Eccleſiaſtica diſciplina quodammodo claudicatis, oportet nos, cui totius Eccleſiæ commiſſum eſt regimen, diuinis admonitionibus vos frequentius viſitare. Sed quia ob longarum difficultatem viarum per nos hoc agere minimè valemus, ſciatis, nos Alberto, Bremenſi Archiepiſcopo, vicario noſtro, hæc omnia firmiter commiſiſſe. Prædictus itaque venerabilis Archiepiſcopus, legatus noſter, ſuis nobis eſt conqueſtus Epiſtolis, quòd Epiſcopi veſtræ prouinciæ aut non ſunt conſecrati, aut data pecunia contra Romana priuilegia, quæ ſuæ Eccleſiæ ubique data ſunt, in Anglia vel in Gallia peſſimè ſunt ordinati. Vnde ex auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli vos admonemus, vt ſicuti Apoſtolicæ ſedi reuerentiam ſubiectionis debetis exhibere, ita præfata venerabili Archiepiſcopo, vicario noſtro, & vice noſtra fungenti, vos veſtrique Epiſcopi impendatis.

His apud Nordmanniam geſtis, magnopere ſtuduit Archiepiſcopus, vt regi Danorum conciliaretur, quem prius offenſum habuit in repudio conſobrinæ: Sciuit enim ſi talem ad ſe colligeret virum, leuiorem ſibi ad cætera, quæ in animo geſſit, introitum fore. Venit igitur Sliaſvvig, vbi tàcitè notus, & ſuperbo Regi reconciliatus, muneribus atque conuiuiis certavit Archiepiſcopalem potentiam regalibus anteferre diuitiis. Denique ad confirmandum pactum fœderis, ſicut mos eſt inter barbaros, habito vicißim per octo dies conuiuio, & rebus Eccleſiaſticis ibi diſpoſitis, Pontifex cum gaudio domum reuerſus, perſuaſit Cæſari, vt evocatus Rex Danorum in Saxoniam, vterque alteri perpetua confæderaretur amicitia. Cuius confœderationis beneficio multum lucri Bremenſis Eccleſia ſuſcepit, & legatio borealium nationum, cooperante Suein rege, proſperis ſemper aucta eſt incrementis. Trans Albiam quoque, & in Sclavania, adhuc res Eccleſiæ magna gerebantur proſperitate. Godeſchalcus enim de quo ſuprà dictum eſt, vir prudentia & fortitudine prædicandus, accepta in vxorem filia regis Danorum, Sclauos ita perdomuit, vt eum quaſi Regem timentes tributum offerrent, & pacem cum ſubiectione peterent. Qua temporis occaſione Hamburg pacem habuit, & Sclauania ſacerdotibus Eccleſiisquè plena fuit. Godeſchalcus igitur vir religioſus & timens Deum, Archiepiſcopo etiam Gode-

Alberti Archiepiſc. artes.

Godeſchalcus Sclauus.

Godeschalcus igitur vir religiosus & timens Deum, Archiepiscopo etiam familiaris, Hamburg soluendorum causa votorum solitus erat frequenter venire. Procul dubio in omni Sclauania nemo vnquam surrexit potentior, & tam feruidus Christianæ religionis cultor. Igitur omnes Sclauorum populi, qui ad Hamburgensem pertinent curam, toto tempore, quo Godeschalcus superuixit, Christianam fidem deuotè coluerunt. Tunc etiam per singulas vrbes cœnobia fiebant sanctorum virorum canonicè viuentium, item Monachorum atque sanctimonialium, sicut testantur hi, qui in Lubice, Aldenburg, Racisburg, Leontio, & in aliis ciuitatibus singula viderunt. In Magnopoli verò, quæ est ciuitas Obodritorum, tres Deo seruientium dicuntur fuisse congregationes. Gratulabatur ergo Archiepiscopus de nouella plantatione Ecclesiarum, misitquè de suis Episcopis & Presbyteris viros ad Principem Godeschalcum sapientes, qui rudes in Christianitate populos confortarent. Ordinauit autem in Aldenburg, defuncto Abelino, Eizonem Monachum. Iohannem Scotum constituit in Magnopoli. Aristonem quendam, ab Hierosolymis venientem, in Racisburg destinauit. Sicque Aldenburgensis Ecclesia in tres diuisa est Episcopatus, quod quidem Imperiali minimè factum institutione, sed Alberti Archiepiscopi adinuentione. Ipse enim vir magnificus & præpotens in regno, cùm Papam & Cæsarem propicios, atque voluntati suæ per omnia consentaneos haberet, in omnibus borealibus regnis, Daniæ, Suediæ & Nordvvegiæ functus est auctoritate Archiepiscopali, & legationis Apostolicæ ministerio. Nec his contentus, Patriarchatus honorem assequi voluit, atque infra terminos suæ parochiæ XII statuere Episcopatus disposuit. Anno Domini MLXII. Bernardus, Dux Saxonum, obiit, qui à tempore senioris Libentii iam per XL. annos Sclauorum atque Nordalbingorum res strenuè administrauit. Cuius hæreditatem Ordulfus & Herimanus, filii eius, inter se partiti sunt. Hi ergo memores antiqui odii, quod patres eorum, licèt occultè, contra Bremensem Ecclesiam exercuerunt, statuerunt apertè iam vltionem repetendam in Episcopum, totamque Ecclesiæ familiam. Et quidem Dux Ordulfus viuente adhuc patre, hostili stipatus multitudine, Bremensem in Fresia deuastauit Episcopatum, hominesque Ecclesiæ cæcauit, alios etiam legatos ad se pro pace directos, publicè verberari & decaluari iussit. Postremò omnibus modis Ecclesiam & suos impugnare, spoliare, cædere, & pro nihilo habere cœpit. Archiepiscopus ergo querelam ad curiam deferens, nihil ailud meruit, quàm derideri. Nam & Rex puer à Duce & fratre eius primò derisui habitus est. Quapropter Archiepiscopus, vt fratres ab inuicem diuelleret, Herimannum Comitem adoptauit in militem, profectusquè eo in Vngaricam expeditionem cum Rege, quasi Princeps militiæ eius, relicto super negocia regni Annone, Coloniensi Archiepiscopo. Restituto autem in regnum Salomone, quem Vngri bello expulerant, Albertus cum Rege puero victor ab Vngaria regressus est. Tunc Comes Herimannus magnum ambiens beneficium, quod dare noluit Episcopus, statim in furorem versus est, venitquè contra Bremam cum exercitu copioso, diripiensquè omnia, quæ ibi erant, soli pepercit Ecclesiæ. Castella verò omnia, quæ Pontifex diuersis construxerat locis, diruta sunt. Archiepiscopus eo tempore primatum Curiæ tenebat. Cuius audita querela, Comes secundum iudicium palatii exilio relegatus post annum clementia Regis absolutus est. Deinde verò idem Comes, & frater eius Ordolfus, ad satisfactionem Ecclesiæ venientes, pro delicto suo L. mansos obtulerunt, & terra quieuit dies paucos. Tunc etiam Rex vastationi Bremensis Ecclesiæ condolens, transmisit ad solatium ferè centum pallia, cum aliis vasis argenteis, itemquè libris, candelabris & thuribulis auro paratis. Hæc autem sunt munera, quæ Rex misit ad reædificationem ecclesiæ, tres calices aureos, in quibus erant libræ auri X. vnum vas chrismale argenteum, scutum argenteum deauratum, Psalterium aureis scriptum literis, thuribula & can-

Albertus comminiscitur nouos Episcopatus

Affectat Patriarchatum

Bernardi D. mors.

Ordulfus & Hermānus FF.

Bremensis ager vastatus.

Alberti Archiepiscopatus.

Militia Vngarica.

Hermann. Com. ob repulsā agit hostiliter.

Ejusdem et fratris donaria piacularia.

Alia Henrici IIII. Imp.

& candelabra argentea, dorsalia IX. regalia, casulas XXXV. cappas, Dalmaticas & subtiles XIIII. & vnum plenarium, cuius tabula IX. libras auri habuit, & alia multa. Tunc etiam Corbeia atque Laureſſa cœnobia, pro quibus diu multumque Episcopus laborauerat, Ecclesiæ Bremensis præceptis tradita sunt. Tunc & Lismona in ditionem venit Ecclesiæ, quæ cortis septingentos mansos habet, & maritimas Hatheleriæ regiones possidet, pro qua soluenda Archiepiscopus Agneti reginæ dedit IX. libras auri, quoniam hæc in partem suæ doris cessit. Quinquaginta ergo Cortes dominicales habuit Archiepiscopus, ex quibus Wande maxima vnius mensis persoluit seruitium, cæterarum Ambergon minima XIIII. dierum. Tanta erat opulentia huius Episcopi. Statuit autem omnes Comitatus suæ parochiæ, qui in sua diœcesi aliquam iurisdictionem videbantur habere, in potestatem Ecclesiæ redigere, ad instar aliorum Præsulum, & maximè Wirceburgensis, qui in Episcopatu suo neminem dicitur consortem habere. Ipse enim cùm teneat omnes Comitatus suæ parochiæ, Ducatum etiam prouinciæ gubernat. Quapropter ab initio quidem illum maximum Fresiæ Comitatum de Fingoe à Rege adeptus est, quem prius habuit Dux Gotafridus, tunc verò Ecbertus. Pensionem annuam dicunt esse mille librarum argenti, quarum CC. Ecbertus soluit, fuitque miles Ecclesiæ. Archiepiscopus autem obtinuit eundem Comitatum per X. annos, vsque ad expulsionis suæ diem. Alter Comitatus erat Vdonis, qui per omnem parochiam Bremensem sparsim diffunditur, maximè contra Albiam, pro quo Archiepiscopus Vdoni tantum obtulit de bonis Ecclesiæ, quod singulis annis mille libras argenti soluit. Cùm vtique tanta quantitate precii maior posset fructus Ecclesiæ omni anno parari, nisi quòd sufficit, ideò pauperes esse, vtilitates seruos habeant. Tertius erat Comitatus in Fresia, Bremensi parochiæ vicinus, qui dicitur Emisgoe, pro quo Archiepiscopus Regi pactus est, se mille libras argenti daturum. Cuius pecuniæ summam cum facilè non posset habere, iussit cruces, altaria, coronas, & cætera ornamenta Ecclesiæ deponi. Quibus denudatis, infelicem maturauit contractum perficere. Gloriabatur autem, pro argentea citò se auream facturum Ecclesiam, omniaque ablata restituere in decuplum, sicut & prius in destructione claustri visus est egisse. Tunc & ornamenta aurea, quæ obtulit domina Emma, confracta sunt. Aurifaber autem illa conflans, ad sonitum mallei audiuit quasi vocem gementis pueri. Tali modo thesauri Bremensis Ecclesiæ, à veteribus summo labore, magnaque fidelium deuotione collecti, tunc pro nihilo sunt peſſundati. Vix tamen ex pecunia eadem media pars debiti conflata est. Gemmæ autem diffactæ quibusdam meretriculis donatæ sunt. Ab illo ergo die ruentibus in occasum prosperis, omnia Bremensi Ecclesiæ aduersa fuerunt, Archiepiscopus & sui ab omnibus sicuti hæretici exsibilabantur. At ille omnium voces parui pendens, simul etiam relicta rei domesticæ cura, totus in curiam vehemens, & in gloriam præceps ferebatur. Anno Domini M LXVI. Albertus Archiepiscopus consulatum curiæ adeptus est, æmulisque remotis, solus primatum accepitque Capitolii possedit, non tamen sine inuidia, quæ semper gloriam sequitur. Tunc verò quædam aurea renouaturus secula in consulatu suo, cogitauit disperdere de ciuitate Dei omnes operantes iniquitatem, præcipuè illos, qui vel in Regem manus miserunt, aut Ecclesias deprædasse videbantur. Cuius delicti conscientia cum ferè omnes Episcopi & Principes regni tangerentur, vnanimiter conspirabant, vt ille solus periret. ne cæteri periclitarentur. Igitur omnes Triburiam congregati, cùm Rex præsens adesset, Albertum Archiepiscopum, quasi seductorem & magum, à curia depulerunt. Audientes autem Duces Ordulfus & filius eius Magnus, Comesque Herimannus, Pontificem abordine Senatorum esse electum, gauisi sunt, atque vt eum penitus à suo Episcopatu depellerent, cogitabant. Ipse autem eo tempore cùm nihil tutius haberet,

Res Brem. adaucta.

Albertus diœcesios sua μονοκράτειαν molitur.

Conuasat & distrahit ornamenta templorum.

Malè audit.

Imperii rempub. solus gerit.

Somniat aureum seculum.

Exauctoratur.

¶ De hac historia fusius Schafnaburgensis.

Bremæ

Bremæ sedit, inimicorum custodia vndique vallatus. Cumque tota Ducis familia pastorem & Ecclesiam persequerentur, Magnus ante omnes sæuiebat, glorians se reseruatum esse, vt rebellem domaret Ecclesiam. Aiunt Ducem Bernardum, futurorum præscium, hoc ipsum sæpè cum gemitu narrasse, qui in extremis positus, dixit, filios suos ad excidium Bremensis Ecclesiæ fataliter destinatos. Vidit n. per somnum, ex penetralibus suis egressos in Ecclesiam vrsos, aprosque, deinde ceruos, ad vltimum lepores. Vrsi inquit, & apri erant parentes nostri, fortitudine sicut dentibus armati: Cerui sumus ego & frater meus, solis decori cornibus: Lepores autem sunt filii nostri, modicæ virtutis & timidi. De quibus metuo, ne impugnantes Ecclesiam, diuinam incurrant vltionem. Quapropter sub obtestatione diuini timoris, præmonuit eos, ne quid impium cogitarent aduersus Ecclesiam & pastorem, neuè læderent etiam hunc aut illam, quorum iniuria redundet in Christum. Hæc ille surdis auribus præcepta reliquit. Magnus enim filius Ordulfi, filii Bernardi, collecta latronum multitudine, non eo modo Ecclesiam impugnare conatus est, quemadmodum parentes eius, verùm ipsum Ecclesiæ pastorem persecutus, vt contentionem diuinam finisse videretur, aut membris truncare, aut funditus interficere quærebat Episcopum. Nec tamen illi dolus ad cauendum defuit, auxilium verò in militibus nullum habuit prorsus. Ipso ergo tempore Archiepiscopus à Magno Duce obsessus, clàm metu fugit Goslariam, ibique securè apud Loctunam in prædio suo per dimidium annum mansit, castra autem & seruitia eius ab hostibus direpta sunt. Tandem fœdus cum Magno pepigit, offerens ei beneficium de bonis Ecclesiæ mille mansos & amplius, vt qui hostis erat, miles fieret, eo nimirum tenore, vt Comitatus Fresiæ, quorum alterum Bernardus, alterum Ecbertus inuito retinebat Pontifice, Magnus absque omni dolo iuri Ecclesiæ vendicaret, atque defenderet. Ita prorsus diuiso in tres partes Episcopatu Bremensi, vnam partem Vdo, alteram partem Magnus possedit, tertia verô vix remansit Episcopo, quam etiam ipse postea Bernardo aliisque Regis adulatoribus distribuens, ferè nihil sibi retinuit. Nam & curtes Episcopii, & decimæ Ecclesiarum omnes, cesserunt in vsum Laicorum. Tantis ergo largitionibus nil erga Vdonem & Magnum lucratus est, quàm ne expelleretur à suo Episcopatu, à cæteris verò nihil aliud seruitii meruit, nisi vt Dominus vocaretur. Eo dempore Godeschalcus, de quo suprà dictum, à Sclauis est interfectus, quos ipse ad Christianitatem nitebatur conuertere. Et quidem vir omni æuo memorabilis magnam partem Sclauaniæ conuerterat ad diuinam religionem. Passus est autem in vrbe Leontia, quæ & Lenzin, VII. Idus Iunii cum presbytero Ippone, qui super altare immolatus est, & aliis multis tàm Laicis, quàm Clericis, qui diuersa pro Christo tulerunt supplicia. Ansuerus etiam Monachus, & cum eo alii apud Racisburg lapidati sunt. Qui cum ad passionem venisset, rogauit paganos, vt prius socii, quos deficere metuebat, lapidarentur: Quibus coronatis, ipse gaudens cum Stephano genua posuit. Huius sancti Ansueri seruatur brachium integrum aput Stadium in ecclesia beatæ Virginis. Iohannes etiam senex Episcopus in Mikilinburg, peregrinationis amore quondam Scotiam egressus, venerat in Saxoniam, & clementer ab Archiepiscopo susceptus, non multo pòst Sclauaniam ab illo directus est ad Principem Godeschalcum, apud quem illius commoratus diebus, multa paganorum millia baptizauit. Iste igitur pro confessione Christi in Mikilinburg fustibus cæsus, deinde per singulas ciuitates Sclauorum ad ludibrium ductus, cum à Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus ac pedibus, in platea corpus eius proiectum est, caput vero desectum. Quod barbari conto præfigentes, in titulum victoriæ Deo suo Radigost immolauerunt. Hæc in metropoli Sclauorum Rethra gesta sunt 4 Idus Nouembris. Filia quoque regis Danorum, vxor videlicet Godeschalci, apud Mikilinburg cum cæteris

Vexatur à Ducibus Saxon.

Fuga salutem quærit.

Placat Magnum Ducem.

Attenuatur.

Godeschalci reguli martyriũ.

Vxor.

Filij. mulieribus diu cæsa, nuda dimissa est. Ex hac idem Princeps filium susceperat Heinricum, ex alia verò Buthue natus fuit. Sclaui igitur potiti victoria, totam Hamburgensem parochiam ferro & igne demoliti sunt: Sturmarii & Holtsati ferè omnes aut occisi, aut in captiuitatem ducti: castrum Hamburg funditus excisum est, & in dirisionem Saluatoris nostri etiam cruces à paganis truncatæ sunt. Ciuitas etiam Sliasvvig excisa est funditus. Huius auctor cladis Plusso dicitur fuisse, qui sororem huius Godeschalci habuit, domumque reuersus & ipse obtruncatus est. Itaque omnes Slaui facta conspiratione, ad paganismum denuò sunt relapsi, eis occisis, qui perstiterunt in fide. Dux Ordulfus sæpè contra Sclauos dimicans, per XII. annos, quibus patri superuixit, nullam obtinuit victoriam. Igitur expulsio Archiepiscopi, & mors Godeschalci, anno Heinrici regis VIII. Archiepiscopi XXII. præsenti anno Domini contigit. Ab hoc autem anno vacauit sedes Aldenburgensis annis LXXXIIII. Hæc est Sclauorum tertia negatio. Quos primò Karolus conuertit, secundò Otto tertius, tertio verò Princeps Godescalcus. Et hæc mala signauit ille horribilis Cometa, qui ipso anno apparuit circa dies Paschæ. Eodem quoque anno clades maxima per Wilhelmum Nordmannicum in Anglia facta est. Anno Domini M. LXVII. Heinricus Rex Bertham, Ottonis cuiusdam Italici & Adelheidis filiam, accepit vxorem. Post mortem Godescalci ad filium eius Buthue principatus eius hereditaria peruenit successio. Timentes autem hi, qui patrem interfecerant, ne forte filius paternæ cædis vltor fieret, conspirata manu statuerunt * Critonem in principatum, exclusis filiis Godeschalci, quibus iure debebatur dominium, quorum iunior Heinricus profugit ad Danos, eo quòd regia Danorum stirpe esset oriundus, at senior Buthue declinauit ad Bardos, quærens auxilium à Saxonum Principibus, quibus pater eius deuotus semper & fidelis extiterat. Qui etiam susceperunt pro eo prælium, multoque præliorum fatigio restituerunt eum in locum suum. Attamen status eius ad plenum roborari non potuit, eò quòd Christiano parente natus, & amicus principum, apud gentem suam vt proditor libertatis haberetur. Defuncto Ordulfo, Duce Saxonum, successit filius eius Magnus in Principatum, natus de filia regis Danorum: statimque in ipso principatus sui exordio ad subiugandos Sclauos animum & vires intendit, exacuente eum ad id Buthue, filio Godescalci. At illi vnanimiter rebellare cœperunt, secuti Critonem, filium Grimi, qui erat inimicitias exercens aduersus Christianum nomen, & Principum honorem. Et primò quidem Buthue prouincia depulerunt, diripientes præsidia, in quibus confugium habebat. Qui confugit ad Ducem Magnum, deditque ei Dux Bardos, Sturmarios, Holtsatos atque Tietmarsos in adiutorium. Cùm autem illi egredi tardarent, Buthue assumptis secum fortissimis Bardorum sexcentis, & eo amplius viris, venit ad castrum Plunense, inuenitque vrbem viris vacuam, ingressusque, per noctem mansit in eodem castro. Crastina ergo lucescente, ecce Sclauorum infinita agmina vrbem obsidione vallauerunt. Buthue igitur cum sociis ita obsessis magnam famis difficultatem sustinuit. Audito autem hoc nuncio, Holtsati, Sturmari, Tietmarchi accelerauerunt, vt vrbem obsidione liberarent. Cumque peruenissent ad riuum Suale, præmiserunt virum gnarum Sclauicæ linguæ, qui exploraret, quid Sclaui agerent, aut qualiter obsidioni vrbis instarent. Hic ergo peruenit ens ad Critonem, acceptisque ab eo XX. marcis, reversus ad suos, dixit, Buthue & socios suos nullam obsidionis molestiam sustinere. Atque in hunc modum reuocauit exercitum, ne obsessis fierent præsidio. Statim autem vbi obsessi, traditoris dolo decepti, à spe euasionis deciderunt, cœperunt perquirere ab hostibus, si quid pro vitæ remedio acceptare vellent. Quibus respondentibus, aurum & argentum se ab eis non recipere, vitam tamen & membrorum integritatem postulantibus præbere, si exeuntes castrum darent arma, Buthue cultio-

Plusso auctor Slauicæ defectionis.

Ordulfus. Princ. infelix.

Cometa.

Imperatoris nuptiæ.

** al. Crucō. Crito Tyrannus.*

Magnus Dux Saxō.

Buthuæ expeditio in populares.

Obsidio.

Deditio.

cultiorbus indutus veſtimentis cum ſociis egreſſus eſt. Tranſieruntque pontem bini ac bini, dantes arma, atque in hunc modum perducti ſunt in faciem Critonis. Vbi igitur omnes præſentati ſunt, mulier quædam præpotens de caſtro mandauit Critoni, cæterisque Sclauis, vt perderent viros, qui ſe tradidiſſent eis, quia intuliſſent maximas violentias vxoribus ſuis, quæ derelictæ erant cum ipſis in vrbe. His auditis, Crito & ſocii ſui inſiluerunt in eos, omnemque multitudinem hanc interfecerunt in ore gladii. Inualuitque Crito, & obtinuit dominium in vniuerſa terra Sclauorum. Atritæ ſunt vires Saxonum, & ſeruierunt Critoni ſub tributo Holtſati, Sturmarii & Tietmarchi, portaueruntque duriſsimum iugum ſeruitutis omni tempore Critonis. Et repleta terra latrunculis, facientibus mortem & captionem in populo Dei, & deuorauerunt genten Saxonum toto ore. In diebus illis ſurrexerunt de populo Holtſatorum amplius quàm DC. familiæ, transmiſſoque amne, abierunt via longiſsima, quærentes ſedes opportunas. vbi furorem perſecutionis declinarent, veneruntque in montes Harthicos, & manſerunt ibi ipſi & filii & nepotes eorum vſque in hodiernum diem. Eodem tempore Albertus, Bremenſis Archiepiſcopus, zelo, vt aiunt, Colonienſis Epiſcopi à curia perturbatus, Bremæ ſedit priuatus, ſolitarius & quietus. Cùm autem nihil reſidui haberet, de rapinis pauperum vixit, & bonis ſanctarum congregationum. Toto autem ſeptennio, quo ſuperuixit Archiepiſcopus, ex illo famoſo & opulento Bremenſis Eccleſiæ hoſpitali nulla prorſus data eſt eleemoſyna. Quod ex eo miſerabile & inhumanum videbatur, quoniam & tempus famis incubuit, & multi pauperes vbique in plateis reperti ſunt mortui. Anno Domini M. LXVIII. Albertus Archiepiſcopus poſt triennium expulſionis ſuæ voti compos effectus, in priſtinum curiæ gradum reſtitutus eſt. Moxque ſuccedentibus proſperis, ſummam rerum, quod eſt Vicedominatus, iam ſepties Conſul meruit. Deliberans verò iam tunc cautè ambulandum eſſe erga Principes, vt non eos, ſicut antea, offenderet, Colonienſi primùm Pontifici reconciliari voluit, deinde cæteris, in quos ipſe, vel qui in ipſum peccaſſe videbantur. Deinde remotis Eccleſiæ ſuæ impedimentis, pro cuius exaltatione tam in ambitu curiæ, quàm in profuſione pecuniæ videbatur improbior, non fuit otioſus. Quo tempore Pliſnam, Dusburg Groningin & Sincicum acquiſiuit. Vildeshuſen præpoſituram, Bremæ vicinam, propè in manibus habuit, & Rofenuelde, Hamburg proximam. Diſpoſuit verò Archiepiſcopatui ſuo XII. ſubiicere Epiſcopatus, quos ex ſua diuideret parochia, propter eos ſuffraganeos, quos in Dania cæterisque gentibus Bremenſis tenet Eccleſia, ita vt primus eſſet in Palmis, ſecundus in Heligenſtat, tertius in Racisburg, quartus in Aldenburg, quintus in Mikilinburg, ſextus in Stade, ſeptimus in Liſmonia, octauus in Wildeshuſen, nonus in Bremis, decimus in Ferda, vndecimus in Ramſola, duodecimus in Freſia. Nam Ferdenſem Epiſcopatum ſe facilè poſſe adipiſci, non ſemel gloriatus eſt. Poſtremò autem in Hamburg iam apertè laborauit Patriarchatum efficere. Heinricus Rex adoleſcentiæ vſus libertate, Saxoniam ſolam ex omni Romano imperio cœpit incolere, Principes deſpicere, nobiles opprimere, inferiores ſuſtollere, venatui, luſibus, cæterisque huiusmodi exercitiis, plus quàm iuſticiis faciendis, vt incuſatus eſt, operam dare, filias illuſtrium, quibuslibet obſcurè natis coniugare, priuata præſidia, nimirum potentibus regni non ſatis fidens, inſtituere. His diſcordiæ ſeminariis corrigit Regi quàm plurimos inſidiatores tam vitæ quàm regni ſuccreſcere. Qui tamen cùm maturitatis necdum plenè attigiſſet annos, erant qui non tam ipſum, quàm Albertum Bremenſem Archiepiſcopum culpandum iudicarent, quòd eius conſilio omnia ageret. Anno Domini M. LXIX. Agnes Imperatrix, mater regis Heinrici, obiit. Eodem anno famoſum illud colloquium Heinrici regis cum rege Danorum habitum eſt in Luniburg, vbi ſub obtentu

Crito triumphat.

Holſatorũ in Hercinia colonia.

Albertus Archiepiſc. inglorius.

Reſtituitur in integrũ.

Cõciliatur inimicis.

Redit ad ingenium.

Imperatorũ adoleſcentia laſciua.

Fœdus cum Dano.

fœderis contra Saxones arma laudata sunt. Eodem anno restincta est illa conspiratio prima in Regem facta. In qua Dux Otto & Magnus, deuastata per annum Saxonia, tandem consilio Archiepiscopi in potestatem Regis se dederunt. Archiepiscopus autem bona Ecclesiæ recepit, quæ antè Magnus habuerat. Anno Domini M. LXXI. Otto, Dux Bavvariæ, qui erat genere Saxo, contemnens congredi cum Egimone, qui cum de Regis nece secum tractasse mentitus erat, Ducatum Bavvariæ, vt reus maiestatis, amisit, quem Rex Welpo qui erat natu Sueuus, dedit. Posthæc omnem gentem Saxonum atrociter persequi cœpit, ad cuius depressionem in Harthico cliuo castrum firmissimum, Hartesburg, collocauit. Quamobrem irati Saxonum Principes, & in vnum conglobati, castrum, quod ipsis propter iugum positum fuerat, ad solum diruerunt. Fuerunt autem eis Principes: Wicilo Magdaburgen. Bucco Haluerstaten. Otto Dux, Magnus Dux, Vdo Marchio, & alii multi nobiles. Ad quorum audaciam obtundendam Rex cum exercitu venit, adiuncto sibi Sueuorum Duce Rodolfo, multisque regni Principibus. Sed & Saxones nil morati, viriliter occurrerunt in prælium, conueneruntque exercitus iuxta fluuium Vnstroth. Cumque non longè abesset pugna, factum est ex consilio vtriusque partis, vt laudaretur pax vsque post biduum. Saxones igitur pace delectati, statim exuerunt se armis, & diffusi sunt per latitudinem campi, curam corporis exequentes. Speculatores igitur Regis videntes Saxones remissos, & nihil mali suspicantes, festini renunciauerunt Regi, quòd Saxones præpararent se ad prælium. Itaque concitatus exercitus Regis, transmisso vado, irruit super quietos & inermes, prostraueruntque multa millia Saxonum in die illa. Cùm igitur Saxones pro tuenda libertate bellum adhuc intentarent, Rodolfus, Dux Sueuorum, vir bonus, & amator pacis, primùm regio honore, deinde Saxonum saluti consulens, apud Saxones obtinuit, vt se in potestatem Regis traderent Principes eorum, Wicelo Magdaburgen. Bucco Haluerstaden. Otto Dux, Magnus Dux, Vdo Marchio, tali conditione, ne aut captiuitate grauarentur, aut vllam sustinerent læsionis molestiam. Statim igitur vbi Saxones potestati

Fortuna in perduelles.

Otho Dux, damnatur maiestatis. ¶

Motus Saxonici. ¶

O scelestos exploratores.

Rudolfus D. sequester.

¶ *De hoc Welfo, eiusquè posteritate, quæ hodie illustriss. Ducum Brunouic. & Luneburg. domus est, Appendix nostra ad Chronicon Hierosol.*

¶ *Vide infrà ad ann. 1073. & seq. Item Sigebertum & Schafnaburgensem, qui de tota hac historia plenius explicant.*

se regiæ dederunt, iussit eos Rex acriori custodiæ mancipari, non reueritus promissionum fidem. Et contristatus est Rodolfus Dux eô, quòd promissa implere non potuisset. Post paucos autem dies Principes Saxonum præter voluntatem Regis captiuitate absoluti, in propria sunt reuersi, nec vnquam de cæteris promissionibus Regis fidem præbuerunt. Interea Albertus Archiepiscopus in summa rerum gloria positus, licèt crebra corporis molestia pulsaretur, negociis tamen publicis deesse noluit, à Rheno ad Danubium, indeque in Saxoniam cum Rege portatus in lectica. Dicunt quidam, regia sponsione laudatum esse, vt in proxima sollennitate Paschali conuenientibus apud traiectum Rheni Principibus, ibi confirmarentur ei omnia, quæ de Lauressa vel Corbeia & cæteris desiderauit anima eius. Alii autem asserunt, callidis à Rege dilationibus protractum esse, quo scilicet Lauressam dimittens, vbicumque mallet in regno, bis tantùm suæ reciperet Ecclesiæ donandum. Verùm ille pertinax incœpti, dum nihil aliud velle respondit, tandem frustrato nisu decidens, vnà & vitam & Lauressam cum cæteris Ecclesiæ bonis perdidit. Siquidem mores viri licet semper à communi mortalium habitudine dissentirent, circa terminum tamen inhumani, intolerabilesque, & alieni à semetipso videbantur, maximè post diem expulsionis suæ, vel parochiæ deuastationis. Post illum inquam diem, ira, pudore, doloreque maiori, quàm sapientem virum decuit, permotus, quia recuperandi bona Ecclesiæ non inuenit consilium, ex nimia solicitudine impos mentis effectus est. Porro quæ per eum deinde gerebantur, alicuius errantis vel desipientis videbantur, sicut est illud, quia

Promissi fides interuersa.

Albertus Archiepis. aulæ Cæsareæ assecla.

Coruus hians.

Exit à mentis potestate.

quia noctem integram vigilando diem transegit dormiendo, illudque, quod à veritate auditum auertens, ad fabulas & somnia conuersus est. Item illud, quod eleemosynarum oblitus in pauperes, omnia quæ habere potuit, dispersit in diuites, præcipuè in adulatores, & quòd dispersis bonis Ecclesiæ cùm nihil haberet residui, de rapinis miserorum vixit, & legitimis sanctarum congregationum, & quod de Præpositura villicationem, & de hospitali Præpositutam fecit. Illud etiam quod facilius solito prouocatus ad iram, aliquos manu percussit vsque ad effusionem sanguinis. Multos etiam ignominiosis exasperans verbis, non minus se quàm illos inhonorauit. Talis ille ante finem, à se totus alteratus, & pristina virtute pessundatus, quid vellet, quid nollet, nec sibi, nec vlli suorum satis poterat esse notum. Cæterum talis erat eloquentia eius vsque in finem, vt si eum audites concionantem, tibi facilè persuaderetur, omnia per illum plena ratione magnaquè auctoritate fieri. Igitur insignis vir, germanus eius, scilicet Palatinus Comes Fredericus, audita fama deterioratione viri, ad corripiendum fratrem vsque Lismoniam peruenit. Sed frustra commonens eum de his, quæ honori eius attingerent, vel saluti, molestus abscessit, Nothebaldum, qui erat vir maleficus, adulator, & mendax apertissimus, suosquè pares accusans, qui suis maleficiis illustrem virum circumuenerunt, suisque dementem reddiderunt consiliis. Pontifex autem eo tempore ad tantam peruenit infamiam, vt magicis inseruisse artibus diceretur. In principio autem introitus sui vnum dixit verbum, quod vtinam non dixisset: Omnes scilicet Episcopos, qui ante eum præsederunt, obscuros fuisse ac ignobiles, solum se generis & diuitiarum titulis excellere, porro dignum, qui maiorem sortiretur cathedram, vel ipsam sedem Apostolicam. Talia non semel iactantem visio magna perterruit. Vidit igitur nocte intempesta, se in conuentum Ecclesiæ raptum, vbi Missarum solennia deberent celebrari, astantibus XIIII. suis ex ordine prædecessoribus, ita vt proximus, qui ante eum fuit, Alebrandus perageret Missarum solennia: Cumque lecto Euangelio, sacerdos ad suscipienda offerentium munera conuersus, peruenisset ad Albertum, qui stabat in vltimo chori loco, mox toruis in eum intuens luminibus, oblationem eius repulit, dicens, Tu homo nobilis & clarus non potes habere partem cum humilibus. Et abscessit in hæc verba. Sane ex illa hora pœnitens super his, quæ incautè protulit, verbis, omnes prædecessores in ingenti veneratione habuit, seque multis gemitibus testabatur indignum sanctorum consortio virorum. Vnde etiam mox statuit, per singulos antecessorum suorum anniuersarios de curte Bromstede conuiuia fratribus dare plenissima, atque pauperibus. Nam & alia multa pœnitentiæ signa reliquit, sicut est illud, quia post diem vastationis Ecclesiæ, siue expulsionis suæ, nunquam balneis vsus est, nunquam hilaris visus, rarò processit in publicum, vel ad conuiuium, nisi ad curiam isset, aut diei festi necessitas poposcisset. Multotiens etiam amarissimè fleuit, si quando vastationis Ecclesiæ recordatus est, siue cùm ipsos vastatores conspexit. In die itaque natalis Domini cùm Dux Magnus præsens adesset, magnaque recumbentium multitudo, hilares conuiuæ, finitis epulis, plausum cum voce leuauerunt, quod tamen non parum displicuit Archiepiscopo. Itaquè innuens fratribus, qui tum aderant simul, præcepit cantori, vt imponeret antiphonam: Hymnum cantate nobis. At verò laicis denuò perstrepentibus, inchoari fecit, Sustinuimus pacem & non v. d. Tertio verò cum adhuc in poculis vlularent, iratus valde, leuari mensam præcepit, magna voce pronuncians: Conuerte Domine captiuitatem nostram, respondentibus fratribus, sicut torrens in Austro. Ita fugiens in oratorium, sequentibus fratribus, inclusus fleuit amarè. Hæc & alia in eo conpunctionis lamenta videbantur, adeò vt Monachus multotiens fieri desiderârit, aut in ministerio legationis suæ in Sclauania, vel in Suedia, siue Island mori optauerit, aut vt

¶ *Nimirũ ager animꝰ semper errat.*

Non audit recta monẽtem fratrẽ.

Contemnit pra se decessores.

Immutatus somnio.

Horret memoriam & auctores illatarum clauium.

Optat Monachatum vel martyrium.

pro Christo decollari mereretur. Tandem sæua morum perturbatione infra-
ctus, cùm simul fortunæ exterioribus quateretur aduersis, etiam corpore de-
Tentatur valetudine bilitari cœpit. Dumque medicorumauxilio studuit valetudinem recuperare
in grauiorem mox incidit infirmitatem. Quo etiam tempore ad curiam ten-
dens, graui casu de equo lapsus est. Tunc ergo conpunctus, fleuit amarè,
correctionemque vitæ suæ Deo promittens, statim conualuit, totumque su-
peruiuens triennium, multa compleuit, non tamen omnia quæ promisit.
Ex eo nimirum balneis, quæ ferè quotidie sueuit habere, sale recoctis abstti-
nuit, & reliquis multis, quæ populo grauia esse per sensit. In istis diebus per-
uenit quædam mulier, habens spiritum Pytonis. Hæc voce publica dixit
omnibus celerem Archiepiscopi transitum affore infra biennium, ni fortè con-
Attendit magis adulatoribus quàm prædictis & ostentis. uerteretur. Hoc & medici testati sunt. Erant autem cum Pontifice Nothe-
baldus, & alii Pseudoprophetæ, vaticinantes illum tam diu victurum, donec
poneret omnes inimicos ad scabellum pedum suorum, quibus melior fides ha-
bebatur. Visæ sunt eo tempore apud Bremam cruces sudasse lachrymis, porci
canesque violasse ecclesiam, adeò vt vix possent ab ipsa altaris crepedine repelli.
Visi sunt & lupi in suburbanis locis gregatim vlulantes, horribili iurgio certasse
cum bubonibus. Hæc ab omnibus sinistra nunciabantur in Episcopum respi-
cere. Quatuordecim ergo dies ante obitum suum Goslariæ positus, ex con-
Laborat dysenteria. suetudine sua nec potionibus nec phlebotomiis contineri voluit. Quare gra-
uissimo dysenteriæ morbo correptus, & vsque ad ossa attenuatus, suæ adhuc
immemor salutis, Reipublicæ negocia vsque ad extremam transitus sui horam
tractauit. Aderat ibi Magdaburgensis Episcopus Wezel, & alii fratres, peten-
tes vt intromitterentur, quos tamen ipse excludi præcepit à ianuis, dicens se
Auerfatur omnes praeter Imperatorem. præ immundicia infirmitatis indignum, vt ab aliquo videretur. Soli tamen
Regi concedebatur aditus ægrum visitandi, quem dilexit etiam vsque in finem.
Illum ergo suæ fidei admonens, & diuturni seruitii, multis generibus com-
mendauit ei Ecclesiam suam. Adamatus quidam medicus ante triduum man-
dauit Archiepiscopo, obitus sui diem proximum adesse. Quod ille dissimu-
lans, Nothebaldum solum præ oculis habuit, quia spopondit ei mutationis
suæ horam citò affuturam. Anno Domini M.LXXII. Albertus Archiepisco-
Expirat. pus cùm adhuc de præsenti vita speraret, die medio sextæ feriæ, suis ad epulas fe-
dentibus, in agone solus iacens exhalauit spiritum XVII. Kalend. Aprilis im-
dictione X. anno Alexandri Papæ XI. Heinrici regis quarti XVI. præter libera-
sanctorumque reliquias, & vestimenta sacra, ferè nihil inuentum est in thesau-
ris eiusdem viri. Quæ tamen omnia Rex accipiens, vna cum præceptis Eccle-
tulit etiam manum sancti Iacobi Apostoli, quam dono Vitalis, Venetiarum
Episcopi, ab Italia Archiepiscopus rediens quondam secum deportauit. Igi-
Inhumatur Bremæ. tur corpus Archiepiscopi magno totius regni stupore à Goslaria Bremam depor-
tatum est decimo demùm die, quod est in annunciatione sanctæ Mariæ, sepul-
tumque est in medio chori, nouæ, quam ipse construxit, basilicæ. Asserunt
tamen quidam, quod cùm ita solus ia cuisset, de omnibus gestorum suorum
offendiculis amaram gesserit pœnitentiam, flens & eiulans, se dies suos perdi-
disse. Eodem anno Hamburg incensa, & bis vastata est. Pagani victores totam
Nordalbingiam deinceps habuerunt in sua ditione, bellatoribusque occisis, aut
Hamburgū Alberti delitiæ. in captiuitatem ductis, prouincia in solitudinem redacta est. Hanc Pontifex
Albertus, sicut prædecessores sui, omni semper amore censuit esse colendam:
Ferturque sæpè antea rogasse, vt in ea sepeliretur. Ibi namquè, dum adhuc
viueret, plerumque totam ætatem transigens, præcipuas solennitates cum ma-
gna gloria celebrauit, ibi promotiones Ecclesiasticorum ordinum legitimis
temporibus impleuit, ibi tempus & locum, quo à Principibus, seu à Sclauo-
uorum gentibus, siue à cæteris arctoæ gentis legatis adiri posset, constituit.
Leimarus successor. Huic successit Leimarus, natione Bavvarus, & sedit annis XXX. Rex Heinricus
Otto

Ottonem Ducem vsque quaque persecutus, prædiaque ipsius deuastans, vt verè Reipublicæ hostem omnino delere conatus est. Otto autem præda & flammis, quia regiis copiis confligere non poterat, suas iniurias vltus est. Ipso namque mediante, gens Saxonum vnanimiter coniurat aduersus Regem, accusationesquè in illum ad sedem Apostolicam nuntiis & literis referre non cessat, sociosquè sibi Principes, totius regni Teutonici facit. Quorum insidiis Rex territus, Saxonia cessit, & in aliis regni partibus agendis rebus institit. Liemarus natione Bavvarus, de ministerialibus Heinrici regis IV. originem trahens, vir litteratus & prudens, Episcopatum suscepit ab ipso Heinrico, adhuc exulante Pontificum electione. Ordinatus est autem à suffraganeis. Pallium ei misit Papa Alexander. Anno Domini M. LXXIII. Anno Coloniensis, & Hermannus Bauenbergensis, Episcopi, Romam missi sunt, pecuniam, quæ Regi debebatur, congregare. Qui legatione peracta reuersi, litteras Alexandri Apostolici detulerunt, Regem vocantes ad satisfactionem pro Simoniaca hæresi, aliisque nonnullis emendatione dignis, quæ de ipso Romæ fuerant audita. Eodem anno Saxones castrum Hartesburg diruunt, claustrum Monachorum, quod ibi erat, destruunt, & ossa filii Regis, ibidem sepulti, in contumeliam patris de sepulchro proiiciunt. Anno Domini M. LXXIV. Alexander Papa decessit, cui Hildebrandus, qui & Gregorius VII. successit. Qui cùm absque Regis consensu, solis tantùm Romanis fauentibus, hunc apicem conscendisset, fuerunt, qui illum non canonicè dicerent constitutum, vnde etiam à nonnullis Episcopis abdicatus est. Huic Saxonum Principes, missa relatione ad Apostolicam sedem, conquesti sunt, qualiter Rex diuinæ legis contemtor, Ecclesiis DEI in statuendis Episcopis omnem canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Episcopos, quos voluisset, insuper quòd more Nicolaitarum de vxore sua publicum fecisset prostibulum, subiiciens eam per vim aliorum libidini, aliaquè multa inconuenientia & auditu difficilia. Quamobrem Apostolicus zelo justiciæ permotus, crebris nunciis & epistolis Regem denuò ad synodalia responsa, & sedis Apostolicæ audientiam vocauit. Sed Rex secundam & tertiam eius vocationem dissimulauit. Anno Coloniensis, Sifridus Maguntinus, Bucco Haluerstadensis, Wezelo Magdaburgensis, & omnes Principes Saxoniæ, fauebant Apostolico. Liemarus verò Bremensis adhærebat regi Heinrico.

Otho Dux, fax belli.

Tributum Romanorum.

Hartesburgum dirutum.

Gregorij VII. Papatus illegitimus.

¶ Sic igitur κακῆς ἀπ' ἀρχῆς κακὸν ἔρχεται τέλος. ¶

Saxones Imperatori dicam scribunt.

Capita factiosorum.

¶ Et veniunt hic consideranda, quæ legimus c. 2. distinct. 23. item c. si quis pecunia, distinct. 79. cum quæ in eandem sententiam Canonistæ scripsere, in primis Felinus in c. Ego N. de jureturand.

Anno Domini M. LXXV. Bellum juxta Vnstroth inter Regem & Saxones. Anno Coloniensis Archiepiscopus, plenus sanctitatis & meritis sepultus est, in monasterio Sigebergensi, quod ipse construxerat, cui successit Hildosus. Hetimannus Bauenbergensis Episcopus deponitur, eique Rotpertus à Rege subrogatur. Anno Domini M. LXXVI. Habitum est concilium apud Wormatiam, præsente Heinrico rege, in quo vniuersi ferè Teutonici Episcopi, præter Saxonicos, Gregorium Papam abdicârunt. Eodem anno colloquium maximum apud Oppenheim factum est, vbi penè totius regni Principes, sed maxime Saxonum & Alemannorum, subiectioni Regis renunciabant, causam prætendentes, quòd à duobus Apostolicis vocatus ad satisfactionem non venisset, & pro hoc contemtu sententiam excommunicationis in Romana Synodo accepisset, CUM IPSE TAMEN INAUDITUS ET ABSENS FUISSET. Hac commotione coactus Rex, humiliter Romam, vtpote veniam ab Apostolico postulaturus, inimicis non speranti-

Conflictus ad Vnstrotum.

Synodus Wormatiensis.

σκέμμα rebellionis.

NOTA.

Imperator studet expiationi. ¶

¶ Coniunge cum hac expositione de vita Henrici IV. historiam auctoris ἀνωνύμου, & alteram Bennonis de Gregorio VII. quæ vtraq; nostro quoq; studio prodiit. Enimuero in Anastasio Cæs. prædicatur, quod ad sui temporis Ecclesiasticorum quorundam petulantiam conniuere, quàm vel GVTTAM CHRISTIANI

STIANI SANGVINIS EFFVNDERE maluerit. Isthuc ergo & hoc Henrici Imp. iniquissimè circumuenti, & indicta causa iam condemnati, atq; exauctorati, factum referatur. Congruit enim alterius Imp. MICHAELIS Rangabæ factum apud Curopalatem, qui Leoni Armenio, vi & fraude imperium rapienti, vltrò cessit, SATIVS ARBITRATVS, vt idem Curopalates loquitur, VELIPSAM VITAM PROFVNDERE, QVAM PARVAM CHRISTIANI SANGVINIS GVTTAM EFFVSAM INTVERI.

bus tetendit inuentoquè Papa in oppido Canusino, ibi per triduum ante portam castri, deposito omni regio cultu, discalciatus & lanis indutus perstitit, nec prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit, quàm omnium, qui ibi aderant, precibus & lachrymis intercedentibus, laxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam & sinum matris Ecclesiæ receptus est, acceptis ab eo in futurum vitæ suæ correctionis securitatibus multis. Accepit igitur Rex in mandatis, vt anno integro Roma non discederet, equum non ascenderet, sed in veste humili circuiret limina ecclesiarum, orationibus & jeiuniis redditus dignum pœnitentiæ fructum. Quod Rex humiliter adimplere satagebat. Videntes igitur Cardinales, & hi qui de curia erant, quòd præ timore sedis Apostolicæ contremiscunt potestates, & curuantur, qui portant orbem, suggesserunt Apostolico, vt transferret regnum in alium virum, dicentes, indignum esse talem regnare, qui de publicis conuictus esset facinoribus. Percontanti autem Apostolico, quisnam in Alemania dignus esset tanto culmine, designatus est Dux Sueuorum Rodulfus, quòd scilicet fuerit vir bonus & amator pacis, & circa cultum sacerdotii & Ecclesiarum optimè affectus. Cui Papa auream transmittit Coronam, hoc versu intitulatam.

Exauctoratur fraude Papæ.

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Præcepitquè Moguntino & Coloniensi cæterisquè Episcopis & Principibus, vt adiuuarent partes Rodulfi, & statuerent eum Regem. Quotquot igitur receperunt verbum Papæ, elegerunt Rodulfum in Regem, additiquè sunt ejus parti Saxones & Sueui. Cæteri Principum ciuitatesquè, quæ sunt circa Rhenum, omnesquè Francorum populi, non receperunt eum, eo quòd jurassent regi Heinrico, & juramenta temerare noluissent. Porrò Heinricus consistebat apud Romam, mandatis obsecundans, ignarusque malorum, quæ aduersus eum agebantur. Anno Domini M. LXXVII. Rodulfus, indigena Sueuiæ, quæ regalis omnino stemmatis aliena est, à Principibus Saxoniæ, fauentibus Sigefrido Moguntino, & Adalberone Wirceburgensi, Bertolo quoque Duce Carinthiæ, in præsentia quorundam Romanæ sedis legatorum apud Forchem in Regem eleuatur, & ab eodem Sigefrido apud Moguntiam XII. Kalend. Aprilis in Regem vngitur. Vbi eodem die seditione facta, multa turba vulgi cæsa est ab eiusdem militibus. Vnde vulgus accensum multos ex ipsis obtruncauit, cæterosquè in curtem Palatii fugauit, ipsasquè regias ædes incendere voluit, nisi quod Sigefridus Episcopus pro veloci discessione Rodulfi obsidem se interposuit. Ita Rodulfus, & cuncti qui cum eo venerunt, eiecti sunt. Sigefridus quoque Episcopus magnis blasphemiis eliminatus, Moguntiam non intrauit amplius. Surrexit interea quidam Stuceburgensis Episcopus, amicissimus regis Heinrici, & velociter vadens Romam, diu quæsitum Regem inuenit inter memorias Martyrum deuersantem. De cuius aduentu Rex lætior effectus, cœpit percunctari de statu regni, aut si omnia in pace consisterent. Cui ille indicauit nouum Principem electum, factuque opus esse, vt quanto citius Teutonicam terram reuiseret, ad confortandos amicorum animos, & conatus hostium comprimendos. Cumque Rex prætenderet, nequaquam sibi sine licentia sedis Apostolicæ abeundum, ille respondit: Noueris certè, hoc omne conspirationis malum de fonte Romanæ perfidiæ manasse, imò si captionem euadere voles, de vrbe tibi

Ordines Imperij scinduntur in contraria studia.

Inauspicata Rudolfi inauguratio.

Episcopi Argentin. fides.

Sedes Romana Imperij pestis.

tibi clanculo exeundum est. Egressus igitur ex vrbe Rex noctu exiit Italiam, firmatisque pro tempore rebus in Longobardia, venit in Teutoniam. Lætati sunt de insperato aduentu Principis omnes ciuitates Rheni, & vniuersi qui fauebant parti eius. Congregauitque exercitum grandem, vt expugnaret Rodulfum. Fuitque cum eo famosus ille Dux Godefridus, qui postea liberauit Jerusalem, multique potentum. Saxonum verò & Sueuorum exercitus erant cum Rudolfo. Rudolfus Wirceburg obsidet, sed terrore Heinrici de Italia reuersi mactè abscedit. Heinricus Rex cum exercitu suo Alemanniam petit. Hugonem aliosque sibi rebelles inibi, prouincia vastata, debellat. Bertoldus Dux obiit. Vto, Treuirorum Archiepiscopus, obiit.

Imperator ἀμυνόμενος

¶ *In eandem fere sententiam Pandulfus Collenutius pag. 153. Pius Pontifex, inquit, in historia Australi scripsit, nihil excellenter malum in Ecclesia Catholica patrari, cuius prima origo non à sacerdotibus dependeat &c.*

Anno Domini M. LXXIIX. Bellum juxta Strovvi VII. Idus Augusti, in quo Wecilo, Magdaburgensis Archiepiscopus, occiditur, Magnus Dux despoliatur, Hermannus Comes, eiusdem Ducis patruus, & Albertus, Wormatiensis Episcopus, capiuntur, pluresque de militibus Saxonicis turpiter sunt interempti. Ex parte quoque regis Heinrici Poppo mirè fortis occubuit. Anno Domini M. LXXIX. Iterum bellum inter Heinricum & Rudolfum juxta Fladecheim, vbi in primo congressu Saxones terga vertunt. Ibi Dux Boëmiæ Vladislaus regalem lanceam Rodulfi adeptus est, quæ exinde semper quemuis illius gentis Ducatu insignem in omni festiua processione præcedit. Anno Domini M. LXXX. conuentus XXX. Episcoporum & optimatum Italiæ & Germaniæ apud Brixinam Noricam jussu regis Heinrici habetur contra Gregorium Papam, quem de sede Apostolica depellendum, quamuis absentem, diiudicabant, & Wicbertum, Rauennensem Archiepiscopum, ipsi subrogandum eligebant. Anselmus autem, Lucensis Episcopus, vir litteratus, ingenio acutissimus, & facundia præcipuus, & quod omnibus maius est, in Dei timore & sancta conuersatione nominatissimus, qui etiam tam in vita, quàm post mortem miraculis claruit, scripsit epistolam ad eundem Wicbertum, in qua illum præuaricatorem ac superbum cognominat, Hildebrandum verò Gregorium Papam patrem suum appellat. Bellum inter Heinricum & Rodulfum juxta fluuium Ellestram geritur, in quo Rodulfus vulneratus in manu dextra, fugit Merseburg, mortique jam proximus dixit ad familiares suos: Videtis dexteram meam de vulnere sauciam: Ecce hæc est manus, qua Domino meo Heinrico fidem firmaui sacramento, sed jussio Apostolica, Pontificumque petitio, me ad id deduxit, vt juramenti transgressor, honorem mihi indebitum vsurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu, vnde juramenta violaui, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo hi, qui nos ad hoc instigauerunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti simus in præcipitio damnationis æternæ. Et hæc dicens, diem clausit extremum.

Clades Saxonum.

Altera Fladecheim.

Vratislaus Dux Boiē.

Synodus Brixin. contra Papam.

Anselmus Episc. zelota Gregorianus. ¶

ἀδράξειν in Rudolfum. ¶

¶ *Vltra Sauromatas, & glacialem Oceanum eundum est ijs, qui Hypocritas effugere cupiunt, & cum eo venerint, nihilominus non carebit hypocrisi locus. Hæc AEneas Syluius.*

¶ *Sua quemq; fraus, & suus error maximè vexat, suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit, suæ malæ cogitationes amentiaq; animi terrent: hæ sunt impiis assiduæ domesticæquè furiæ. Cicero pro Roscio Amerino. Pertinet eodem locus Senecæ Epist. 16. Item Iuuenalis Sat. 3.*

Anno Domini M. LXXXI. Heinricus Rex Romam profectus est, habens in comitatu suo Liemarum, Bremensem Archiepiscopum, penes quem tunc summa consilii erat. Et resistente sibi Papa Hildebrando cum Romanis, ante castellum Sancti Petri castra posuit, vbi etiam crebris per biennium incursibus Romanorum infestatus, parua manu multa viriliter peregit.

Imperator obsidet Papam.

Monaſterium Bauenbergenſe crematur in vigilia Paſchæ. Bellum inter Conradum, Ducis Boëmiæ fratrem, & Luitpaldum Marchionem IV. Idus Maii. *Tumultus per Imperium.* Item aliud inter Alemannos & Bavvaros III. Idus Auguſti juxta Danubium. Apud Hochſtein, vbi Palatini Comitis Chononis filius, Chono, occiſus eſt. Saxones & Alemanni ad colloquium venientes in orientalem Franciam non ſine magna clade eiuſdem Prouinciæ redierunt. Anno Domini M. LXXXII. *Hermannus Rex tragicus.* Hermannus quidam vir præpotens, ac nobilis ex Germania, à Saxonibus Rex conſtituitur. Cui cùm ſuis in partibus nemo bellicis in rebus, atque diuitiis, poſſet æquiparari, ſumto Regis nomine tam ſuis quàm alienis cœpit in breui deſpectus haberi. Anno Domini M. LXXXIII. Hermannus cum *φάντασμα.* paucis orientalem Franciam hoſtiliter inuadit. Et per eandem partem vſus quaſi equitum diſcurrens exercitus, cuius tamen veſtigia nullo modo ponerant agnoſci. Heinricus Rex Paſcha celebrauit apud Sanctam Ruffinam, *Roma capta.* moxque Romam tendens, caſtra poſuit, vbi & prius, ad occidentalem partem caſtelli ſancti Petri, captaque eſt Roma IV. Non. Junii, feria VI. ante octauum Pentecoſtes. Hoc tempore Papa Hildebrandus in caſtello Cerſeotiæ, quod vulgò domus Theodorici appellatur, incluſus exſpectabat euentum rei. Rex verò in Palatino monte munitionem inſtituens, multos eorum, quos in præſidio poſuerat, ingraueſcente ſuper eos æſtatis inſueto furore amiſit, ſed & alios multos eadem mortalitas abſumpſit. *Peſtis.* Romani autem XX. obſides Regi dantes ex nobilibus, petierunt diem conſtitui, in qua Papa & *Fuga Papæ.* omnes Senatores in præſentia Regis venirent. Papa autem ad ſtatutum tempus ſcilicet Kalend. Nouembris, in præſentia eius non venit, fugiensque occultè Salernam ſeceſſit, ibique vſque ad diem mortis ſuæ permanſit. Anno Domini M. LXXXIV. Heinricus natalem Domini Romæ apud ſanctum *Imperatoris ſucceſſus.* Petrum celebrauit. Inde in Campaniam tranſiens, ipſam & magnam Apuliæ partem cepit. Poſt hæc per legatos rogatus Romanorum, vt pacificus rediret, Romam rediit, & ad portam Lateranenſem caſtra ponens, omnes deditiones accepit, ipſisque petentibus, vt Wicbertum, Rauenatenſem Epiſcopum, eis Apoſtolicum præficeret, XI. Kalend. April. feria VI. ante diem Palmarum cum gloria magna intrauit, ducens ſecum prædictum Epiſcopum. Qui ſequenti dominica per multos Pontifices Apoſtolico nomine dicatus *Inauguratio.* nomenque Clementis accipiens, eſt intronizatus : A quo Rex cum Regina Bertha in dominica Paſchæ imperiali benedictione ſublimatus eſt. Inde digrediens, Auguſtam ciuitatem, ab Alemannis inuaſam obſedit, & expoſ. Sigifrido Mogontino Wecil ſucceſſit. Anno Domini M. LXXXV. Synodus *Synodus Mogunt.* Moguntiæ habetur, cui interfuit Imperator cum Papa Wiberto. Vbi præſentibus Romanorum legatis, omnes Epiſcopi rebelles Imperatori deponendi judicantur, cæteri verò cum Papa Gregorio, quem Regni traditorem, & Eccleſiaſticæ pacis perturbatorem nominat, anathemate condemnabrur, Adelberoni Wirceburgenſi Meinhardus ſubrogatur. Hildebrandus Papa, qui *¶ Adiungantur hic, quæ habet Sigebertus ad an. 1085. Socij factiones Gregoriana.* & Gregorius, apud Salernam moritur, cui Deſiderius, Cardinalis Romanus, & Abbas Caſſinenſis, verus Chriſti famulus, licet multum renitens, ſubtuitur aſſenſu Nordmannorum, & Matthildis, potentiſſimæ per Italiam feminæ, cunctorumque eiuſmodi ſectam æmulantium. Et hi quidem, qui videbantur perfectiores, & columnæ in Domo DEI, adhæſerunt ſicut Gregorio, ita & Deſiderio, cæteri verò, quos aut timor aut fauor Cæſareus aggebat, ſecuti ſunt Wicbertum, qui & Clemens, durauitque ſchiſma hoc annis XXV. Defuncto enim Deſiderio ſucceſſit Vrbanus, deinde Paſchalis, qui omnes Imperatorem cum Papa ſuo excommunicationis ſententia damnauerunt, continentes ſeſe apud Reges Franciæ, Siciliæ & Hiſpaniæ, qui Catholicam partem tueri videbantur. Anno Domini M. LXXXVI. Heinricus *Wirceburgum amiſſum & recuperatum* Imperator Saxoniam vaſtat. Wirceburg à Saxonibus & Alemannis obſidetur.

Ad

Ad quam Imperator copiosum ducens exercitum, pugna juxta Blechfelt commissa, digreditur absque victoria. Mox vrbe ab hostibus capta. Adalbero introducitur, relictoque cum eo militari præsidio, ad propria quisque profiscitur. Sed paulo pòst eadem vrbs ab Imperatore recipitur, expulsoquè Adelberone cum suis, Meinhardus restituitur. Anno Domini M. LXXXVII. Hermannus Clusloch, Saxonum Rex, cùm jam secundo potitus victoria castrum quoddam victor ingrederetur, contigit miro Dei judicio, vt porta cardinibus auulsa Regem cum aliis quàm pluribus attriuerit. Conatusque Saxonum etiam tunc frustratus concidit, nec adiecerunt vltrà arma ferre adversus Cæsarem. Anno Domini M. LXXXIIX. Translatio sancti Nicolai de Mira in Barum. Berta Imperatrix obiit, & sepulta est Spiræ. Bucco, Halverstadensis Episcopus, occiditur Goslariæ. Augusta ciuitas à Sueuis in cœna Domini capta, II. feria Paschæ destruitur, Sigifridus, eiusdem vrbis Episcopus, custodiæ mancipatur, Wigoldus inuasor eiusdem Ecclesiæ, intra paucos dies moritur. Meinhardus Wirceburgensis Episcopus obiit. Cui Emehardus successit, viuente adhuc Adalberone. Wecilo Moguntinus obiit. Cui Rothardus successit. Anno Domini M. LXXXIX. Imperator nuptias Coloniæ celebrat, quandam Ottonis Marchionis viduam ducens vxorem. Post hæc obsedit castrum Gliche, sed Ecbertus Marchio eum inde fugauit, ibiquè occisus est Burchardus, Lassanensis Episcopus, qui lanceam regalem ferebat. Ibi etiam Liemarus, Bremensis Archiepiscopus, captus est à Comite Ludero, qui postea regnauit, qui dedit pro redemptione sua Aduocatiam Bremæ, & CCC. marcas argenti, & ita restitutus est Episcopatui suo. Hic basilicam, quam Albertus prædecessor suus cœperat ædificare, de incendio villæ parumper maculatam, funditus destruxit, & à fundamentis hanc, quæ hactenus cernitur, construxit. Anno Domini M. XC. Imperator Italiam ingreditur, ibique ferè per annos VII. moratur. Prædictus Ekbertus à quibusdam Imperatoris fidelibus in quodam molendino pausandi gratia deprehensus, turpiter occiditur. Adalbero, Wirceburgensis Episcopus, obiit. Welp junior habitu peregrini Italiam ingrediens, Matthildam vxorem accepit. Anno Domini M. XCI. Visi sunt per multas regiones vermiculi nimis ignoti, non longè à terra volantes, ita vt vel manu vel virga tangi possent, grossitudine quidem muscis æquales, sed longitudine satis deductiores, quorum tam infinitus extitit exercitus, vt vnum pene milliarium in latitudine, tria in longitudine occuparent, densitate verò sua ipsam Solis lucem terris negarent. Per quam prodigiosam visionem, illam, quæ post quadriennium facta est, profectionem quidam interpretati sunt figurari. Anno Domini M. XCII. Pestilentia magna facta est hominum atque pecudum. Anno Domini M. XCIII. Conradus, filius Imperatoris & Berthæ Imperatricis, patri suo rebellat. Hæc est autem causa rebellionis. Imperator Heinricus detestabili malitia cœpit prosequi vxorem suam, Vtonis viduam, de qua suprà dictum est, ita ut quoslibet, quod dictu nefas est, ad eam comprimendam inuitaret, tandem filio suo proprio Conrado, quem jam coronauerat, vt ad eam ingrederetur, præcepit. Qui facinus exhorrens, non inquit, Domine. filius enim vester sum, & illa vxor vestra. Et Rex, non es, ait, filius meus, sed peregrini. Erat autem idem Conradus simillimus cuidam peregrino Principi de Sueuia. Regina tandem à custodia elapsa, venit in Italiam ad præpotentem illam Machtildam, & eius conductu ad Papam Vrbanum, cui suam calamitatem lamentabiliter exposuit. Papa verò tam horrendi criminis accusatione permotus, denuò Imperatorem excommunicauit. Regina verò

Hermanni nex.

Cades Buccon Episc.

Wigoldus Augustam.

Imperatoris nuptiæ.

Clades. Ludero, qui postea LOTHARIVS Imp.

Cades Ecberti March.

Welfi junioris nuptiæ.

Prodigium

Pestilentia contica.

Conradus Rex patri rebellat.

¶ Dona Verba : Nihil enim de Sycophantica hac calumnia Sigeberti, nihil author de Vita Henrici IV. Nec planè conuenit Helmoldus lib. 1. cap. 28. Sclauorum.

tensi potius attigit, quàm explicauit. Noster author Dodechinum secutus videtur, nempe Monachum Mosomum, cascus cascam.

* Ruſſiam. verò reuerſa eſt in * Ruciam, & monaſterio ſe mancipauit, & facta eſt tandem Abbatiſſa. Illis temporibus claruit Anſelmus, Cantuarienſis Epiſcopus.

Anſelmus Henrico-maſtix. Hic deteſtabatur Heinricum, ſicut & cæteri Epiſcopi, appellans eum in quadam epiſtola ſucceſſorem Neronis & Juliani Apoſtatæ contra vicarium Petri.

Eclipſis Solis. Eclipſis ſolis facta eſt IX. Kalend. Octobris, hora tertia diei, & Draco viſus eſt, & mortalitas magna ſubſecuta eſt.

¶ *Quam nugator iſte diſſimilis vel Ethnica mulierecula Thoanô? Hæc enim juſſa diù Alcibiadem abſentem deuouere, excuſans ſe reſpondit:* διζῆσ᾽ ἐ. ηρτεμῶν ἱερέων χρησίων. *Et nota de magiſtratu ſanctio cæleſtis, maledicta execrationis. Referendum igitur ad hunc Bonaſium locum Bernardi: Prælati eſſe volunt formidini, vtilitati rari.*

Anno Domini M. XCVI. Imperator in Italiam proficiſcitur. Eodem

Prodigium. anno die quadam adueſperaſcente, nulla in aëre apparente nubecula, diuerſis in locis globi ignei emicuerunt, rurſumquè in alia cœli parte ſe condiderunt. Quod non ignem, ſed Angelicas fuiſſe poteſtates, animaduertum eſt, vagatione ſua eam, quæ poſtea totum penè corripuit occidentem, ſignificantes commotionem, & de locis ſuis populi præmonſtrantes profectionem. Eodem anno Petrus quidam genere Hiſpanus, profeſſione Monachus, ingreſſus fines Romani Imperii, vocem prædicationis emiſit in vniuerſo regno, adhortans populum ire Hieroſolymam pro liberatione ciuitatis ſanctæ, quæ tenebatur à Barbaris. Protulit autem Epiſtolam quandam, quam de cœlo affirmauit allatam, in qua continebatur ſcriptum, quia impleta ſunt tempora nationum & cætera. Tunc igitur vniuerſarum poteſtates regionum, Epiſcopi, Duces, præfecti, militares & plebeii viri, Abbates, Monachi, mulieres cum pueris aggreſſi ſunt iter Hieroſolomitanum. Claruit inter hos viatores Dux Lotharingiæ, Godefridus. Qui etiam nefandiſſimas Judæorum reliquias per ciuitates, quas tranſibant, aut omnino delebant, aut ad baptiſmatis refugium compellebant. Vrbanus quoque Papa, omnisquè Eccleſiæ Romana, excitatus in zelum frequentibus nunciis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſuper oppreſſione Dominici ſepulchri, ac deſolatione omnium Orientalium Eccleſiarum, quas gens ferociſſima Turcorum per aliquot annos ſuo ſubactas dominio, inauditis calamitatibus jam jamque deleuerat, conquerentis, Epiſtolis quoque Alexii, Imperatoris Conſtantinopolitani, ſe non ſufficere ad defenſionem earundem Eccleſiarum deplorantis, generale concilium in Hiſpaniæ confinio congregari fecit. Quo etiam laborioſo nimis itinere perueniens, innumeris, qui ibi conuenerant, populis, diuerſorumque regnorum legatis, vniuerſa quæ ad eum ſcripta fuerant, & multo ampliora, ore facundiſſimo declamauit. Mox tot millibus in lachrymas reſolutis, variarum quoque linguarum planctibus in altum leuatis, Doctor egregius in hoc eis remiſſionem omnium condonat peccatorum, ſi renuntiantes omnibus, quæ poſſidebant, crucem vnanimiter poſt Chriſtum portarent, periclitantibus Chriſtianis ferrent auxilium. Deſignata ſunt ad præſens citer C. M. virorum in Domini militiam. Et tunc peregrini ſignaculo crucis in veſtibus ſignati ſunt, omnes quidem vnius regis Chriſti milites, ſed ſingulis Ducibus procuratæ ſingulæ gentes. Godefrido Lotharingii, eique fratribus Baldvvino & Euſtachio, Roperto Flandrenſes, item Roperto Nordmanni, Reginmundo, Comiti de ſancto Ægidio, de Prouincia populi, Hugoni fratri Philippi, regis Galliæ, * cæterisque eiusdem induſtriæ, nobilitatis atque fortitudinis. His omnibus venerandæ ſenectutis & ſapientiæ virum, Hademarum Epiſcopum, præfatus Apoſtolicus præfecit, cui etiam ligandi ſoluendique poteſtatem ſua vice exercendam conceſſit, inſignitamque cœleſtis militiæ ſtigmate exercitum Apoſtolica benedictione conſignauit. condicto ab vniuerſis tempore profectionis, ipſe cum non modica eiuſdem expedi-

Bellum ſacrum.

¶ De hac hiſtoria copioſiſſimè Chronicon noſtrum Hieroſol.

Godefridus, Dux Lotharing.

Querimonia Eccleſiæ Hieroſol. & Alexij Imp. de Turcis.

Concilium Claremont.

Expiatio Papalis.

Sacra militia ſymbolum.

Duces.

Hademarus Epiſc. Propapa.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

expeditionis turma in Italiam rediit. Legatis deniquè singulis ad propria missis, mox orbem cunctum hæc fama commouit. Insuper, quod dictu mirabile est, ipsum Oceanicum limitem superuolans, insulanorum etiam classibus maria ipsa in cœlestis regis militiam redundare fecit. Præterea signum in Sole, multaquè quæ tàm in mari quàm in terris portenta apparuerunt, ad huiusmodi exercitia non paucos antea torpidos excitauerunt. *Ostenta.*
Nam & tunc Cometam, in plaga meridiana stantem, suum splendorem in obliquum gladii more protendentem, circa Nonas Octobris multi viderunt. Post hæc VI. Kalend. Martii stellam aliam, in oriente locum suum longo interstitio saltibus mutantem, conspexerunt. Nubes quoque sanguineæ tam ab oriente quàm ab occidente surgentes, sibiquè inuicem in cœli centro concurrentes, rursumquè mediis ferè noctibus à septentrione igni exsurgentes splendores, plerumquè etiam faculæ volitantes per aërem, à plerisque visæ sunt. Quidam etiam presbyter, Suiggerus nomine, cuiusdam diei hora ferè nona duos equites in aëre concurrentes, diuque certantes conspexit, alterumquè qui etiam crucem non modicam ferebat, qua percutere videbatur, in altero victorem existere. Alius etiam presbyter Monachus hora quadam meridiana cum duobus comitibus in sylua deambulans, gladium miræ longitudinis venti vertigine, ignotum vnde levaretur, in sublime deferri vidit, & quo vsque visum latitudo celaret, tam fragorem auribus, quàm metallum oculis discreuit. Referebant aliqui, qui in equorum pastibus vigilabant, ciuitatis speciem se in aere vidisse, diuersas etiam turmas diuersis ad eam partibus, tàm equestri quàm pedestri itinere properantes, perspexisse. Nonnulli etiam crucis signaculum sibimet in frontibus, vel vestibus, siue in quo libet corporis loco, diuinitus impressam ostendebant, ipsoquè se stigmate ad eandem Domini militiam præscriptos credebant. Item aliis, subita mentis mutatione compunctis, vel visione nocturna edoctis, prædia resque familiares distrahere, signumque mortificationis vestibus assuere placuit. Et in his omnibus, vltra quàm credi potest, cateruatim currentibus ad Ecclesias populis, nouo ritu gladios cum fustibus & capsellis sacerdotalibus benedictio dispertiuit. Eodem tempore mulier quædam duobus annis continuis imprægnata, tandem dirupto vtero filium loquentem profudit, eumque per omnia bimembrem. Alii autem alterum bino capite. Agnelli quoque aliqui binis capitibus exorti sunt. Pulli etiam equorum dentes maiores, quos equinos vulgò appellant, quosque non nisi caballis concedit natura, in ipso partu protulerunt. His & huismodi signis tota creatura in creatoris militiam cohortante, inimicus humani generis milites Christi per suos satellites multis seductionibus impugnare non cessauit. Anno Domini M. XCVII. Heinricus Imperator ab Italia rediens, Ratisbonam venit, ibiquè aliquandiu moratus, Judæis, qui baptizari coacti sunt, legibus suis vti concessit. Interea Godefridus, Dux Lotharingiæ, vir genere, armis & ingenio clarissimus, qui priori anno cunctis, quæ possidebat, in precium redactis, militibus copiosis, fideque non modica instructus, iter per orientalem Franciam fecerat, & tam Heinrici Imperatoris, quàm regis Colomanni permissione Pannoniam Bulgariamque permeârat, Constantinopolitano fœderatur Imperatori, eiusque præsidiis fultus Romaniam attigit. Ibi sociatis sibi tam Siciliæ quàm Græciæ, Danorum, Nordmannorum, cæterorumque transmarinorum exercitibus, frequenti congressu barbaros atterere cœpit. Tandemque Romania subacta, & Nicæ expugnata, Antiochiæ consedit obsidio. Heinricus Imperator Moguntiæ cum Principibus colloquium de pace habuit, & natalem Domini apud Argentinam celebrauit. Eo anno æstas fertilissima, hyems verò lenis & pestilens fuit, imbrium & fluminum inundationes increuerunt. Anno Domini M. XCVIII. Luna Paschali XII. Kalend. Aprilis

Enthusiasmi.

Partus prodigiosi.

Iudæi coacti baptizari.

Godefridi expeditio.

Successus.

Primordia Monachorum Cistercienſium.

Indictione *VI.* epacta *XV.* concurrente *IV.* ſumſit initium Ciſtercienſe collegium.

Hieroſolyma capta.

Anno milleno cum centeno minus vno,
Jeruſalem ſcribo captam Duce ſub Godefrido.

HENRICVS V. deſignatur Rex.

Heinricus Imperator natalem Domini Coloniæ celebrauit, in Epiphania verò Aquisgrani filium ſuum Heinricum juniorem quintum Regem fecit, reprobato majore filio Conrado, quem prius coronauit. Conradus verò cauſam rebellionis ſuæ paucis tantùm, ſibique familiariſſimis detegens, aſſumto quodam ex ordine miniſterialium patris æquè Conrado nomine, forti & prudenti viro, per quasdam Italiæ partes & nomen & dignitatem Regis annis ferè *IX.* obtinuit. Erat autem vir per omnia catholicus, & Apoſtolicæ ſedi ſubiectiſſimus, plus religioni quàm faſcibus vel armis deditus: fortitudine tamen & audacia ſatis inſtructus, lectioni quàm luſibus vacare malebat; miſeris omnimodis, ſed præcipuè militibus inopia ſtrictis, compaſſione & miſericordiæ fructu proximus fiebat, nemini contemptum, nemini vim, nemini præiudicium intendens, omni perſonæ, omniquè conditioni fuit affabilis, indeque non immeritò Deo & hominibus ſemper extitit amabilis. Hoc anno Conradus, Traiectenſis Epiſcopus, à ſuis occiſus eſt. Hermannus, Colonienſis Epiſcopus, obiit. Cui Fredericus ſucceſſit. Fames improuiſa in multis locis inualuit. Vrbanus Papa deceſſit. Hic ſuper Eccleſiarum hactenus heu manente commotione, congregauit multa concilia, multa etiam decreta promulgauit, inter quæ, conuocatis ad Placentiam ciuitatem CC. ferè patribus, Heinricum Imperatorem tam à ſe quàm à prædeceſſoribus ſuis communione priuatum declarauit, maximè Regina ipſius Cæſaris vxore, aſtante, multaque in illum nefanda ad aures totius Synodi teſtificante. Sed antequam ex hac vita migraret, ſpiritu inſtinctus divino, Reinerum Cardinalem de ſancto Clemente, ſanctæ conuerſationis, & boni teſtimonii, Abbatem Romanum, deſignauit in regimen Apoſtolicum eligendum, quem etiam reuelationibus inſuper denotatum vniuerſa Romana Eccleſia paſtorem ſibi conſecrat, licet inuitum, Paſchalem appellans eum. Hoc anno Godefridus Dux, Regimundus, Comes ſancti Ægidii, Ropertus, Comes Flandriæ, Ropertus, Comes Nordmanniæ, cum turmarum copiis, quibus præerant, multa vſque Jeruſalem difficultate pertingunt, quarto jam anno poſtquam in eadem militia pro Chriſto tanti ſe bellatores ſponte crucifixerunt. Cuius in obſidione cùm laborarent maximè propter aquæ inopiam, habito conſilio, Epiſcopi & Principes circumeundam eſſe ciuitatem nudis pedibus prædicabant, vt ille, qui eam in humilitate ingreſſus eſt, per humilitatem ipſorum eam illis aperire dignaretur. Placatus itaquè hac humilitate Dominus, *IIX.* poſthac die ciuitatem illis tradidit, ſicuti ſuperius in deſcriptione huius anni in duobus verſibus continetur, eo videlicet die, quo primitiua Eccleſia inde abiecta fuit, cùm feſtum de diſperſione Apoſtolorum à multis fidelibus celebratur. Monaſteria à Sarracenis deſtructa reædificantur. Solum namquè ſepulchrum Domini, quæſtus duntaxat gratia, intemeratum relictum fuerat, templumque Domini famoſiſſimum, & nulli humani operis ſtructuræ comparandum, ſacrilegæ paganorum religioni deditum fuerat, tantæque ſemper apud eos haberetur venerationi, vt nunquam illud niſi nudis & lotis pedibus intrarent, nullum verò de Chriſtianis, quos vtiquè maximè immundos judicabant, per tot annorum curricula tam Sarracenorum quàm Turcorum tempore, vel intra atrium ingredi permitterent. Rex enim Babyloniæ cùm exercitus, ſicut ſuprà dictum eſt, in obſidione Antiochiæ moraretur, miſſis legatis, pacem cum Chriſtianis

Conradi rebellis elogium.

Vrbani Papæ concilia.

Anathematiſmi.

Paſchalis II. ſucceſſor

Tempus obſeſſæ & captæ Hieroſol.

κακοζηλία.

Sepulchrũ & templũ Domini.

¶ De rege Babylon. qui eſt Ca-

Christianis fecerat, & eis fauentibus Hierusalem obsederat & ceperat, sed Turcis fugatis, omni ciuitatem conatu machinis atque militibus contra Christianorum aduentum præmunierat. Sicque factum est, vt Hierusalem bis caperetur anno vno, primò à Sarracenis de manu Turcorum, deinde à Christinis de potestate liberata Sarracenorum. Erat autem tanta multitudo occisorum, vt in porticu Salomonis, & in templo eius, Christiani victores equitarent in sanguine Sarracenorum vsque ad genua equorum. Nunciatum est eis interea, quod Rex Babyloniæ Ascalonem venisset cum innumerabili multitudine paganorum, ducturus Christianos, qui Hierusalem erant, in captiuitatem, & expugnaturus Antiochiam. Relictis igitur sarcinis suis infinitis in Hierusalem cum præsidio, contenderunt obuiam illis: Cumque hostium exercitum innumerabilem vidissent, flexis genibus Dominum inuocarunt, vt qui in aliis necessitatibus illis semper affuerat, in præsenti quoque bello succurrere dignaretur. Nec mora clamantibus ad se Dominus affuit, atque tantas audaciæ vires ministrauit, vt pro solo impetu eorum hostes in fugam versi sint. cùm tamen in exercitu Christiano V. mill. equitum & XV. mill. peditum fuissent, in exercitu verò hostium C. mill. equitum & CCCC. mill. esse peditum potuissent. Omnia etiam arma eorum diripuerunt, ita vt si deinde resistere vellent, non haberent arma, in quibus confiderent. Ceciderunt ibi plusquam C. mill. gladio. Timor autem illis tantus erat, vt in porta ciuitatis ad II. mill. suffocati sint. Pridie autem quàm bellum fieret, multa millia Camelorum & boum & ouium cepit exercitus. Cumque jussu Principum populus hæc dimisisset, multas & multiplices turmas fecerunt Cameli, oues & boues, atque ita comitabantur exercitum, vt cum stantibus starent, cum procedentibus procederent, cum currentibus currerent. Nubes etiam ab æstu Solis Christianos defendebant, & refrigerabant, tantaque erat abundantia alimentorum, vt aries nummo, bos siclo venderetur. Celebrata itaque victoria, reuersus est exercitus Ierusalem, & relicto ibi Duce Godefrido, Regimund, Comes sancti Ægidii, & Ropertus, Comes Nordmanniæ, & Ropertus, Comes Flandriæ, Laodiceam reuersi sunt, ibique classem Pisanorum & Boëmundum inuenerunt. Cumque Archiepiscopus Pisanus Boëmundum & alios cum eo discordantes concordare fecisset, Regimundus pro DEO & pro fratribus regredi statuit, magna verò multitudo ad patriam remeare contendit, cæteri qui remanserunt, terram, DEO disponente, in pace obtinuerunt. Interea Dux Godefridus Ecclesias Clerumque, quantum potuit, renouauit, cœnobitas alibi congregauit, donaria multa tam monasteriis quàm hospitali, quod nunquam defecerat in Jerusalem, deuotissimè contulit. Anno Domini M. C. Sub Godefrido Duce, Hierosolymitanam Ecclesiam defensante, conuentus ingens factus est in Hierusalem ab omnibus, qui sunt in Oriente, Christicolis, maximè qui vel Antiochiæ, vel in Syria Rohas, vel Palæstina resederant, peregrinis, in tantum, vt in ipsis Dominicæ natiuitatis festis quàm plures regionibus adiacentibus consecrarentur Episcopi. Incalescente posthæc æstate, corrumpitur per Palæstinam aër cadauerum fœtore. Dixerunt quidam, fontes à barbaris infectos veneno, vel cisternas occisorum sanie. Vnde exorta pestilentia multos ex peregrinis, vtpote sub aëre peregrino militantes occidit, inter quos ipsum Godefridum nimis immaturè populo DEI subtraxit. Vno tantùm anno populo præsuit XV. Kalend. Augusti plenam fide, operibusque bonis, præsentem in Christo vitam finiuit. Ante montem Caluariæ in vestibulo Golgothanæ Ecclesiæ extat Mausoleum eius lapide Pario constructum. Huic successit in principatu frater eius, Baldevvinus, qui statim inclinans caput suum super Dominici tumbam sepulchri, ipsius se seruituti perpetualiter subjugauit. Posthæc vt maior paganis Christianorum timor incuteretur, die

lipha Aegypti, consulatur Appendix nostra ad Chronicon Hierosol.

Strages Sarracenorum.

Victoria votis parta.

Mirum de brutis.

Classis Pisana.

Godefridus constituit religionem.

Conuentus Hierosol.

Pestis.

Balduinus frater & successor Godefridi.

Pente-

Pentecostes per legatum sedis Apostolicæ accepta benedictione, in Regem coronatur. Deinde Assur & Cæsaream ciuitates maritimas debellauit, cæsisque, qui ibi erant, Sarracenis, regnum suum regis Babyloniæ damno dilatauit. Eodem anno Wicbertus, Rauennensis Episcopus, qui super Hildebrandum Gregorium positus, Clemens Papa dictus est, obiit: Vir vtique satis ingenio, facundia, nobilitate, personæque reuerentia clarus, nec Roma tunc, nec Rauenna benè vsus, & qui vnum Papam viuentem, quamuis coactus, vt aiunt, ascenderat, ipse tres alternatim succedentes superauit, extorris vtraquè sede, & Romæ & Rauennæ, malens, vt ab ipsius ore multi audiuerant, Apostolici nomen nunquam suscepisse. Tunc primùm sopita sunt schismata, & rediit vniuersa Ecclesia ad Paschalem. Eodem anno instituta est congregatio Monachorum in Hersenuelde. Anno Domini M.CI. Conradus rex adolescens IX. postquam à patris Palatio discesserat, anno Machtildi magnæ illi, & nobilissimæ fœminæ, sicut sanguine, ita & connubernio junctus, & in rebus per Italiam disponendis tàm illius quàm Apostolici, cæterarumque DEUM timentium personarum consilio vsus, immaturo præuentus occasu, obiit. Sunt qui eum veneno dicant interisse. Testabatur qui aderant, in brachio suo crucem se vidisse. Eodem anno visus est a quodam ab Oriente in Occidentem volans ignis ad instar non modicæ ciuitatis. Vermiculorum quoque (papiliones à similitudine tabernaculorum vocant) exercitus incredibilis multitudinis per III. continuos dies quasi à Saxoniæ finibus in Bavvariam volabant Mox profectio populosa, & quæ posteriori posset numero æquari, auditis rebus prosperè gestis, Jerusalem subiquitur. Eo tempore Heinricus Crassus, filius Ottonis Ducis, occiditur in Fresia cum aliis multis. Liemarus, Bremensis Archiepiscopus, obiit XVII. Kalend. Junii, cui successit Humbertus. Anno Domini M. CII. Heinricus habito cum Principibus colloquio, Romam se profecturum, ac generale concilium circa Kal. Februar. inibi conuocaturum, condixit, quatenus tam sua quam Apostolici causa Canonicè ventilata, inter regnum & sacerdotium catholica confirmaretur vnitas, quæ tot annis scissa permansit. Constat tamen, nec ipsum juxta placitum venisse, nec nuncia, dignitati Apostolicæ subiectionem profitentia, misisse, quôdque alterum Papam ipsi Paschali imperponere, si fieri posset, conatus sit, nec profecerit. Igitur vbi firmatus est Paschalis in sede Apostolica, præcepit excommunicari Imperatorem ab vniuersis Episcopis, & catholicæ Ecclesiæ cultoribus. Hartvvigus Magdeburgensis Episcopus obiit. Stephanus Haluerstadensis, & Ropertus Bambergensis, Episcopi obeunt. Commissum est prælium à Baldvvino, & his, qui secum erant Hierosolymis, contra infinitam Sarracenorum multitudinem. Vbi dùm inconsideratè res agitur, circumuentis sagittariis Christianis, intra muros ciuitatis Ramæ, quæ vicina erat, cedere compelluntur, Rex verò cum paucis equitibus euasit. Barbari autem cùm plures lapidibus cæstri viderentur, in breui vniuersa mœnia demoliuntur, captisque ac cæsis vniuersis, quos inuenerant, ipsos captiuos cum nunciis victoriæ suæ Babylonem præmittunt, castra autem sua securiter, & quasi jam terram gladio acquisitam possessuri, interim donec nuncii Regis sui redeant, in campestribus illis ponunt. Die autem tertio Baldvvinus Rex superueniens cum exercitu copioso, quem Regimundus à Tripoli, quam nuper deuicerat, & Tancradus ab Antiochia sibi adducebant, quos prius exspectauerat, tanta illos internecione percussit, vt nec libuerit nec profuerit vicisse. Boemundus enim, auunculus Tancradi, ante biennium à Turcis dolo captus, Antiochiæ principatum sibi dimiserat. Anno Domini M. CIII. Imperator natalem Domini Moguntiæ celebrans, filio suo Heinrico regi rerum summam dimissurum, seque sepulchrum Domini visitaturum, per Emehardum Episcopum

Mors Wigberti Antipapæ.

Item Conradi Regis.

Prodigia.

Henrici Crassi cædes.

Imperator consultat de compositione.

Excommunicatur tertio.

Balduini Regis clades.

Victoria insignis.

Imperatoris institutum gratiosum.

pum publicè prædicari fecit, indeque favorem maximum tam vulgi quàm Principum & Clericorum, totiusque regni acquisivit, multosque è diversis regni partibus ad eiusdem itineris comitatum se præparare voto ipso succendit. Chono, filius Ottonis Ducis, frater Heinrici Crassi, noctu à quibusdam funestis interimitur. Anno Domini M. CIV. Heinricus Imperator natalem Domini Ratisbonæ celebrauit, vbi Comes Sigehardus à militibus eius interfectus est. Humbertus, Bremensis Archiepiscopus obiit, cui successit Fredericus. Eodem anno nonnulli palmati, de Jerusalem redeuntes, Accaron à Christianis expugnatam renunciabant, aliaque non pauca super Hierosolymitanæ Ecclesiæ statu, quæ audientibus magnam læticiam ministrabant. Boto Comes, cognomento Fortis, frater Erbonis, jam plenus dierum non longè à Ratisbona obiit, & ad monasterium Tharsirense, quod ipse suis opibus & prædiis largé ditauerat, delatus ibique humatus est. Hi duo fratres, Erbo scilicet & Boto, paterno de sanguine Noricæ gentis antiquissimam nobilitatem tenebant, illius nimirum famosi Erbonis posteri, quem in venatu à Wisonta* bestia confossum, vulgares adhuc cantilenæ resonant, Hartvvici Palatini Comitis filii, qui germanus fuit illius Sigehardi, qui Sigehardum genuerat, Ratisbonæ peremptum. Maternum verò illis erat stemma de Saxonia, & Immidingorum tribu egregia, quæ & Ortonum inclytæ stirpi traditur vicina. Erat enim clarissima, & nobilissima, ac singularis prudentiæ regina, Machtildis, Magni Ottonis mater, filia Theodorici, cuius fratres erant Widikind, Immid & Reginbern. Reginbern autem erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitquè illos, liberans patriam ab illorum incursionibus vsque in hodiernum diem. Et hi erant stirpis magni Ducis Widikindi, qui bellum gessit contra Karolum magnum potens per XXX. ferè annos. De quorum, vt diximus, clarissimorum semine nobilis Friderun, Erbonis & Botonis mater, à Retingo, filio Botonis, filii Retingi, de secundo Botone nati, procreatur, quæ post mortem Hartvvigi statim viduitatis velamine consecratur, adhuc Erbone paruulo, Botone impregnata posthumo. Quorum vterque litteris & armis atque rebus satis profecit. Attamen Boto sicuti corpore procerior & elegantior, ita rebus bellicis præstantior in tantum fuit, vt verè de Gigantibus antiquis vnus fuisse in Pannonia crederetur. Circa solstitium æstiuale, commutato in tempestatem aëre, decidisse fertur inter grandinum lapides in pago Wirceburgensi tantæ magnitudinis glacies, vt in IV. divisa totidem hominibus importabilis esset. In Episcopio verò Spirensi sanguis ex panibus fluere visus, nec non & in lenticulorum edulio prodigiosè repertus, ciuile imò intestinum bellum protendere, secundum antiquam Romanæ historiæ similitudinem coniiciebatur. Iohannes Spirensis, Episcopus obiit

Cædes Cenonis.

Item Sigehardi Com.

Palmiferi Hierosol.

Boto Fortis Com.

Immidingi.

Reginbern.

Friderun Comitissa.

Prodigia.

* *Bisontes inter Hercinia sylva ferat à Cæsare describuntur potius quàm nominantur. Vide Plinium lib. 8. cap. 15. lib. 18. cap. 10. Mansuefieri, atq; adeò ad currum jungi solitos, docet hic Martialis versus: Turpes esseda cùm trahant Bisontes.*

Anno Domini M. C. V. Dum Imperator natalem Domini Moguntiæ celebravit, Heinricus filius eius rebellationem aduersus patrem in Bavvaria parat, machinantibus Dierpaldo Marchione, Berngero Comite, & Ottone quodam nobili viro, sibique materna stirpe cognato, quorum consilio & adiutorio ante paucos dies à latere patris discesserat. Primò quippe hæresin præscriptam anathematizans, Apostolicæ sedis Pontifici debitam obedientiam profitetur. Indeque sociatis sibi Noricis Principibus atque ab Alemannia; nec non orientali Francia, nonnullis nobilibus, ad Saxones conuertitur, A quibus honorificè susceptus, & in Quintilineburg Pascha celebrans, in breui vniuersis Saxoniæ optimatibus potitus, dignitate regia satis est hono-

Henrici V. defectio à patre.

Moguntinus & Constantiensis emissarij Papæ.

Conuentus Northusanus.

ratus. Consilio tamen & ministerio Rothardi Moguntini, & Gebehardi Constantiensis, Episcoporum, responsalium scilicet Paschalis Papæ, totam Saxoniam Romanæ Ecclesiæ communioni reconciliauit, Episcopis vero atque Clericis conuentum generalem in villam regiam, quæ Northusen dicitur IV. Kalend. Junii, vbi super Ecclesiasticæ institutionis jam depravatæ disciplina tractaretur, indixit. In quo concilio idem Rex non modicam spem bonæ indolis magna humilitate simul & authoritate coram omnibus prætendit. Nam cùm seruorum DEI conuentui non nisi vocatus interesse vellet (ingens enim ibi cum Episcopis & Clericis, etiam Abbatum & Monachorum, Ecclesiasticam sitiens vnitatem, turba confluxerat) tandem in abjecto productus habitu, locoque stans editiori, omnibus juxta Principum decreta suas leges atque jura rationabiliter innouauit. Si quâ vero irrationabilia rogabantur, mira & vltra suos annos prudentiæ magnanimitate confutavit, in omnibus his & sibimet miro modo seruans adolescentiæ verecundiam, & Christi sacerdotibus dignam exhibens reuerentiam. Inter hæc obortis lachrymis, ipsum regem cœli testabatur, se nulla regnandi cupiditate paternum regnum sibi vsurpare, neque Dominum & patrem suum à Romano deponi imperio exoptare, imò debitam pertinaciæ & inobedientiæ eius compassionem semper exhibere, sique sancto Petro, suisque successoribus lege Christiana subiici velit, sive regno cedere, sive seruiliter ipsi se subesse promisit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lachrymas simul & preces tam pro patris conuersione, quàm pro filii prosperitate fundere cœpit, voce magna declamans Kyrieeleison. Rebus igitur Ecclesiasticis ibi satis prudenter ordinatis, assumpto secum legato Romano, Bavvariam Saxoniamque adiit, inuasores synodaliter deposuit, reliquos verò fautores Hæresiarchæ ab officio suspendit, ac subiacere examini Domini Apostolici coëgit. Eodem anno Baldvvinus Rex Ascalonem non paruo cingens exercitu, tributariam sibi fieri longa obsidione coëgit. Post duos menses exercitum L. millium Sarracenorum, improuisè se inuadentium, virtus divina ante ipsum IV. tantum millium manibus strauit. Christi clementia peregrinis suis apud Antiochiam, Syriam, Palæstinam, totamque per Asiam prosperante, eorumque seruitute barbaricas circumquaque spurcicias eliminante, inuidus & occultus eatenus Ecclesiæ persecutor Alexius, Imperator Constantinopolitanus, suæ diu rectam perfidiæ rabiem euaginat, Turcis, quibus jam nulla vel rara in Oriente spes regnandi remanserat, se tutissimè conciliat, & Nicæam, fidei Christianæ turrim firmissimam, Salomani Tyranni filiis reddidit, custodias ad prohibendum transitum peregrinis terra marique constituit, Babylonicum regem contra Christianos frequentibus nunciis animauit. Cuius classes contra Antiochenos directas ipsi bello ceperunt, & in confusionem Alexii, nasis atque pollicibus omnium abscissis, eidem Regi, multorum millium homicidæ, vnam de nauibus inde onerantes huiusmodi pulmentum transmiserunt. Boimund quoque jam triennii captiuitate per diuinam solutus providentiam, Italiam nauigio venit, ibique classes fabricari constituens, ipse vsque ad Hispaniæ regna peragrare, cunctamque, quam posset, militiam quocunque pacto contra Tyrannum prædictum cœpit congregare. Eodem anno pridie ante vigiliam natiuitatis Domini visus est ab occidente tantus inter sydera ignis flammare, vt Solis jubar crederetur, si in oriente esset parte. Otto, Saxo genere, quem, sicut prædictum est, Cæsar ducatu priuauerat Bauuariæ, & Welponi Sueuo dederat, obiit. Imperator enim exquisita arte Egmonem quendam non alti seminis, sed viribus & audacia præstantem, accusare fecit jam dictum Ottonem de crimine læsæ majestatis, quod scilicet de nece tractasset Regis. Vnde pro expurgatione dictato duello, per sententiam Principum abiudicatus est ei Ducatus. Hic sepultus est Northem, & habuit

O fucatam nequitiam.

Legatus Papæ flabellum turbarum.

Balduini Regis successus.

Alexius Imp. prodit rem Christianam.

Boëmundi reducis apparatus bellicus.

Prodigium.

Othonis. D. Saxon. mors.

habuit tres filios, Heinricum Crassum, qui fuit Landgrauius, pater Rikenten, Imperatricis, qui occisus est Norden in Fresia, & Cononem, Comitem de Bichelinc, qui etiam occisus est, & Sifridum de Bomeneburgh, patrem junioris Sifridi. Habuit etiam IV. filias, quarum vna mater fuit Conradi de Witin, Marchionis, secunda mater Friderici, Comitis de Arnesberch, cuius vnam filiam duxit Godefridus de Cuc, pater Comitum Heintici & Friderici de Arnesberch, secundam duxit Otto de Cappenberch, cujus filia Elica, vxor Eilmari, mater fuit Heinrici & Christiani, Comitum de Aldenburch, & Præpositi Ottonis Bremensis, Tertia vxor fuit Hermanni de Caluela, quæ genuit Ottonem & Heinricum, Comites de Rauenesberch. Quartam deduxit quidam seruus. Quilibet enim fratrum filiorum Ottonis Ducis in Comitatu Stadensi vnam curiam habuit. Heinricus Crassus habuit curiam Alerstede, Cono curiam, quæ dicitur Connigehoue, in villa Herseuelde. Hic fundauit Catelenburg, & eandem curiam illi claustro dedit, quam postea Fridericus Stadensis primo oppigneratam, deinde emptam Herseuelde dedit. Sifridus habuit curiam Hethuelde, quam filius suus Sifridus dedit claustro Amelingesburne, quam postea Heinricus, Dux de Brunisuuic, emit à Monachis. Hanc tamen, vt dicitur modò, quidam Abbas loci illius apostatare volens, Duci vendidit, conuentu ignorante. Tandem medietate pecuniæ soluta, & re comperta, Abbas fugit, & Dux curiam vsurpavit. Præterea bona in * phoedo data possedit illius curiæ, quæ non fuerunt claustro data. Anno Domini M CVI. ab vrbe verò condita DCCC. * LVII. ab origine autem mundi, ut quidam dicunt, VI. mill. LIIX. Heinricus huius nominis quintus, LXXXIII. ab Augusto, XI. * patris sui anno regnare cœpit, adhuc viuente patre Mediante igitur Heinrico juniore, tantus apud Moguntiam factus est in natali Dominico totius regni Teutonici conuentus, quantus per multa annorum curricula nusquam est visus. Referebant enim, qui aderant, LII. optimates ibi tunc vel eo amplius laicos affuisse, adeò vt solus Dux Saxoniæ Magnus, quem jam grauior ætas impediebat, defuisset. Ibi superuenientes Apostolicæ sedis legati, Episcopus scilicet Albanus cum Constantiensi, sententiam anathematis in Heinricum seniorem, dictum Imperatorem, à tot sibi succedentibus Apostolicis sæpius promulgatam, scriptis simul & dictis testificantes, vniuersam multitudinem, imò totam toto orbe diffusam Ecclesiam, ab eius communione, Christi & beati Petri auctoritate, multis jam annis sequestratam confirmabant, & eo vsque sententia invaluit, vt Heinrico diadema tollendum, & ad filium decernerent transferendum. Venerunt ergo Principes ad eum Hingelesheim, scilicet Moguntinus, Coloniensis, Wormatiensis, & Imperialia ab ipso exegerunt. Quo requirente, quare, obiecerunt ei in conferendis Abbatiis & Episcopatibus simoniam. Quibus Imperator: Dic Moguntine, dic Coloniensis per nomen æterni Dei, quid à vobis receperimus? At illi dixerunt, nihil. Et Imperator: Gloria in excelsis DEO, quia vel in hac parte inuenti sumus fideles. Certè hæ maximæ dignitates potuissent magnum quæstum nostræ cameræ impendisse. Dominus Wormatiensis nouit, & nos nouimus, vtrum quæstu vel gratia ipsum receperimus. Nolite temerare fidem vestram: Ecce jam senio laboramus, sustinete modicum, & nolite in confusione vestram gloriam terminare. Generalem curiam expedimus, si cedendum est, propriis manibus coronam filio resignabimus Illis renitentibus, habito parumper consilio, Imperialibus se vestiuit, hæc dicens: Hæc Imperialis honoris sunt insignia, hæc mihi præstitit æterni regis pietas, & Principum concors electio. Potens est Dominus, nos in his conseruare, & manus vestras à cœpto opere cohibere, quamuis simus armis & militia destituti. Securi enim de tali violentia nobis non præcauimus, sed terror DEI vos coerceat, quos pietas non reuocat.

Filij tres.

Filiæ quatuor.

Amelingsborn monasterium.

* *al. feud.*

Conuentus Moguntiæ.

Magnus D. Saxon.

Legati Papæ fugitij δαδουχοί.

Actio tragica.

Quod si neutrum reueremini, ecce præsentes sumus, non possumus refragari. Hæsitant Pontifices, sed instinctu Moguntini accepto conamine, Regem adeunt, coronam de capite rapiunt, & de sede detractum eum omnibus Imperialibus exuunt. Imperator confusus sic ad eos loquitur: DEUS *O scelus.* ¶ vltionum Dominus videat, & vindicet, quam facitis iniquitatem. Ignominiam sustineo antea inauditam, sed delicta juuentutis meæ luo à justo judice: sed vos immunes non eritis, quia jusiurandum prævaricati estis: Non prosperetur honor vester, sit portio vestra cum eo, qui tradidit Christum. Illi *Imperatoris exilium.* obturantes aures suas recedunt, filio imperialia deferunt. Et filius patrem expulit à regno. Venit Imperator in Ducatum Limborch. invenit in venatione quendam Principem, quem eodem Ducatu priuauerat. Hic vt audiuit rem, gestam, misertus est ejus. Collegit ergo DCCC. loricatos, & perduxit eum Coloniam. Colonienses receperunt eum, statimque filius obsedit Coloniam. Crescente autem obsidione, Cæsar noctu elapsus fugit Leodium, & quia ad eum, plurimi conuenerunt, statuit dimicare. Quem cùm filius persequeretur, statuit occursum ejus ad aquas Masanas. Rogauit autem, vt si *Pietas in filium.* victor existeret, filio parceretur. Commissum est prælium, & pater prævalens, fugauit filium trans pontem, & multi occisi sunt gladio, & aquis plurimi suffocati. Denuò prælium instauratur, pater vincitur, & comprehendi*Captiuitas ignominiosa.* tur. Quanta vir ille magnificus pertulerit opprobria, indignum est relatu. Patiuit tandem ab Episcopo Spirense, qui amicissimus suus fuerat, vt præbendulam in Spira sibi conferret, vbi ipse gloriosum monasterium sanctæ Virginis construxerat. Sed Episcopo renuente, Cæsar suspirans cum lachrymis exclamauit: Miseremini saltem vos amici mei: quia manus Domini me tetigit. *Mors.* Mortuus est autem Leodii, stetitque in deserta capella inhumatus V. annis. Tandem apud Spiram sepelitur.

¶ *Etsi ad tempus damnaris ab homine, aliud est sella terrena, aliud tribunal cœleste: ad inferiore accipis sententiam, à superiore coronam. Augustinus.*

Factum est, postquam Crito, Sclauorum Princeps, & Christiani nominis persecutor, confectus est senio, Heinricus, filius Godescalci, egressus *Heinrici Princ. in Sclauos populares expedito.* Dacia, percussit Aldinburg, & omnem maritimam Sclauorum Prouinciam, duxitque de eis infinitam prædam. Et cùm secundò & tertiò fecisset, factus est timor magnus omnibus Sclauorum populis, insulas & littus maris inhabitantibus, adeò vt ipse Crito, concesso sibi introitu, pacem cum eo faceret, & villas ei opportunas ad habitandum concederet, vt sic quem vi opprimere quibat, fraudulenter secum habitantem opprimeret. Vxor autem Critonis Sclauina, sæpius præmuniuit eum, denuncians ei insidias. Denique mari*Vltio de hoste.* rito jam vetulo inuisa, Heinrico nubere affectabat. Vnde etiam instinctu ejusdem Sclauinæ Heinricus inuitauit Critonem ad conuiuium, quem temulentum Danus quidam securi percussit, & vno ictu caput amputauit. Et accepit Heinricus Sclauinam in vxorem, & obtinuit principatum in terra, cepitque munitiones, quas habuit Crito, fecitque juramentum fidelitatis & subiectionis cognato suo, Duci Magno. Audientes autem Sclaui, qui habitabant ad Orientem & Austrum, quia surrexisset inter eos Princeps Chri*Victoria.* stianus, qui diceret, Principibus tributa soluenda, conuenerunt omnes, vt pugnarent contra Heinricum. Sed inito certamine, prærupta est acies Sclauorum, disiectique per fugas, occisi sunt in ore gladii. Seruierunt à die illa omnes orientalium Sclauorum nationes Heinrico sub tributo. Præcepit*Nordalbingi redeunt in possessiones suas.* que Sclauorum Populo, vt vir coleret agrum suum, & exstirpauit laruas culòs de terra. Et exierunt Nordalbingorum populi de munitionibus, in quibus conclusi tenebantur propter bellorum timores, & reuersi sunt vnusquisque in villam & possessionem suam, & reædificatæ sunt domus & Ecclesiæ, bellorum

bellorum tempestatibus dudum dirutæ. Porro in vniuersa Sclauia nec dum erat ecclesia vel sacerdos, nisi in vrbe tantùm, quæ nunc vetus Lubika dicitur, eo quòd Heinricus cum familia sua sæpius illic moraretur. Eodem anno Ludigerus Marchio, qui & Vdo, habita conuentione cum Magno Duce, & Friderico, Bremensi Episcopo, vehementi infirmitate repentè cœpit laborare, deportatusque Herfenvelde, ibidem obiit. Eodem anno Dux Saxoniæ Magnus obiit, & dedit Rex Heinricus Ducatum Ludero Comiti, eò quod Magnus non habuerit filium, sed filias. Quarum vna, Eilike nomine, nupsit Ottoni Comiti, genuitque ei Albertum Marchionem, * cognomento Vrsum. Altera filiarum, Wlfildis nomine, data est Duci Bavvariæ, Welp, quæ peperit Heinricum Leonem. Luderus autem obtinuit Ducatum Saxoniæ, gubernauitque tam Sclauos quàm Saxones cum modestia. Eo tempore Godefridus, Comes Holsatorum, occisus est à Latrunculis Sclauorum; deditque Luderus Dux Cometiam nobili viro de Scovvenburg Adolfo, fuitque pax inter Adolfum Comitem & Principem Sclauorum Heinricum. Anno Domini M. CVII. Heinricus Magdaburgensis. Geuehardus Spirensis, Episcopi, & Marquardus, Abbas Corbeiensis, obierunt. Heinricus Rex Goslariæ conuentum habuit, & ibi jura regni, prout voluit, disposuit, deinde Flandriam cum manu valida intrauit, ferro & igne cuncta deuastans, & cum omni populo Rotpertum Comitem sibi subiugauit. Anno Domini M. CVIII. Heinricus Rex Pannoniam cum exercitu aggreditur, vbi ob infidelitatem quorundam Principum nihil dignum memoria ab eo agitur. Eodem anno Boëmiorum ferè ad III. mill. à proprio Duce necati sunt. Sifridus etiam Comes obiit. Anno Domini M. CIX. Rothardus, Moguntinus Archiepiscopus, obiit, cui successit Albertus. Heinricus Rex Poloniam cum exercitu ingreditur, eaque vastata reuertitur. In ea expeditione Dux Boëmiæ à suis furtiuè occiditur. Anno Domini M. CX. Heinricus Rex juuenis, vbi depulso & extincto patre obtinuit monarchiam Imperii, viditque quia vniuersa terra quiescit in conspectu ejus, fecit ab vniuersis Principibus jurari expeditionem Italicam, volens juxta morem assequi plenitudinem imperialis honoris de manu summi Pontificis. Et ingressus Italiam manu valida, ferro & igne castella & oppida depopulatur. Anno Domini M. CXI. Transcensis igitur Alpibus, perrexit Romam cum ingenti armatorum multitudine. Paschalis verò Papa, audito introitu ejus, fecit accersiri numerosum Clerum, susceptique eum cum magno plebis tripudio. Vbi autem ventum est ad consecrationem, exegit ab eo Papa juramenta, quatenus in Catholicæ fidei obseruantia integer, in Apostolicæ sedis reuerentia promptus in Ecclesiarum defensione sollicitus existeret. Sed Rex jurare noluit, dicens, Imperatorem nemini debere jurare, cui juramentorum sacramenta ab omnibus sunt exhibenda. Facta est contentio inter Papam & Regem, & interceptum est opus consecrationis. Statim armatus Regis exercitus iniecit manus in clerum, exuentesque eos vestibus sacris spoliauerunt. Romani videntes injuriari Clerum, proruunt ad obsistendum, ortumque est in ecclesia beati Petri bellum tale, quale non est auditum ab annis antiquis. Præualuit autem exercitus Regis, attriueruntque Romanos interfectione magna nimis. Et repleta est domus sanctificationis cadaueribus, profluxeruntque de aceruis mortuorum riui sanguinis, adeò vt Tiberina fluenta mutarentur in colorem sanguinis. Papa verò & cæteri, qui occisioni superfuerant, in captiuitatem ducti sunt. Cardinales, funibus in colla missis, junctisque post terga manibus, & de ciuibus immensæ catenatorum cateruæ nudi deducti sunt. Postquam igitur profecti de Roma venerunt ad primæ mansionis locum, accesserunt quidam Episcopi ad Papam, dicentes: Magnus dolor est cordi nostro, sanctissime Ponti-

Lubeca Getum.

Mors Vdonis Marchion.

Item Magni Ducis.

* *Brandeburg.*

Luderus. Dux Saxō.

Adolfus Schauuenburg. Com. Holsat:

Robertus. Flandr.

HENRICI V. expeditio Vngar.

Alia Polonica.

Profectio. Italica.

Iuramentū papale Imperatori delatum. ¶

Seditio Romanorum multa cade vindicata.

Papa captiuitas.

¶ *Hic recognosce, lector, Geteres Geterarioria, que Pontificum artes: nam Gnum si norii, omnes norii. Plura de juramento Imperatorum, quod hodie obseruatur, Clementina lib. 2. tit. 10. candidissimè Æneas Silvius in historia de Friderici III. Imp. bello Austriaco.*

Pontifex, de tanto facinore, quod commissum est circa te, & Clerum tuum, & cives vrbis tuæ. Sed mala hæc, exigentibus nostris peccatis, inprouisa magis, quàm deliberata fuerunt. Consenti itaque nobis, & complacare Domino nostro Regi, & perfice in eo opus benedictionis tuæ, vt & ipse complaceat tibi. Quibus ipse respondit: Quid dicitis fratres? Virum hunc iniquum, virum sanguinum & dolosum, à nobis dicitis consecrandum. Benè expiauit manus suas ad percipiendam consecrationem, qui aras Dei perfudit cruore sacerdotum, & domum sanctificationis repleuit cadaueribus interfectorum. Absit à me verbum hoc. Cumque illi dicerent, cautum esse saluti suæ, & eorum, qui erant capti, respondit libera voce: Non timeo dominum vestrum Regem, occidat corpus, si vult, amplius non habet, quod faciat. Multum quidem prosperatus est in cæde ciuium, & Cleri, sed dico vobis in veritate, quia decretero non assequetur victoriam, nec videbit pacem in diebus suis, sed nec filium generabit, qui sedeat in throno ejus. Cumque hæc renunciata fuissent Regi, iratus est valdè, jussitque omnes captiuos decollari in facie Papæ. Ipse verò instanter hortabatur eos pro justicia mori. promittens eis vitæ æternæ præmia. At illi vnanimiter prouoluti pedibus ejus, orabant dilationem vitæ. Tunc Pontifex, fusis lachrymis, contestatus est cordium conspectorem, se malle mori, quàm cedere. si non præpediret ouibus Christi jure impendenda contemptio. Fecit igitur, quod necessitas imperauit, promisitque se Regem consecraturum, vt captiuitas relaxaretur. Reuersique in vrbem Papa & Cardinales, fecerunt Regi secundum voluntatem ejus, extorto quidem obsequio, dederunt-que ei priuilegium super omnibus quæ desiderauit. Anno Domini M. CXII. Postquam Imperator, percepta benedictione, Teutonicas reuisit terras, collecta est in vrbe Roma Synodus CXX. patrum, vbi Papa acrius incusatus est pro eo, quòd Regem sacrilegum ad imperiale culmen prouexisset, insuper constitutiones Episcoporum, quas patres sui Ecclesiastico juri vsque ad mortem & exilia defensassent, huic omnium indignissimo etiam priuilegio stabilisse. Ille prætendere cœpit necessitatis articulum: se quidem peccasse, sed impulsum, emendaturum se hanc noxam, secundum quod dictaret sanctum concilium. Accepta igitur satisfactione, incusantium refriguit feruor: definitoque concilio, priuilegium illud non priuilegium sed prauilegium vocitandum, ideoque anathemate rescindendum, sanxerunt, ipsum præterea Imperatorem à limitibus sanctæ Ecclesiæ sequestrandum censuerunt. Quo audito, Principes occasione accepta, rebellionem aggressi sunt. Inter quos præcipuus erat Albertus, Moguntinus Episcopus, sociatis sibi quàm pluribus, maximè verò Saxonum Principibus, quos ad resistendum partim necessitas, partim consuetudo trahebat. Siquidem nouies cum seniore Heinrico conflixerant. Quod sentiens Imperator, primo ipsum auctorem rebellionis Moguntinum cepit Episcopum, deinde totam Saxoniam maxima strage percussit, Principibus eorum occisioni, aut certè captiuitati traditis. Eodem tempore Eilmarus junior, Comes de Aldenburg, filius Eilmari & Riffencen. filiæ Idæ de Elstorpe, mouit quæstionem de hæreditate ejusdem Idæ contra Principes Stadenses, Vdonem Marchionem & filium ejus Heinricum, qui eandem hæreditatem, quoad vixerunt, quietè possederunt. Sed Comes Fridericus eum à quæstione summouit. Ida namque Ida, nobilis fœmina de Sueuia nata, in villa Elsthorpe manens, hæreditatem habuit, quæ adhuc hæreditas Idæ dicitur. Hæc fuit filia fratris Imperatoris Heinrici III. filia quoque sororis Leonis Papæ, qui & Bruno. Hæc nupsit Lippoldo, filio Dominæ Glismodis, & peperit Odam sanctimonialem de Ritthelen, quam postea claustro absoluit, recompensans villam Stedestorp propè Heslinge pro filia, & tradidit regi Ruziæ, cui peperit filium Warteslavv. Sed rege

Pertinacia.

Coactum obsequium.

Synodus Roman.

Sanctio ἀσφαλὴς.

Fructus anathematis. ¶

Eilmarus Com. Oldēburg.

Ida.

Papæ captiuitas.

¶ *Nihil in speciem fallacius est, quàm prava religio. Vbi Deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandæ, diuini juris imminutum aliquid videatur.* Liuius Decad. 4. lib. 9.

rege mortuo, Oda infinitam pecuniam in opportunis locis ſepeliri fecit, & in Saxoniam rediit cum filio & parte pecuniæ, & ſepultores occidi fecit, ne proderent, & cuidam nubens, peperit filiam Aliarinam, matrem Comitis Burchardi de Lucken, quem poſtea Hermannus, Landgrauius de Wincenburg, in dolo occidit, cùm eſſet vaſallus ſuus. Warteslavv autem reuocatus in Ruziam pro patre regnauit, & ante obitum ſuum recuperauit pecuniam, quam mater abſconderat. Habuit etiam Ida filium Ecbertum Comitem, quem primus Vdo, Marchio Wiſtede, prope Elſtorpe occidit, cùm tamen eſſet cognatus ſuus. Ida verò orbata hæredibus, Romam profecta eſt ad auunculum ſuum Papam Leonem, & ſalubribus monitis dimittendi debitoribus ſuis debita ab ipſo inſtructa, rediit Elſtorpe, plenariè Vdoni dimittens iniuriam de nece filii, & vt quietius ſuis poſſet frui poſſeſſionibus, ipſum Vdonem ſuum hæredem fecit, adoptans eum in filium, qui etiam verſa vice de hæreditate ſua CCC. manſos Idæ dedit poſſidendos quàm diu viueret, curiam videlicet Tuſchenſen, curiam Otfredheſſen, curiam Hulſinge, curiam Waſten, curiam Bumen, curiam Rotholoingenhuſen, curiam Slimæ, curiam Ride, & præterea pecuniam, pro cuius parte, ſcilicet pro L. Marcis obſignavit Frogerſen & Frankenburſtolo Eccleſiæ Heslinge, quæ eodem titulo adhuc poſſidentur. Ida verò duos habuit maritos abſque Lippoldo, ſcilicet Comitem Dedonem, & Comitem Erhelerum Album, quorum vterque in Thietmarſchia occiſus eſt, cùm eſſet ibi Comes. Alter eorum de Ida genuit filiam Rikencen, quam duxit Eilmarus, Comes de Aldenburg, genuitque ex ea filium Eilmarum, ſicut prædictum eſt. Item Ida peperit Aliarinam, matrem Burchardi de Lucken. Item Idæ filius fuit Burchardus, Treuirenſis maior Præpoſitus, qui poſtea in Archiepiſcopum eſt electus. Hic ædificavit lapideam ſtructuram in Elſtorp. Ida ergo mortua, deuoluta eſt hereditas ad prædictum Vdonem, Marchionem primum, cui etiam competebat alia ratione. Nam cùm nullus de eius ſanguine hæreditatem illam ſibi multo annorum ſpacio vendicarent, in jus regiæ poteſtatis ceſſit, & ita Bremenſi Eccleſiæ prouenit, & prædictus Vdo tenuit Comitatum Stadenſem ab Eccleſia Bremenſi in beneficio, qui Comitatus erat illam hæreditatem continens. Hanc igitur prædicti Principes, Vdo primus & ſecundus, & filius ſecundi Heinricus, absque vlla contradictione vsque in præſentem diem & annum poſſederunt, quo videlicet anno Eilmarus junior de Aldenburg eam impetens, à Friderico, qui Cometiam Stadenſem à ſæpe dictis Principibus in adminiſtratione tenuit, tranſactione de rebus dominorum ſuorum facta, à quæſtione ſummotus eſt. Huius namquè Friderici auia & mater de Anglia nauigantes, in Comitatu Stadenſi naufragium paſſæ ſunt, & ſecundum priſci juris rigorem tam homines quàm res regiæ ditioni ſunt mancipati. Mulieres quidem ad cameram Odonis, vxoris primi Vdonis, translatæ ſunt, & mater cuidam nupſit, à quo ſuſcepit tres filias, quarum vna peperit Wardingum de Bliterſtorpe, patrem Wernonis, Waldingi & Teronis de Lindena, & matrem Sieconis, qui fuit pater Hermanni de Poppenburgſtolde, & Roperti Mulen. Altera peperit Aldonem, patrem Bertholdi de Elme & Arnoldi de Beueren, & patrem Arneſti de Emelenthorpe, & Baldvvini de Horechthorpe. Tertia verò nupſit Reinoldo, qui genuit ex ea filios Fridericum & Olricum, filias, Odiliam Abbatiſſam in Heslinge, & Rokelen, quæ nupſit Waldeſtorpe. Filii autem fauorabiliter à Dominis educati ſunt, & adultis collata adminiſtratio & diſpenſatio quarundam villarum. Eo tempore tres Epiſcopi de Dania tranſitum per terram illam facturi, multam pecuniam tulerunt, & ipſis cum omnibus comitibus eorum à præfatis fratribus in Albia ſubmerſis, pecunia direpta eſt, & licet propter hanc iram DEI meruerint, tamen in tranſitoriis multum locupletati ſunt. Fridericus quidem tam primo Vdone viuente, quàm

Aliarina.

Wartislaus, rex Ruſsiæ.

Ecbertus Comes.

Ida adopti. Vdo F. Vdo March.

Mariti tres.

Liberi.

Vdo II. & Henricus F.

Friderici, Comitis Stad. origo

Odonis Marchionissa.

Opes latrocinio partæ.

quàm secundo, nunquam jugum suæ conditionis detrectauit, vnde ad administrationem Comitatus Stadensis vocatus est, cui se idoneum discretione & strenuitate præbuit. Olricus verò in diebus secundi Vdonis liberum se jactitans, curiam Imperatoris Heinrici adiit; quem cùm coram Imperatore Vdo vidisset Goslariæ, quæsiuit in sententia, an licitè posset vendicare sibi mancipium suum, vbicunque reperiret. Et cùm lata esset sententia, quod posset, dedit magnam alapam Olrico. Vnde Imperator commotus est, & ad arma concurritur, sed propter æqualitatem partium lis facilius sopitur. Suggestione illorum fratrum Vdo primus interfecit filium Idæ Ecbertum. Mortuo Olrico, Abbatissa de Heslinge, soror sua, balniata in stuba oblita est pectinis, quem ancillam afferre jubet. Illa reuersa, tremens dicit. Olricum sedere in stuba, & Aethiopem eum pectere illo pectine. Domina minas intonans, præcepit, vt afferret pectinem. Illa reversa, postea ibidem reperta est mortua. Tandem mortuo secundo Vdone, relictus est puer Heinricus sub quo Fridericus cœpit aspirare ad libertatem, vtpote qui multum erat locupletatus, & penes quem administratio Comitatus, & omnium possessionum parui erat, Adiit ergo Imperatorem Heinricum vltimum, dans ei XL. marcas auri, quas omnes cum aliis rebus, tribus Episcopis submersis, dicitur abstulisse, vt libertatem suam in Comitatu, cui præerat, testimonio posset astruere. Dux autem Luderus infestus erat ei; quia cùm Vdoni quondam guerram mouisset, iste strenuè ei restiterat. Suggessit ergo Dux Friderico, Bremensi Archiepiscopo, vt ipse Comitem Fridericum Ecclesiæ suæ mancipium euincere satageret: In Bremensi quippe Ecclesiæ Comitatu auia & mater sua, prætextu naufragii, seruituti sunt addictæ. Misit ergo Imperator hoc anno Domini ad discussionem causæ istius nuncium suum, & Radoluesthorpe indicto placito, conuenerunt Archiepiscopus Fridericus cum Duce Ludero, Rodulfus Comes cum filio fratris, Heinrico puero, & Fridericus Comes cum testibus, plebeis videlicet, quos ad quidlibet jurandum compellere poterat. Comes ergo Rodulfus rem tam diu possessam leui testimonio non exponens, cùm in manu valida venisset, Fridericum captiuatum abduxit, & Saltvvedele incarcerauit, donec Imperator, ne ignominiosè frustra datum aurum haberet, eum à carcere absoluit, & multo tempore, quia reditus ad propria non patuit, secum detinuit. Tandem restitutus in integrum, dominos suos humiliare studiosissimè semper laborauit, & efficaciter suppeditauit, vtpote affluentia rerum abundanti, & ingenii vigore præeminenti. Cùm igitur Heinricus Marchio vacuum nomen principatus gestaret, & Fridericus tam Domini sui rebus, quàm eis, quas variis modis conquisierat, afflueret, ex deliberato Comes Rodolfus & nepos suus Heinricus Marchio juuenis, cum multa militia Stadium properant. Sed Fridericus audito introitu eorum, ex altera parte oppidi fugit, & vix tam nocte quàm nemore exceptus, insequentium manus declinauit. Elapsus itaque Ducem Luderum adiit, & ipsi & quæ potuit, & quæ non potuit, dedit. Principibus ergo Stadensibus, quæcunquè in Friderici possessione fuerant, sibi vendicantibus, Luderus castrum Vorde ædificauit, & totius Ducatus Saxoniæ vires ad Fridericum restituendum informat. Tandem mortuo Rodolfo Fridericus restitutus est priori possessioni.

Ius mancipationis. ¶

Spectrum.

Friderici Com. varia fortuna.

Luderus D. Saxon.

Rudolfus. Com. Vdo II. frater.

** Locum hunc adducit Crancius Vandaliæ lib. 3 cap. 17*

Henricus Marchio nomine tenus.

¶ *De Adriano Imp. seuere illud quidem, sed joculare extare scripsit Spartianus: Cum quidam tempore seruum suum inter duos Senatores è conspectu ambulare videret, misit, qui ei colaphum daret & diceret: Noli inter eos ambulare, quorum esse adhuc potes seruus. Hæc ille.*

Anno Domini M. CXIII. Luderus, Dux Saxoniæ, accepit filiam Heinrici Crassi & Gertrudis Comitissæ, nomine Rikenzam, quæ peperit ei filiam Gertrudem, quæ nupsit Duci Bavvarorum Heinrico, genuitque Heinricum Ducem.

Nuptiæ Luderi D.

Ducem. Sifridus, Comes Palatinus, obiit. Wernerus Abbas obiit. Anno Domini M. CXIV. Heinricus Imperator associatus est regi Anglorum, ducens filiam eius Machtildam vxorem, celebrans nuptias apud Moguntiam. *Item Imperatorii.* Fridericus, Colonienſis Episcopus, alienauit se ab Imperatore, nec non & alii Principes. Anno Domini M. CXV. Imperator Saxoniam cum exercitu aggreditur. *Bellum Saxonicum.* Cui Luderus Dux, Reingerus, Haluerstadenſis Episcopus, & Fridericus, Comes de Arnesberg, multiquè alii nobiles conglobati in vnum, occurrerunt in loco, qui dicitur Welpesholt, (*) produxeruntquè exercitum suum aduersus exercitum Imperatoris, licet impares numero. Tres enim contra quinquè pugnauerunt. Commissumque est prælium illud nostra ætate famosissimum Kalend. Februarii: quo Saxones superiores inuenti, virtutem Regis attriuerunt. Cecidit in eo prælio Hogerus, princeps militiæ Imperatoris, natus & ipsè de Saxonia, destinatus ad Ducatum Saxoniæ, si res prosperè cessissent. *Hogerus Mansfeld. Cæsarei exercitus Imperator.* Tunc propter victoriam subleuati, perpendentes Cæsaris iram non facilè impunitatem tantæ calamitati præbituram, frequentibus colloquiis causam suam muniunt, seditiones, quæ infra prouinciam erant, fœderibus conciliant, aliunde auxiliantium manus conscisc unt, postremò ne complices fœdera rumpant, omnes in defensionem patriæ arma coniurant. Albertus, Moguntinus Episcopus, ciuium suorum, qui Cæsarem Moguntiæ obsederant, studio carceri erutus, & sedi suæ restitutus, super omnes aduersus Imperatorem desæuit, & quantas mortes in captiuitate pertulerit, quantum macerati corporis specie, tantum vltionis acerbitate expressit. Qui etiam legatione sedis Apostolicæ functus, frequentibus conciliis Episcoporum, aliorumquè, quos justiciæ species induerat, excommunicationis verbum in Cæsarem deponebat. *Furor Moguntini.* ¶

(*) *prope Helmstetam, quæ nunc academia Iulia sedes est, in campo ab alaudis dicto, vt Georgius Fabricius in Electoribus Saxon. Ibidem à Saxonibus victoribus trophæum erectum est, quod postea ab agrestibus nomine Iodut cultum, vt Onomasticon Pyrnense, destruxit Wernerus, Præsul Merseburg.*

¶ *Mala mens malus animus secundum Comic. Et πυρρομανὸς esse cœpit Moguntia ab antiquo nequam.*

Anno Domini M. CXVII. Terræmotus factus est, adeò vt plura mœnia corruerent. *Terræmotus* Heinricus Cæsar transiit in Longobardiam cum vxore sua Machtilde, filia regis Angliæ, transmisitque legatos ad Paschalem Papam, oraturus veniam super excommunicationis verbo. At ille distulit causam ad audientiam sancti concilii, legitimè Cæsari præfigens inducias, laxato interim excommunicationis vinculo. Anno Domini M. CXIIX. Paschalis Papa decessit XI. Kalend. Februarii, cui successit Gelasius, quem Heinricus Cæsar à Roma expulit, & Burdinum, qui & Gregorius, substituit, factumque est denuò schisma in Ecclesia DEI. *Burdinus Antipapa.* Gelasius fuga elapsus, in regno Francorum mansit vsque ad diem mortis suæ. Quo defuncto, Calistus subrogatur, à quo Cæsar cum suo Papa excommunicatur. Cæsar ab Italia reuertitur. In illis diebus claruit vir insignis sanctitate, Otto Episcopus, qui inuitante pariter & adiuuante Bolizlao, Polenorum Duce, adiit peregrinationem ad gentem Sclauorum, qui dicuntur Pomerani, prædicauitque barbaris verbum fidei, omnemque gentem illam cum principe eorum, Werteslao, conuertit ad Dominum. *Otho Apostolus Pomeranorum.* Anno Domini M. C. XIX. Adalgor, Magdaburgensis Archiepiscopus obiit, cui successit Rotcherus. Anno Domini M. CXXI. Burdinus, qui & Gregorius, à Calisto Papa capitur, & monasterio, cui nomen est Cauea, intruditur, & ipse in sedem Romanam excipitur ab omnibus honorifice. *Calixtum Papa opprimit a-mulum.* Anno Domini M. CXXII. Calistus Papa reuocauit in communionem Ecclesiæ Heinricum Imperatorem, ab antecessoribus suis Paschali & Gelasio excommunicatum. *Imperator diris solutus.* Canonica autem auctoritate sancitum est, NE AMPLIVS SIBI IMPERIALIS POTESTAS VSVRPARET INVESTIRE SPIRITVALIA,

LIA, SED LIBERA ELECTIO FIERET A CLERO ET A POPVLO, ET SIC INSIGNIRETVR REGALIBVS PER SCEPTRVM. Quod Papa & Imperator confirmauerunt, sicque facta est pax & concordia in Ecclesia & inter ipsos.

¶ *Hoc scilicet Pontifices, facta alea, voluere, hoc tyrannidis ipsorum, hoc perpetuarum in Imperio factionum fundamentum & fomentum extitit. Exempla subministrant sequentes expositiones.*

Mors Friderici Brem. & Henrici March.

Anno Domini M. C. XXIII. Fridericus, Bremensis Archiepiscopus, obiit III. Kalend. Februarii, cui successit Albero. Heinricus Marchio pucr veneficio interiit. Quo defuncto, Comitatum Stadensem, quem prius Fridericus habuit in administratione, obtinuit per pecuniam ab Archiepiscopo Alberone in beneficio. Theodoricus, Cicensis Episcopus, occiditur cuiusdam à quodam infra ambitum templi. Anno Domini M. C. XXIV. Fridericus de Arnesberg obiit. Eclipsis Solis facta est III. Idus Augusti hora quasi quarta & sexta. Rodolfus Marchio * obiit IIX. Idus Decembris. Calisto Papa successit Honorius. Anno Domini M. C. XXV. Nouum monasterium institutur. Heinricus Imperator apud Traiectum moritur X. Kalend. Junii, anno regni sui XIX. & in Spira juxta patrem Heinricum, auum Heinricum, & proauum Conradum sepelitur. Vnde adhuc hodie supra quatuor eorum tumbas gradatim inuenies scriptum:

Fridericus à præfecto Comes.

Eclipsis Solis.

* *qui supra Comes.*

Mors Henrici V.

Filius hic, pater hic, auus hic, proauus jacet istic.

Rex etiam Philippus juxta eos est sepultus. Anno Domini M. C. XXVI. Luderus, qui & Lotharius, filius Geuehardi Comitis, Dux Saxoniæ, LXXXIV. ab Augusto, regnauit, qui hoc modo electus est. Fridericus, Dux Sueuiæ, post mortem Heinrici auunculi sui accepit regalia, certissimus quod à Principibus eligeretur. Sed Albertus Moguntinus, ab Heinrico quondam coaptiuatus, iniuriam in nepote vindicare disponens, complicibus coadunatis, consilium concepit, quo regalia potestati Friderici eripiant, & sic ad alium eligendum roborentur. Ipsi ergo, de quibus Dux Fridericus minus certus erat, imò aduersarios æstimabat, consona voce eius lectioni in publico applaudebant. Vnde certior factus, ad fauorem Principum magis captandum, & vt sincerius ad Imperium videretur accedere, quod etiam se fidelem ostenderet in commisso, regalia Principibus reddidit. Et quia ad hoc opus erat, ut gaciter eum à promotione summouere, vtpote acceptum omnibus, quia liberalissimum, mansuetum, grandeuum, & regii sanguinis, callidè nouerunt cum Episcopo aliquos de sua societate, qui ex condicto onus imperii suis viribus impar certatim abnuerent, asserentes, quòd debilitata regni jura strenuum efflagitarent administratorem. Fridericus ergo sub forma rerum humiliter onus recusauit. Vnde statim arrepta occasione, Lotharium elegerunt, vltrò se offerentem, videlicet etiam quòd promississet plura, quæ non persoluit. Ipso igitur celebriter electo Principes tam sacramentis quàm hominiis se ei astrinxerunt. Sed postea detectis dolis, Fridericus se Regi opposuit. Indignati autem Francigenæ, virum Saxonem eleuarunt in regnum, conati sunt alium suscitare regem, Conradum videlicet, consobrinum Heinrici Cæsaris. Prævaluit autem pars, quæ fuit cum Ludero, ipsoque cooperante, successus Friderici, Comitis Stadensis, multiplicati sunt. Rex Luderus Boëmiam manu valida ingreditur, sed mox in ingressu à Ducis illius gentis per insidias circumuenitur, & multitudo nobilium de comitatu eius occiditur XI. Kalend. Martii cum aliis pluribus. Albertus etiam Moguntinus archiepiscopus cum aliis multis capitur. Tandem Dux cum Rege pacificatur, indulta in ipso exercita iniuria, sicque revertitur. Arnoldus, Merseburgensis Episcopus

LOTHARIVS Imp. qui ante Luderum. ¶

Moguntini artes.

Repulsa Friderici Ducis.

Friderici Com. Stad. Imperatoris expeditio Boiem.

¶ *De huius ortu & familia, quæ est à Comitibus Querfurtensibus, legantur Georgij Fabricij Annales Saxon. item Stemmata Andreæ Hoppenrodij.*

scopus occiditur. Rotchero succeſſit Norbertus in ſedem Magdaburgenſem. Heinricus, Dux Bavvariæ, obiit. Anno Domini M. C. XXIIX. Otto, Halverſtadenſis Epiſcopus, à Papa deponitur propter Simoniam. Anno Domini M. C. XXX. Honorius Papa deceſſit Idib. Februarii, cui ſucceſſit Innocentius. Principatum Heinrici Marchionis ſuſcepit Conradus, filius auunculi eius. Cono, Abbas Herſenueldenſis, obiit VII. Kalend. Nouembris. Anno Domini M. C. XXXI. Conuentus apud Leodium agitur, in quo Otto, Halverſtadenſis Epiſcopus, ab Innocentio Papa priſtino honori reſtituitur. Fridericus, Colonienſis Epiſcopus, obiit IIX. Kalend. Nouembris, cui ſucceſſit Bruno. Anno Domini M. C. XXXII. Sanctus Godehardus Epiſcopus apud Hildenesheim de tumulo leuatur, & multa miracula per eum patrantur. Luderus Rex Romam proficiſcitur. Auguſta ciuitas igne deflagrat propter ſeditionem ciuium, Rege inibi commorante. In hac expeditione Conradus Marchio interiit. Anno Domini M. C. XXXIII. Luderus imperiali benedictione ſublimatur cum vxore ſua Rikenza ab Innocentio Papa, quo etiam ſuffragante, Conradus eo vſque propulſus eſt, vt ſe traderet in poteſtatem Luderi, qui etiam Lotharius, factusque eſt ex hoſte amiciſſimus. Cœpit in diebus Lotharii Cæſaris oriri noua lux, non tam in Saxoniæ finibus, quàm in vniuerſo regno, tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax inter regnum & ſacerdotium. Sed & Sclauorum populi agebant ea, quæ pacis ſunt, eo quòd Heinricus, Sclauorum Rex, Comitem Adolfum, & continuos Nordalbingorum populos, omni beneuolentia amplexatus fuerit. In diebus illis non erat Eccleſia vel ſacerdos in vniuerſa gente Luticiorum, Obrodritorum ſiue Wagirorum, niſi tantùm in vrbe Lubeke, eò quòd Heinricus ibi cum familia ſua moratus fuerit. Sacerdos quidam Vicelinus ſurrexit eo tempore, & venit ad Regem Sclauorum: Lubeke rogauitque dari ſibi facultatem prædicandi verbum DEI infra terminos ditionis ſuæ. Hic natus de Quernhamele manſit aliquandiu in caſtro Euerſtein cum matre Conradi Comitis. Vnde inuidia ſacerdotis hoc modo eſt diſturbatus. Quadam die requiſiuit ab eo, vtrum legiſſet Statii libros Achilleidos, & verſum vnum ex Statio recitare juſſit. Is verò expedire cum non potuit: vnde erubuit, abiitque Patherburnen, & ſub magiſtro Hartmanno ſtuduit. Dedit autem Dominus illi intellectum, & cor docile, cœpitque in breui magiſtri coadiutor exiſtere. Orationi etiam ſæpius vacans, omnium ſanctorum ſuffragia efflagitabat, præcipuè verò Beati Nicolai, cui ſpecialius ſe mancipauerat. Vnde etiam contigit, vt vice quadam eiusdem natalicia celebraturus, in Oratorio ſanctæ Brigidæ ſocios conuocauerit; vbi veſpertino & matutino officio ſolenniter expleto, Angelicæ voces à quibusdam auditæ ſunt, pſallentes juxtà morem Cleri reſponſorium: Beatus Nicolaus jam triumpho potitus. Poſt mortem igitur confeſſoris Chriſti, Ludolfi, auunculi ſui, ſacerdotis de Feuld, ſub Fridetico Archiepiſcopo vocatur Bremam, ibique ſcholas ſtrenuè regit. Poſtea cum quodam juuene Thietmaro perrexit in Franciam, & ſtuduit ſub Magiſtris Rodolfo & Anſelmo. Tribus igitur annis in ſtudio tranſactis, reuerſi ſunt. Tietmarus Bremæ fit Canonicus, Vicelinus Magdaburg ad Norbertum veniens, fit ſacerdos. Deinde venit Bremam ad Archiepiſcopum Alberonem, à quo legationem accepit ad Sclauos cum Rodolfo Hildenſemenſi, & Ludolfo Verdenſi Canonico. Hi ergo repertum in Lubeke regem Heinricum conuenerunt, rogantes dari ſibi poteſtatem prædicandi verbum DEI. Qui nil titubans, viros digniſſimos coram gente ſua magnis honoribus extulit, deditque eis Eccleſiam Lubeke, vbi tuta ſecum ſtatione poſſent conſiſtere, & agere quæ DEI ſunt. Redeunt in Saxoniam, ordinaturi de rebus ſuis, & præparaturi ſe ad iter Sclauicum. Interea Heinricus, Sclauorum Rex, deceſſit, ſicque ad præſens vota eorum retardata ſunt. Filii

Conradus ſucceſſor Henrici March.
Otho Epiſcopus reſtituitur in integrum.
Conflagratio Auguſtæ
Conradi March. interitus.
Imperatoris inauguratio.
Henricus rex Sclauorum.
Vicelinus.
¶ Debuit hiſtoria coniungi Helmoldum.
Conradus Com. Eberſtein.
Superſtitioſa Pontificia.
Henrici Regis comitatus.

Mort & liberi. enim Heinrici Zuenteploch & Kanutus dominio succeſſere, & tranquillita-
tem temporum inteſtinis bellis perturbauere. Eodem tempore Archiepiſco-
pus Albero tranſiit Albiam, venitque Meltorp, & Vicelinus cum eo. Ve-
Faldera. nerunt ad eum ciues de Faldera, rogantes dari ſibi ſacerdotem. Archiepiſco-
Marchra-dus. pus acceptum per manus Vicelinum, commiſit eum cuidam Marchrado po-
tenti viro, ſicque abiit cum ipſis. Dedit autem ei Dominus gratiam in
conſpectu gentis illius, ſtatimque vt prædicare cœpit, multa populi caterua
ad pœnitentiam confugit. Tunc conuenerunt ad ipſum Ludolfus, Eppo,
Luthmundus, Volchardus, ſacerdotes. Eodem tempore Kanutus, filius
Heinrici junior, interfectus eſt in vrbe Luttilinburg, & Zuenteploch ſolus
Zuentepol-ci expedi-tio in Obo-tritos. dominium obtinuit. Qui conuocans Adolfum Comitem cum Holſatis
& Sturmariis, direxit expeditionem in terram Obodritorum, obſeditque vr-
bem, quæ dicitur Werlo. Qua in poteſtatem redacta, progreſſus eſt ad vr-
bem Kicine, obſeditque hebdomatibus V. Tandem vrbe ſubacta, acceptis-
que obſidibus, Zuenteploch reuerſus eſt Lubike, Nordalbingi ad ſedes ſuas
Humani-tas erga Chriſtianos redierunt. Videns autem Vicelinus ſacerdos, quia Princeps Sclauorum ha-
manius ſe gereret erga Chriſticolas, acceſſit ad eum, & innouauit apud eum
paternæ policitationis cœptum. Impetratoque Principis fauore, miſit in vr-
bem Lubike venerabiles ſacerdotes Ludolfum & Volchardum. Qui benigne
recepti à mercatoribus, habitauerunt in eccleſia ſita in colle, qui eſt è re-
gione vrbis trans flumen. Poſthæc Rugiani Lubike irrumpentes nauibus,
oppidum cum caſtro demoliti ſunt. Sacerdotes, barbaris vnam eccleſiæ
januam irrumpentibus, per aliam elapſi ſunt, & ad Falderam refugerunt.
Cades. Zuenteploch non longè poſt interfectus eſt dolo cuiusdam Daſonis prædi-
Zuincke F. tis de Holſatia. Remanſit autem Zuenteploch filius, nomine Zuincke. Sed
& hic interfectus apud Erteneburg, defecitque ſtirps Heinrici in principa-
Sclauorum, quod & idem Princeps prædixerat, edoctus quodam oraculo,
ſtirpem ſuam quantocius defecturam. Poſthæc translatus eſt principatus
Sclauorum ad nobilem principem Kanutum, filium Herici, regis Danorum.
Res Danica. Hericus enim potentiſſimus Rex cùm deuouiſſet ſe ad iter Hieroſolymita-
num, fratri ſuo Nicolao regnum cum filio ſuo Kanuto commendauit, ac-
cepto juramento, vt ſi non rediret, filio ſuo, poſtquam adoleuiſſet, regnum
contraderet. Hericus ergo Rex Hieroſolyma rediens mortuus eſt, & Nico-
laus frater eius, licet concubina natus, Danorum regnum obtinuit, habuit-
que filium nomine Magnum. Vbi autem Kanutus adoleſcere cœpit, timens
ſe inſidiis patrui ſui obrui, tranſiit ad Imperatorem Lotharium, & manſit
Kanuti en-comium. apud eum diebus multis. Inde rediens in patriam, à patruo benignè rece-
ptus, Ducatu totius Daniæ præditus eſt. *Hic* erat vir pacificus, & omnibus
beneficus, præcipuè verò Sleſvicenſibus. Comprehenſi ſunt latrones eo
tempore, & perducti in faciem Kanuti. Quos cùm ille ſuſpendio adiudicaſſet,
vnus ex eis vitæ conſulere cupiens, proclamauit, ſe conſanguineum eius eſſe,
regia Danorum ſtirpe oriundum. Cui Kanutus; turpe, inquit, eſt conſan-
guineum noſtrum vulgarium morte affici, decet nos ei impendere clarita-
Iuſtitia. tem; & juſſit ei in nautica pinu ſolenne exhibere ſuſpendium. Adiit poſt
hæc Imperatorem Lotharium, emitque multa pecunia regnum Obotritorum.
Regij hono-res. omnem ſcilicet poteſtatem, qua præditus fuerat *Heinricus*. Et poſuit Im-
perator coronam in caput eius, vt eſſet Rex Obotritorum, recepitque eum
in hominem. Poſthæc tranſiit Kanutus in terram Wagirorum, & occupa-
Pribizlaus & Niclotus, Obotriti. vit montem Alberg, impoſuitque illic manſiunculas. Sed & ſtatuit cum
Heinrici Pribizlaum, & maiorem terræ Obotritorum, Niclotum, captiuatis
poſuitque eos Sclesvvich in cuſtodiam, quouſquè ſe pecunia redimentes ſub-
jectionem promitterent. Sæpius etiam in terram Wagirorum diuerſans Fal-
derenſi hoſpitio vſus eſt, præbuitquè ſe familiarem Vicelino, & omnibus illic
commo-

commorantibus, promittens eis bona, si Dominus res suas in Sclauia direxisset. Veniens quoque Lubeke, dedicari fecit ecclesiam quam construxerat *H*einricus, astante venerabili sacerdote Ludolfo, & cæteris qui de Faldera eidem loco mancipati fuerant. In diebus illis obiit Comes Adolfus, habuitquè duos filios, quorum senior, *H*artungus, vir militaris habiturus erat Cometiam. At junior filius Adolfus literarum studiis deditus erat. Interfectus est autem *H*artungus cum aliis multis in expeditione Imperatoris Lotharii in Boëmiam, & accepit Adolfus Cometiam. Venit eo tempore Kanutus, rex Obotritorum, Slesvvich, habiturus cum patruo suo Nicolao colloquium. Vbi se per omnia patruo & loco & dignitate adæquauit. Quod videns Magnus, filius Nicolai, nimium indignatus, instigante eum ad hoc matre sua, cœpit à die illa moliri insidias, vt Kanutum occideret. Quod sentiens Nicolaus Rex, conuocauit Principes regni, & juuenes dissidentes confœderavit. Sed fœdera licet ab vtrisque jurata, & apud Kanutum firma fuissent, apud Magnum dolosa fuerunt. Rogat post hoc Kanutum Magnus, vt occurrat sibi ad singulare colloquium. Dissuadet Kanuto vxor sua, timens insidias, simul exasperata somnio, quod præterita nocte viderat. Nec tamen vir fidelis retineri potuit, sed sicut laudatum fuerat, occurrit ad locum placiti, comitatus quatuor tantùm viris. Adest Magnus cum viris totidem, amplexum deosculatur nepotem, consederuntquè tractaturi negocia. Nec mora, surrexerunt insidiæ de loco suo, percussumquè Kanutum interfecerunt, diuisoque membratim corpore, crudelitatem suam etiam in mortuo exsaturare gestiuerunt. Et multiplicatæ sunt à die illa perturbationes & intestina bella in Dania. Quo audito Lotharius Imperator, vxorque eius Rikenza, contristati sunt, venitquè cum graui exercitu prope ciuitatem Slesvvich ad vallum Dinevverch, vlturus mortem Kanuti. Territi igitur Reges, pater & filius, venerunt suppliciter ad præsentiam Imperatoris, datoque sibi immenso auro, justiciam faciendam de interfectione Kanuti promittunt. Quod videns *H*ericus, frater Kanuti, natus de concubina, congregauit multitudinem Danorum, sumptoque regio nomine, cœpit impugnare Magnum. Sed superatus sæpius, fugatus est. Vnde etiam *H*ericus *H*asenvoth appellatus est. Dania tandem exturbatus, fugit in ciuitatem Slesvvig, receptusque est à Slesvvicensibus. Obsederunt igitur Reges, pater & filius, Slesvvig diebus multis. Lacus autem ille, cui ciuitas adiacet, glacie concretus peruius erat, impugnaueruntque eam terra & mari. Tunc Slesvvicenses miserunt ad Comitem Adolfum, offerentes ei centum marcas, vt ciuitati præsidio foret. Congregato igitur exercitu, Adolfus Comes transiit Egdoram. Populus autem prædæ auidus tanta festinatione præterlapsus est, vt venientibus primis ad sylvam Thieuelam, nouissimi Egdoram vix attigerint. Quo audito, Magnus elegit de exercitu mille loricatos, abiitque in occursum Comitis, & commisit cum eo prælium, & fugatus est Comes, percussique Nordalbingorum populi attritione magna. Magnus autem potitus victoria reuersus est ad obsidionem, frustrato tamen labore; nam neque ciuitate neque hoste potitus est. Laxata enim hyeme, *H*ericus obsidione elapsus, venit in Sconiam. Anno Domini M. C. XXXIV. Lotharius Imperator Coloniæ natalem Domini celebrauit, Pascha verò Haluerstede, ejusquè curiæ affuit Rex Danorum, Magnus, quem pacificè suscepit, ac cum honore ad propria remisit, Qui reversus in patriam, direxit expeditionem contra Hericum in Sconiam cum innumera classe. At ille è regione consederat, stipatus accolarum breui numero. Soli enim Sconenses vniuersis Danis restiterant. Cùm igitur Magnus in sacro die Pentecostes aciem vrgeret ad congressum, rogauerunt eum Episcopi, vt quiesceret eo die, pugnaturus in crastinum. Qui monita contemnens, aggressus est prælium. Ceciditque Magnus in die illa cum quatuor

Adolfi Com. mors.

Filij.

Magnus, Nicolai F. parricida.

Imperatoris expeditio Danica.

Ericus, galeatus lepus.

Adolfi Com. clades.

Magnus redit ad arma.

Occumbit in acie.

tuor Episcopis & multis Clericis, deletique sunt à Sconensibus vsque ad internecionem. Et factus est Hericus ea victoria insignis, creatumque est ei nomen nouum Hericus Emun, hoc est memorabilis. Porro Nicolaus, rex senior, naui elapsus, venit Slesvvig, percussusque est à viris ciuitatis illius. Et regnauit Hericus in Dania, generauitque ex concubina Tunna filium Suein. Sed & Kanuto erat filius nobilis Waldemar, Magnus quoque genitus Kanutum. Postquam igitur mortuus est Kanutus, rex Obotritorum, successerunt in locum eius Pribizlauus atque Niclotus, vno Wairensium atque Polaborum, altero Obotritorum prouinciam gubernante. Fuerunt que hi Christianis valde infesti. Inualuitque in diebus illis multiplex idolorum cultura, errorque superstitionum in omni Sclauia. Eo tempore Bardvvich consistentem adiit Vicelinus Lotharium Imperatorem pro conuersione gentis Sclauorum, nuncians ei, quòd in Wairensi prouincia mons haberetur aptus ad regale castrum. Venit ibidem Lotharius, præcipiens omnibus, vt occurrerent ad ædificationem castri. Principes Sclauorum cùm tristicia concrepuerunt. Vides, ait vnus ad alterum, hanc structuram firmam & eminentem. Ecce vaticinor tibi, quia castrum hoc erit jugum vniuersæ terræ. Hinc egredientes, primùm Plunen, Aldenburg, Lubeke, deinde transgressi Travenam, Racesburg, & omnem Polaborum terram subiicient. Sed neque Obotritorum terra effugiet manus eorum. At ille: Quis nobis hoc malum parauit? Cui ille, Vides homuncionem illum caluum prope Regem stantem? Ille induxit super nos hoc vniuersum malum. Perfectum est igitur castrum, & dictum Segeberg, posuitque in eo Cæsar quendam satellitem suum Hermannum, qui castro præesset. Fundatur ecclesia ab Imperatore ad radicem montis, & committitur Vicelino, sed & Lubicensis Ecclesia. Norbertus, Archiepiscopus Magdaburgensis, obiit. Cui successit Conradus. Anno Domini M. C. XXXV. Fridericus, Comes Stadensis, obiit Idibus Aprilis. Anno Domini M. C. XXXVI. Lotharius Imperator Herisnecidæ veniens, pecuniam, quam Fridericus, Comes Stadensis, eidem monasterio contulerat, scilicet DC. marcas argenti, de altari sanctæ Mariæ abstulit, ordinatisque rebus dedit Ducatum Saxoniæ Heinrico genero suo, Duci Bavvariæ, qui erat filius filiæ Ducis Magni, Wulfildis, & Ducis Bavvariæ, Cantabriæ. Quem etiam secum assumens, profectus est secundo in Italiam. Interea Vicelinus legationis sibi creditæ solers curator, idoneas Euangelio personas adopus consciuit, ex quibus Ludolfum, Hermannum, Brunonem in Lubeke constituit, Luthmundum cum cæteris Segeberg esse mandauit. Jactumque est misericordia DEI, & virtute Lotharii Cæsaris, seminarium nouellæ plantationis in Sclauia. Iste Luthmundus postea factus est Præpositus in Hesthenge, & claustrum in locum, in quo nunc est, scilicet in Treuena transtulit. Conuentus ille quondam Abbatissas habuit, quarum novem adhuc Hestingæ in ecclesia sunt sepultæ. Anno Domini M. C. XXXVII. Bruno, Colonensis Archiepiscopus, in expeditione Imperatoris obiit. Cui successit Hugo, in eadem expeditione electus & consecratus, qui mox viram finiuit. Albertus, Moguntinus Archiepiscopus, obiit. Moguntia, Spira, Goslaria deflagrauerunt. Lotharius Imperator postquam Roma cum Italia potitus est, Rogerum quoque Siculum Apulia pepulit. Cùm jam redire pararet, magna mortalitas subito in exercitu eius orta est, de qua & ipse infirmabatur, & III. Nonas Decembris immatura morte præventus est, anno regni sui XII. Conturbati sunt hac fama omnes Principes Imperii, virtus quoque Saxonum tanto Principe illustrata penitus concidit, & in Sclauia res Ecclesiasticæ labefactatæ sunt. Statim enim vt corpus defuncti Cæsaris perlatum est in Saxoniam, & Lutteri tumulatum, ortæ sunt seditiones inter Heinricum, generum Cæsaris, & Albertum * Marchionem, contendentes propter Ducatum Saxoniæ.

Erici nouum cognomentum.

Soboles.

Pribizlaus & Niclotus Christiani nominis hostes.

Sigeberga constructa.

Hermannus præfectus.

Friderici Com. Stad. mors.

Donarium abalienatum.

Henricus, gener Imperatoris.

Vicelinus fatagit muneris sui.

Luthmundus.

Funera Archiepiscoporum.

Imperator in Italia feliciter belligerat.

Defungitur Vita.

Turba inde nata.

* *Versum, vt supra.*

Saxoniæ. Hi enim filii fuerunt duarum filiarum Magni, Ducis Saxoniæ. Anno Domini M. C. XXXIIX. Conradus, filius Friderici Ducis, nepos Heinrici Imperatoris ex sorore, LXXXV. ab Augusto regnauit annis XV. Hic ergo in solium regni leuatus, Albertum Marchionem in Ducatu Saxoniæ firmare nisus est, iniustum esse perhibens, quenquam Principum duos tenere Ducatus. Nam Heinricus duplicem sibi vendicabat, Bavvariæ atque Saxoniæ. Hac de causa Principes auxilium Heinrico ferentes, cum Rege discordabant. Albertus autem dolo præcipiens castrum Luniburg, cum ciuitatibus Bardevvich atque Brema, occidentali Saxonia potitus est. Sed & Nordalbingorum fines partibus eius appliciti sunt. Quamobrem Comes Adolfus provincia pulsus est, eo quòd fidem juratam Imperatrici Rikencæ & genero eius temerare noluisset. Cometiam eius, vrbes & seruitia Heinricus de Badevvide beneficio Alberti assecutus est. Sed & castrum Segeberg in custodiam accepit, mortuo scilicet Hermanno, cæterisque exturbatis, quos Cæsar imposuerat. Eo tempore Pribizlaus de Lubike, assumpta latronum manu, suburbium Segeberg, & omnia circumiacentia, in quibus Saxonum erant contubernia, penitus demolitus est. Ibi Oratorium nouum igne consumptum est, Volkerus frater miræ simplicitatis gladio percussus est. Cæteri fratrum, qui euaserunt, ad Falderam refugerunt. Etiam locus idem antiquitus Wippenthorp vocabatur. Ludolfus autem sacerdos, & qui cum eo Lubike demorati sunt, ea vastitate non sunt dissipati, eo quod in castro & tuitione degerent Pribizlaui, stantes vtique loco & tempore difficili. Præter egestatem enim, & quotidiana vitæ pericula, cogebantur aspicere vincula & varia tormentorum genera, Christicolis illata, quos latrones captiuauerant. Non multo pòst venit quidam Race de semine Critonis cum classica manu, arbitratus se hostem suum Pribizlaum Lubike reperturum. Duæ enim cognationes, Critonis atque Heinrici, propter principatum contendebant. Cùm igitur Pribizlaus abesset, Race cum suis castrum & circumiacentia demolitus est, sacerdotes ad Falderam refugerunt. Vicelinus ergò cæterique prædicatores graui mæsticia confecti sunt, continueruntque se in Falderensi ecclesia, orationibus & jeiuniis intenti assiduè. In diebus illis contigit, virginem quandam, Imme nomine, à Dæmone vexari, & ad Vicelinum perduci. Quem cùm interrogaret, cur vas incorruptum temerare præsumsisset, respondit, quia tertio me offendit. In quo, ait, te offendit. Quia, inquit, negotium meum propediuit. Bis enim transmisi fures ad perfodiendam domum, sed hæc juxta ignem sedens clamore suo eos absterruit. Nunc quoque legatione principis nostri in Daniam functus, videns hanc in via, tertiò offensus in eam deuolutus sum. Sed cùm vir DEI eum coniuraret, ait: cur propellis paratum vitrò egredi: Jam enim abibo ad proximam villam, visitaturus sodales meos, qui illic latent: Hoc enim in mandatis accepi, priusquam in Daniam proficiscar. Quod tibi, ait, nomen? aut qui socii tui? vel cum quibus habitant? Ego, inquit, Rufinus vocor, vnus sodalium meorum est cum Rothesto, alter cum muliere quadam eiusdem oppidi, hos hodie visitabo, castrina, priusquam prima pulsata fuerit, huc valedicturus reuertar, & tunc in Daniam proficiscar. Et hæc dicens egressus est, virgoque liberata. Tunc jussit eam Vicelinus refici, & crastina ante horam primæ ad ecclesiam reduci. Quam cùm manè parentes ad ecclesiam ducerent, priusquam limen calcarent, prima pulsari, & virgo vexari cœpit. Nec tum Vicelinus prius abstitit, quàm idem Spiritus potentia DEI fugatus abcessit. Rodestus in breui maligno spiritu correptus, laqueo semet strangulauit. In Dania quoque occiso Herico, perturbatio grauis erupit, adeò vt oculis probari potuerit, magnum ibi Diabolum aduenisse in afflictionem gentis illius. Heinricus etiam, qui Cometiam administrabat, congregato exercitu de Holsatis & Sturma-

CONRADVS III. Cæs.

Dissidium Alberti Vrsi & Henrici Superbi.

Adolfus Com. pellitur finibus.

Henricus de Badevvide.

Pribizlai excursiones.

Race æmulum.

Vicelini exercismus.

Tumultus Danicus.

Slaui pleduntur talione.

& Sturmariis, hyemali tempore intrauit Sclauiam latenter, percussitque omnem terram plaga magna. Proxima æstate Holsati se mutuo adhortantes, etiam sine Comite castrum Plunen adierunt, diuinoque adiutorio præsidio, munitionem hanc cæteris firmiorem obtinuerunt, Sclauis, qui inhabitabant, occisis, vastaueruntque crebris incursionibus terram Sclauorum, ceruntque eis vt sibi facere proposuerant, omni terra eorum in solitudinem redacta. Anno Domini M. C. XXXIX. Conradus Rex natalem Domini

Henricus Superbus recuperat Saxoniam.

Goslariæ celebrat, & ibi cum Principibus de concordia regni tractat. Henricus Dux, gener Lotharii regis, auxilio socrus suæ Rikence Imperatricis, castrum Luneburg obsedit cum Rudolfo Comite, & cepit, & Ducatum obtinuit, & nepotem suum Albertum Saxonia deturbauit. Sicque Adolfus Co-

Adolfus redux.

mes rediit in Cometiam suam. Videns autem Heinricus de Badvvid, quæ subsistere non potuit, succendit castrum Segeberg, arcemque firmissimam Hamburg, quam Comitis mater murato opere construxerat, & quicquid

Cæsaris expeditio.

nobile senior Adolfus fecerat, ipse fugam meditatus, demolitus est. Conradus Rex Saxoniam petiit, habens in comitatu suo Ducem Boëmiæ, comquem Saxones strenuè venientes, circa Hamburg castra posuerunt, Heinrico Duce auctore. Bello itaque per inducias protracto, Rex proposito principibus Saxoniæ placito Wormatiæ, in purificatione sanctæ Mariæ reuertitur. Sed & Dux rediit in Saxoniam. Interea Rodulfus Comes & Fridericus Pa-

Rodulfus Comes. Fridericus Palatinus.

latinus adunata manu Bremam profecti, totam depopulati sunt ciuitatem, Archiepiscopo Alberone Romam profecto. Heinricus Dux Saxoniæ obiit

Henricus Leo.

XIII. Kalend. Octobris, obtinuitque filius eius, Heinricus Leo, Ducatum Saxoniæ, puer adhuc infantulus. Tunc Gertrudis, mater pueri, dedit filiorico de Badevvid Wairensium prouinciam, accepta ab eo pecunia, volens suscitare pressurias Adolfo Comiti, eò quòd non diligeret eum. Postquam

Gertrudis Ducissa.

autem eadem Gertrudis nupsit Principi *H*einrico fratri Conradi Regis, & alienata est à negotiis Ducatus, accessit Adolfus Comes ad Ducem pacificum, & ad Consiliarios eius, egitque causam super Wairensi prouincia, præsentibus

Reconciliatio Adolfi & Henrici, Comitum.

que & iustiori causa & ampliori pecunia. Dissensiones igitur, quæ fuerunt inter Adolfum & *H*einricum, taliter compacatæ sunt, vt Adolfus Segeberg & omni Wairorum terra potiretur, *H*einricus in recompensationem acceperet Racesburg, & terram Polaborum. Tunc Adolfus reædificauit castrum Segeberg, cinxitque illud muro. Posthæc ædificauit ciuitatem in loco, qui

Lubeca condita.

dicitur Bucu, quam olim ædificauerat Crito, quam præterfluit ex vna parte Trauena, ex altera Wokenece, vocauitque eam Lubike, eo quòd non longe esset à vetere Lubike, quam *H*einricus construxerat, fecitque amicitias cum

Vicelinus restituitur in integrum.

Nicloto, Obotritorum principe, & compacauit terram suam. Cœperuntque inhabitari deserta Wairensis prouinciæ, & multiplicabatur numerus accolarum eius de variis nationibus venientium. Vicelinus quoque pauca recepit adiutorio Comitis Adolfi, quæ Lotharius Imperator ad constructionem monasterii, & subsidium seruorum DEI, sibi coram castro Segeberg tradiderat. Visum autem fuit eis propter incommoda fori, & tumultus castri

Volchardus.

monasterium in proximo oppido, quod Sclauicè Cuzalina, Teutonicè Hagaresthorp dicitur, fundari commodius esse. Misitque Vicelinus illuc Volchardum sacerdotem cum industriis viris, qui oratorio & claustralibus officinis ædificandis operam darent. Porro forensis Ecclesia in curam paro-

Ditmarus.

chiæ ad radices montis posita est. Eo tempore Vhietmarus, Vicelini quondam discipulus, relicta Decania Bremensi, deuouit se Falderensi collegio. Qui destinatus *H*agaresthorp, transmigrationi nouæ magno fuit solatio, vtique in spirituali conseruatione summæ perfectionis. Vicelinus quoque nouellæ Ecclesiæ, sibi commissæ, solers curator omni studio egit, vt Ecclesiis locis opportunis ædificarentur, prouidens eis de Faldera tam sacerdotes quam reliqua

reliqua vtenſilia. Anno Domini M. C. XL. Conradus Rex purificationem ſanctæ Mariæ celebrat Wormatiæ, quò prædicti Principes minimè venerunt, Rege eis ducatum præbere nolente, quibus aliud placitum propoſuit Frankeneuorde. Sed nec huic interfuerunt, prima Dominica poſt octauam Paſchæ prædictum beneficium petentes, nec impetrantes. Principes Albertum Marchionem, qui Ducatum à Rege ſuſcepit, patria expellunt. Cuius Marcam Rodulfus Comes, adeptis vrbibus, occupauit. Olricus, Dux Boëmiæ, Wilhelmus Palatinus, Lothevvicus Comes de Turingia obierunt. Geuehardus Strazburgenſis obiit. Siuardus Mindenſis obiit. Cui ſucceſſit Heinricus Abbas. Eclipſis Solis XVII. Kalend. Aprilis hora quaſi X. Anno Domini M. C. XLI. Rikenza Imperatrix obiit, & poſt paululum ſedatæ ſunt concertationes Principum Saxoniæ, quæ fuerant contra Regem & Albertum Marchionem. Albertus, Moguntinus Archiepiſcopus, obiit, cui ſucceſſit Marcolfus. Anno Domini M. C. XLII. Indictione quinta ſuſcitauit DEUS ſpiritum trium fratrum, Dudonis, Adekonis & Ricberti, vt nouellam plantationem in ſuburbio Stadenſi erigerent, capellam ibi ligneam conſtruentes, quam Albero, Archiepiſcopus Bremenſis, anno Pontificatus ſui VI. Nonis Julii dedicauit, & Conradus, Abbas Herſeueldenſis, virum venerabilem, Adalvvardum, * cum Eluero, Godeſcalco & aliis fratribus ibidem tranſmiſit. Dedicata eſt autem Eccleſia lignea in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & perpetuæ Virginis, Petri & Pauli Apoſtolorum, Johannis Apoſtoli Euangeliſtæ, Viti, Coſmæ & Damiani martyrum. Statuitque Albero Epiſcopus, vt iidem tres fratres cum vxoribus, & filiis & filiabus, & reliqua progenie, & familia ipſorum, ibidem in perpetuum reciperent ſacramenta Eccleſiæ & ſepulturam. Conceſſit etiam, omnes colonos eccleſiæ ab omni cenſu, expeditione, villæ vel vrbis munimine, & petitione precaria, liberos & immunes. Eodem anno Eilica, mater Alberti, filia Ducis Saxoniæ Magni, obiit. Conradus Magdaburgenſis Archiepiſcopus, obiit, eique ſucceſſit Fridericus. Marcolfus Moguntinus obiit. Cui ſucceſſit Heinricus. Albertus Marchio reuocatus eſt in gratiam Principum, & recepit omnia ſua, Comitatum & Marcam. Anno Domini M. C. XLIII. Conradus Rex venit in Saxoniam, & Principes pacificauit. Gertrudis, mater Heinrici Leonis, filiaque Lotharii & Rikencæ, obiit. Innocentio Papæ ſucceſſit Wido, qui & Cœleſtinus. Anno Domini M. C. XLIII. Rodulfus junior, Comes, in Thietmarſia occiſus eſt in Cometia ſua, & frater ſuus Hartvvicus, maior Præpoſitus Bremenſis, dedit omnem hæreditatem ſuam Bremenſi Eccleſiæ, vt concederetur ſibi Comitatus Bremenſis. Et ſic Bremenſis Eccleſia quæ Principes Stadenſes in quieta poſſeſſione longo tempore tenuerant, in ſuum dominium recepit, hæreditatem videlicet Principum, & Idæ & Friderici, & facta eſt legitima hæres parentum præpoſiti Hartvvici per ſolennem & legalem donationem. Inueſtitus eſt ergo Hartvvicus Præpoſitus, & Fridericus Palatinus, ſororius ſuus, ſuſcepit pannum à rege Conrado & ſtatutum eſt, vt eſſet coadiutor ſuus, & judicaret pro eo in placitis Principalibus. Dux autem Heinricus adhuc puer per tutores ſuos conqueſtus eſt Regi & omnibus Principibus, quòd Archiepiſcopus Albero matri ſuæ promiſiſſet, quòd ſi moreretur Rodolfus, filio ſuo Duci conferret Comitatum. Vnde poſt multas querelas ſecundum mandatum Regis conuenerunt Rameslo ad cauſæ definitionem. Archiepiſcopus præfuit in judicio vna ex parte, puer Dux ex alia. Præpoſitus & Palatinus conſtiterunt ad negotii ventilationem. Auditores aderant Thietmarus, Verdenſis Epiſcopus, Albertus Marchio, Comes Hermannus de Winceberch, & frater ſuus, Heinricus de Dasle, & magna multitudo militum. Ibi in litis conteſtatione homines Ducis arma rapuerunt, & ſeditione facta Archiepiſcopum captiuauerunt, & aliquandiu Lu-

Cæſar fit Abbas conuentus Genem indicit.

Rudolfus datur ſucceſſor Alberto Vrſo.

Funera Principum.

Abbatiæ Stadenſis fundatio.

** qui primus ibi Abbas inauguratur anno 1147. vt infra.*

Mort Eilicæ.

Albertus Vrſum redit cum aduerſarius in gratiam.

Saxonia pacata.

Rudolfi Com. cades. Hartuicus frater & hæres. ¶ Vide de hac hiſtoria diſertim explicantem Crantium Saxon. lib. 6. cap. 6.

Henricus Leo ſuget jus ſuum.

Iudicium in ſeum conuerſum.

nenburg in captiuitate detinuerunt, vt aliquid extorquerent ab eo. Tandem videntes, quòd moueri pœnis vel minis non posset, liberum abire permiserunt. Præpositus Hartvvicus ab Hermanno de Luchore captus, cùm sperarent homines Ducis, quòd ipsis esset præsentandus, & cum jam intentarent ei mortem, adductus est ad Marchionem Albertum, & sic liberatus.

Auctoris digressio de familia Stadensi.

Oportet ad superiora parumper recurrere, vt genealogiam eiusdem Hartvvici explicemus. Tempore Imperatoris Heinrici II. Heinricus Caluus, qui mansit in castro Herseuelde bonus & mansuetus, habuit vxorem Hildigardam, quibus filius solus fuit superstes, Heinricus, Canonicus in Hildensem. Hic cùm à suis à Clericatu tractus esset, vt apostasiam eleemosinis redimeret, destructo castro Hersenuelde tempore Libentii senioris, Archiepiscopi Bremensis, & Bernardi, Ducis Saxoniæ, fecit ibidem conuentum Clericorum. Hic quasi damnatus esset legum censura, ter se redemit prædiis, ornamentis & aliis possessionibus, & omnia contulit eidem Ecclesiæ, fecitque ibidem præposituram, annuente Libentio Archiepiscopo, & Ecclesiam consecrante.

Stadium conditum.

Hic appellatus est bonus Heinricus, & genuit duos filios. Sifridum Comitem, qui Stadium ædificauit. Hic à piratis capto castro, cum fratre comprehensus est. Frater * cùm in transtris compedibus vinctus sederet, in nauim piscatoris saliuit, & sic abductus saluatus est. Piratæ siquidem dederant pacem volentibus redimere captiuos, & ita patuerat aditus piscatori. Barbari ergo de fuga Principis offensi, fratri videlicet Sifrido, vtramque manum amputauerunt, & omnes captiuos diuersis pœnis peremerunt. Elapsus autem, finitimos colligens, piratas vicit, & quos viuos comprendit, suspendit prope Stadium in loco, qui ab eodem euentu * Wargabor vocatur.

** Crancio Wörgebur.*

Mutilatus autem liberatus est, & vxorem duxit de Bavvaria, & genuit filium Sifridum, fratre mortuo sine hærede. Junior Sifridus vxorem duxit Adalam, & dedit Herseueldo bona Trebenece prope Berneburg. Hic genuit Comitem Luderum, qui accepit vxorem Adelheithim, amitam Rodolfi, quem Saxones elegerunt in Regem contra Heinricum, genuitque ex ea Vdonem Primum, qui factus est Marchio.

Vdo I. Marchio.

Huius Vdonis tempore Comitatus Stadensis donatus est Bremensi Ecclesiæ, & susceptus ab isto in phœdo.

Odonis. ¶ Huius supra quoq; meminit.

Iste Vdo duxit Odonim, priuignam Ducis Ottonis, genuitque ex ea Heinricum Longum, Vdonem II. qui & Luderus, Rodolfum & Sifridum, Præpositum Magdaburg. ad sanctum Nicolaum, & Canonicum in Ecclesia maiori filiasque duas quarum vna Abbatissa fuit Alesleuæ, altera Adelheidis nupsit Lodevvico, & genuit secundum Lodevvicum, qui à Lothario Rege impetrauit prouincialem Comitatum in Turingia, cum eo per sententiam priuatus esset Hermannus de Wincenburg. Secundus Lothevvicus genuit tertium, tertius quartum, qui est filius sororis Imperatoris Friderici. Heinricus Longus mortuus est sine hærede, habens vxorem de Ruzia. Marchio Vdo proponens ducere Eilikam, filiam Magni Ducis, declinauit in domum Helprici, Comitis de Ploceke, & videns valde pulchram sororem suam, Ermengardam, duxit eam.

Helpericus, Com. Plocensis.

Vnde multum indignati sunt vasalli sui, qui pares erant Helprico, & quidam maiores. Genuit autem ex ipsa Heinricum, qui duxit Adelheithim, sororem Marchionis Alberti, quam, cùm sine hærede moreretur, duxit vasallus suus Wernerus de Velthem, qui genuit Albertum de Asterburg, & reliquam prolem.

Wernerus de Veltheim. Henricus Marchio, frater Rixa Aug.

Et Marchio Vdo ex Ermegarda genuit filiam, quam duxit Marchio Heinricus, putatiuus frater Rikecen Imperatricis, quem de Sclaua natum ideo suum fratrem dicebat, vt hæreditatem non

* *Suprà ad ann. M CCCC LXXXIIX. idem de ipso Sifrido retulit. Conuenit Ditmarus lib. 6. sed vt de fratrum horum numero, & reliqua historia, nonnihil variet. Itaq; potior ei fides habenda, quippe qui eo tempore vixerit, natus Cunegunda, eorundem fratrum sorore. Porro de discrepantia ista, & ipsa Stadensi familia, consulendus amplius Crancius Saxon. lib. 6. cap. 5. vbi rem totam in medio relinquit.*

non perderet, quæ in quæstione multorum posita, litigiosa fuit. Tandem Domina Rikence fratre impotionato, sola possedit hæreditatem, quam duxit Lotharius. Habuit tum sororem, vxorem Palatini Ottonis de Rinekge, à qua descenderunt fratres de Hollant. Habuit etiam Vdo filiam, quam duxit Poppo de Hinneberch, & mortuo Vdone, & filio suo Heinrico, Ermegardis nupsit Gerardo de Hemsberg, fratri Gorvvini, ex quo habuit filium Sifridum, qui in expeditione Lotharii apud Barim in Apulia sagitta interiit, insuper filiam Vde, quam duxit Sifridus de Ertenеburg, qui vocabatur cum sue, ex qua genuit tres filias, Alheidam, quam duxit Burggrauius de Groche, Luder, qui sine hærede obiit, Odam, quam duxit Albertus de Osterburgk, & genuit multam prolem. Item Rodolfus, filius Vdonis primi, duxit Richardim de Franconia cum multa hæreditate, vnde genuit Vdonem, qui duxerat sororem Hermanni, qui occisus est Wincenburg sed ante susceptam prolem occisus est prope Ascerleue à militibus Marchionis Alberti. Item Rodulfi, qui duxit Elizabeth, sororem. Odokkar de Stire, sed ante prolem occisus à Thietmarchis. Item Archiepiscopum Hardvvigum, & Lutgardim, quam duxit Fridericus, Palatinus de Somersgenburg, & genuit ex ea Albertum Palatinum, qui duxit filiam Popponis de Hinneberch, & mortuus est sine prole. Item Abbatissam de Quidelingeburg. Tandem ratione propinquitatis Lutgardis separata à Palatino nupsit Herico, qui dicebatur Lam, regi Danorum, & eo mortuo, reuersa nupsit Heremanno de Winceburg, de qua genitæ sunt tres filiæ. Vnam duxit Heinricus, Comes de Suarceburg, (Iste postea submersus est Erfordiæ in latrina) quam postea duxit Olricus de Witin. Secundam duxit Magnus Burtzius, Dux Daniæ, quo à Waldemaro rege cæcato, & castrato, vxor in Saxoniam rediens, miserabili sorte truncato nato à seruo mutilata est. Cælestino Papæ succedit Gerardus, qui & Lucius. Sigefridus Comes obiit. Anno Domini M. C. XLV. Lucio Papæ succedit Eugenius, Anno Domini M. C. XLVI. Conradus Rex placitum habuit in Saxonia cum Principibus. Gertrudis vxor eius interim obiit. Anno Domini M. C. XLVII. Conradus Abbas obiit. Principes Saxoniæ cum duabus turmis per duos aditus Sclauiam intrant, & deuastant terram, obsessis munitionibus eorum. Sub Rege Conrado & Papa Eugenio Bernardus, Clareuallensis Abbas, virtutibus insignis, in curia Frankenuorde crucem versus Hierosolymam prædicauit, vbi etiam puerum cæcum & claudum in præsentia Comitis Adolfi sanauit. Signati sunt Conradus Rex, Lothevvicus Rex Franciæ, Fridericus Dux Sueuiæ, Welf Dux & multi Principes Franciæ & Teutoniæ. Exercitus se in tres partes diuisit, prima & maxima pars cum Regibus, Conrado & Lothevvico, transiuit Vngariam & Græciam multis periculis. Dum enim inter quædam montana circa latera montis castra metati essent, bigæ & quadrigæ, victualia farcinasque portantes, item jumenta oneraria & armenta in medium vallis sunt locata propter pascua. Circa crepusculum facta sunt tonitrua in supercilio montis, & tempestas maxima. Et ecce noctis medio aqua descendens omnia quæ erant in vallibus, homines & jumenta, in momento in mare proiecit. Residui transierunt Constantinopolin, deinde ad brachium sancti Georgii. Lothevvicus Rex dirigens iter versus Hierosolymam contra barbaros, totum suum perdidit exercitum. Homines Conradi Regis fame & siti perierunt, Rege cum validioribus in Græciam reuertente. Alter exercitus nauigio transiens, rogatu regis Galeciæ cepit Lacebonam, antea à gentilibus, postmodum à Christianis inhabitatam. Tertius exercitus se accinxit ad Sclauos cum Alberone Archiepiscopo, & aliis Episcopis Saxoniæ. Intererat Heinricus Dux adolescens, Conradus Dux de Zaringe, Albertus Marchio, Conradus de Within cum pluribus, & hi tali se signabant contra Sclauos charactere.*

Otho Palatinus.

Sigefridus suarius.

Fridericus, Palatinus Saxon.

Ericus Lam, rex Daniæ.

Henrici Com. Schuarceburg. fada nex.

Bernardus Abbas, auctor expeditionis Hierosol.

Tripartitus exercitus.

Primi imperatores & cladet.

Successus alterius.

Tertij ducis.

Symbolum.

ctere.* Niclotus hoc sentiens, congregauit exercitum, & primus aggressus est bellum. Et fama rei volauit per Westfaliam & Saxoniam, & omnes finati processerunt contra ipsos obsidere Dobin & Dimin. Ad vltimum Sclavi promiserunt fidem Christianam recipere, & Danos captiuos laxare, sed fallaciter seruauerunt. Sic illa grandis expeditio est soluta. Albero, Bremensis Archiepiscopus, Adalvvardum primum Abbatem sanctæ Mariæ in Stadio consecrauit, cum Abbate Rosenveldense pridie Nonas Julii. Anno Domini M. C. XLIIX. Eugenius Papa Cistercience monasterium consecravit. Albertus Archiepiscopus Bremensis, obiit. Cui successit Hartvvicus, maior Præpositus, Rodolfi Marchionis filius. Thetmarus Verdensis Episcopus, obiit. Anno Domini M. C. XLIX. Conradus Rex reuersus est ab Hierosolymis. *H*artvvicus, Bremensis Archiepiscopus, quia pax erat in Sclauia, proposuit reædificare sedes Episcopales, quas barbaricus furor olim destruxerat, scilicet Aldenburgensem, Racisburgensem, Mikilinburgensem. E quibus Aldenburgensem Otto Magnus primus instituerat, subiiciens ei Polabos, Obotritos à terminis oltsatorum vsque ad flumen Panem & ciuitatem Dolmin. Posuit in Aldenburg primum Pontificem Marconem. Post hunc iocundus erat Ecvvardus, tertius Wago, quartus Ezike, quintus Folcharduus, sextus Rembertus, septimus Benno, octauus *M*einnerus, nonus Abelinus, decimus Ezo. *H*uius temporibus surrexit in *H*amburg. Ecclesia magnus Adelbertus, qui de peregrinis Episcopis, quos in mensa sua habebat, Johannem statuit Mikilinburg, Aristonem Racisburg, atque in hunc modum Aldenburgensis sedes in tres diuisa est Episcopatus. Postquam igitur propter tente DEO propter peccata hominum Christianitas adnullata est in Sclauia, vacauerunt hæ sedes annos LXXX. quatuor, vsque ad tempora *H*artvvici Archiepiscopi. Qui propter generis nobilitatem duplici principatu clarus, magno studio enisus est pro recuperandis Suffraganeis Episcopis vniuersæ Daciæ, Norvvegiæ, Suediæ, quos *H*amburg Ecclesiæ quondam pertinuisse, commorat antiquitas. Sed cùm obsequiis & variis largitionibus apud Papam & Cæsarem nihil profeciisset, ne omnino careret Suffraganeis, aggressus est pridem abolitos Episcopatus Slauiæ suscitare. Accitum autem venerabilem sacerdotem Vicelinum, Aldenburg. sedi consecrauit Episcopum, cùm iam esset ætate prouectus, & mansisset in terra Holtsatorum annis XXX. In Mikilinburg ordinauit Emehardum. Anno Domini M. C. L. Hartbertus, Clarevallensis Abbas, obiit. Anno Domini M. C. LI. Bernardus, Claravallensis Abbas, obiit. Arnoldus, Archiepiscopus Coloniensis, obiit. Conradus rex conuentum habuit apud Wirceburg, & Dux Saxoniæ ibi non venit, nam Dux * ei oppositus erat. ideoque Ducatum voluit obtinere Sueuiæ. Et Dux frater erat Regis, & vitricus Ducis. Duce existente in Sueuia, & vitrico cum inpugnante, Rex tetendit Goslariam, Brunesvvic arreptura. Dux mutata veste cum tribus venit Brunsuuic, & Rex rediit. Anno Domini M. C. LII. Conradus Rex obiit.

Irrita cum hoste pactio.

Adaluuardus, primus Abbas Stad.

Hartuicus, Archiepisc. Brem.

Studet jurisdictioni recuperandæ.

Series Episcoporum Aldeburg.

Christianismus in Sclauis abolitus.

Vicelinus inauguratur Episcopus.

Dissidium Henrici Leonis cum Guitrico.

* *Is fuit Henricus Austriacus.*

SERIES

SERIES IMPERATORUM, AB AUCTORE VSQUE AD SUA TEMPORA REPETITA.

AVGVSTVS post Julium primus Imperator, sub quo natus est Christus.
Tiberius, priuignus Augusti, sub quo passus est Dominus.
Caius.
Claudius.
Nero.
Vespasianus, qui Hierusalem obsedit.
Titus, Vespasiani filius, qui Hierusalem cepit.
Domitianus, frater Titi.
Nerua, Christianos exules reuocauit.
Traianus, quem Beatus
Gregorius legitur ab inferis liberasse.
Adrianus, qui locum crucifixionis vrbi addidit.
Antoninus.
M. Aurelius Antoninus Philosophus.
Commodus.
Pertinax.
Seuerus Pertinax.
Antoninus.
Opilius Macrinus.
Aurelius Antoninus Varius.
Alexander.
Julius Maximinus.
Gordianus.
PHILIPPVS Hic primus omnium Imperator factus est Christianus.
Decius.
Gallus,
Valerianus.
Claudius.
Aurelianus.
Tacitus.
Probus. Huius pater erat rusticus.
Carus.
Diocletianus & Maximianus.
Constantius & Galerius.
CONSTANTINVS, à Syluestro baptizatus, imperium ad Græcos transtulit.
Constantius, filius Constantini.
Julianus Apostata.
Jouinianus.
Valentinianus Catholicus.
Valens, frater Valentiniani.
Gratianus.
THEODOSIVS.
Arcadius.
Honorius.
Theodosius II.
Martianus,
Leo, Bessita.
Zenon, hæreticus.
Anastasius, hæreticus.
Justinus, Catholicus.
JVSTINIANVS, reipublicæ reparator,
Justinus.
Tiberius.
Mauricius.
Phocas.
Heraclius.
Constantinus.
Heraclonas.
Constans.
Constantinus,
Justinianus.
Leo.
Tiberius.
Justinianus.
Philippicus, hæreticus.
Anastasius.
Theodosius.
Leo.
Constantinus, filius Leonis.
Leo, filius Constantini.
Constantinus, filius Leonis.
CAROLVS MAGNVS, per quem imperium ad Francos transiuit.
Lothevvicus, Caroli Magni filius.
Carolus, Lothevvici, nepotis Caroli filius.
Arnulfus, Karolomanni, fratris Caroli, filius.
Lothevvicus. Arnulfi filius.
Conradus, Conradi filius, qui erat frater Lothevvici.
Heinricus, Dux Saxoniæ, per quem imperium transiuit ad Alemannos.
OTTO MAGNVS, Heinrici filius.

Otto, filius Ottonis.
Otto, filius Ottonis, sine hærede.
Heinricus, Dux Bavvariæ, cuius atauus erat *H*einricus, frater Ottonis Magni.
CONRADVS, vnus ex regni primoribus.
Heinricus, Conradi filius.
Heinricus, *H*einrici filius.
Heinricus, *H*einrici filius.
Hic in Welpesholt pugnauit.
LVDERVS, Dux Saxoniæ, Genehardi Comitis filius.
Conradus, filius Friderici, Ducis Sueviæ, & nepos Heinrici.
FRIDERICVS, filius Friderici, Ducis Sueuiæ.
*H*einricus, filius Friderici.
OTTO, filius *H*einrici Magni Brunsuicensis.
Fridericus, filiꝰ *H*einrici, sicut ego puto.

Placuit etiam ab auctore subiectum hic genesin Astronomicam, & è regione appositum familiæ Billinganæ stemma, addere. Etsi illius quidem ἐπιγραφὴ ἀκέφαλος erat. Reliqua ita se habent: astronomicè inuentam de natiuitate Domini Friderici, filij Domini Friderici, Romanorum Imp. quem dominus Beatrix Augusta enixa est ann. Domini M. C. LXIV. XVI. die Julij. V. feria hora III. in ciuitate Papia. Cuius Beatricis obitum infrà habes ann. Domini M. C. LXXXV. cum Papa Lucio. Et idem Fridericus frater erat Philippi Regis. Hactenus auctor. Idem deinde versus quosdam subscripserat nescio de quibus incestis nuptiis, versus inquam rudes illos quidem, sed quos vel propter antiquitatem dignos censuerimus, qui non omitterentur. Atq; haud scio, an non credi illis notatas oporteat primas Friderici. I. cum Adelheide Bavarica nuptias. Satis enim constat, has ob propinquitatem diremtas. Sed ista de re lectoris judicium liberum esto. Nunc versus videamus, qui eiusmodi sunt:

Non potuit tædis finis bonus esse caninis.
Est vbi Semiramis? hanc deglutiuit Erinnys.
Quæ dum more canum cognata ligamina fregit,
Quicquid honestatis natura colebat, abegit.
Eius amatores, vt & illa, ferentur ad orcos.
Non est, qui laudet, homines vt viuere porcos.
Res nimis insolita de virgine facta lycisca.
Certè non nouit gens hæc contagia prisca.
*H*ippolytum laudo, quem sæua nouerca perire
Fecit, naturæ renuit contrarius ire.



HERMANNVS, Dux primus extra progeniem VVidekindi.

Bernardus, Dux Saxoniæ.

Bernardus, Dux Saxoniæ.

Ordulfus, Dux Saxoniæ.

Iſte Hermannus Ottonis Magni temporibus in Ducatu inualuit, à quo cùm adhuc juvenis eſſet, commiſſionem terræ accepit, & pater eius Bulling vocabatur. Ecce quot ab eo Imperatores, Reges & Principes proceſſerunt. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, qui hunc humiliat, & hunc extollit.

Magnus, Dux Saxoniæ ann. Domini M.C.VI.

A tempore iſtius Magni, Ducatus Saxoniæ ferè ſemper erat in lite, quia filium non habuit ſed filias.

¶ Diſertius de hac re Crancim Saxon. lib. 5. cap. 25.

Henricus Imp. IV. Ot-toni Ducatum ademit, & VVelp. huic Catulo dedit. — Catulus, qui — VVulfhildis. — Elika. — Otto Comes.

Fridericus, Dux Sueviæ. — Iutta. — Heinricus, Dux Bavvariæ. — ALBERTVS, Marchio, cognomento Vrſus.

FRIDERICVS Imp. — HENRICVS, Dux magnus de Brunſvvic. — Otto — Marchio. — Bernardus Sifridus Dux Archiepiſc. Brem.

HEINRICVS Imp. — Heinricus VVilhelmus, Palatinus. — OTTO, Dominus de-Lunenburg. — Albertus, Imp. — Marchio. — Albertus, Dux Saxoniæ. — Heinricus, Saxo-Comes.

FRIDERICVS Imp. — OTTO, Dux de Brunſvvic. — Otto. — Ioannes. — Mechtildis. — Elizabetha. Hanc duxit Ioannes, Comes Holſatiæ, filius Fr. Adolfi. — Magnus.

Mechtildis, vxor Alberti Marchionis.

Helena, nupſit Alberto, Duci Saxoniæ: erat enim ei in ſecundo gradu, & ipſa Duci in quarto.

Tempore eiusdem Conradi regis, & Eugenii Papæ puella quædam, Hildegardis nomine, juxta Pinguiam * celebris habebatur. Hæc cum quadraginta duorum eſſet annorum, magnæ coruſcationis igneum lumen, aperto cœlo aduenies, totum cerebrum transfudit, & totum cor, & totum pectus eius & ſic eam Sanctus ſpiritus inflammauit, vt ſtatim omnium catholicorum librorum ſeriem, tam veteris quàm noui Teſtamenti, ad integrum intelligeret, cùm tamen nihil vnquam didicerit, niſi ſolum Pſalterium more nobilium puellarum, à quadam incluſa in monte ſancti Iſibodi, quod eſt clauſtrum

* Bingam oppidum. Hildegardis, Abbatiſſa, Prophetria. ¶

¶ Vide Tritemium de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Ac peruenit in manus noſtras præter ea, quæ mentione illius inculcantur monumenta, Phyſica Hildegardis, comprehenſa libris 4. cùm cætera digna quæ legantur, tum propter lingua Germanica antiquitates.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſtrum nigrorum Monachorum. Fecit autem tres libros, ſcilicet librum Scivias, librum diuinorum operum, & librum Epiſtolarum, & hoc DEO iubente, imò cogente, in quibus valde quædam vtilia de futuris temporibus & de Antichriſto prophetauit, & miſerum ſtatum Eccleſiæ futurum prædixit ſpiritu prophetico, & prædixit. Et Papa Eugenius ſcripta eius canonizauit in concilio Treuirenſi. Inſuper epiſtolam direxit ei, præcipiens, vt ſcribere non omitteret, quicquid ei Dominus reuelauit. Recepit etiam epiſtolas non ſolùm Eugenii, verùm etiam Anaſtaſii & Adriani, Pontificum Romanorum, ſed & Conradi Regis, & Friderici Imperatoris, Patriarchæ Hieroſolymitani, Archiepiſcoporum, & plurium Prælatorum. Bernardus, Clarevallenſis Abbas, vir per omnia ſanctiſſimus, eam per ſuam epiſtolam reuerentiſſimè ſalutauit, & ipſâ ei tanquam religioſiſſimo reſcripſit. Manſit autem apud ſanctum Ropertum propè Pinguiam, vbi etiam eſt ſepulta. Philippus, maioris Eccleſiæ Decanus in Colonia, & totus eiuſdem ciuitatis clerus, eam per ſuam epiſtolam ſalutantes, ad vltimum ſubiecerunt: Beatitudinem igitur veſtram quàm intimè rogamus, vt deſideria noſtra, quæ ad curam animarum reſpiciunt, DEO intentius commendetis, & ſi quid aduerſus DEO animus veſter in vera viſione de nobis præuiderit, litteris veſtris nobis inſinuare velitis. Quibus ipſa epiſtolam hanc reſcripſit: Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt, paſtoribus Eccleſiarum dicit. Qui erat, creaturam facturus erat, ita quod teſtimonium teſtimoniorum in ſemetipſo habuit, omnia opera ſua faciendo, ſicut voluit. Qui eſt, omnem creaturam ſecum & teſtimonium teſtimoniorum in omnibus operibus ſuis oſtendebat, ita quod vnumquodque formatum apparuit. Qui venturus eſt, omnia purgabit, & ea denuò in alia viciſſitudine iterabit, & omnes rugas temporum & temporum abſterget, & omnia ſimul ſemper noua faciet, & poſt purgationem omnia ignota oſtendet. De ipſo ventus ſic dicens fluit: Firmamentum cum omnibus ornamentis ſuis poſui, nulla vi carens. Oculos enim quaſi ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, os ad guſtandum habet. Nam Sol quaſi lumen oculorum eius eſt, ventus autem auditus aurium eius, aër odoramentum eius, ros guſtus eius, viriditatem ſpiraculo vt oris ſpiramen. Luna quoque tempora temporum dat, & ſic ſcientiam hominibus oſtendit. Stellæ autem velut rationales ſunt, ſic ſicut quia oculum habent. Sicut etiam rationalitas multa comprehendit. Quatuor etiam angulos orbis igne, nube, aqua firmaui, & ſic omnes terminos terræ quaſi venas coniunxi. Lapides de igne & aqua ſicut oſſa fudi, & terram de humiditate & viriditate quaſi medullam conſtitui. Abyſſus velut pedes, qui corpus ſuſtinent in fixura, excontudi, circa quas ſudantes aquæ ſunt ad firmamentum earum. Sic omnia conſtituta ſunt, ne deficiant. Si enim ignem & aquam non haberent, firma coagulatio non eſſet, & ſi terra humiditatem & viriditatem non haberet, velut cinis eſſet. Sed & ſi cætera luminaria lumen ab igne Solis non haberent, per aquas non fulgurarent, ſed cæca eſſent. Hæc ſunt etiam inſtrumenta ædificationis hominis, tangendo ſcilicet quia homo in ipſis manet, oſculando, quoniam cum ipſis ſcientiam habet, amplectendo, quia nobilem poteſtatem cum eis exercet. Sed & homo nullam licentiam poſſibilitatis haberet, ſi iſta cum eo non eſſent, Sic iſta cum homine, & homo cum illis. O filioli mei, qui greges meos paſcitis de inſtanti inſtructione vocis Dominicæ quare non erubeſcitis? cùm creaturæ præcepta, quæ de magiſtro ſuo habent, non deſerunt, ſed perficiunt? Vos conſtituì ſicuti Solem & cætera luminaria, vt luceatis hominibus per ignem doctrinæ, in bono rumore fulgurantes, & ardentia corda paratantes. Hoc in prima ætate mundi feci. Abel enim elegi, Noë dilexi, Abrahæ me oſtendi, Moyſen ad inſtitutionem legis imbui, Prophetas etiam amauit

Cleri Colon. & Hildegardis epiſtola amœbea.

Apoſtrophe.

¶ Iſta παρρησία, & reliqua oraculorum inuoluera, qui volet, excutiat.

amantissimos amicos meos constitui. Vnde etiam Abel sacerdotium præfigurabat, Noë principale magisterium, Abraham renouationem sobolis, Moyses regale nuntium, & Prophetæ plurima magisteria. Sed & Abel vt Luna splendorem suum effudit, quia tempus obœdientiæ in munere suo ostendit, & Noë velut Sol, quia ædificium obœdientiæ perfecit, at Abraham, vt fortes Planetæ, cùm Circumcisionem attulit, & Moyses vt cæteræ stellæ, cùm per obedientiam legem collegit, & Prophetæ vt quatuor anguli, qui terminos terræ sustinent, in fortitudine perstiterunt. Linguæ autem vestræ mutæ sunt, inclamante voce clamantis tubæ, Domini sanctam rationabilitatem non amantes, quæ sicut stellæ circulum circuitionis habent. Tuba Domini, iustitia DEI est, quam magno studio in sanctitate ruminare deberetis, eam in officiali lege & obedientia cum sancta discretione per conuenientia tempora iterando populis, & non in nimietate eam illis incutiendo. Sed hoc propter pecuniam propriæ voluntatis vestræ non facitis. Vnde firmamento Dei iustitiæ luminaria in linguis vestris desunt, velut cum stellæ non lucent. Vos enim nox spirans tenebras estis, & quasi populus non laborans, nec propter tædium in luce ambulans. Sed velut nudus coluber in cauerna se abscondit, sic vos fœditatem in vilitate pecorum intratis. Heu heu vos esse deberetis, vt dictum est. Mons Syon, in quo habitastis in eo. Nam vos benedicti & signati in cœlestibus personis habitaculum esse debuistis, myrra & thus redolens, in quo etiam Deus habitaret. Sed hoc non estis, sed veloces estis ad lasciuiam pueritiæ ætatis, illorum scilicet, qui de salute sua loqui nesciunt, & quicquid caro vestra postulat, facitis. Quapropter de vobis dicitur: Leva manus tuas in superbias eorum in finem, quanta malignatus est inimicus in sancto: Nam potestas DEI colla vestra in iniquitate erecta deprimet, & ad nihilum deducet quæ veluti inflatu venti insufflata sunt, cùm DEUM non cognoscitis, nec hominem timetis, nec iniquitatem contemnitis, vt eam in vobis finiri desideretis. DEUM enim non videtis, nec eum videre desideratis, sed opera vestra inspicitis, & ea in vobis meripsis judicatis, scilicet faciendo & relinquendo secundum cor vestrum quæ vultis. O quanta malignitas hæc est, & inimicitia, quòd homo nec propter DEUM nec propter hominem in bona conuersatione esse vult, sed quòd honorem appetit sine labore, & præmia æterna sine abstinentia, & quòd tamen velut in sanctitate inaniter cupit personare, secundùm quod Diabolus dicit, bonus & sanctus sum, sed non hic. Quid nunc dicitis? Oculos non habetis, cùm opera vestra in igne Spiritus sancti non lucent, & cum bona exempla eis non ruminatis. Vnde firmamentum DEI in vobis luce Solis caret, & aër ædificio virtutum in odore suauitatis. Vnde dictum est: Oculos habent, & non videbunt, nares habent & non odorabunt. Nam sicuti venti flant, & omnem orbem perfundunt, sic vos veloces venti cum doctrina vestra omni populo esse deberetis, sicut dictum est. In omnem terram exiuit sonus eorum. Vos autem in vnaquaque seculari volante fama iam lassati estis. Itaque interdum milites, interdum serui, interdum ludificantes cantores existitis, & per fabulosa officia vestra muscas aliquando in æstate abigitis. Per doctrinam quoquè scripturarum, quæ de igne Spiritus sancti compositæ sunt, anguli fortitudinis Ecclesiæ esse deberetis, eam sustentantes, sicuti anguli, qui termiros terræ sustinent. Sed prostrati estis, nec Ecclesiam tenetis, sed in cauernam voluptatis vestræ fugitis, ac propter diuitiarum & auaritiæ tædium, & cæterarum vanitatum, subditos vestros non imbuitis, nec eos à vobis doctrinam quærere permittitis, dicentes, omnia elaborare non possumus: nam eos per præcepta legis constringere deberemus, ne vllus eorum per fragilitatem, quasi per medullam, faceret, quod sibi eligit, velut terra humiditate perfusa & constricta est, ne cinis sit. Propter vos autem vt cinis sparguntur, & vnaquaque causa, quæ volunt, faciunt. Vos autem ignea

Tuba Domini.

Obiurgatio

Exclamatio.

Mortis Cleri.

columna esse deberetis, illis præcedendo, & bona opera coram ipsis exercendo, & eis clamando & dicendo: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Nam lex Domini per amorem & timorem plena disciplinæ est, & ideo quemadmodum creatura, scilicet spiritualis ac carnalis, in recto itinere exercenda est, ne creator minetur eis, quos creauit, quia vias suas non ambulant. Sed vosmetipsos seducitis, dicentes: Nec hos nec illos superare possumus. Quod si per rationalitatem, quam DEUS vobis dedit, subditos vestros corriperetis, veritati resistere non auderent, sed quantum possent, verba vestra vera dicerent. Sed quia hoc non facitis, de vobis dicitur: Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Hoc tale est. Nam turbati estis, cùm nullum respectum bonum in vobis habetis, ita quòd benè ambuletis. Moti quoque in magna dubitatione estis cùm opera vestra rectum responsum vobis non dant, velut nesciatis, quid faciatis, sicut ebrius, quando illa, quæ optio mentis ac propriæ voluntatis est, facitis. Vnde omnis sapientia, quam de scripturis & de doctrina quæsiuistis, in puteo propriæ voluptatis vestræ deuorata est, cùm hoc, quod tangendo & sapiendo sciebatis, in plenis desideriis vestris, & in pinguedine carnis vestræ, facitis, velut infans, qui nescit, quid faciat. Qua propter ad vos dicit: Morem moralitatis ad populum in recta stabilitate non habetis, sicut pedes reliquum corpus sustinent, qua tenus scripturis eos circumdetis, velut abyssus aquis sudantibus vndique circumdata est, nec etiam nunc tempus est, vt audiamur, sicut in prioribus temporibus erat. Sed dico. Abel propter odium fratris munus suum non deseruit, sed illud Domino obtulit, quamuis ob hoc occisus sit. Noë in tremendo judicio suffocationis creaturarum multum sudorem fudit, cùm mortem valde timuit, vbi jussa DEI compleuit. Quod quidam alii homines videntes, dixerunt: Quid facit stultus iste, venti eum destruent. Sed tamen ipse impleuit, quod DEUS ei præceperat. Abraham nec propter dolorem cordis sui, nec propter dolorem filii sui cessauit, quin eundem filium suum in holocaustum ligaret. Moses quoque legislator dura & aspera à fratribus, & à vicinis suis, in multo dolore passus est, sed tamen legem non dereliquit, sed præcepta DEI adimpleuit. Prophetæ etiam legem de infidelibus hominibus, veluti de rapidis lupis, occisi sunt cùm DEO obediebant. Vos autem in modico & conuenienti tempore iniurias cum Apostolis sufferre non vultis, & ideo innumerabilia & infinita tormenta in sinum vestrum colligitis. Dies enim esse deberetis, sed estis nox. Nam aut nox, aut dies eritis, eligite vobis, in qua parte fuit velitis. Vos autem in firmamento justiciæ, & legis DEI, Sol, Luna & stellæ non estis, sed tenebræ in quibus velut mortui iacetis. Vnde iterum dico, DEUS opera, quæ per semetipsum fecit, illis, qui ab eo declinant, proponit, quoniam manipulos bonorum fructuum rectè non ferunt, quemadmodum pater opera probitatis suæ filiis suis ostendit, dum ab eo recedunt, vbi in honestate non benè ambulant. Adam in beneuolentia mandatum DEI suscepit, sed consilio Diaboli defecit. Vnde claritatem, quam veluti lucidum vestimentum inhabuit, & patrimonium Paradisi, perdidit, ac lamentabile vestimentum induit, & in tenebrosam terram iuit. Tunc Diabolus gaudebat, quòd hominem deriserat, & hoc fecit vsque ad Abel, qui bona voluntate DEUM dilexit, & voluntatem illam bono opere ostendit. Ibi autem Diabolus Cain inuasit, ita quòd fratrem suum occidit. Hæc DEUS in mente sua velut in libro scripta inspexit, quæ mysteria Diabolus nesciuit, quoniam in sancta diuinitate tantum apparuerunt. Quia virginitas in Abel, in sacerdotali officio, & sanguine martyrii ordinata est, quod postea in filio DEI completum est. Deinde DEUS per Noë in ædificatione arcæ cœleste fundamentum præfigurauit, vino verò modum produxit. Tunc namque terra nouum succum, scilicet vinum, dedit, in quo mors & vita est. Vbi etiam Diabolus filio Noë persuasit, quod propter nudita-

Explicat se.

Agit exemplis.

Diaboli ἐπιχαιρεκακία.

Chā. patris irrisor.

nuditatem patrem ſuum inhonoraret, Vnde & idem filius eius de benedictione libertatis denudatus, etiam ſeruus factus eſt. Poſtea diuinitas per Circumciſionem & veram oſtenſionem muros eiusdem fundamenti in Abraham demonſtrabat, & etiam in ſterili muliere. Circumciſio enim confuſio ſerpentis, & vulnus mortis erat. Quorum prima mulier ſterilis vitæ fuit, Eccleſia verò fœta per fidem erat. Diabolus autem in quibuſdam de genere Abrahæ cum maledictione irriſionem per homicidium, & per alia praua opera fecit, vnde benedictione DEI ceciderunt. Sed digitus DEI legem Moyſi ſcripſit, vbi turres prædicti fundamenti in altum produxit, Quapropter Diabolus ibi peſſimum & ſummum malum iniuit, quod prius conſiliatus fuit. Hac manifeſtè oſtendit, cùm in Baal ſe eſſe DEUM dixit, vnde filios Iſraël DEUS multis plagis percuſſit. ¶ Tunc vnicornis venit, & in ſinu virginis dormiuit; quoniam verbum caro factum eſt, & cœleſte fundamentu totum compleuit. Poſt modicum autem ſubiungit: Et de viuente luce iterum audiui vocem, dicentem: O filia Syon, corona capitis filiorum tuorum inclinabitur, & pallium dilatationis diuitiarum eorum imminuetur, quia tempus illud non cognouerunt, quod eis ad videndum, & ſubditos ſuos ad docendum dedi. Et poſt pauca: Iſta flagella præcurrent, alia autem & poſtea alia & peiora venient. Nam Diabolus in ſemetipſo de vobis dicit, eſcas epulantium, & conuiuia omnis voluntatis meæ, in iſtis inuenio. Sed oculi & aures & venter meus pleni ſunt de ſpumis iſtorum, & verba mea plena ſunt de vitiis eorum. Et paulò pòſt: Sed ego qui ſum, audientibus me dico. In tempore illo cùm iſtud fiet per quendam errantem populum, peiorem errante populo, qui nunc eſt, ſuper vos præuaricantes præuaricatores ruina cadet, qui vbiquè vos perſequetur, & qui opera veſtra non celabit, ſed qui ea denudabit, & qui de vobis dicet: Iſti ſcorpiones ſunt in moribus & in operibus ſerpentinis, Sed & quaſi in zelo DEUM de vobis imprecabitur, iter ipſorum peribit. Nam vias veſtras iniquitate veſtra ad internecionem deridebunt, & ſubſannabunt. Sed populus, qui hæc faciet, à Diabolo ſeductus & miſſus pallida facie veniet, & velut in omni ſanctitate ſe componet, ac maioribus ſecularibus Principibus ſe coniunget, quibus de vobis ſic dicet: Quare hos vobiſcum tenetis, & quare hos vobiſcum patimini, qui totam terram in maculoſis iniquitatibus polluunt? Iſti enim ebrii & luxurioſi ſunt, & ni eos à vobis abiiciatis, tota Eccleſia deſtruetur. Populus autem, qui hoc de vobis dicet, vilibus cappis, quæ alieni coloris ſunt, induitur, & recto modo tonſus incedet, atqui omnibus moribus ſuis placidum & quietum ſe oſtendet hominibus, auaritiam quoque non amat, pecuniam non habet, ac in occultis tantam abſtinentiam imitatur, quod etiam vix vllus ex aliis reprehendi poterit. Diabolus enim cum hominibus iſtis eſt, latitante fulgore ſe oſtendens, velut in conſtitutione mundi ante ruinam fuit, & Prophetis ſe aliquantulum ſimilem facit, & dicit: Populus jocando loquitur ſcilicet velut rapida & immunda animalia, & ei me oſtendam. Sed nunc in pennas ventorum fulgurante tonitru volare volo, & eos omnibus modis ita infundere, quòd omnem voluntatem meam perficient, & ita in omnibus iſtis ſigna mea omnipotenti DEO aſſimilabo. Nam Diabolus per aërios ſpiritus hoc operatur, qui propter praua opera hominum in flatu venti & aëris ita innumerabiles circa quoſdam diſcurrunt, ſicut muſcæ & culices, qui in ardore caloris homines præ multitudine coloris infeſtant. Ipſe enim homines iſtos hoc modo infundit, quòd incaſtitatem habere voluerunt. Et iterum circa ſe dicit: Caſtitatem & continentiam *DEUS* diligit, quod & ego in iſtis imitabor. Ac ſic antiquus hoſtis per aërios ſpiritus eoſdem homines inflat, quòd inceſtis peccatis ſe abſtinent.

Mali obſcenium Diabolorum.

Sumit filii Dei partes.

Diabolus ſimia DEI.

¶ *De Vnicorne Plinius lib. 8. cap. 21. de admirabili eius natura, quòd ſcilicet faminam Virginem quæ ſplendidis ſit induta veſtibus, & ornatu vario exculta, non tantùm accedat, ſed etiam ad genua accumbens quieſcat. Glycas part. 1. pag. 84.*

Vnde mulieres non amant, sed eos fugiunt. Et ita quasi in omni sanctitate hominibus se ostendent, ac illudentibus verbis dicent: Cæteri homines, qui castitatem ante nos habere volebant, vt assum piscem se torrebant, nulla aurem pollutio carnis & concupiscentiæ nos tangere audet, quia sancti sumus, & Spiritu sancto infundimur. Vah errantes homines, qui nunc sunt, nescient, quid faciunt. sicut & illi, qui nos in prioribus præcesserunt temporibus. Nam & alii homines, qui eo tempore in fide catholica erant, istos homines timebunt, seruili officio eis ministrabunt, & quantum poterunt, eos imitabuntur. Tunc de conuersatione istorum populus gaudebit, quoniam eis iusti videbuntur. Cumque illi cursum error is sui hoc modo confirmauerint, doctores & sapientes, qui tunc in fide catholica fideliter persistunt, vndique persequentes expellent, sed tamen non omnes, quoniam aliqui eorum fortissimi milites in iustitia DEI sunt. Sed & quasdam congregationes sanctorum, quarum conuersatio sancta est, mouere non poterunt. Quapropter diuitibus & Principibus consilium dant, vt eosdem magistros Ecclesiarum, ac reliquos spirituales homines, scilicet subditos eorum, fustibus & lignis coherceant, quatenus iusti fiant. Et in aliquibus hoc complebitur, vnde alij territi contemiscent: Sed tamen secundum quod Eliæ dictum est, multi iustorum seruabuntur, qui in erroribus non confundentur, nec à fundamentis suis deiicientur. *Hypocrita tyranni.*

Seductores autem isti in conceptione erroris sui mulieribus dicent: Non licet vobis nobiscum esse, sed quoniam rectores doctores non habetis, nobis obedite, & quæcunque vobis dicimus, & præcipimus, facite, & salua eritis. Et hoc modo fœminas sibi contrahunt, & in errorem suum ducunt. Vnde & in superbia tumentes animi dicent, omnes superauimus. Qui tamen eidemfœminis secreta luxuria commiscebuntur postea, & ita iniquitas & fœda eorum denudabitur. Sed qui sum dico. Sic iniquitas, quæ iniquitatem parit, gabit, super vos ducetur. Et post modicum subinfert. Infideles autem homines isti, & à Diabolo seducti, scopa vestra erunt, ad castigendum vos, quoniam DEUM purè non colitis, & tam diu vos cruciabunt, quo vsque iniquitates & fœditates vestræ & iniquitates purgentur. Isti autem illi deceptores non sunt, qui ante nouissimum diem venturi sunt, cùm Diabolus in altum volabit, vt in initio cum DEO pugnare cœpit, sed præcurrens eorum germen sunt. Sed tamen postquam ipsi in peruersitatibus Baal, & in aliis prauis operibus suis inuenti fuerint, Principes & alii maiores in eos irruent, & velut rapidos lupos eos occident, vbicunque eos inuenerint. Tunc aurora iusticiæ, & nouella vestra meliora prioribus erunt, ac de omnibus præteritis timorati eritis, & quasi purissimum aurum fulgebitis, & sic per longa tempora manebitis. Et iterum in eadem epistola: In temporibus vestris inquieta bella propter propprias voluntates, & propter incompositos mores vestros, habebitis. Et hanc epistolam post admonitiones & narrationes quasdam, superioribus similes, finiuit. Hæc quoque verba eius sunt: Vidi ad aquilonem, & ecce ibi quinque bestiæ stabant, quarum vna erat vt canis igneus, sed non ardens, vna vt Leo fului decoris, alia vt equus pallidus, alia vt niger porcus, alia vt lupus griseus. Significabant autem, vt ipsa dicit, hæ quinque bestiæ, quinque ferocissimos cursus temporalium regnorum, ferociter in se bacchantes. Canis igneus sed non ardens, homines suæ constitutionis mordaces, velut ignes apparentes, sed in iusticia DEI non ardebunt. Leo fului decoris bellicosos homines, bella mouentes sine rectitudine, sed in fuluo decore regna illa imitabuntur. Equus pallidus homines in diuitiis capient fatigationem debilitatis incurrere. Equus pallidus homines in diuitiis peccati, & in velocitate voluptatis suæ operationem bonarum virtutum transilientes, vbi tunc cor illorum regnorum in pallore ruinæ suæ confringetur, quoniam ruborem fortitudinis suæ iam perdet. Niger porcus rectores, magnam nigredinem tristiciæ in semetipsis facientes, & se luto immundiciæ inuo- *Φάσμα fatidicum.*

Ecce tibi, Qui Curios simulant, & Bacchanalia vinunt.

inuoluentes, significat, & diuinam legem in multis contrarietatibus fornicationem & aliorum similium malorum post ponentes, ac multa schismata diuinorum præceptorum in sanctitate machinantes. Lupus griseus, significat homines multas rapinas tam in potestatibus, quàm in reliquis successibus sibi inferentes, cùm in his certaminibus nec nigros nec albos, sed veluti griseos in versutiis se ostendentes, capita illorum regnorum, ea deuidentes, deiiciunt. Dicit etiam, quòd tunc veniet tempus irretitionis multarum animarum, vbi error errorum vsque in cœlum erigitur, & filii lucis filium perditionis abiicient, qui diabolicis artibus voluntates suas perficere tentabit. Creditur, quòd hæc quinque tempora cœperint circa annum Christi M. centesimum, & durabunt vsque ad mortem Antichristi. Primumque tempus, quod cœpit anno Domini M. C. durabit vsque ad annum magnum, quo Episcopi & omnes Clerus expellentur de locis & ciuitatibus suis. Et hoc tempus appellat virgo Hildegardis muliebre propter molliciem & dissolutionem morum, & quod sequitur virile propter restaurationem & virorem virtutum, & tempus Antichristi nominat tempus errans. Dicit autem sic: Justicia postquam ad supernum judicem querelam suam direxerit, ille voces querimoniæ eius suscipiens, justo judicio suo vindictam suam super præuaricatores rectitudinis inducet, atque tyrannidem inimicorum eorum super eos grassari permittet, sic ad judicem dicentium: Quam diu lupos rapaces istos patiemur, & tolerabimus, qui medici deberent esse, & non sunt. Sed quoniam potestatem loquendi, ligandi & soluendi habent, idcirco vt ferocissimæ bestiæ nos rapiunt: Scelera quoque eorum super nos cadunt, & omnis Ecclesia super eos arescit, quia quod justum est, non clamant, & legem destruunt, quemadmodum lupi agnos deuorant, atque in crapula voraces sunt, & adulteria quàm plurima perpetrant, & per talia peccata absque misericordia nos judicant. Et post talia & alia sic: Nunc autem dicamus eis, quòd officium suum compleant, quemadmodum antiqui patres constituerunt, vel à nobis recedant, & ea quæ habent, relinquant. Hæc & his similia, diuino judicio excitati, illis acriter proponent, atque super eos irruentes, dicent: Nolumus hos regnare super nos cum prædiis & agris & reliquis secularibus rebus, super quas principes constituti sumus. Et quomodo decet, vt tonsi cum stolis suis & casulis plures milites, & plura arma quàm nos habeant? Sed non conueniens est, & quòd Clericus miles sit, & miles Clericus sit. Vnde abstrahamus eis, quod non rectè sed iniustè habent. Diligenter enim consideremus, quid cum magna discretione pro animabus defunctorum oblatum sit, & illud eis relinquamus, quoniam hoc rapina non est. Et plurima in hunc modum: Sed Pontificales dignitates, & omnes in spirituali habitu sub eis degentes, illis cum clausura cœli primitus resistere multum laborant. Sed cùm tandem persenserint, quod nec potestate ligandi, nec soluendi, nec confirmatione oblationum suarum, nec strepitu armorum, nec blandiciis, nec minis illis resistere poterunt, diuino judicio territi, inanem & superbam fiduciam, quam prius semper in semetipsis habuerant, deponentes, & in se redeuntes, coram illis humiliabuntur, atque vlulando clamabunt, & dicent: Quia omnipotentem DEUM in ordine officii nostri abiecimus, idcirco super nos hæc confusio inducta est. Et hæc omnia benè concordant his verbis, quæ aliâs virga dicit Hildegardis sic: Cùm peccata hæc in populis se inuicem coniunxerint, scilicet odium, homicidium, & Sodomiticum peccatum, tunc constitutio legis DEI diuidetur, & Ecclesia quasi vidua concutietur, & prin-

Calomitates auctora mẽtum scelerum.

¶ *Atque tunc maximè contentio vigebat de Ecclesiasticorum, quæ vocatur inuestitura. Quæ vt Imperatorum potentiam vehementer labefactauit, planeque eneruauit, ita Pontificum extulit. Præterea circa idem tempus natum commentum de Constantini donatione, legimus apud Auentinum lib. 5.*

* *Perpende hic lector, quæ Erasmus habet in prouerbio: Silenti Alcibiadis. Et notum Christi dictum: Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic.*

principes, nobiles & diuites, per consimiles atque per suos minores de locis suis expellentur, & à ciuitate in ciuitatem fugabuntur. In libro quoque diuinorum operum dicit sic: Cumque homines prædictis afflictionibus purgati fuerint, tædium præfatorum præliorum incurrent, atque justiciam in cunctis ecclesiasticis institutionibus, que DEO placitæ sunt, per timorem DEI apprehendent, & illis plurima bona superaddent. Et post pauca: Nam de præterito timore & præterito dolore cōfortabuntur, & quasi purissimum aurum fulgebunt, & sic per longa tempora sanctitas, justicia & pax durabit. Tunc etiam veri Angeli hominibus adhærebunt, tunc etiam fortes & sapientes viri surgent, & prophetabunt, & omnia vetera & noua scripturarum, & sermones omnes, per Spiritum sanctum effusos, colligent, & intelligentiam eorum sicut monile cum preciosis lapidibus ornabunt, & omnes fideles in his velut in speculo considerabunt se. Dicit etiam Virgo Hildegardis aliâs, quòd tunc omnia arma, quæ ad necem hominis parata erant, principes interdicent, illa tantùm ferramenta seruantes, quibus terra colitur, & si quis ea transgredietur necabitur ferro proprio. In diebus illis vera æstas per virtutem DEI erit; quia tunc omnia in veritate consistent, Sacerdotes scilicet & Monachi- virgines quoque, & continentes, & reliqui ordines in veritate stabunt, justè & benè viuentes, omnemque sublimitatem & superfluitatem diuitiarum abiicientes. Subiunxit etiam, quòd Judæi & Hæretici lætabuntur, gloriam suam in proximo esse dicentes, & quòd plurimi paganorum baptizati Christum prædicabunt. Interdum iniquitas surget, & iterum cadet, interdum quoque bella, fames, pestilentia & mortalitas grassabuntur, & iterum euanescent. Cùm homines eiusmodi quiete residebunt, alii omnium dolorum dies aduenient, omnibus præ timore continuarum afflictionum mortem desiderantibus, & dicentibus, vt quid nati sumus? & optantibus, vt montes decidant super eos: priores namque dies dolorum & calamitatum aliquam refocillationem & reparationem interdum habebant. Isti autem omnium dolorum pleni, à malis non cessabunt; homicidium & iniusticia pro nihilo computabuntur. Pagani de longinquis regionibus ferocissimam atque immundissimam gentem conuocabunt, cui se in fornicatione atque omni malo adiungent, & populum Christianum vbique & præliis & rapinis inuadent, & plurimas regiones & ciuitates destruent, Ecclesiasticas disciplinas, & omnes, quos poterunt, polluent & contaminabunt. Filii Dies illi alios dies pessimos, & aduentum perditi hominis, denunciabunt. Filii DEI protectione ipsius in eos irruent, & victores eorum existent, & maxima turba Paganorum Christianis in vera fide tunc addetur. In illis diebus Imperatores Romanæ dignitatis à fortitudine, qua prius Romanorum regnum tenuerant, descendentes, in gloria sua imbecilles fient: Reges & Principes multorum populorum, qui prius Romano imperio subiecti erant, se ab eo separabunt, nec vlterius ei subiicientur. Et sic Romanum imperium in defectum dispergetur. Nam vnaquæque prouincia, & quisque populus Regem sibi tunc instituet cui obœdiat, dicens, quòd latitudo Romani imperii magis sibi oneri fuerit, quàm honori. Postquam imperiale sceptrum hoc modo diuisum fuerit, nec reparari potuerit, tunc etiam infula Apostolici honoris diuidetur. Quia enim nec Principes nec reliqui homines tam spiritualis quàm secularis ordinis in Apostolico nomine vllam religionem tunc inuenient, dignitatem nominis illius imminuent. Alios quoque magistros & Archiepiscopos sub alio nomine in diuersis regionibus sibi præferent, ita vt etiam Apostolicus eo tempore dilatione honoris pristinæque dignitatis attenuatus, Romam, & pauca illi adiacentia loca, vix tunc sub infula sua obtineat. Hæc etiam ex parte belli euenient, ex parte quoque per commune consilium & consensum & spiritualium & secularium populorum, vel hortantibus, vt quisque secularis princeps regnum & populum suum muniat & regat, & vt quilibet Archiepiscopus, seu alius spiritualis magister, subditos suos

Aureum seculum.

¶ Quasi viro non ea semper rerum vicissitudo extiterit.

¶ Tales quidem Tartaros esse cōstat.

Ruina imperij Rom.

Papatus.

suos ad rectitudinem disciplinæ constringat. Tunc iterum iniquitas aliquantulum debiliter iacebit, interdum quoque surgere attentabit. Tunc vnusquisque Rex & Princeps ac episcopus se ipsum in alio castigabit. Aër quoque tunc iterum suauis erit, & fructus terræ vtilis, & homines sani ac fortes. In ipsis etiam diebus multi Prophetæ & sapientes erunt, & occulta Prophetarum & aliatum scripturarum sapientibus tunc ad plenum patebunt, & filii & filiæ eorum prophetabunt, etiam in similitudine doctrinæ Apostolorum. Interim & multæ hæreses, & plurimæ turpitudines cum aliis malis pullulabunt, qui Antichristum in proximo adesse ostendunt. Immunda quoque mulier immundum filium concipiet. Cùm enim tempus aduenerit, quo iste nequissimus deceptor horribilirer apparebit, dicit virgo Hildegardis, mater illa, quæ istum fallacem in mundum ejiciet, à pueritia sua in puellari ætate diabolicis artibus vitijsque plena, in deserto abiectionis inter nefandissimos enutrita est, ibi parentibus suis eam nescientibus, nec illis, cum quibus moratur, eam scientibus. Quoniam Diabolus illuc eam ire persuadet, & ibi eam secundum voluntatem suam decipiendo componit, quasi Angelus sanctus. Et ideo ab omnibus se separat, vt tanto facilius celari possit. Vnde etiam aliquibus, sed tamen paucis viris nequissimo latrocinio fornicationis occultè commiscetur, & in tanto studio turpitudinis cum illis se polluit, velut Angelus sanctus feruorem prauitatis illius eam perficere iubeat. Et sic feruentissimo ardore fornicationis istius filium perditionis concipiet, nesciens de quo semine virorum illorum eum conceperit. Sed Lucifer, serpens videlicet antiquus, turpitudine ista delectatus, coagulationem hanc justo meo judicio artibus suis inflat, & eam omnibus viribus totam in ventre matris possidet. Sic illo proditore de ventre matris suæ, pleno diabolico spiritu, egrediente, deinde consuetam fornicationem deuorat, & apertè stulto & insipienti populo dicit, quia virum non habet, nec patrem infantis sui sciat, fornicationem quam perpetrauit, sanctam dicit. Vnde populus illam sanctam putat, & nominat. Sic filius perditionis diabolicis artibus vsque ad fortiorem ætatem nutritur, semper noto sibi populo sese subtrahens, nec se maniuestauit, vsque dum se plenum & superabundantem in cunctis iniquitatibus cognouerit. Ab initio autem ortus illius multa certamina, & multa contraria rectarum ordinationum ebullient, & ardens justicia à rectitudine sua obtenebrabitur, & caritas in omnibus extinguetur, hæreses fient, vt etiam hæretici errores suos apertè indubitanterque prædicent, & tanta dubietas & incertitudo in fide catholica fiet, vt homines in dubio habeant, quem DEUM inuocent, atque plurima signa in Sole, Luna & stellis, & in cæteris elementis & creaturis apparebunt. Vnde etiam homines tanta tristicia in illo tempore occupabit, vt mori quasi pro nihilo ducant. Qui autem in catholica fide tunc perfecti erunt, in magna contritione expectabunt, quid DEUS ordinare velit. Et hæ tribulationes hoc modo procedent, vsque dum filius perditionis os suum ad contrariam partem aperiat. Sed cùm ille verba falsitatis, & deceptionum suarum protulerit, cœlum & terra contremiscent, & catena monilis justiciæ, velut magno flatu venti, tota tunc primùm mouebitur. Quoniam vsque ad idem tempus inconuulsa permanebit. Antiquus hostis quoniam hominem primum superauerat, per alium hominem, scilicet Antichristum, æstimat se posse perficere, quod olim incepe-

Imago nostri seculi.

Fabula de Antichristo ¶

ἐποχὴ *fidei.*

¶ *De Antichristo nostrarum Ecclesiarum sententia, sacrarum litterarum roborata veritate, in medio est. Qui volet, addat quæ Augustinus disseruit lib. 20. de ciuitate DEI cap. 19. Et memorabilis est locus lib. 2. Sibyllin. oracul. in hanc sententiam:*

Fallaces aderunt in terris vaticinantes:
Et Belial veniet, facietque insignia multa
Inter mortales tunc, sancti funditus, atque
Electi, fidique, euersi dirpientur:
Nec non Hebrai, quos sauior impetet ira.

ceperat , cùm aduerſus DEUM pugnare tentauit. A Diabolo quippe Anti-
Ναυσδρος. ¶ De factionib⁹ Antichriſti 2. Theſſal. 2. Apocal. 19, & ſeq. .
chriſtus infuſus omnia quæ DEUS in antiqua lege & noua conſtituerat, deſtruet, & inceſtum & alia ſimilia peccata non eſſe peccata affirmabit, affirmans , quòd omnia caſtitatis præcepta per ignorantiam facta ſunt. Multitudinem populorum ſeducendo ſibi attrahet, & ſe vt DEUM adorari faciet, vt filius DEI paruum numerum in comparatione numeri ſui habeat. Post redemptionem populi ſui per occiſionem ſe mori, & per reſurrectionem ſe ſurgere ſimulabit, & quandam ſcripturam in fronte ſequentium ſe ſcribi faciet, per quam omne malum eis immittet , atque per eandem ſcripturam contra baptiſmum, & contra Chriſtianum nomen arte magica ita eos infundet, vt ab illo diſcedere non cupiant, & vt ſecundum ipſum, quemadmodum Chriſtiani ſecundum Chriſtum , omnes vocentur. Hanc ſcripturam Lucifer in ſe diu habuit, nec eam vlli hominum reuelauit, excepto huic ſoli, quem in vtero matris ſuæ totum poſſedit. Scriptura autem hæc in nulla lingua vſq; inuenta eſt , quia Lucifer eam primùm in ſemetipſo inuenit. Sed DEUS omnes conatus eiuſdem ſcripturæ cum auctore ſuo deſtituet. Sancti & juſti in timore magno concutientur. Tunc Eliam & Enoch eadem vis, per quam prius ablati de medio hominum fuerant , reducet , & quamdiu cum hominibus morabuntur , ſemper per quadraginta dies reficientur. Matora ſigna filio perditionis facient , homines ex omnibus populis ad ipſos current , ad martyrium, quod eis filius perditionis inferet, cum ardenti fide veluti ad conuiuium properantes, multitudo ſanguinis eorum ſicut riuus effundetur. Hos cùm filius perditionis nec blanditiis nec minis ſuperare poterit , jubebit crudeli martyrio conſumari. Sequaces filii perditionis gaudebunt, ſed cùm ſpiritus vitæ eos ſuſcitauerit, ac rurſùs in nubes ſuſtulerit, gaudium illorum in timorem vertetur. Deinde perditionis filius populum conuocabit, & ¶ cœlos ire tentabit. Sed cùm diabolica arte ſe ſurſùm extulerit , diuina virtute eiicietur , atque fœtor ſulphuris & picis cum ſuſcipiet , ita etiam , vt aſtantes populi ad præſidia montium fugiant. Tantus quippe terror hæc videntes & audientes occupabit , vt Diabolo & filio eius abrenunciantes , ad veram fidem baptiſmi conuertantur. Poſt caſum Antichriſti gloria & laus Chriſti filii DEI amplificabitur. Obiit autem virgo Hildegardis tempore Adriani Papæ , regnante Imperatore Friderico.

¶ *Simile quid de Simone Mago perhibetur, ſed quod tamen ſcriptorum αξιοπίστων auctoritate careat, & Volaterranus. Vide Arnobium lib. 2. Nicephorum Calliſt. Glycam, cæteros.*

FRIDERICVS I Imp. Componit diſcordantes.

Anno Domini M. CLII. regnauit Fridericus, LXXXVI. ab Augusto. Hic filius Friderici Ducis, potens ſapientia & fortitudine, & Pentecoſten Merſeburg celebrauit, vbi regi Danorum Suenoni regnum confirmauit, & Kanutum parte regni, & poſſeſſionibus ſuis propriis, contentum eſſe fecit. Rex Wirceburg. conuentum habuit, ibique Heinricum Ducem & Albertum Marchionem discordantes pacificauit, & Principes expeditionem in Longobardiam jurare fecit. Circa idem tempus Dux Heinricus Vicelino Epiſcopo grauiter inſtitit, vt ſecularem paſtoralem ab eo reciperet, quod Bremenſes omnino diſſuaſerunt. Fecit tamen ne Epiſcopatus periclitaretur. Anno Domini. M. C. LIII. Eugenius Papa obiit. Cui ſucceſſit Conradus, qui & Anaſtaſius. Fridericus Rex Saxoniam intrat. Feodem anno ab vxore ſua coram legatis Apoſtolici ſeparatur. Anno Domini M. C. LIIII. Vicelinus Epiſcopus obiit pridie Idus Decembris. Sedebat autem annis V. Statim fratres de Faldera receſſerunt à ſubiectione Aldenburgenſis Epiſcopatus, eligentes ſibi Epponem Præpoſitum. Vicelino ſucceſſit Geroldus , natus de Sueuia , Capellanus Ducis. Fridericus Rex Magdeburg. Paſcha celebrauit, & Romam proficiſcitur. Anaſtaſius Papa obiit, cui ſucceſſit Nicolaus, Albanenſis Epiſcopus, qui & Adrianus. Anno Domini M. CLV.

Repudiat vxorem primam. Vicelini mors. Geroldus ſucceſſor.

C. LV. Proficiscente rege Friderico versus Romam, Dux post se vocavit Geroldum Aldenburgensem electum, vt secum Romam iret. Siquidem Hartvvicus Archiepiscopus ipsum noluit consecrare, quia quasi per Ducem & Ducissam electus erat. Nam Archiepiscopus & Dux minus sibi fauentes erant ad inuicem, quia Dux bona Episcopalia ad libitum occupans, quasi pro capellano Archiepiscopum reputabat. Veniente igitur rege Friderico prope Romam, miserunt Romani legatos suos ad Regem in castra, qui dicerent, paratum esse Senatum, & vniuersos ciues vrbis ad eum excipiendum cum triumphalibus pompis, siquidem Imperatorio more sese exhibuisset. Quo percontante modum, quo sese exhibere deberet, illi aiebant: Regem propter imperiale fastigium Romam venientem, decere venire more suo, hoc est in curru aureo, purpuratum, agentem præ curru suo Tyrannos bello subactos, & diuitias gentium. Præterea oportere eum honorare vrbem, quæ caput est orbis, & mater imperii, & dare Senatui, quæ edictis præfixa sunt, videlicet XX. millia librarum argenti, vt per hoc suscitentur animi Senatus ad beneuolentiam, & exhibeant ei honorem triumphalem, & quem electio Principum regni creauit Regem, authoritas Senatus perficiat Cæsarem. Tunc Rex subridens: Grata, inquit, promissio, sed cara dura emptio. Magna requiritis, ô viri Romani, de exinanita camera nostra. Puto autem, quia occasionem quæritis aduersum nos, imponendo non imponenda. Consultius verò agetis, si his omissis, amicitiæ potius, quàm armorum ceperitis experimentum. At illi pertinacius instabant, jura ciuitatis nullatenus irritanda, alioquin vrbis introitum obserandum. Rex autem reverenter vocauit Dominum Adrianum Papam in castra, propter participationem consilii. Siquidem Romani Papam in multis offenderant. Veniente ergo eo in castra, Rex festinus ei occurrit, & descendenti de equo tenuit strepam, duxitque per manum in tentorium, factoque silentio, locutus est Dominus Bauenbergensis Episcopus verbum ex ore Regis & principum, dicens: Honorabilem sanctitatis tuæ præsentiam Apostolice pontifex, sicut dudum sitienter desideravimus, ita nunc lætanter suscipimus, gratias agentes omnium bonorum largitori DEO, qui nos deduxit, & adduxit in hunc locum, & sacratissima visitatione tua dignos fecit. Notum igitur tibi esse volumus, reuerende Pater, quia omnis Ecclesia, de finibus orbis propter honorem regni collecta, adduxerint Principem suum ad tuam beatitudinem, prouehendum ad cultum imperii: Siquidem est nobilis, prudens, victoriosus, DEUM timens, pacificus, catholicæ cultor fidei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerator. Ecce te venientem excepit intrepidus, sanctissimis tuis vestigiis humiliter inclinatus. Ergo venerande Pater, tu circa ipsum peragas, vt quæ ei desunt de plenitudine Imperialis culminis, per tuæ benedictionis munificentiam suppleantur. Frater, ait Papa, verba sunt, quæ loqueris. Princeps tuus debitam beato Petro hac vice non exhibuit reuerentiam: nam sinistram nobis strepam tenuit, cùm dexteram debuerit tenuisse. Rex se excusat, asserens, se in tenendis strepis minimum studuisse, & hunc defectum non ex indeuotione, sed ex inscientia prouenisse. Tu, inquit, sancte pater primus es, quem tali sumus obsequio venerati. At Papa, Rex vester per ignorantiam minima negligit, quomodo maxima expediet? Rex aliquantulum motus ait; Vellem instrui, mos iste vtrum ex benevolentia sit, an ex debito? Si ex beneuolentia, causari non potero super eo, quod feci non de jure, sed de arbitrio. Si ex debito, quid refert inter strepam dextram & sinistram, dummodo seruetur humilitas, & Princeps ad pedes summi Pontificis incuruetur. Inter hæc & talia sine osculo recesserunt. Rex iterum hortatu Principum Papam revocat, & reuerenter suscipiens redeuntem, strepam dextram Papæ tenuit, & sederunt. Omnibus super hoc exhilaratis, iterum Papa: Princeps, ait, vester

Hartuici Archiepisc. & Henrici L. simultas

Legatio Romanorum insolens.

Imperatoris congressio cum Papa.

¶ Grande nefas scilicet, dignũq; Papali Zelo Vide formulam donationis Constantini.

Mascula responsio.

requirat beato Petro Apuliam, quam Wilhelmus Siculus per vim possidet, & sic ad nos redeat coronandus. Ad hæc Principes: Sancte Pater, supra vires nostras est, quod postulas, attriti sumus laboribus & expensis, qualiter nunc Apuliam requiremus? Opus consecrationis impleas, vt sic ad patriam redeamus, respiremus paululum de labore, postmodum ad agenda, quæ debemus, redibimus expediti. Papa consensit, consilium fit de introitu vrbis, & cavendis insidiis Romanorum. Dux autem Heinricus accessit ad Papam, supplicans consecrari suum electum Geroldum. Renuit Papa, sollicitatus per litteras Archiepiscopi Hartuuici. Mane facto, præcedente Papa cum Cardinalibus, Rex venit cum omni exercitu suo, & Papa suscepit eum ad gradus intrantesque domum Petri, aggressi sunt opus consecrationis Miles armatus vallabat templum contra insolentiam Romanorum. Post consecrationem Imperator vrbe egreditur, & militia reficitur. Inter prandendum Romani irrumpunt in castra Ducis, proxima muris. Sed Duce cum suis fortiter resistente, victoriam obtinuit gloriosè. Papa ergo cum muneribus ei mandavit: Cras consecrabo electum tuum, & factum est ita Sueno, Rex Danorum, regno depellitur, & regnum à Kanuto & Waldemaro, ipsius nepotibus, occupatur. Anno Domini M.C.LVI. Fredericus Imperator Monasterii Pascha celebrauit Conuentum apud Haluerstad habuit Kalend Maii. Heinricus Dux Fresiam hostiliter ingreditur, sed macte reuertitur. Fridericus Imperator Ratisbonæ conuentum habuit, vbi Christo mediante, Heinricus Dux Saxoniæ Ducatum Bavvariæ obtinuit. Heinricus Bavvaricus Marchiam terræ illius retinuit. Heinricus Dux Suenonem, regem Danorum, regno suo restituit. Anno Domini M. C. LVII. Fridericus Imperator Poloniam hostiliter ingreditur. Kanutus Rex à Suenone dolosè interimitur, Waldemarus vulneratus vix euasit. Postea factum est prælium inter Suenonem & Waldemarum. Suenonis victa pars corruit, ipse autem fugiens capitur, & obtruncatur. Fridericus Imperator natalem Domini apud Magdeburg celebrat. Anno Domini M. C. LIIX. Fridericus Imperator Francofort conuentum habuit, Pascha verò apud Traiectum celebrauit, Italiam hostiliter intrauit, Mediolanum obsidens subiugauit. Heinricus Dux Sclauiam cum exercitu intrans terram ferro & igne vastauit. Eodem anno immanissima tempestas extitit, ventus turbinis fortissimus arbores immensas radicitus euulsit, Ecclesias cum domibus ædificiisque euertit. Aquarum quoquè inundantia infinitam hominum multitudinem cum pecoribus suis extinxit. Anno Domini M.C.LIX. Heinricus Dux & cæteri Principes collecto exercitu Italiam intrant: Imperator castrum Grimme obsidet, rebellantibus Mediolanensibus. Adrianus Papa obiit, & ortum est schisma in Ecclesia DEI inter Alexandrum, qui & Rolandus, & Victorem, qui dictus est Octauianus. Adrianus Papa & Fridericus Imperator inter se promiserant, vt contra Siculum & alios quilibet eorum alterius injurias propulsaret. Rolandus Cancellarius, Mediolanensis genere, Franciam intrans, omnes, quos potuit, Imperatori infestos fecit, & Mediolanensium, de quibus ipse ortus fuit, contra eum inuidiam suscitauit. Ad hæc omnia fauorem Siculi habuit. Rediens autem, plures Cardinalium sibi attraxit, & aliquos Romanorum, qui omnes in eadem voluntate perstiterunt. Jurauerunt insuper, vt mortuo Adriano Papa, de suis vnum eligerent, qui cum ipsis in eodem proposito permaneret. Et hæc conspiratio in tantum invaluit, vt secta Cæciliana ab aliis vocaretur. Mortuo autem Adriano Papa, omnes Cardinales conveniunt in vrbe, promittunt voto vnanimi, quòd nullus in Papam sublimetur, nisi communiter ab omnibus eligatur, etiam solo reclamante. Medio tempore illi de secta Cæciliana intendebant, aliis nescientibus, Rolandum Cancellarium Papam proclamaturi.

Inauguratio.

Henricus L. prostigat seditiosos Romanos.

Motus Danici.

Conuentus Imperij.

Henrici L. geminata victoria.

Waldemarus, Rex ἀμυνόμενος.

Bellum Mediolan.

Tempestas.

Schisma Papale.

Secta Cæciliana.

Sed

Sed secreto ingenio Mantum * quærentes, minimè inuenerunt. Interea Octavianus ab aliis, & denique ab omnibus nullo reclamante eligitur, & Papa Victor ab omnibus proclamatur. Venerunt quidam ad Rolandum Cancellarium, dicentes, Domine nos sperabamus, quòd vestræ personæ debuisset Papalis dignitas euenisse. Et ipse respondit: Ego vester Dominus non sum, sed quem immantuatum videtis, & Papam proclamatum, illum pro domino teneatis. Seditque Papa Victor sine omni contradictione in sede Apostolica diebus XI. Duodecimo die Rolandus Cancellarius cum suis complicibus Siculum adiens, se Papam Alexandrum, auxilio Siculi & eorum, quos ipse aduocare poterat, fecit solenniter proclamari, & factum est schisma maximum in Ecclesia DEI ad annos XX. Cùm igitur Cæsar expugnaret Mediolanum, venit ad eum Victor in castra, quæ erant apud Papiam, & recepit eum. Similiter Reinoldus Coloniensis, & Conradus Moguntinus, electi, & omnes qui fauebant Imperio. Porro Alexandrum recepit Hierosolymitana Ecclesia & Antiochena, præterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania, & omnia regna, quæ sunt vsquam terrarum. Insuper Cisterciensis ordo eidem maximas addidit vires. Vnde iratus Cæsar proposuit edictum, vt omnes Monachi Cisterciensis ordinis, qui consistebant in regno suo, aut Victori subscriberent, aut regno pellerentur. Et multi ex illis in Franciam fugabantur, Archiepiscopi, Episcopi, de suis sedibus sunt expulsi. Anno Domini M. C. LX. Arnoldus, Moguntinus Archiepiscopus, in atrio ecclesiæ Beati Jacobi occiditur, ipsaque ecclesia cum omnibus ædificiis monasterii igne comburitur. Heinricus Dux terram Sclauorum hostiliter deuastat, Principem eorum Niclod, qui & Nicolaus, trucidauit, & rebelles sibi subiugauit. Fridericus Imperator cum Mediolanensibus pugnauit, vexillum beati Ambrosii auferens, plurimis occisis cum victoria remeauit. Heinricus Dux Episcopos in Sclauia ordinatos inuestiuit, Geroldum in Aldenburgk, Euermodum in Raceburg, Bernonem in Magnopolin, qui translatus est in Zuerinensem vrbem. Anno Domini M. C. LXI. Gero, Haluerstadensis Episcopus, ferendi pallii dignitatem à Victore Papa suscepit. Anno Domini M. C. LXII. Mediolanum Imperatori traditur. Floruit tunc temporis Petrus Longobardus, qui fecit librum Sententiarum. Anno Domini M. C. LXIII. Imperator tam Rolandum quàm Octavianum vocat ad judicium, curiam indicens Bisunziæ. Venit Imperator, venit Rex Daciæ, Waldemarus, in cuius comitatu Dux Borius erat, quem ipse postea submersit, quia regnum affectauit. Ibi Waldemarus duo regna, Daciæ & Sueciæ ab Imperatore suscepit. Venit Hartvvicus, Bremensis Archiepiscopus, conquerens ibidem, quòd tria regna, Daciæ, Sueciæ, Norvvegiæ se de sua sede abstraxerint violenter, cùm jure deberent suam Synodum obseruare. Venit Reinoldus Coloniensis, & Absolon Lundensis. Venit tota Gallia, Alemannia, Prouincia, Burgundia, Lumbardia cum suis Principibus. Expectatur rex Franciæ, Lodovvicus, & Heinricus, rex Angliæ, rexque Hispaniæ, sed non veniunt, sollicitati per Rolandum. Solus Rex Franciæ nocte venit, quia cum venturum Heinricus, Comes Campaniæ, jurauerat, & manibus in flumine lotis, statim discessit. Alexandro cum suis non veniente, Imperator Victorem in Papatu cum Rege Daciæ confirmauit, qui Treuerim veniens, Rolandum cum suis excommunicauit. Et Rolandus econtra Octauianum. Imperator Moguntiam destruxit, & interfectores Archiepiscopi trucidauit. Heinricus Dux castrum Werle cepit. Deinde vocatis Episcopis, Geroldo Aldenburgense, Euermodo Racisburgense, Bernone Magnopolitano, locutus est eis, vt ab ipso reciperent suas dignitates, & fecerunt. Postulante autem Geroldo Episcopo, Dux sedem transtulit de Aldenburg in Lubeke, statuens ibi XII. præbendas, & Præpositum Athelonem, cuius est tertia decima.

** Erat id insigne quoddam, vt Vrspergensis, pallium B. Petri, vt Antoninus Florent. Tom. 3. cap. 8. §. 21.*

¶ Vide epistolam Rolandi apud Radeuicũ lib. 2. cap. 51

Siculus, protector Alexandri

Monachi Cistercienses aguntur extorres.

Cædes Moguntini.

Item Nicloti Sclaui.

Magister sententiarum.

Conuentus Vesontinus.

Danum cliens Imperij.

Henricus, Comes Campaniæ, Galli fidejussor.

Henrici L. successus.

Lubeca fit sedes Episcopalis.

Ibi Rugiani venerunt ad gratiam Ducis. Albertus Marchio, Sclauis expulsis, terram suam occupauit Holleris, Selandris & Flamingis. Geroldus, Episcopus Lubicen. obiit, cui successit Conradus, Abbas de Reddageshusen. Anno Domini M. C. LXIV. Hartvvico Archiepiscopo Conradum Episcopum, in Stadio consecratum, adhuc secum in Horburg detinente, XIV. Kalend. Martii orta est tempestas maxima & maris abundantia, & inuoluit aqua omnes fines maritimos Fresiæ, Hadeleriæ, & omnem terram palustrem Albiæ & Wirræ, & submersa sunt multa millia hominum & jumentorum. Submersus est etiam Richbertus, Aduocatus Stadens. Eodem die strages magna facta est Mikilinburg. Dux Sclauiam ingressus Wertislaum, filium Nicloti, captiuum suspendit. Hic est pater Borevvini, cui Dux postea filiam suam naturalem in matrimonio copulauit, quæ ei genuit Heinricum & Nicolaum. Et Dux Adolfum & Reinoldum Comites Dimin cum exercitu misit, vbi à Sclauis per insidias cum pluribus sunt perempti. Reinoldus Coloniensis electus corpora trium Magorum, vt dicitur, de Mediolano Coloniam adduxit. Victor, Papa Imperatoris, obiit, cui Widonem Cremensem succedere fecit, qui & Paschalis. Victor apud Lucam sepelitur. Anno Domini M. C. LXV. Hartvvicus, Bremensis Archiepiscopus, dedicauit monasterium beatæ Virginis prope Stadium VI. Kal. Octob. Imperator Laudam destruxit, & aliam ædificauit super fluuium Ade. Vbi dum Imperator hyemaret, & quodam mane super fluuium deambularet cum solo Comite, cui nomen Thidericus, Friso quidam vir fortis, stricta indutus camisia, cera & pice linita, prosiliit de latebris, & à tergo Imperatorem rapiens, & secum in arenam prouoluens, in profundum fluminis trahere nitebatur. Illo trahente, Imperatore renitente, Thidericus euaginato gladio latrònem fugauit, qui in aqua saliens nunc sub aquis, nunc super aquas se sequentes contempsit, & in altera ripa susceptus, & à suis amplexus, equo celeri est delatus. Anno Domini M. C. LXVI. Karolus Magnus de tumba leuatur, & Heinricus, Imperatoris filius, Aquisgrani à patre & Principibus coronatur, Reinoldus, Coloniensium electus, inuitato Imperatore Coloniam à suffraganeis consecratur, sed ab Alexandro excommunicatur. Ille tunc in Gallia moram fecit, & Turonis consilium congregauit. Heinricus Dux supra basin crexit Leonis effigiem in Brunsuuic, & vrbem fossa & vallo circumdedit. Et quia potens & diues erat, contra imperium se erexit, vnde eum Imperator humiliare proposuit, & ex hoc surrexerunt multæ contentiones Principum contra Ducem. Imperator in Italiam proficiscitur cum exercitu.

Colonia Belgica.

Cataclysmus.

Wertislai supplicium & posteritas.

Clades Diminensis.

λείψανα Magorum. ¶ Vide Metropolin Crancij lib. 6. cap. 43.

Lauda destructa.

Imperatoris periculum.

Inauguratio Henrici R. & Coloniensis.

Brunsuicensis leo aeneus.

¶ *Non potest in Historicorum lectione versanti vel obscurum vel insolens esse, sæpe numero alias in partes alias propendere. Hinc enim est, quòd Augustus Cæs. ob immodicas Pompeii laudes prædicatas Liuium Pompeianum vocauit, hinc quòd à contrario instituto acerbissimè Salustium inscriptum fuit Pompeius Lenæus, hinc quòd à Græcis Timæus Ἐπιτιμαῖος nuncupatus. Quare nihil mirum, & sæpe nos auctorem de Henrico L. suis quibusdam affectibus duci. Nam quid de historia eius sentiat, & quo lectio oporteat, habet præfatio nostra in Chronica Sclauorum, item Appendix ad Chronicon Hieroso. quam lectorem remittimus.*

Anno Domini M. C. LXVII. Imperatore existente in Italia, Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus, & Christianus, Moguntius electus, cum exercitu Romam vadunt, vbi tunc Alexander Papa mansit. Romani hortatu Alexandri faciunt impetum in exercitum, & pluribus occisis, super hastas figunt capita occisorum. Reinoldus Colon. & Christianus, Moguntinus electus, prælium instaurant, hostes inuadunt, & in hoc congressu plusquam VI. mill, Romanorum ceciderunt. Alexander fugit, vrbs vacua permansit. Pestilentia nimia de cadaueribus exsurrexit, & victores, qui in loco victoriæ incauti permanserant, strage maxima interemit. Ibi Reinoldus Colon. Archiepiscopus interit, & Dux Sueuiæ Fridericus. Ossa Reinoldi Coloniam transi-

Papale facinus.

Clades Romanorum. ¶ Sic nimirum κλαίει ὁ νικηθείς, καὶ ὁ νικήσας ἀπόλωλε.

transportantur. Cui Philippus, Decanus eiusdem Ecclesiæ, subrogatur. Christianus, Comes de Aldenburg, Duci Heinrico se opponens, castrum Wege euertit, Bremam intrauit, Bremenses eum recipiunt, volentes jugum Ducis excutere, Dux collecto exercitu, Bremam adiit. Sed Christianus vada occupans fluminis Getæ, Duci transitum prohibuit virtuosè. Ibi vterquè sedit exercitus quatuor diebus. Quinta die Christianus quatuor instaurauit acies pugnaturus. Dux terga vertit, & abiit. Postea cum magno exercitu reuertitur, & Christianus se recepit in Aldenburg, nihil timens. In eodem turbine obiit Christianus Comes. Et quia milites, sicut ipse rogauerat, mortem eius dissimulabant, ei tanquam viuo cibaria inferentes, exercitus Ducis affectus tædio, est solutus. Moritur etiam Heinricus, frater Christiani. Hic vxorem duxerat, sororem Heinrici Comitis de Gelre, de qua genuit Heinricum & Gerardum, postea Clericum, & filiam, quam duxit Wedekindus de Stumpenhusen, filius Geronis. Christianus etiam genuerat de Cunegunda Mauricium & Christianum. Et solus Otto, Bremen. Ecclesiæ Præpositus, de filiis Eilmari remansit, qui factus est tutor pupillorum. Postea Aldenburgenses bello se fodiunt intestino, ita vt sacerdote Missam celebrante Fresones calicem effunderent, & deferrent. Vnde eadem vrbs in manus Heinrici Ducis data est, eamque obtinuit, vsque dum ab Imperatore humiliaretur. Anno Domini M. C. LXIIX. Principes Merseburg conuenerunt aduersus Ducem jurantes. Sed Imperator de Italia rediens, audiuit querelas Principum contra Ducem in Bomeneburg, & aliquandiu pacem fecit. Adhuc etiam feruente schismate sub Widone Paschali, Imperator vltus est mortem Alberti, Archiepiscopi Moguntini, Canonici duos elegerunt. Conradum de Widelesbach, & Christianum, juuenem strenuum & virilem. Papiæ Paschalis præsedit concilio, & Rolandum Alexandrum anathematizauit: Econtra Alexander in Francia Widonem Paschalem. Arnoldus, Treuirensis Episcopus, accepit pallium ab vtroque. Christianus Moguntinus adhæsit Paschali. Conradus cum Alexandro exulabat, item Albertus, Salziburgensis Archiepiscopus, licet Imperator esset eius auunculus. Hartvvicus, Bremensis Archiepiscopus, obiit 8. Nonas Octobris, & duo sunt electi, Sifridus, Alberti Marchionis filius, & Otbertus Decanus, & factus est maximus tumultus in Brema, Gunzelino de Zuerin ex parte Ducis insaniente, ita ut Sifridus electus in Aldenburg cum Ottone Præposito se transferret. Alii fugerunt Horburg. Dux Heinricus repudiata sorore Ducis Zaringiæ Bertoldi, duxit filiam regis Anglorum, relictam regis Franciæ, & nuptias Brunsvvick magnificè celebrauit. Imperatore curiam habente in Bauenberg, duo electi Bremenses destituti sunt, & de voluntate Ducis Baldevvinus, Haluerstadensis Præpositus, est intrusus. Sifridus fit Episcopus in Brandenburg. Baldevvinus licet senex bona Ecclesiæ Duci concessit & suis. Pallium à Paschali accepit, in schismate consecratus, vel potius execratus. Anno Domini M. C. LXIX. Alexander in Gallia exulabat, & Imperator Paschali per Teutoniam collectam fecit. Anno Domini M. C. LXX. Imperator curiam apud Goslariam habuit. Albertus Marchio obiit. Castrum Horburg destruitur. Anno Domini M. C. LXXI. Thomas, Cantuariensis Archiepiscopus, à militibus Heinrici, Regis Angliæ, occiditur in templo. Sarraceni de Africa cum mille CC. XXX. nauibus Galeciam intrauerunt, & demersis nauibus, fecerunt Regem, imponentes eum asello, & ipsi pedites sequebantur, occupantes terram quasi locustæ. Hi per septem menses mira & nefanda fecerunt opera. Sed Rex Hispaniæ nocte incautos & ebrios obtruncauit. Heinricus Dux filiam suam Regi Daciæ desponsauit, qui hæredem ex ea non habuit. Anno Domini M. C. LXII. Christianus, Moguntinus Archiepiscopus, Imperialis aulæ Cancellarius, & sedis Apostolicæ legatus, cum Brabantinis

Christianus Com. Oldenburg.

Stratagema.

De familia Oldenburgo ὑπόμνημα.

Conspirati. in Henricū Leonem.

Papales anathematismi.

Gunzelinus Com. Suerinēsis.

Henrici L. altera nuptia.

Sigefridus Episc.

Mors Alberti Vrsi.

Cades Cantuariensis. ¶ Forsan ista ad Almohades pertinent, de quibus Rodericus Toletanus lib. 7. c. 10.

Moguntini militia.

tinis per Lombardiam & Thusciam omnia depopulans Bononienses invasit, & in equo residens, indutus thorace, & desuper tunica hyacinthina, habens in capite galeam deauratam, & in manibus clauam trinodem, ipse in eodem prælio dicitur strauisse nouem homines propria manu. Vidit Heinricus, Scholasticus Bremensis, qui tunc XXXV. annorum Notarius fuerat eiusdem Christiani, eundem Archiepiscopum XXXIIX. melioribus terræ dentes cum pertica manu propria excussisse. Fugiunt Bononienses, Archiepiscopus civitatem obsidet, exercitus Bononiensibus insultat. Papa Paschalis strenuitatem viri amplectens, sic ei scribere solebat: Paschalis Episcopus, seruus seruorum DEI, Christianissimo Christiano, sedis Apostolicæ legato, Imperialis aulæ Cancellario, & Romanæ Ecclesiæ filio fidelissimo, salutem &c. Die sequenti post victoriam, Archiepiscopus, indutus Pontificalibus, magnam fecit solennitatem ob victoriæ memoriam, & ipse assistens aræ, quæ est extra muros Bononiæ, vbi quidam Episcopus Aquileiæ ædificauit præclarum palatium de marmore, & templum honorabile marmoreum, celebrauit solemniter diuina. Astabant ad solennia CCC. milites, omnes Monachi apostolici, & ferè tot Moniales ejusdem sectæ, & præclare cantabant: Gaudeamus omnes in d. d. f. c. in honore Thebeorum martyrum. Epistola: Sancti per fidem. Gratia: Glorioſus DEUS. Versus: Dextera tua Domine. Alleluia: Vox exultationis. Sequentia: Agone. Euangelium: Cùm audieritis prælia &c. Post: Ite missa est. Archiepiscopus & sui acceptis obsidibus, & infinita pecunia, cum multa præda iuit Anconam, obsidens illam ferè per biennium. Heinricus Dux per Græciam iuit Hierosolymam, rediens ipso anno Domini M. C. LXXIII. Christianus Archiepiscopus licet Teutonicus, fuit Turingus, disertus extitit & facundus, vir largus & illustris, vtens lingua Latina, Romana, Gallica, Græca, Apulica, Lombardica, Brabantica, vt lingua materna. Nulla ciuitas, nulla vrbs ei resistere audebat. Heinricus prædictus Scholasticus retulit, se veraciter audiuisse, quòd asini sui exercitus maiores haberent expensas, quàm omnis familia Imperatoris, quæ tamen opulentissima videbatur. Clerici & fœminæ exercitus eius duo castra minuta fecerunt. Iste Christianus Anconam tunc obsessam fame sic afflixerat, vt calceorum & scutorum coria deuorarent. Subiugauit etiam Ferrariam & per Rauennam. Castrum Plone de stagno translatum est in montem Episcopi. Terra circa Bremam arsit grauiter in æstate feruida ferè per mensem, & per se cessauit. Equus locutus est sessori suo dicenti, bibe diabole; Inuitus me poteris ad aquam minare, sed inuitum non poteris adaquare. Anno Domini M. C. LXXV. Christianus Archiepiscopus Anconam destruxit, & naues piraticas CCC. suo vsui deputauit. Eodem tempore cum Imperatore Veneti discordabant. Est autem Venetia ciuitas in mari Adriatico, insulata quidem non natura sed arte facta, & sic inchoata. Rex Attila Aquileiam obsidens, inhabitatores eius fugauit, qui ad locum, vbi nunc est Venetia, venientes, ibidem insulam congesserunt, & eam à venalitate vel venatione Venetiam vocârunt. Habitauerant ibi à principio duo conciues, vnus diues, alter pauper. Diues iuit mercatum, & requisiuit à socio mercimonium. Non habeo, pauper ait, præter duos catos. Hos diues secum assumpsit, & casu in terram venit, vbi locum ferè totum mures vastauerant. Vendidit catos pro magna pecunia, & suo socio per mercatum plurima comparans reportauit. Anno Domini M. C. LXXVI. Wido Paschalis obiit, cui succedit in schismate Abbas Strumensis, Johannes Calixtus. Sed Romani timentes Christianum Archiepiscopum, non receperunt eum, sed nec Alexandrum. Anno Domini M. C. LXXVII. Imperator schisma fastidiens, de pace cogitavit. Nam Alexandro jam regna omnia consenserant. Solus Christianus papa vit Calixtum in valle Spoletana. Circa idem tempus Imperator Mediolanenſibus

Sacrum Pentecost.
Successus.
Encomium
Luxus.
Incendium de æstu Solis.
Equus locutus.
Ancona destructa.
Venetia.
Narratio fabulosa.
Calixtus Antipapa.
Imperatorem tædet schismatis.
¶ σχετλίαι μὲν φῶτες ὀιζύν. *Iliad. 15.*

nensibus offensus, Principes in auxilium uocauit, & præcipuè Heinricum Ducem. Qui cùm ei difficilis esset, ad pedes eius procidit, quem Dux leuare contempsit. Sed Imperatrix eum leuauit, dicens: Surge mi Domine, memor esto casus huius, & memor sit DEUS. Obiit Alvvardus, Abbas Staden. & de voluntate Ducis quidam simplicissimus homo, Rosenuelde, enutritus. Godeschalcus prior, præfuit Ecclesiæ tribus annis. Sed fortuna Ducis à tempore, quo Imperatorem leuare contempsit, labefactari cœpit. Anno Domini M. C. LXXIIX. Obiit Baldevvinus, Archiepiscopus Brem. cùm ipsâ die esset depositionis suæ litteras accepturus, & Magister Bertoldus eligitur, solo Ottone Præposito appellante. Euermodus, Episcopus Raceburg. obiit, cui successit Isfridus, Præpositus Jericontinus. Heinricus Dux & Albertus Palatinus Episcopatum Haluerstad. & ciuitatem & Ecclesiam sancti Stephani, plenam Clericis, matronis & infantibus incenderunt. Anno Domini M. C. LXXIX. Celeberrimum concilium cóngregatum est Lateranis ab Alexandro Papa XX. Pontificatus sui anno: cessitque à schismate Johannes Calixtus, & factus est Episcopus Beneuentanus. Archiepiscopi pallia accepta à schismaticis abiecerunt. Christianus Moguntinus & Philippus Colonienſis per manum Hyacinthi Cardinalis receperunt nova pallia, refutantes omnem hæresin, & schisma, præcipuè Octauiani, Widonis & Johannis, sic dicente quolibet: Ego N. anathematizo & refuto omnem hæresin, extollentem se aduersus sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam, præcipuè verò schisma Octauiani, Widonis & Johannis, & ordinationes eorum irritas judico, & eis contradico, & modò & in antea me obediturum juro, & promitto fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino meo Alexandro, & successoribus eius, justè intrantibus, ipsique seruiam absque omni malo ingenio contra omnem hominem secundum ordinem meum. Consilia eius, quæ mihi scripto certo mandauerit, vel ipse commiserit, nulli hominum prodam nec etiam pro periculo corporis aut membrorum. Legatum Ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam & reducam, & juuabo expensis. Sic me DEUS adiuuet, & sancta hæc Euangelia. His verbis dabantur pallia: In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, & in honore DEI genitricis Mariæ & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ Ecclesiæ Romanæ, & Domini Alexandri Papæ, tradimus tibi pallium, sumptum de beatissimo corpore Petri Apostoli, vt eo vtaris in confectione sacramentorum, & corporis & sanguinis Domini, & consecratione Ecclesiarum & chrismatis, & ordinatione Clericorum, & celebratione synodorum, secundum Ecclesiæ tuæ consuetudinem. Amen. In eodem concilio Bertoldus, Bremensis electus, petiuit consecrationem, certissimus ordinari. Sed pridie sederat in concilio inter Episcopos inflatus, cùm tamen non esset presbyter. Vnde magnam contraxit inuidiam. Et Magister Gerardus sic pro eo allegabat: Domine pater, ecce Bremensis Ecclesia concordi & vnanimi voto offert tibi sponsum suum Magistrum Bertoldum, virum vndique dignum, & moribus approbatum, scientia decoratum, liberalibus artibus instructum, vtriusque testamenti pagina eruditum, decretorum, legumque industria peritum virum, vt apparet, personatum canonicè, & sine omni contradictione electum; petitque hodiè à te accipere gradum sacerdotii, & cras Episcopalem benedictionem. Papa breuiter: Credimus tibi benè, Magister, sed dictum est, manum nemini citò imposueris. Loquemur cum fratribus nostris, audiemus etiam diligentius modum electionis. Examinantur Bremenses per duos Cardinales, Reinerum Papiensem, & Johannem Neapolitanum, & inuenti sunt discordare. Papa in consistorio suo sententiatus est: Fratres, vidi vestrum electum, placet persona, placet sententia, placet eloquentia, placent etiam, quantum nouimus, mores, verùm modus electionis displicet, præsertim quia est infra sacros

Verum de hac historia Chronica Sclauorum lib. 2. cap. 20.

Godeschalcus Abbas Stad. II.

Bertoldus designatus Archiepisc. Brem.

Halberstadium exustum.

Concilium Lateran.

Iuramentum Episcoporum.

Excerbit mysteria Romanensia.

Bertoldi Brem. amicitia.

ſacros ordines, non dico ſubdiaconatum, ſed acolythatum, electus, quo gradu, ſecundum rigorem juris, licet contrahere matrimonium, quod canonicis obuiat inſtitutis. Audiuimus etiam ſuper hæc appellationem factam, quam coactus eſt reſignare appellator. Inſuper denuò ſe fecit eligi, & ſecunda electio caſſauit primam. Præterea electus veſter ante ſacros ordines ſuſcepit regalia de manu Imperatoris. Hæc non admittunt diſpenſationem de facili, & alia quæ præterimus. Inde eſt, quòd electionem veſtram infirmamus, & irritam judicamus. Data ſententia, volenti loqui depoſito, non eſt data audientia, ſed hoſtiarii clamabant: leuate, audate, audate, audate. Eodem tempore Manuel, Græcorum Imperator, bellum contra Soldanum habuit, de quo Imperatori ſcripſit, ſalutatione ſic poſita: Manuel in Chriſto DEO fidelis Imperator, Porphyrogenitus, diuinitus coronatus, regnator potens, excelſus & ſemper Auguſtus, & moderator Romanorum magnificus, nobiliſſimo & glorioſiſſimo regi Alemanniæ, & Imperatori, ac dilecto fratri Imperii noſtri ſalutem & fraterni amoris affectum. Et in fine epiſtolæ ſic; Sultanus * Imperio noſtro ſe dedidit, & miſſis legatis miſericordiam poſtulauit, fecitque Imperio noſtro hominium, & juramento pollicitus eſt, ſeruire nobis contra omnem hominem cum exercitu ſuo, ita vt ſit amicorum noſtrorum amicus, & inimicorum inimicus. Hanc epiſtolam Imperator ſuſcepit ſcriptam aureis litteris. Sed prius legationem Sultani acceperat, contraria nunciantis. Venerunt quoque Imperatori cum eiſdem litteris munera precioſa, Inter quæ fuit cantharus ſmaragdineus, capiens ſextarium Balſami piſtici, & plurimæ gemmæ precioſæ. Imperator non benè confiſus Conſtantinopolitano, & ægrè ferens nomen eius præpoſitum, maximè cùm moliretur contra Imperium Romanum, & plures Romanorum corrupiſſet. Indignabatur etiam, quòd ipſe ſe vocauerat moderatorem Romanorum. Reſcripſit tamen: Fridericus, diuina fauente clementia inclytus triumphator, Romanorum Imperator à DEO coronatus, ſublimis, in Chriſto fidelis, magnus, pacificus, glorioſus Cæſar, Græcorum moderator, & ſemper Auguſtus: Nobili & illuſtri Regi Græcorum & Imperatori, Manueli, dilecto fratri ſuo ſalutem, & fraternæ dilectionis affectum. Et inter cætera ſic: Sicut ille rex regum, à quo omnis poteſtas, Romanum imperium caput totius orbis conſtituit, ita etiam ſedem Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum vnicam matrem, dominam, magiſtramque, ordinauit, quod vtique duorum, gladiorum numero præfigurauit, quos quidem ſufficere prohibuit ipſe auctor fidei Chriſtianæ. Quapropter tuam prudentiam commonemus, quatenus nobis & Romano imperio honorem debitum recognoſcas, & ſummo pontifici, quem nominetenus ſanctum appellas debitam obœdientiam exhibeas & honorem. Remiſit autem Imperator nuncios multis muneribus honoratos. In ſuprà dicto concilio Lateran. erant à Papa conſecrati Epiſcopi duo Anglici, & duo Scoti: vnus ſolo equo venerat, alter pedes cum ſolo pedite. Erat ibi Epiſcopus Hybernicus, qui Heinrico, Scholaſtico Bremenſi, retulit, ſe non habere alios reditus, præter tres vaccas lactantes, quas in defectu lactis parochiani ſui per alias innouabant. Sifridus, Brandenburgenſis Epiſcopus, in ſedem Bremenſem eligitur, filius Alberti Marchionis.

Repulſa.

Manuel Imp. Byzant. σπερμόλογος.

Friderici Imp. ingenua excandeſcentia.

Lautia.

Hybernici Epiſc. tenuitas.

* *Is eſt Clizaſthlanes. Vide Appendicem noſtram ad Haythonum, & copioſiſſimè de Manuelis hiſtoria explicantem Nicetam.*

Anno Domini M. C. LXXX. Imperator Wirceburg curiam habens in natali Domini, Heinrico Duci abiudicauit omne feodum, quod ab Imperio tenuit, vel Archiepiſcopis vel Epiſcopis. Bernardus Comes de Anehold ſuſcepit Ducatum Saxoniæ, & Philippus Colonien. Ducatum Weſtphaliæ. Media Quadrageſima Imperator in Geilehuſem electionem Sifridi Bremen. confir-

Henrici Leonis proſcriptio.

confirmauit. Circa ad vincula Petri milites Ducis cum Comite Gunzelino contra Weſtphalos pugnauerunt in campo Halreveld, vbi Simon Comes * captus eſt. Anno Domini M. C. LXXXI. Imperator Lubeke veniens, eam in deditionem accepit. Heinricus Dux ſe cum filiis ſuis in poteſtatem Imperatoris tradidit, & fines Imperii abiurauit. Anno Domini M. C. LXXXII. Puer Franciſcus natus eſt in ciuitate Aſſiſii patre Petro de Bernardone. Alexander Papa obiit. Heinricus Dux Angliam intrauit. Anno Domini M. C. LXXXIII. Alexandro Papæ ſucceſſit Lucius, Hoſtienſis Epiſcopus. Hic diſſenſum habuit cum Romanis, quia conati ſunt deſtruere oppidum Tuſculanum. Romani n. XXVI. Tuſculanorum milites cæcauerunt, & capitibus eorum coronis de pergamenis impoſitis, ſingulis ſingula Cardinalium nomina cum opprobriis inſcripſerunt, & quilibet manum alterius tenebat, & qui præibat vnum oculum habebat, vt reliquos duceret, in cuius corona ſcriptum erat: Lucius nequam Simoniacus, & aliæ blaſphemiæ. Papa autem manſit Anagniæ. Eo tempore quidam Bremenſium, ſcilicet Thidericus Decanus, Hartvvicus Cuſtos, & Segebodo Sancti Pauli Abbas, Hermannus Præpoſitus de Bucken, & Eilo, Præpoſitus Sancti Willehadi, & alii, quos Archiepiſcopus ſublimauerat honoribus, conſpirauerunt contra ipſum, mittentes ad curiam Romanam Heinricum Canonicum, dictum Dobelſtein, eò quod aleator eſſet. Hic vbi erat incognitus, ſciuit in ſe finxere nequiſſimam ſanctitatem. Sed Heinricus Scholaſticus Bremenſis, ei in curia reſtitit, & ſufficienter Archiepiſcopum excuſauit, videlicet quod varium non ferret, niſi cum ſuis veſtibus alicui erogatis, mantellum Clerici aut militis induiſſet, & quod in deauratis phaleris non incederet, niſi equo ſuo dato, equum ſerui aut militis aſcendiſſet. Et idem Heinricus multas alias frivolas obiectiones eliſit. Imperatore habente curiam Erphordiæ, in palatio, ſiſſb quo erat cloaca, fractis trabibus ſubmerſi ſunt in cloaca octo principes & multi nobiles, & pluſquam C. milites, nullo Epiſcopo vel Clerico quicquam paſſo. Imperator feneſtram rapiens vix euaſit. Quidam Comes, ſcilicet Heinricus de Suuarzenborch potens, ibi profundius corruit, qui ſemper ſic jurauit, Si hæc fecero, vel dixero, ſubmergar in latrina. Anno Domini M. C. LXXXIV. Imperator celeberrimam habuit curiam Moguntiæ. Ibi Rex Heinricus, filius eius, miles factus eſt in maxima gloria & honore. Ibi confirmatum eſt matrimonium Conſtantiæ cum filio Imperatoris. Fuit autem filia regis Siciliæ, Calabriæ & Apuliæ, Rogerii, ſoror regis Wilhelmi, qui duxerat ſororem regis Angliæ, ſed prolem ex ea non habuit. Fuit autem Conſtantia jam ſexagenaria, ſed Rex Heinricus adoleſcentulus, pactumque eſt, vt ſi poſt fratrem viueret, regnum Conſtantia obtineret. Lucius Papa deſiderabat coronare & conſecrare Heinricum, filium Imperatoris, ſed eſt à quibuſdam Cardinalibus impeditus. Deinde iuit Veronam. Frondonen. Epiſcopus, Sueciæ regionis, Johannes, Bremam veniens, fecit obedientiam Sifrido Archiepiſcopo. Obiit Sifridus Archiepiſcopus Bremenſis. Sederat autem in Brandenburg annis XV. Papa Lucius & Imperator magnam habuerant curiam in Verona. Venit nuncius Saladini ibidem, qui ſe in littera ſua Saladinum, felicem Joſeph Ægypti, & dominatorem Damaſci nominauit, & Principem Babylonis, minatus ſe velle repetere Hieruſalem, quam ſibi aſſeruit jure hæreditario prouenire de Sara. Et in fine literæ ſubiunxit: Sic me adiuuet Propheta meus Machometus. Super hoc nuncio eſt tota curia contriſtata. Sifrido Archiepiſcopo ſucceſſit Hartvvicus, cui Imperator contulit regalia, conſecrationem Lucius Papa. Anno Domini M. C. LXXXV. Lucius Papa obiit Veronæ, cuius epitaphium eſt:

Luca dedit lucem Luci tibi, pontificatum
Hoſtia, Papatum Roma, Verona mori

* de Teckenburg. Vide Chronicon Slauorum lib. 2. cap. 23.

Exilium. Franciſcum Aſſiſias naſcitur.

Romanorũ cum Papa diſſidium.

Aliud Clericorum Brem. cum Archiepiſcopo.

Canonicus aleator.

Exitialis cloaca ruina.

Nemeſis in Schuarzeburgic.

Conſtantia deſponderetur Henrico Regi.

Mors Sifridi Archiepiſc.

Saladini littera minacet.

Mors & liberi Beatricis Aug.

Beatrix Imperatrix obiit, mater Heinrici Imperatoris, & Conradi Sueui, & Friderici Ducis Sueuiæ, & Ottonis sine terra, & Philippi, tunc scholaris parui. Lucio Papæ succeſſit Otbertus, Mediolanensis Archiepiſcopus, dictus Vrbanus. Anno Domini M. C. LXXXVI. Vrbanus Papa obiit. Cui ſucceſſit Albertus Apulus, curiæ Cancellarius, qui & Gregorius. Eodem anno inchoatum eſt Ciſtercienſis ordinis cœnobium Reneuelde. Vrbano iſti venit verus nuncius, dicens, captam Jeruſalem, & Papa dolore obiit.

Hieroſolyma amiſſa.

Perdita eſt autem terra ſancta ideo, quia Regina amauit quendam Widonem de * Limoche, conductitium militem, & fecit eum Regem. Vnde indignatus Comes de Tripoli, qui regnum affectabat, & alii Principes terræ ſanctæ, remiſſiùs ſe egerunt, & cum Saladino conſilium habuerunt. Iſte Saladinus pauperis ſutoris filius erat, & taliter exaltatus. Sanguin Rex habuit filium Norendinum. Huius ſeruus empticius erat Saladinus, quem propter dentia fecit villicum. Poſtea amabilis Reginæ factus, impotionauit Norendinum, & poſſedit & vxorem & regnum. Poſtea interfecit Patriarcham Babyloniæ, & factus eſt Princeps Babyloniæ, Æthiopiæ, totius Ægypti, Damaſci & Baldac ¶, hoc eſt Meke, vbi ſepultus eſt Machometus, Deus gentilium, quem porci dilaniauerunt.

* *Vt nominis huius ſcriptura varietur, monuimus Appendice ad Chronic. Hieroſol.*

¶ *Sanguini & Saladini familiæ petantur ex Appendice noſtra ad Haythonum.*

Anno Domini M C. LXXXVII. Gregorio ſucceſſit Paulus, Prænestinus Epiſcopus, qui & Clemens. Anno Domini M. C. LXXXIIX. Saladinus cum DCC. mill. pugnatorum venit juxta Libanum. Chriſtiani cum V. millibus

Cladeſ Chriſtianorum Hieroſol.

congregati ſunt juxta mare Galilææ, cum Cruce Saluatoris. Saladinus attem circumdedit Chriſtianos, & continuò Comes de Tripoli, & Reimundus juuenis, aſcenſis equis abierunt. Chriſtiani capti ſunt, & vulnerati, & Crux Domini aſportata eſt Damaſcum. Saladinus cepit omnes ciuitates Chriſtianorum. Captus eſt Rex & Patriarcha Jeruſalem. Saladinus aſcendit Jeruſalem, & cepit eam, & fixit papilionem ſuam in monte oliueti. Se-

Sepulchrũ Domini ſe-ſigale. Ioachim Abbas.

pulchrum Domini redemerunt Suriani XL. millibus aureorum quolibet anno. Sed Papa Clemens prohibuit, ne quis Jeruſalem orandi cauſa iret, quia Chriſtiani ibi venientes opprobriis ſunt afflicti. Eodem anno Abbas Ioachim ſic de Antichriſto prophetauit: Cùm fuerint expleti M. CC. LX. anni, naſcetur Antichriſtus. Et hic pro ſanctiſſimo habeatur. Anno Domini M.C.LXXXIX.

Imperatorũ ſacra militia. Proceres συμμαχοι.

Imperator curiam habens Moguntiæ, ſe crucis charactere inſigniuit, & cum eo filius eius, Dux Sueuiæ, Fridericus, & multi Archiepiſcopi & Epiſcopi, Dux Bohemiæ, Dux Auſtriæ, & multi nobiles, & magnates, ita ut computarentur in exercitu Imperatoris DC. mill. pugnatorum. Crucis autem legatus à Papa Clemente miſſus erat Heinricus Cardinalis, Epiſcopus Albanenſis. Imperator circumduxit exercitum per Vngariam & Græciam. Bardevvich à Duce deſtruitur, Simonis & Judæ die. Conradus de Monferra, factus Princeps in

Claſſis Bremenſis. Mors Wilhelmi Regis.

Tyro, contra Saladinum viriliter præliatur. Anno Domini M. C. XC. Bremenſes & naualis exercitus per mare ſe mouerunt. Obiit Willehelmus, Rex Siciliæ. Commiſerat autem Tancrado regalem pecuniam & palatinum. Ipſe autem ſibi impoſuit diadema, quamuis Willehelmus regnum ſorori Conſtantiæ delegauerit. Anno Domini M. C. XCI. Fridericus Imperator in

Imperatorũ interitus.

peregrinatione vitam ſuam finiuit, anno regni ſui XXXIX. ſubmerſus in flumine Saleph, * & tunc dicitur exclamaſſe: Benedictus crucifixus DEI filius, quòd aqua me ſuſcepit, quæ me regenerauit, & me martyrem faciat, quæ me fecit Chriſtianum, & ſic expirauit. Fridericus, Dux Sueuiæ, circumducens exercitum Antiochiæ, dignas ibi patri exequias celebrauit. Clemens Papa obiit, cui ſucceſſit Hiacynthus, qui & Cœleſtinus, vigilia Paſchæ conſecratus.

* *Hieronymus Mercurialis Cydnum Ciliciæ eſſe putat. Nam & Alexandrum Mag. cùm in eodem lauiſſet, conuulſione ac tremore ſine torpore captum fuiſſe, conſtat è Galeno.*

Anno

Anno Domini M. C. XCII. Heinricus, filius Imperatoris Friderici, LXXXVI. ab Augusto, die Paschæ à Cælestino cum Constantia coronatur. Imperator cum imperatrice intrauit Apuliam, habens secum Conradum, Moguntinum Archiepiscopum (nam Christianus obierat) & Philippum Colonienſem. Inualuit autem maxima pestilentia in exercitu, in qua obiit Philippus Colon. cui succeſſit Bruno, jam decrepitus. Imperator quoquè est grauiter infirmatus, & in sorellam delatus, ita ut diceretur mortuus. Teutonici de Rege alio jam tractabant & maximè Dux Heinricus, cuius filius Heinricus jam conspirauerat cum Tancrado, qui nuper reuersus, per Græciam, Vngariam & Boëmiam redierat in specie monoculi, vtentis emplastro, super alium oculum posito. Christianus, Comes de Aldenburg, de terra promissionis reuersus, consilio fratris Mauricii dormiens in vili horreo cultris est occisus. Interfectores examinati judicio XII. vomerum, rotæ supplicio sunt afflicti. Imperator conualescens contra Tancradum misit exercitum, & ipse moram fecit circa Rhenum, Donauerat autem Romanis oppidum Tusculanum, quod ipsi funditus euerterunt. Anno Domini. M. C. XCII. Rex Franciæ, rex Angliæ Richardus, & Conradus Marchio liberauerunt Akkaron à Sarracenis. Sed Richardus, rex Angliæ, grauiter notatus est super acepta pecunia pro traditione Conradi Saladini filiis Marchionis & aliorum Principum. Conculcauit etiam tentoria regis Franciæ, & Ducis Austriæ, vt seditionem commoueret, quia recedere proponebat. Erat autem pecunia pro traditione accepta XII. Somariorum. Waldemarus, Sleſvvicensis Episcopus, regnum Daciæ sibi voluit vsurpare, quem Rex capiens vinculauit. Anno Domini M. C. XCIII. Richardus, rex Anglorum, cum pecunia repatriauit, sed naufragium passus, pecuniam perdidit, & vix euasit. Venit in Austriam, & captus est ab hominibus Ducis in ciuitate Wen, ad ignem sedens, & gallinam assans. Traditus est Imperatori Heinrico, sed ipse se pecunia redemit. Albertus, Leodiensis Episcopus, consilio, vt dicitur Imperatoris, est à sicariis interfectus. Anno Domini M. C. XCIV. Mortuo Saladino, filii eius Sanguin & Norendin in pace Jerusalem possederunt. Richardus, rex Angliæ, persoluit Imperatori C. & L. millia librarum argenti. Baldevvinus, Episcopus Traiectensis, fugatus est in Trent, ante Cosvvelt pluribus interfectis. Heinricus, filius Ducis Heinrici, duxit Agnetem, filiam Palatini Conradi de Rheno. Brunoni Colon. succeſſit Adolfus. Obiit Tancradus, rex Apuliæ, relicto filio paruulo. Brem. Canonici à burgensibus multa incommoda pertulerunt propter Hartvvicum Archiepiscopum, tunc iterum receptum. Anno Domini M. C. XCV. Natus est Imperatori Heinrico filius in valle Spoletana, in ciuitate Asis, nocte quæ præcedit dormitionem Johannes Evangelistæ, XV. Episcopis & Cardinalibus præsentibus, & baptizatus dictus est Fridericus. Imperator cepit Salernam. Cepit etiam Margaretam, potentissimum piratarum, qui ipsum dolo voluit occidere. Captum autem excæcauit. Captus etiam est filius Tancradi regis, & mater eius vidua, & eius filia. Capta est etiam Isaac, regis Constantinopolitani filia, Tancradi filio desponsata, nomine * Cæcilia, quam postea duxit Philippus, Romanorum Rex. Heinricus Dux obiit, dimissis post se filiis, Ottone, Heinrico & Wilhelmo. Imperator se crucis charactere insigniuit, & & Christianorum plurima multitudo. Bertoldus quidam ordinis grisei consecratus est Episcopus ab Hartvvico Archiepiscopo, & missus in Liuoniam. Baldevvinus Traiecten. Episcopus obiit, & duo electi sunt, & in via Romana mortui. Electus est autem Thidericus, Xantensis Præpositus. Anno Domini M. C. XCVI. Dictum est Imperatori, quòd Imperatrix misisset clenodia cuidam Jordano de Sicilia, & receperit clariora. Hic gloriabatur, se futurum Regem, & ducturum Constantiam. Quem Imperator captum in

HEINRICVS VI. Imp.

Tancradi astus.

Cades Christiani Com. Oldenburg.

Ptolemaïs capta.

Angli maleficia.

Captiuitas.

λύτρον.

Henricus Leonis F.

Fridericus II. nascitur

* *alii est Irene.*

Mors Henrici Leonis.

Bertoldus Episc. Liuon.

In Siculos crudelitas Siculæ.

sedem ferream candentem posuit , & coronam ignitam clauis ferreis capiti eius incussit. Quendam etiam Richardum per plateas tractum suspendi fecit , quia cum Constantiæ consilio impotionare voluit. Anno Domini

Hartuicus, Archiepis. Brem.

M. C. XCVII. Hartvvicus Archiepiscopus in terram sanctam nauigio est profectus, Heinricus etiam Palatinus, vbi tunc Principes, honoris cupidi, discordabant. Fecit autem Imperator magna subsidia peregrinis. Hartvvicus Archiepiscopus circumnauigans ab Episcopo Vlyxisbonæ ciuitatis honorificè est receptus. Anno Domini M. C. XCIIX. Cœlestinus Papa obiit, cui successit Lotharius , qui & Innocentius , iuuenis Romanus. Imperator etiam

Mors Imperatoris.

in Siciliam est profectus. Cùm Messanam & Brundusium & ciuitates alias subiugasset, regnum quoque Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ jam pacificè possideret , vitam finiuit in festo Michaëlis. Peregrini ignorantes mortem Im-

** Arnoldus Lubec. nominat Chorutum.*

peratoris jam Baruth aquisierant * Thurim obsidebant. Cognoscentes autem de morte Imperatoris , territi sunt , & Akkaron fugerunt. Rex Jerusalem nocte surrexit, vt vrinam proiiceret, & de fenestra cadens, fractis cerui:cibus

Item Regis Hierosol. ¶

exspirauit , & cliens similiter , qui eum retrahere curabat. Principes tunc peregrini elegerunt filium Imperatoris Fridericum adhuc infantem. Voca-

Fridericus II. alio nomine Constantinus.

batur autem à matre alio nomine Constantinus. Sed Principes Alemanniæ elegerunt Philippum, fratrem Imperatoris Heinrici, excepto Adolfo, Colonienſe Archiepiscopo, qui cum suis complicibus elegit Ducem Zaringiæ, qui noluit acceptare. Vnde elegit Ottonem, Heinrici filium de Brunesvvich, &

PHILIPPVS & OTHO IV. Imp. designati.

hoc consilio & auxilio Richardi , regis Angliæ , auunculi sui , & Heinrici fratris sui, & Ducis Brabantiæ. Otto Aquisgrani, Philippus verò apud Moguntiam coronatur. Rodolfus, Bremensis Decanus, à quodam vili fabro in

Albertus Episc. successor Bertoldi.

Fresia in villa Dichusen cultro est perfossus, & eadem nocte, scilicet Vrbani, mortuus. Bertoldus, Liuonienſis Episcopus, à paganis occiditur, cui Albertus, Bremens. Canonicus , subrogatur. Circa id tempus Fulco quidam presbyter in Francia , clarus signis & virtutibus habebatur.

¶ *Fuit hic Henricus, è familia Comitum Campania. Meminit Arnoldus Lubec. lib. 5. cap. 2.*

Bremensis redux.

AnnoDomini, M. C. XCIX. Hartvvicus Archiepiscopus de terra promissionis Venetiam nauigans , in Bremam perrexit , deferens ibi reliquias sanctæ Annæ & gladium Petri , quo Malcho auriculam amputauit. Peregrini propter mortem Imperatoris facta pace cum Sarracenis per annos VI. menses VI. dies VI. redierunt. Reuertentes autem à Siculis & Apulis multa incommoda sunt perpessi. Philippus & Otto inter se fortiter præliantur , magno Im-

Philippi & Othonis bellum ciuile.

perii detrimento. Richardus , rex Angliæ , Ottonem nepotem pecunia juvit, sed ipse in Pictauia ante castrum quoddam sagitta traiectus, die VII. oc-

Canutus, rex Daniæ.

cubuit. Cui succesſit Johannes , frater eius. Canutus , Rex Danorum, mittens fratrem suum , Ducem Waldemarum , Hamenburg , Stadium proposuit expugnare. Sed Archiepiscopus Hartvvicus & Comes Adolfus ei apud

Eluerum & Christophorum, Abbates Stad.

Eildoram obstiterunt. Eluerus, Abbas Stadensis , obiit die Gregorii , cui eiusdem Ecclesiæ prior, Christophorus, subrogatur. Anno Domini M. CC. Obiit Conradus, Moguntinus Archiepiscopus, de Antiochia reuersus. Rex Philippus Brunsvvic obsidet , nec obtinet. Albertus , Liuonienſis Episcopus , cum peregrinis intrat Livoniam. Anno Domini M. CCI. Philippus

Canuti & Waldemari successus.

& Otto vires suas circa Mosellam sunt experti. Canutus , rex Danorum, Hammamburg occupat , & frater suus , Waldemarus Dux , Albiam intrat. Adolfum Comitem inuasurus. Capta est Hammamburg, & Comes Adolfus conditionaliter ad Ducem egressus, vinculatur, & ad Episcopum Waldemarum in carcerem mittitur captiuatus. Capta est etiam Lubeke à Duce

Othonis IV. cum Dano affinitas.

Waldemaro. Anno Domini M. CCII. Rex Otto Duci Danorum filiam fratris sui, Heinrici, in Hamburg desponsauit, & sororem Ducis *Helenam* fratri

suo

suo Willehelmo. Rex Otto recipitur in Stadio & in Brema. Simon, Comes de Tekeneburg, contra Hermannum, Comitem de Rauenesburg, & filium eius Ottonem prælians, occiditur. Sed idem Hermannus cum filio deducitur captiuatus Fulco presbyter obiit. Conradus Herbipolen. Episcopus occiditur. Rex Danorum Kanutus obiit, cui Waldemarus, frater eius, in regno successit. Eodem anno feria V. Paschæ duo viri prope Stadium juxta villam Herethorpe, quam postea Dux Heinricus Ecclesiæ beatæ Mariæ contulit in Stadio, pro anima vxoris suæ Agnetis, cespites fodere abeuntes, cibaria sua secum detulerunt cum cuneo butyri, quod in die Paschæ fuerat consecratum. Senior vocabatur Redvvinus, junior Ethelerus, ambo adhuc superstites, scilicet anno Domini M. CC. XL. Dum fodiendo cespites laborarent, audierunt circa vicinum ferè rubum strepitum cornicum, & garritum volucrum aliarum, & putantes ibi jacere vulpem aut leporem, à venatoribus, qui locum frequentare solent, fortè perditum, aut relictum nescienter, illuc velociter abierunt, & cùm redissent, spe sua frustrati, butyrum, quod reliquerant, minimè receperunt. Confabulantur inter sese, quonam deuenisset, & de perditione eius nimium admirantes, maximè cùm vasculum, in quo steterat, diligenter antea fuisset manutergio inuolutum. Iterum aggressi sunt laborem fodiendi, & cùm foderent, butyrum in integra terra vlterius quàm ad vnius pedis spissitudinem inuenerunt, Ethlero illud, cùm cespitem foderet, suo fossario diuidente. Ethlerus comedit, Redvvinus hoc comedere non audebat. Anno Domini M. CC. III. Castrum Louenburg homines Comitis Adolfi Waldemaro regi Danorum, pro absolutione Comitis reddiderunt. Rex Philippus in Turingia, & Rex Otto circa Misnam auxilio Boëmi vires suas sunt experti. Albertus, Liuoniensis Episcopus, ciuitatem Rigam ædificat. Anno Domini M. CC. IV. Stedingi cœperunt Comiti Mauricio & aliis Dominis suis rebellare. Philippus Lantgrauium recepit in gratiam, regibus Boëmiæ & Vngariæ profugatis. Dux Heinricus, instante hora belli, ante Brunsvvich à fratre Ottone ad Philippum se transtulit. Hermannus, Monasteriensis Episcopus, obiit. Cui Otto, Bremensis Ecclesiæ Præpositus, subrogatur. Isfridus, Racisburgen. Episcopus, obiit, cui Philippus successit. Teutonici capta Constantinopoli Regem sibi Comitem Flandriæ Baldevvinum constituerunt. Obiit Agnes, vxor Heinrici Ducis & Palatini Comitis, & in ecclesia beatæ Virginis apud Stadium sepelitur.

Cædes Simonis Teckenburgij.

Waldemarus Rex.

Φάσμα agreste.

Adolfus Com. redemtus.

Riga condita.

Stedingi ¶

Constantinopolis à Germanis capta.

¶ *Vide Metropolin Crancij lib. 7. cap. 30. & infrà ad ann. 1234.*

Anno Domini M. CC. V. Rodolfus, Verdensis Episcopus, obiit, cui Iso successit. Hartvvicus Episcopus in Stadio recipitur. Philippus & Otto vires suas iterum circa Coloniam sunt experti. Ibi Otto est grauiter vulneratus. Anno Domini M. CC. VI. Beatus Franciscus à seculi vanitatibus se conuertit. Philippus & Otto iterum vires suas circa Coloniam sunt experti, & Otto iterum grauiter vulneratus. Tandem Colonienses dimisso Ottone, in Philippi gratiam redierunt. Philippus & Otto sub quadam conditione reconciliationem mutuam promiserunt. Anno Domini M. CC. VII. Philippus & Otto habito conuentu in Quedelinburg, duobus Cardinalibus præsentibus, de reconciliatione tentantes nihil profecerunt. Treugas tamen dederunt vsque ad festum Johannis Baptistæ. Hartvvicus, Bremensis Archiepiscopus, congregato exercitu Stedingos inuasit, sed pecunia accepta rediit, & post breue tempus obiit. Anno Domini M. CC. IIX. Rex Philippus à Comite de Witilspach in Bauenberg occiditur XI. Kalend. Julii, & in Spira sepelitur. Rex Otto accedentibus sibi primùm Saxonibus, deinde Principibus, desponsata sibi etiam regis Philippi filia, cum qua omnem eius hæreditatem

Otho Imp. sauciatur.

Induciæ inter discordantes Imp.

Cædes Philippi.

OTHO IV. solum regni patitur. Bremenſis & Colon. exauctorantur.

obtinuit, ſubitò eſt in imperio confirmatus. Qui ſtatim habita curia in Franckenevvorda, pacem reddidit, & leges innouauit. Waldemarus, Slesvvicenſ. Epiſcopus, à Bremenſibus eligitur, & quidam Canonicorum & miniſterialium pro eo ad Romanam curiam diriguntur. Sed quia illicentiatus à Papa receſſit, Papa eum utroque Epiſcopatu priuauit. Venit tamen, & quibusdam ſibi fauentibus, ſedem Bremenſem occupauit. Adolfus Colonienſis, qui Ottonem primus ad regnum vocauit, ſed citò deſeruit, deſtituitur, cui Bruno, Bunnenſis Præpoſitus, ſubſtituitur, eiquè mortuo Thidericus, Præpoſitus de ſanctis Apoſtolis, ſubrogatur. Waldemarus ciuitatem Stadenſem, cuius turres & domos tempeſtas modicum ante dejecerat,

Waldemarus R. expugnat Stadium.

expugnauit, & rebus omnibus in inuentione Stephani die Dominica ſpoliavit. Anno Domini *M. CC. IX.* Otto, Ducis Heinrici filius, *LXXXIIX.* ab Au-

Othonis IV. inauguratio.

guſto, Romæ à Papa Innocentio coronatur. Circa id tempus cœpit ordo Prædicatorum & Minorum fratrum. Thidmarus, Epiſcopus Mindenſis, obiit. Anno Domini *M. CC. X.* Imperator ciuitates & caſtra, quæ Papa ſancti Petri eſſe dicebat, per omnem Thuſciam expugnauit, & in Apuliam quam Fridericus, Rex Siciliæ tenuit, exercitum miſit. Vnde Papa eum excommunicauit. Multitudo cruce ſignatorum contra hæreticos in Galliam ſunt

Diſſidium cum Papa. ¶

profecti. Thidericus, Lubicenſis Epiſcopus, obiit, cui Bertoldus eiusdem Eccleſiæ Canonicus ſucceſſit.

¶ *Vide Hypomnema Schardij de fide Pontificum erga Imperatores German. pag. 87. & ſeq. Chronicon. Peuceri lib. 5. pag. 26. b. & ſeq. Mira autem & in Othonem, vna & in Fridericum II. videri Papalis rabies iſta poſſit: quippe quorum ampliſſ. donationes vel hodie ſolenni Imperatorum ſacramento confirmari ſoleant. Sed iſtud ſcilicet fuit, αὐλῆ δεσποτείας λυσιτελοῦνα, πᾶσαν δίκαιοι. Et nuta è Pacuuio nania in Cæſare Dillat. funere decantata: Men ſeruaſſe, & eſſent, qui me perderent.*

Anno Domini *M. CC. XI.* Imperator in Apulia caſtra & ciuitates obtinuit. Papa Gerardum, Oſnaburgenſem Epiſcopum, in Bremenſem Ar-

Bernardus Dux Saxon.

chiepiſcopum confirmauit. Sed Dux Bernardus Waldemarum quaſi ex voluntate Imperatoris Bremam reduxit, & ciuitas propter eum ſuppoſita eſt interdicto. Dux Bernardus Berneburg de Hathelaria reuerſus, obiit, cuius junior filius Albertus Ducatum, ſenior vero *H*einricus Comitatum accepit.

FRIDERICVS II. Othoni IV. aduerſarius oppoſitus. ¶ *Stedingi.*

Anno Domini *M. CC. XII.* Papa Innocentius Imperatori, redeunti in Alemanniam, aduerſarium ſuſcitauit, ſcilicet Fridericum, regem Siciliæ, Heinrici Imperatoris filium, cui per Papam multæ ciuitates Italiæ acceſſerunt. Imperator filiam regis Philippi duxit, quæ ſtatim poſt nuptias obiit. Stedingi inualeſcunt, caſtrum Munzovve & Schuſen deſtruunt, caſtrum Hagena obſident. Willehelmus de Luneburg obiit, relinquens Ottonem adhuc infantulum. Dux Brabantiæ Leodium deſtruxit. Thidericus, Traiectenſis

Otho. Epiſc. Traiect.

Epiſcopus, obiit. Cui Otto, frater Comitis Gelriæ, per Adolfum, Colonienſ. Archiepiſcopum, cui Canonici electionem dederant, ſubrogatur, adoleſcens *XIIX.* annorum, diuque eſt pro diſpenſatione circa ipſum in curia laboratum. Tandem alio anno Papa ipſum videre voluit, & cùm ſe præparaſſet ad iter, obiit. Cui Otto, maior eiusdem Eccleſiæ Præpoſitus, ſucceſſit. Circa id tempus pueri ſine rectore, ſine duce, de vniuerſis omnium regionum villis & ciuitatibus verſus tranſmarinas partes auidis greſſibus cucurrerunt, & dum quæreretur ab ipſis, quò currerent, reſponderunt, Verſus Jeruſalem, requirere terram ſanctam. Plurimi ex eis à parentibus claudebantur, in vanum tamen, quia fractis clauſuris, aut parietibus, exilierunt. Papa auditis his rumoribus, ingemiſcens ait: *H*i pueri nobis improperant, quòd ad recuperationem terræ ſanctæ eis currentibus, nos dormimus. Adhuc, quò deuenerint, ignoratur. Sed plurimi redierunt, à quibus dum quæreretur cauſa

Concurſus puerorum lymphatorum.

¶ *Nihil ergo mirum, ſi eadem in eum machinatio rediit Nam ſecundum Rhadamanthi legem* ἕκαστα πάθοι τὰ ἑαυτοῦ ἔργα δίκην θεῖα γένοιτο.

causa cursus, dixerunt se nescire. Nudæ etiam mulieres circa idem tempus, nihil loquentes, per villas & ciuitates cucurrerunt. *Floralia mulierum.* Anno Domini *M. CC. XIII.* Episcopus Leodiensis cum *D*uce Brabantiæ congressus, penè *M. D.* de suis interfecit, & plurimos captiuauit. *Conflictus Leodiensis & D. Brabant.* Imperator Magdeburgensem Episcopum & terram Lantgrauii deuastat. Rex Fridericus eum cum Boemo sequitur, Brunsuuich obsessurus, sed Quedlingeburg reuertitur. *Othonis IV. & Friderici II. bellum ciuile.* Comes Heinricus de Hogia plurimos Stedingorum cepit & occidit, cùm hortatu Waldemari terram rapinis & incendiis deuastarent. Gerardus Episcopus Sclutter ædificat. Anno Domini *M. CC. XIV.* Innocentius Papa crucem prædicari statuit, & generale concilium indixit. *Mors Henrici Palatini.* Heinricus junior Palatinus obiit. Rex *D*anorum Wormunde obsedit, & cepit, & Albertus Marchio Primberge. Episcopus Monasterienſis *C*oloniæ capitur, & in Werdina cum Guntero, *C*omite de Keuelenberg, custodiæ mancipatur. Imperator cum Rege Franciæ conflictum habuit, sed victoriam perdidit, captusque est *C*omes Flandriæ, *C*omes Otto de Tekeneburg. *Othonis IV. clades.* Stedingi Stodo destruunt. Segebodo, Abbas Rosenuelden. obiit, cui Hermannus, Ecclesiæ eiusdem Præpositus, successit. Anno Domini *M. CC. XV.* Rex Fridericus Trines & Ladescrone cepit. *Dani expeditio Stadensis.* Rex *D*anorum cum multis nauibus Albiam intrat, Stadium inuasurus, sed prohibet Palatinus. Imperator cum fratre & Marchione de Brandeburg, & Waldemaro Episcopo, *H*amburg obsedit, & in pace recepit. Monasterienſis Episcopus à *C*omite Adolfo à captiuitate eripitur, & ab eo castrum Werdina obsidetur. Mense Nouemb. celebrata est Synodus Romæ in ecclesia Saluatoris, quæ *C*onstantina vocatur, à Papa Innocentio, Pontificatus eius anno *XIIX.* *Synodus Rom.* In qua fuerunt Episcopi *CCCC.* & *XII.* inter quos fuerunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet *C*onstantinopolitanus & *H*ierosolymitanus. Antiochenus enim graui languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se vicarium, Antedonensem Episcopum. *Patres.* Alexandrinus verò sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se germanum suum. Primates autem & Metropolitani *LXXI.* Cæterum Abbates & Priores, item Præpositi vltra *DCC.* Archiepiscoporum verò, Episcoporum, Abbatum, Priorum, & *C*apitulorum absentium non est certus numerus comprehensus. Legati Imperatoris Ottonis ibi erant, & Friderici, regis Siciliæ, Imperatoris quoque Constantinopolitani, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Cypri, Regis Arragonum, aliorumque Principum & magnatum. *Legati Pontifici.* Ciuitatum & aliorum locorum ingens affuit multitudo. Eodem anno Innocentius Papa Perusiii obiit, cui Honorius successit. Philippus, Raceburgensis Episcopus, obiit, cui Heinricus, Ecclesiæ eiusdem Præpositus, successit. Anno Domini *M. CC. XVI.* Rex Danorum Albiam glacie rigentem transiens, Stadium expugnare voluit. *Danus recuperat Hamburgum.* Sed antequam gelu solueretur, rediens, totas vires suas in Hamburg conuertit. Fecit itaque castrum secus Albiam infra vrbem, & *C*omes Albertus aliud supra vrbem. Vnde Hamburgenses affecti tædio se dederunt. Peregrini montem Thabor electis recuperant Sarracenis. Stedingi in grauamen Bremensium, Gerardo Episcopo & ministerialibus sociantur, contra quorum insultus Bremenses Ducem Heinricum inuitant. *Heinricus Bremensis protector.* Gerardus Episcopus & *C*omes Albertus castrum super Schvvenge ædificant, sed Dux Heinricus mox illud euertit. Anno Domini *M. CC. XVII.* Bremenses cum Stedingis Waldemaro electo, Gerardum Episcopum introducunt. *Gerardus Episc. in possessionē immissus.* Vnde Imperator cum fratre Bremensem prouinciam diruit & incendit. *C*omes Albertus Liuoniam intrat, & multi peregrini versus Hierusalem sunt profecti, petentes de Marsilia terram sanctam. *Oliuerus.* In quorum Comitatu erat Magister Oliuerus, prædicator famosissimus, postea Paderbornensis electus, & tandem Sanctæ Sabinæ presbyter Cardinalis. Anno Domini *M. CC. XIIX.* *Mors Othonis IV.* Otto Imperator anno regni sui *XX.* in castro Hartesburg ineffabili contritione compun-

¶ compunctus, ita ut coquinariis ſuis præciperet, vt in collum ſuum conculcarent. XIV. Kalend. Junii obiit, à Sefrido, Hildenſemenſe Epiſcopo, abſolutus. Hanc abſolutionem Papa Honorius confirmauit. Sepultus eſt autem in Brunſvvich. Caſtrum Vorda à Bremenſis Eccleſiæ miniſterialibus occupatur. Rex Fridericus Heruordiæ celebrata Curia in Imperio confirmatur.

Conuentus Heruordienſis.

¶ *Hinc æſtima, lector, pontificiarum tenebrarum regnum, cùm, nugas, æſtima Chriſti jugum ſuaue, & onus leue.*

Item Geſtarienſis. AnnoDomini M. CC. XIX. Rex Fridericus conuentu habito apud Goſlariam Principes conuocauit, ubi Dux Heinricus ei imperii inſignia præſentauit. Apud Franckenuorde Gerardus Bremenſis Archiepiſcopus, pro pace inter ſe & Ducem facienda citatus, moritur. Eique Gerardus, Palburnenſ. Præpoſitus, Bernhardi de Lippia, primò Comitis, pòſt Abbatis, demum Epiſcopi filius, ſubrogatur. Rex Daciæ contra paganos Reualiam obtinuit, & poſſedit. Peregrini Damiatam expugnant, & turrim, in portu Nili fluminis conſtitutam, die Bartholomæi. Saphadinus obiit. Anno Domini M. CC. XX. Fridericus, Rex Siciliæ, filius Heinrici Imperatoris, LXXXIX. ab Auguſto, Romæ à Papa Honorio coronatur. Plurium cum rumoribus pluries euolauit, eundem Fridericum non fuiſſe *H*einrici Imperatoris realem filium, ſed vocalem. Quod ſic contigiſſe dicitur. Quondam Conſtantia, filia regis Siciliæ, ſic Imperatori fuit in matrimonio copulata, vt ſi patruus eius, qui regnum Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ poſſidebat, antequam Conſtantia, moreretur, regnum ad Conſtantiam hæreditario jure voluereturConſtantia autem cùm Imperatorem duceret, ſexagenaria credebatur. Timebatur autem ſterilis permanſura. Vnde Imperator medicorum vti conſilio nitebatur, vt ſterilitate repulſa fœcunda fieret, ne ſine hærede regnum Siciliæ permaneret. Et medici ei ad tale propoſitum & opem & operam ſpoſponderunt. Fecerunt autem uterum eius per medicinas paulatim intumeſcere, ita vt Imperator eam vehementer crederet imprægnatam. Medio autem tempore Phyſici ſibi de infantulo prouiderunt, ita quòd de diuerſis mulieribus imprægnatis, & tempore partus Conſtantiæ parere debentibus, ſecretiſſimo conſilio vnus infantulus raperetur in palatium, ad lectum Conſtantiæ partus tempore deferendus, vt ſic alius natus tanquam de Conſtantia naſceretur, & filius alterius pro Imperatoris & Imperatricis filio haberetur. Vicit tamen dubium eſſe, vtrum ille puerulus Phyſici, aut molendinarii, aut accipitrarii filius fuerit, ſed verè aiunt, eum vnius ex his tribus filium extitiſſe. *H*einricus, Imperatoris Friderici filius, patre volente Frankenevvorde in Regem eligitur. Thiderico, Eſtonenſi Epiſcopo, à paganis occiſo, *H*ermannus, Abbas ſancti Pauli in Brema, in Epiſcopatum ſubſtituitur Lealenſem. *H*orborg deſtruitur. Rex Danorum iterum in Eſtoniam pergens, reuertitur.

Bernardus Com. Lipp. Reualia.

Mors Saphadini. Fridericus II. inauguratur Imp.

Fabula de eiusdem natalibus. ¶

Henricus Rex. Res Liuonica.

¶ *Vide de eadem fabula ridiculè nugantem Cranzium Metropol. lib. 7. cap. 38. E qua autem officina prodierit, non opinione augurari, ſed documentis evidentibus affirmare, vel ſolam Henrici IV. hiſtoriam intuenti in promptu eſt. Et nota ſycophantica Media Theſſali præceptio: Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret.*

Item Ægyptia. Anno Domini M. CC. XXI. Caſtrum Otterenberge à Bremenſi Archiepiſcopo obſidetur, & capitur. Peregrini in Damiata cæperunt verſus Charras * & Babylonem proficiſci, ſed euentu miſerabili ſunt Nilo flumine circumducti. Et cùm in poteſtate eſſent hoſtium, pax tamen eſt ad octo annos inter vtrumque populum reformata. Soldanus * crucem Domini vltrò reddidit, Chriſtianos ſaluis rebus & corporibus Ægyptum exire permiſit, omnes captiuos reddi juſſit, ita ut tunc temporis captiuorum *XXX.* mill. laxarentur,

* *Forſan Cayrum dicit.*

* *Is fuit Melahadinus, Saphadini F. Conſulatur Appendix noſtra ad Haythonum.*

xarentur. Præcepit etiam alimenta diuitibus pro precio vendi, vel gratis infirmis & pauperibus exhiberi. Anno Domini *M. CC. XXII.* Rex Danorum Lealenſem terram cum Comite Alberto * ingreditur, & fugatis hoſtibus Chriſtiani nominis, vrbem in ea ædificat, quæ non multo pòſt deſtruitur à paganis. Imperatrix obiit. Anno Domini *M. CC. XXIII.* Rex Danorum in propria terra à Comite *He*inrico de Zvverin, cui duras, vt fertur, gratiæ ſuæ recuperandæ conditiones impoſuit, inopinato caſu in papilione propria capitur, & in Danneburg graui cuſtodia coarctatur. Anno Domini *M.CC.XXIV.* Eſtones fidem catholicam reliquerunt, fœdus ineuntes cum barbaris & Ruthenis. Sed vindictam in eos exercuit nouus exercitus peregrinorum. Philippus, rex Franciæ, obiit, cui Lodevvicus filius eius ſucceſſit. *He*inricus rex, Imperatoris filius, curiam Bardevvich habuit pro regni negotiis, & maximè pro liberatione regis Danorum, adducto ſecum Colonienſe Archiepiſcopo, Engelberto, ſed nihil profecit. Venit quidam in Flandriam, qui ſe aſſeruit, eſſe Comitem eiuſdem prouinciæ Baldevvinum, qui ante paucos annos cum peregrinis Conſtantinopolin profectus, ad Imperiale culmen ibidem fuerat coronatus. Qui, quod ſimillimus Comiti Baldevvino fuit, vel potius quia ipſe fuit, Flamingi receperunt eum de ciuitate, multis eum muneribus honorantes. Cicatrices in corpore habuit, quas habuerat Baldevvinus, eandemque formam corporis, niſi quòd anteriori forma quaſi ad dimidium pedem breuior habebatur, quod ſui fautores ſenio aſſcripſerunt. Situs villarum & ciuitatum non benè cognoſcere videbatur, & in lingua Gallica, quam egregiè antea nouerat, aliquantulum oberrabat. Nec mirum, quia inter Græcos & Sarracenos, qui eum captiuauerant, ſi ipſe fuit, diu commorans, nobilitatem Gallici idiomatis obliuioni poterat tradidiſſe. Sed Baldevvinus Comes, Imperator Conſtantinopolitanus, à Conrado, Epiſcopo *Ha*luerſtadenſe, qui poſtea Ciſtercienſem ordinem intrauit, & à quibusdam aliis, qui tunc Conſtantinopoli fuerunt, cùm Baldevvinus, Imperator Græcorum, contra Sarracenos conflictum habuit, dicebatur veriſſimè interfectus. Iſte autem ſe retulit mortis periculum evaſiſſe, & à Sarracenis poſtea captiuatum. Tandem ſe aſſeruit abſolutum, & quòd poſt abſolutionem ad Papam venerit, confeſſus, quia inter infideles infideliter vixerit, & ideo Papa ſibi ſeptennem pœnitentiam iniunxerit, affirmans, eandem pœnitentiam tunc expletam. Venit primò Valentiam, & Comitiſſa Flandriæ, quæ filia eius eſſe debuit, ibidem ad eum acceſſit, eoque viſo dubitauit, vtrum patrem eum recognoſceret nec ne, & ab eo receſſit. Multi Barones pro eo ſenſerunt, & plurimi diſſenſerunt. Rex tandem Franciæ volens examinare virum, ipſum Peronam venire fecit, ſiquidem auunculus eius eſſe debuit. Et inter cætera dum ab eo quæreret, vbi characterem militiæ aſſumpſiſſet, vel vbi vxorem duxiſſet, neſciuit Regem expedire. Sed ſui fautores dixerunt, quòd terrore mortis anxius neſcierit reſpondere, cùm ab omnibus eſt deſertus. Dux Brabantiæ doluit: Ille enim cum eò venerat, nec permittebatur intrare, quia cum Comitem eſſe Baldevvinum certo certius aſſerebat. Rediit iterum Valentiam, paucis cum comitantibus. Poſtea venit Coloniam ad Engelbertum Archiepiſcopum, auxilium rogaturus. Sed Leodienſis Epiſcopus, qui hominis ſciuit differentiam, videlicet vtrum Comes eſſet nec ne, grauiter eum & ſæpius ſuis literis infeſtauerat, Trucanum eum & Ribaldum appellans. Sed ipſe ſe Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Comitem Flandriæ, appellauit, habens ſigillum eodem titulo innotatum. Rogauit ergo Archiepiſcopum, vt Leodienſem vocaret. Vocatus venit, Miſſam de conſilio celebrauit. Ante perceptionem corporis & ſanguinis Domini acceſſit ad eum Archiepiſcopus, à viro prouocatus, & ſic dixit: Adiuro te, frater Epiſcope, per myſterium corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti,

* *Henrici Orlemundani F. Vide Saxon. Cranczij lib. 7. cap. 27. & 36.*

Dani captiuitas.

Fnuera Regum Francorum.

Pſeudobaldurum Flandrenſem.

§ *Oportet mendacem eſſe memorem.*

¶ Id examen in ipsum impostorem conuertendum fuerat.

quod percepturus es in continenti, si veritatem dixeris ad saluationem, si mendacium ad damnationem, vt dicas mihi, quis ille sit quem tu dicis, Trucannum & Ribaldum in Flandriam aduenisse, & qui se ipsum Comitem nominat & Baldevvinum. Episcopus stupefactus, respondit: Comes Flandriæ Baldevvinus est. Tunc Archiepiscopus viro consuluit, vt Romam iret, querimoniam ad Papam deferret, promittens ei, quòd si in pace rediret, eum procul dubio adiuuaret. Proficiscitur, multorum testimonia Prælatorum Flandriæ secum deferens & Baronum. Sed studio Comitissæ & Arnoldi de Aldenard, cui Comitissa dicebatur familiaritatem nimiam exhibere, viæ vndique occupantur, traditur, capitur, & apud Insulam, ciuitatem Flandriæ, patibuli suspendio cruciatur. Abbas sancti Johannis in Valentia sepeliuit in clausto suo mortuum. Sed iterum Comitissa eum suspendi præcepit in patibulum. Vtrum Comes Baldevvinus fuerit nec ne, Flamingi certant, & adhuc sub judice lis est. Anno Domini, M. CC. XXV. Fames validissima. Comes Adolfus auxilio Gerardi Archiepiscopi, Heinrici Comitis Zuuerin. & Heinrici de Werle, inuitatus etiam à potentioribus Holsatiæ, Albiam transit, terram occupat transalbinam. Comes Albertus à Comite Heinrico de Zuuerin in prælio capitur, & cum Rege Danorum avunculo suo custodiæ mancipatur. Imperator filiam Johannis, regis Hierosolymitani, duxit, & filius eius, Rex Heinricus, filiam Ducis Austriæ. Rex Danorum XLV. marcarum millibus se redemit, exceptis clenodiis, circa tria millia marcarum æstimatis. Engelbertus, Colonienfis Archiepiscopus, à Friderico Comite de Isenberg occiditur, & pro tanto facinore communi Principum sententia ab omni jure usque in quartam generationem exhæredatur, Isenberg funditus destruitur. Engelberto Conradus, Bunnensis Præpositus, subrogatur. Anno Domini M. CC. XXVI. Rex Francorum cum fratre suo Tolosam vallauit, vbi fratre ab hæreticis * ferè cum VI. millibus occiso, Rex per fugam elabitur, & super Rhodanum moritur. Rex Danorum auxilio Ottonis, Luneburgens. Principis, iterum partes inuadit transalbinas. Fridericus, Comes de Isenberg, Coloniæ extra ciuitatem apud sanctum Severinum rotatur, nimia, vt aiunt, cordis contritione afflictus. Borevvinus Princeps Sclauorum, moritur, & Doboran sepelitur, relictis post se quatuor filii sui Heinrici filiis, Johanne, Nicolao, Boreuuino & Pribizlauo. Domini Nordalbingiæ Albertum, Saxoniæ Ducem, vocarunt, eique Racisburg & Lubike tradiderunt.

Arnoldus de Aldenard. Comitissa amasius.

Adolfi Com. auspicata expeditio.

Imperatoria & regia nuptia λύτρον Dani.

Friderici Isenberg. homicidiū.

Supplicium.

Borenini Sclaui mors.

Albertus Dux Saxon.

* *Videtur Albigenses dicere. De hoc tumultu plenius rerum Francicarum & Hispan. scriptores.*

Anno Domini *M. CC. XXVII.* Lodovvicus, Landgrauius Turingiæ, in peregrinatione transmarina moritur. Sed peregrini transeuntes, Cæsaream muris muniunt. Heinricus Dux, & Palatinus Comes Rheni, sine filio obiit, & Bremensis Archiepiscopus Comitatum Stadensem obtinuit. Heinricus, Imperatoris filius, ciuitatem Brunsvvig, pro eo, quòd Imperator eam à majore dicti Principis filia comparauerat, emptionis titulo impetebat, & Dux Bauuariæ pro eo, quòd eiusdem junior filia suo filio nupserat, jus hæreditarium allegabat. Cùm interim Otto, Dominus de Luneburg, portas Brunsuuich irrupit, & eam in deditionem recepit. Rex Danorum à Bremense Archiepiscopo, Duce Saxoniæ Alberto, & Comitibus, Heinrico de Zuuerin, & Adolfo de Scouuenburg, Sclauiæque Dominis, in Burnhouede prælio deuincitur. Rex per fugam elabitur, sed Dominus de Lunenburg ab Heinrico Comite captiuatur. Heinricus Rex vt Brunsuuich obtineret, Saxoniam intrat cum Duce Bavvariæ, sed regreditur sine sui propositi actione. Otto Traiectensis Episcopus, versus Trentam ante Colfelde Fresonum insolentiam compressurus, in paludoso loco à rusticis die Pantaleonis feria quarta occiditur.

Mors Ludouici Lantgr. Item Henrici Palatini.

Otho Luneburg. fortiter agit. ¶ Hic est primus Dux Brunsuic. & Luneburg. Vide infrà ad ann. 1235.

Dani prælium aduersum.

Frisii cadunt hostē.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ditur. Ibidem Comes Gelriæ vulneratur, & plurimi circa CC. omnes milites, aut filii militum, perimuntur. Thidericus, Præpositus Dauentriæ, Episcopi frater, vulneratus *IIX.* die occubuit. Corpus defuncti Episcopi maximo Cleri & populi mœrore Traiectum defertur, & in beati Martini ecclesia sepelitur. Wilbrandus, Paderburnensis Episcopus, concedente Apostolico, ei subrogatur. Honorius Papa obiit. Cui *H*ugo *H*ostiensis, qui & Gregorius, successit. Castrum Louenburg pro Comitis Alberti liberatione Alberto Duci redditur. Anno Domini *M. CC. XXIIX.* Gregorius Papa Imperatorem Fridericum cruce signatum, quia in terram sanctam transire dissimulabat, excommunicationis sententia innodauit, eumque per totum Imperium denunciari præcepit. Imperator hanc sententiam paruipendens, mare transiuit, ibique ab omnibus regni illius ciuitatibus solenniter est susceptus. Sed Patriarcha Hierosolymitanus, & tota Ecclesia spiritualium personarum, his solenniis se subtraxit. Patriarcha in suo palatio Imperatorem excommunicauit ipsa hora. Interea vasalli Imperatoris & fautores Papæ vires suas graui bellorum tumultu non sine detrimento vtriusque partis per Italiam experti sunt. Erat in parte Papæ Capitaneus, Rex Johannes de Bren. Heinricus, Comes Zuuerinensis, obiit, non dimisso Ottone, Domino de Brunsuuich. Quo mortuo, placuit consilio Gunzelini, vt Dominus de Brunsuuich super ipsius gratiam laxaretur: Sed Dux Albertus penitus obstitit, donec Hildesaker ipsius dominio traderetur. Absolutus autem plurimam gvverram circa Brunsuuich à suis ministerialibus est perpessus, Episcopis, Magdeburgense & Haluerstadense, partem eorum fouentibus, Imperatoris, vt dicitur voluntate. In Liuonia Monachi de Dunemunde subita paganorum irruptione, cum omni ferè familia, sunt martyrio coronati. Heinricus, Racisburgensis Episcopus, obiit, cui Lambertus, Bremensis Canonicus, & Hamamburgensis, successit. Hic vnam Missam die assumptionis Beatæ Mariæ celebrauit, & vnum cæmeterium dedicauit, & eodem anno obiit. Cui Godeschalcus, eiusdem Ecclesiæ Præpositus, successit. Wilbrando, Paderburnense Episcopo, in sedem Traiectensem translato, Bernhardus, * Embricensis Præpositus, Paderburnæ in Episcopum eligitur, & Bremæ à fratre suo, Bremense Archiepiscopo, ordinatur. Hic erat filius nobilis Bernhardi, Domini de Lippia, qui à suæ juuentutis tempore in omnibus dominii vel militiæ suæ actibus strenuè se gessit, ita ut circa maturam ætatem, quamuis esset debilis & contractus, in sporta ad prælium deferretur, & inimicos potita victoria superaret. Hic laudabilem vitam quo ad seculum, laudabilius in DEO complens, apud Wadenhart Cisterciensi ordini se reddidit, & primùm ibidem factus Abbas, non modicum pòst in Liuoniam profecturus, Seloniensibus populis Episcopus consecratur, ita vt in vinea DEI egregiè prædicando fideliter laboraret. Mira res. Otto, Traiectensis Episcopus, Bernhardum patrem suum in Episcopum consecrauit Aldensele, & postea pater cum eodem filio Gerardum, alium filium, in Bremensem Archiepiscopum consecrauit. Idemque Gerardus alium fratrem suum in Episcopum Padeburnensem, sicut jam prænominauimus, Bremæ ordinauit. Papa Gregorius veniens Assisium, Canonizauit ibi in conspectu maximæ multitudinis, quæ de diuersis regionibus confluxerat, Beatum Franciscum, sic dicens alta voce: Ad laudem & ad gloriam omnipotentis DEI, Patris & Filii & Spiritus sancti, & gloriosæ virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum, Petri & Pauli, ad honorem Ecclesiæ Romanæ, beatissimum patrem Franciscum, quem Dominus glorificauit in cælis, venerantes in terris, de consilio fratrum nostrorum, & aliorum Prælatorum, in catalogo decreuimus sanctorum advocandum, & festum in die obitus sui celebrari. Statim Cardinales, Te Deum laudamus, incipiunt, & populi in laudes voces de-

Lauuenburg.

Imperator excommunicatur à Papa.

Ioann. rex Hierosol.

Othonis liberati noua difficultates.

Antistites familiæ Lippiensis.

** Forsitan Embecensis: nam ibi ad S. Alexandrum eiusmodi sacerdotiũ, & quidem opulentum, esse constat.*

ἀποθέωσις.

Francisci Assisiatu.

promunt. Papa de ſolio deſcendit, & cum Cardinalibus ſanctum corpus leuauit de tumba. Bremenſis Archiepiſcopus Horburg ſe recepit. Anno

Imperator recuperat Hieroſolymam. Domini M. CC. LXXIX. Hieruſalem Imperatori à Soldano voluntariè reſignatur. Quam pedibus nudis vigilia Paſchæ ingreſſus, in templo DEUM adorauit, & Nazareth & Bethlehem cum reliquis Galileæ oppidis in deditionem acceptis, reditum in Siciliam maturauit. Papa propter inſolentiam Roma-

Tumultus Pariſienſis. norum, Imperatori fauentium, vrbe cedens, in Peruſio ſe recepit. Pariſiis inter Clerum & populum maxima orta eſt diſſenſio, multi etiam Clerici ſunt trucidati, ita ut ſtudium in Andegauiam tranferretur. Albertus, Liuonienſis Epiſcopus, obiit. Et Bremenſis Eccleſia jure ſuo potita, Magiſtrum Albertum, Bremenſem Scholaſticum, in Epiſcopum elegit, qui poſtea fa-

Diſſidium Cleri Brem. & Rigenſis. ctus eſt Primas in Hybernia. Sed Rigenſes Canonici alium, ſcilicet Nicolaum, elegerunt, diuque fuit alterinſecus coram judicibus, impetratis à ſede Apoſtolica, litigatum. Tandem Papa Bremenſibus ſilentium impoſuit pro

Papa cum Imp. in gratiam redit. ſua, vt dicitur, voluntate. Anno Domini M. CC. XXX. Papa & Imperator à diſcordia ceſſauerunt, facta compoſitione amicabili coram multis. Bremenſis Archiepiſcopus Stedingorum inſolentiam repreſſurus, die natali

Cades Hermanni, Com. Lipp. Domini valido bello eos aggreditur, ibique frater eius Hermannus, Dominus de Lippia, vir utique ſapiens & illuſtris, ſolus occiditur. Vnde ſubita confuſione facta, ille totus bellicus apparatus diſſolnitur. Bertoldus Lubicenſis obiit, cui Johannes, eiuſdem Eccleſiæ Decanus, ſucceſſit. Anno

Item Ducis Bauariæ. Domini M. CC. XXXI. Dux Bavvariæ, procurante Imperatore, à quodam ſicario occiditur, ſed ille niſus fugere trucidatur. Vxor junioris regis Daciæ, nuper ab ipſo ducta, obiit, & ipſe eam poſt paucos eſt conſecutus hebdomatas. Iſo Verdenſis Epiſcopus, obiit, cui Luderus, eiuſdem Eccleſiæ Canonicus, ſubrogatur. Comes Adolfus caſtrum prope Hamburg ſuper Al-

Adolfus Com. biam ædificat. Anno Domini M. CC. XXXII. Bremenſis Archiepiſcopus caſtrum Slutere contra Stedinges ædificat, ſed ipſi illud protinus euerterunt.

ALBERTVS, Abbas Stad. hiſtoria huius auctor. Chriſtophorus, Abbas Stadenſis, obiit, cui Albertus, eiuſdem Eccleſiæ Prior, ſucceſſit. Anno Domini M. CC. XXXIII. Crux contra Stedingos vbique

In Stedingos bellum ſacrum. auctoritate Apoſtolica prædicatur, & à multis accipitur. Orientalis Stedingia à peregrinis, occiſis Stedingorum plurimis, deuaſtatur. Borchardus,

Henricus, Com. Oldenburg. Comes de Aldenburg, à Stedingis penè cum CC. proſternitur peregrinis, relinquens poſt ſe hæredem Heinricum Bogenarium. Dominus de Brunſuuich, Bremenſi Eccleſiæ contrarius, Cometiam Stadenſem interea populatur. Her-

Horribilis fames. mannus, Abbas Roſenueldenſis, obiit, cui Albero, eiuſdem eccleſiæ Frater, ſucceſſit. Fames validiſſima in Liuonia, ita ut homines ſe inuicem comederent, etiam fures à patibulis abſtracti magna auiditate deuorabantur.

Brabantus & Holland. in armis. Anno Domini M. CC. XXXIV. Heinricus, Dux Brabantiæ, & Florentinus, Comes Hollandiæ, Bremæ exiſtentes, contra Stedingos viriliter ſe accinxerunt, tanquam contra inimicos manifeſtos Eccleſiæ. Nam ſicut probatum eſt ſuper eos, & per Mindenſem, Lubicenſem, Racisburgenſem, Epiſcopos,

Stedingorum maleficia. Papæ auribus intimatum, ipſi doctrina matris Eccleſia penitus vilipenſa, ipſius libertatem conculcauerunt, nulli parcentes ſexui vel ætati. Quæſierunt reſponſa dæmonum, ſimulacra fecerunt cerea, conſulentes etiam in ſuis ſpurciciis erroneas Pythoniſſas, & quod deterius eſt omnibus, viaticum ſalutis æternæ horribilius, quàm deceat exprimi, pertractantes. Clericos etiam & religioſos impiè lacerantes cruciabant omni genere tormentorum. Nec propria eis ſufficit perditio, ſed omnes, quos poterant, & maximè ruſticos, in foueam ſuæ perfidiæ ſecum trahere nitebantur. Sicut Lucifer lucis æternæ lumine deſtitutus, caduca ſuperbia procurante cœlo contineri nequiens, eò quòd perpetuæ cæcitatis tenebras incurriſſet, cùm ſit perditus, & miniſter perditionis effectus, ne ademptas ſibi delicias ſempiternas poſſit conditio-

conditionis humanæ dignitas adipiſci (quia ſolent miſeri proſperitate felicium cruciari) illam in profundam perfidiæ ab altitudine fidei deiicere nititur, vt ſecum in lacum ſuæ miſeriæ deducatur, exiſtimans, per hoc ſuæ damnationis cumulum minorari, cùm ſoleat afflictis quoddam afferre ſolatium grata miſeris ſocietas miſerorum. Ita miſeri & miſerabiles Stedingi, ponentes ſibi omnino DEUM contrarium, ſuis perſuaſionibus & malis exemplis *Exempla prauа.* grauiter infecerunt populum Chriſtianum, ita vt infinita ruſticorum multitudo, tàm in remotis, quàm in vicinis prouinciis conſtituta, verbotenus eos defenderet, & ſi ſe opportunitas obtuliſſet, prompto animo proteruiæ eorum auxilium attuliſſet. Sed DEUS miſericordiarum dominus ſuis fidelibus inſpirauit, vt ad prædicationem crucis ſe viriliter accingerent, ad exterminium tam reprobæ nationis, illa gaudentes indulgentia, illoque priuilegio, quæ accedentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur. Itaque *Bre*menſis Archiepiſcopus, Dux memoratus & Comes, peregrinorumque non modica multitudo VI. Kalend. Julii die ſabbati proceſſerunt vnanimiter contra ipſos, tanquam diuinæ potentiæ & patientiæ abuſores, parati occumbere, vel ipſos cum eorum nefandis operibus, ad honorem & Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ, penitus abolere. Illi è conuerſo tanquam ferinis vberibus enutriti, *Obſtinatio.* ad hoc crudelius ſæuiebant, & in ſuo Aſmodet ponentes fiduciam, non diffidebant ſe poſſe reſiſtere potenti brachio Domini Zebaoth, & tantæ multitudini ſignatorum. Et mira & miſeranda pertinacia obſtinati, non ceſſabant adhuc claues Eccleſiæ ſceleſtis labiis turpiter blaſphemare. Boleke de Bar- *Duces.* denflete, Tammo de Hunthorpe, Thedmarus de Aggere & alii peſſimi maleſuadæ eorum, vt vitam & patriam defenderent, ipſos fortiter hortabantur, dicentes, quòd ipſos aut oporteret ſuccumbere, aut ſicut canes rabidos inſanire. Tranſierunt autem medio tempore peregrini Othmundam fluuium, pontem de nauibus facientes, & cùm tranſierant, ſapienter ſuas acies ordinabant. Stedingi vt amentes effecti, ac quadam inſania ventilati, non timuerunt ſignatorum multitudinem, nec ſpiritualem nec materialem gladii poteſtatem, ſed ordinata quidem acie, inordinata autem mente, tanquam *Conflictus cum hoſte.* furibundi canes proceſſerunt obuiam peregrinis. Dux Brabantiæ & Comes Hollandiæ primo congreſſu peſtilentes illos ſuper agrum Oldeneſche, vbi conuenerant, viriliter inuaſerunt, ſed ipſi ſummo conamine ſe defenderunt. Statim Comes de Cliuo cum ſuis à latere irruens ſuper illos, ipſorum aciem diſſipauit. Clerus, qui eminus aſtans, rei exitum exſpectabat, Media vita, &alia miſerationis carmina, cum mœrore cecinit, & pro crucis victoria ſupplicauit. Nec mora, illi inſipientes & maligni euanuerunt in cogitationibus ſuis, quia ab exercitu Domini opprimuntur, haſtis perfoſſi, gladiis *Stragес.* percuſſi, equorum pedibus conculcati. Et ita manus Domini inualuit ſuper eos, vt in breui ſpacio eorum VI. millia interierint. Plurimi ex eis fugæ præſidium poſtulantes, in proxima fouea & in Wiſera ſe ſubmerſerunt. Si qui euaſerunt, ſub cœli ventis quatuor ſunt diſperſi. Sic pertinacia eorum facta eſt coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum. Comes Heinricus de Oldenborg ibidem cecidit, & cum eo peregrini aliqui *Interitus Henrici Oldenburg.* circiter nouem. Sed Comes Hollandiæ domum veniens, in tornamento *Item Hollandi.* apud Nouimagium eſt occiſus. Rex Daciæ pro oppreſſione Lubicenſium ſuper fluuium Trauenæ ædificat duo caſtra. Anno Domini M. CC. XXXV. Imperator duxit ſororem regis Angliæ, & medio Auguſto curiam Moguntiæ *Imperatoris nuptiæ.* celebrauit. Ibi filium ſuum Heinricum, ſibi oppoſitum, regno priuauit, *Animadverſio in filium.* & cum in Calabriam detinendum miſit. In ipſa curia Dominus de Lune- *Otho primus Dux Brunonic. & Luneburg.* borch, Brunſuuich & Lunenburg, & omnem hæreditatem ſuam imperio reſignauit, & Imperator Brunſuuicenſe dominium in Ducatum mutauit, & Duci porrexit. Dux Otto de Brunſuuich circa feſtum Martini Bremam obſedit,

sedit, & factis exactionibus & incendiis, rediit. Castrum Otterenberge Duci traditur à quibusdam, qui illud ceperant quadam nocte. Godescalcus, Raceburgensis Episcopus, obiit. Cui Petrus, eiusdem Ecclesiæ Præpositus, successit. Anno Domini M. CC. XXXVI. Bremensis Archiepiscopus & Dux de Brunsuuich reconciliati sunt, & promissa est pax perpetua inter Ecclesiam & Ducem, & Duci quædam foeda sunt porrecta. Otterenberge & Horborch destruuntur. Monasterium in Rosenuelde IV. Kalend. Maii totaliter incendio deflagrauit. Beata Elizabeth in Marpurg translata est Kalend Maii, præsente Imperatore & multis Principibus. Tanta ibi erat multitudo hominum, quantam se nemo vnquam meminit pariter aspexisse. Facta est maxima strages peregrinorum in Liuonia circa festum Mauricii. Theoricus de Haselror ibi cecidisse dicitur. Ablatio auri & argenti sine fine. Postera die Imperator iuit Wetflariam. Petrus Raceburgensis Episcopus moritur, cui Ludolfus, eiusdem Ecclesiæ Camerarius, successit. Eodem anno in die Pentecostes soror regis Boëmiæ, Domina Agnes, hortatu Minorum fratrum se reddit ordini pauperum dominarum de regula beati Francisci in Praga, spreto propter Christum Imperatore Friderico, qui eam in coniugem antea postulauerat, Anno Domini M. CC. XXXVII. Papa & Imperator aliquantulum discordabant: nam Papa Lombardis fauente, Imperator eos proposuit expugnare. Nam Mediolanum, Vercellis, Mantua, Placentia, Fauentium, Bononia, & aliæ multæ ciuitates Lombardiæ, Imperatori erant oppositæ, Venetia similiter. Placentini in contemptum Imperatoris tres milites suspenderunt XII. Kalend. Martii. Dux Abel filiam Comitis Adolfi de Scovvenburg duxit in vxorem VII. Kalend. Maii. Iisdem temporibus Orientalis Ecclesia à sede Apostolica se subtraxit. Dicitur, quòd illa Ecclesia & numero & merito præcellat occidentalem. Imperator collectis viribus, profectus est in Lombardiam, & Papa Romam rediit, & Pacem inter Romanos fecit. Imperator suspectus erat Papæ, eo quòd circa Sarracenos, quibus tam in pace quàm in bello securè se credidit, affectu nimio ducebatur. Cùm Soldano etiam multam amicitiam habuit. Quid per hoc intenderet, nemo nouit. Imperator cum Mediolanensibus conflictum habuit, & plures occidit. Brunvvardus, Zuuerinensis Episcopus, obiit, Cui Fridericus, antiqui Gunzelini filius, successit. Anno Domini M. CC. XXXIIX. Imperator per Italiam contra hostes suos per totum annum rebus bellicis insudauit. Albertus, frater Comitis de Glico, electus in Præpositum Magdaburg. ante portam ciuitatis sagitta perfossus, interiit VI. Idus Martii, Præposito Brunone, qui ab alia parte electus erat, penitus ignorante. Heinricus, Colonien. Episcopus, obiit, cui Conradus, frater Comitis de Honstein, successit. Wilhelmus, frater Comitis Hollandiæ, in tornamento interiit. Comes Adolfus cum vxore sua Heluuiga * Liuoniam intrauit. Sacerdos in Brema, Marquardus nomine, qui domum Archiepiscopi furtim ingrediens, res inuentas subtraxit, & exiens domum concremauit, capitur, & suspenditur.

Eiusdem cum Bremensi pacificatio.

Ἀναθήωσις Elizabetha.

Clades Liuon.

Agnes Boiem. magnis Monacha quam Augusta esse.

Papa fauet hostibus Imperatoru.

Ecclesia orientalis.

¶ Nimirum occasionem quærit, qui Gulielmo amico discedere.

Fridericus, Gunzelini F.

Albertus Com. Glich.

Conradus Honstein.

Wilhelmus Holland.

* *Hermanni, Comitis Lippiensis F. Nam infrà ad ann.* 1250. *nominatur Simon, Episcopus Paderborn. Ioannis, nati Adolfo & Heluuiga, auunculus. Repertitur insuper Heluuiga nomen in Adolfide, seu de historia Comitum Schauuenburg. pœmate, rudi inquam & barbaro, in sæculo barbaro elaborato.*

Anno Domini M. CC. XXXIX. Papa Gregorius Imperatorem Fridericum in cœna Domini, quæ erat IX. Kalend. Aprilis, extinctis candelis anathematizauit, ita dicens: Excommunicamus & anathematizamus auctoritate Patris, & Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum, Petri & Pauli, & nostri, Fridericum, dictum Imperatorem, pro eo quòd contra Romanam Ecclesiam seditionem mouit in vrbe, per quod intendit, Pontificem & fratres à sua sede repellere, contra priuilegia dignitatis & honoris Apostolicæ sedis,

Cæremonia & formula excommunicationis Gregoriana.

ſedis, contra libertatem Eccleſiaſticam, contra juramentum, quo ſuper hoc tenetur Eccleſiæ, temerè veniendo. Item pro eo, quòd venerabilem fratrem noſtrum, Præneſtinum Epiſcopum, Apoſtolicæ ſedis legatum, ne in ſua legatione procederet, quam in Albigenſium partibus pro corroboratione Catholicæ fidei ſibi commiſimus, per quoſdam fideles ſuos impediri mandauit. Item pro eo, quod non permittit quaſdam cathedrales Eccleſias & alias vacantes Eccleſias, in regno reparari, & hac occaſione periclitatur libertas Eccleſiæ, perit fides, quia non eſt, qui proponat verbum DEI, nec qui regat animas, deficiente paſtore. Item quòd in regno Clerici capiuntur, incarcerantur, proſcribuntur & occiduntur. Item quòd in regno Eccleſiæ, Domino conſecratæ, deſtruuntur & prophanantur. Item quòd non permittit ſeranas Eccleſias reparari. Item pro eo, quod nepotem Regis de Tuniſi, venientem ad Romanam Eccleſiam pro ſuſcipiendo baptiſmatis ſacramento, detinet, nec venire permittit. Item pro eo, quòd Petrum Sarracenum, ciuem Romanum, ex parte regis Angliæ ad ſedem Apoſtolicam venientem, cepit & detinet carceri mancipatum, Item pro eo, quòd terras Eccleſiæ occupauit, contra juramentum, quo ſuper hoc tenetur Eccleſiæ, temerè veniendo. Item pro eo, quòd terras quorundam nobilium de regno, quas Eccleſia tenebat, ad manus ſuas occupauit, & deuaſtauit. Item pro eo, quòd quaſdam Eccleſias cathedrales ferè bonis omnibus ſpoliauit. Item pro eo, quòd multæ Eccleſiæ cathedrales, & aliæ Eccleſiæ ac monaſteria de regno, pro iniqua inquiſitione fuerunt ferè bonis omnibus ſpoliata. Item pro eo, quòd Templarii & Hoſpitaliarii in regno mobilibus & immobilibus ſpoliati, non ſunt juxta tenorem pacis integrè reſtituti. Item pro eo, quòd exactiones contra formam pacis ab Eccleſiis & monaſteriis per ipſum extorquentur in regno. Item pro eo, quòd in regno Prælati Eccleſiarum, & Abbates Ciſtercienſis & aliorum ordinum, compelluntur dare certam ſummam pecuniæ per ſingulos menſes pro conſtructione novorum caſtrorum. Item pro eo, quòd contra tenorem pacis, hi, qui adhæſerunt Eccleſiæ, bonis omnibus ſpoliati exulare coguntur tanquam proſcripti, vxoribus & liberis captiuatis. Item pro eo, quòd ipſe impediuit negotium terræ ſanctæ, & recuperationem Imperii Romaniæ. Omnes autem, qui juramento fidelitatis ei tenentur aſtricti, ab eiuſdem juramenti obſeruatione decreuimus abſolutos, ne ſibi fidelitatem obſeruent diſtrictius inhibentes, quàm diu fuerit vinculo excommunicationis aſtrictus. Super oppreſſionibus verò & grauaminibus aliis nobilium, pauperum, orphanorum, viduarum & aliorum de regno, pro quibus idem Fridericus jurauit ſtare mandatis Eccleſiæ, ipſum intendimus admonere, & in ipſo negotio, dante Domino, procedemus, ſicut fuerit procedendum. Porro pro omnibus & ſingulis ſuprà dictis, ſuper quibus dictus Fridericus à nobis diligenter fuit admonitus, & frequenter, nec parere curauit, eundem Fridericum excommunicationis & anathematis vinculo innodamus. Cæterum quia idem Fridericus tam factis ſuis multis, quàm fide dignis clamantibus, per vniuerſum orbem, quòd de catholica fide rectè non ſentiat, eſt grauiter infamatus, nos dante Domino ſuo loco & tempore procedemus, ſecundum quod requiſierit ordo juris. Imperator intelligens tale factum indoluit, & Cardinalibus ſcripſit.

Albigenſes.

Regis Tunetani nepoe.

En tibi Papale ſeditionis irritamentum.

¶ *Primus autem hanc in Imperatores tyrannicam poteſtatem ſibi ſumſit Gregorius VII. vt auctor hiſtoriæ de vita Henrici IV. item Gratiani decret. part. 2. C. 15. Q. 7. Nam de ſuperiorum temporum Imperatoribus, etiam hæreticis, nihil eiuſmodi legitur. Et quo paraſangis vel Ethnici, alaſtores iſtos hac in parte infrà ſe reliquere? Sic enim Arnobius lib. 4. Maieſtatis ſunt apud vos rei, qui de veſtris ſecus obmurmurârint aliquid Regibus. Magiſtratum in ordinem redigere, Senatorem autem conuicio proſequi, ſuis eſſe decreuiſtis periculoſiſſimum pœnis. Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemuiralibus ſcitis euadere noluiſtis impune &c.*

FRIDE-

FRIDERICUS DEO GRATIA ROMANORUM IMPERATOR, ET SEMPER Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, vniversis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dilectis amicis suis salutem, & sinceræ dilectionis affectum.

Imperatoris apologia.

CUm sit Christus caput Ecclesiæ, & in Petri vocabulo suam fundauerit Ecclesiam supra petram, vos Apostolorum statuit successores, vt Petro pro omnibus ministrante, vos, qui estis candelabra Ecclesiæ, super montem non sub modio constituta, reuera omnibus, qui sunt in domo Domini ex effectu bonorum operum luceatis, nec à publica mundi lingua, & conscientia generali veritatis, vos subtrahere intendatis: cùm ad singula, quæ præsidens sedi Petri proponit statuere, vel denuncianda decreuit, æqua participatio vos admittat, nisi præuisus religionis Ecclesiasticæ status, * & tot venerabilium fratrum moles, eum in concepta fouere pertinacia videatur. Angit nos altiori mente turbatio, quòd dum nos intendamus à persequente defendere, oporteat nos grauius offendere resistentes, salua in omnibus Ecclesiæ sanctitate, quam cultu sacro, & debita reuerentia corde & corpore veneramur. Quapropter venerabilem cœtum vestrum affectuosius deprecamur, quatenus motus summi Pontificis, quos ex causis evidentibus non tam justos, quàm voluntarios mundus agnoscit, deliberata modestia compescatis, generali statui, & præsertim quieti mentium, à scandalis prouidentes. Nam cùm ad salutem & honorem omnium vestrum fauorabiliter alligemur, ab iniuriarum offensa non poterimus æquanimiter abstinere. Quin & si obstare principiis non possemus, licitè liceat injurias, quas reuocare non possumus, iniuriis propulsare. Datum Paduæ.

* *Locus est mutilus. Vide Epistolas Petri de Vineis lib. 1. cap. 6.*

Non minus Papa sollicitauit Archiepiscopos & Episcopos, vt Imperatorem denunciarent. Sed Episcopi Teutoniæ, ne hoc fieret, supplicabant. Imperator Lombardos fortiter impugnauit, & procedens vlterius, plurimas civitates Papæ occupauit vsque ad Viterbium. Comes Adolfus de Scouenburg se reddidit ad Minores fratres in Hamburg sabbato die Hyppoliti, relinquens post se puerulos, Johannem, Gerardum & Luderum, quibus tutorem dedit generum suum Abel, Ducem Daciæ, cuius frater Eticus, Rex Daciæ junior, duxit filiam Ducis Alberti de Anehald, die Dionysii. Eodem die Hermannus, filius sanctæ Elizabeth, duxit Helenam, filiam Ducis Ottonis de Brunsuuich. Ecclesia in Selcige fulmine exusta est, à pinaculo vsque ad inferiores partes. Fridericus, Zuuerin. Episcopus obiit, in cuius locum Thidericus, eiusdem Ecclesiæ Præpositus, die Eustachii postulatur.

Papa sui similis, Adolfi Com. Monachatus & liberi.

Helena, Ottonis Duc. F.

¶ *Reutra imperialis felicitas Papali semper impugnatur invidia. Lege Friderici II. Imp. epistolam apud eundem Petrum de Vineis lib. 1. cap. 31.*

Anno Domini M. CC. XL. Papa Archiepiscopos & Episcopos ad denunciationem Imperatoris sollicitauit, sed modicum profecit, nisi in Francia & Dacia. Archiepiscopi & Episcopi Teutoniæ Papæ rescripserunt, supplicantes ei, vt pro scandalo Ecclesiæ evitando, de pace inter se & Imperium cogitaret. Papa tamen Imperatori omnes, quos potuit, aduersarios suscitavit, crucem prædicari faciens super omnes, qui sedem Apostolicam infestabant. Præpositus Zuuerin. ibidem in Episcopum postulatus, Magistrum Elgerum Hamburgensem, & Sibodonem Zuuerin. Canonicos ad Romanam curiam destinauit, ipsique à Papa cum hac litera redierunt.

O malè feriatum Papam.

Bulla Papalis.

GREGO-

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILIBUS fratribus, Archiepiſcopo & Epiſcopo Verdenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EX parte dilectorum filiorum, Decani & capituli Zuuerin. Eccleſiæ, propoſitum fuit coram nobis, quòd eadem Eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, Epiſcopi convenientes in vnum, de futuri ſubſtitutione Pontificis tractaturi, quaſi diuinitus inſpirati omnes voto vnanimi & voluntate concordi, in dilectum filium, Præpoſitum ipſius Eccleſiæ, virum, vt aſſerunt, ſcientia præditum, diſciplinis Eccleſiaſticis eruditum, & morum honeſtate præclarum, per cuius induſtriam dicta Eccleſia, in medio prauæ & peruerſæ nationis poſita, poſſe creditur à ſuis tribulationibus & anguſtiis reſpirare, ſua deſideria direxerunt, votis tam Cleri quàm populi concurrentibus in eundem. Sed intellecto, quòd defectum in natalibus pateretur, vtpote de quodam milite ſoluto genitus, & ſoluta, ad electionem non proceſſerunt ipſius, ſed ad nos potius habuere recurſum, nobis tam per litteras, quàm per dilectos filios, Magiſtrum Elerum Hamburgenſem, ac Siboṇem Zuuerin. Canonicos nuncios ſuos, viros prouidos & diſcretos, qui apud nos ſuper aſſumpti promotione fideliter inſtiterunt, humiliter ſupplicantes, vt vtilitate ac neceſſitate Eccleſiæ ſupradictæ penſatis, ſupplentes defectum hujuſmodi, ipſum eis in patrem & paſtorem animarum eorum concedere, curaremus, veſtris & plurium aliorum tam Prælatorum & Capitulorum, quàm nobilium, pro ipſo ſupplicantium, nobis literis præſentatis, qui eum ſuper promiſſis reddunt multipliciter commendatum. De veſtra igitur circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de modo poſtulationis ſtudiis poſtulantium, & poſtulati meritis, veritate ſollicitè inquiſita, ſi poſtulationem ipſam aliâs inveneritis de perſona idonea canonicè celebratam, cum eo ſuper hujuſmodi defectu auctoritate Apoſtolica diſpenſantes, præficiatis eum eidem Eccleſiæ in Epiſcopum & paſtorem, ac faciatis ei à ſubditis Zuuerin. Eccleſiæ obedientiam & reuerentiam debitam exhiberi, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Alioquin prouideri præfatæ Eccleſiæ de perſona idonea per electionem canonicam faciatis. Datum Lateran. XIII. Kalend. Junii. Pontificatus noſtri anno quarto decimo.

¶ Euripidis eſt: νόθοι δὲ πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες.

Archiepiſcopus Bremenſis & Verdenſ. Epiſcopus recepta littera', in domo Minorum fratrum in Stadio euocato ad hoc Lubicen. Epiſcopo Johanne, conueniunt, ibique Præpoſitus idem vna & eadem die, ſcilicet IV. Kalend. Auguſti, legitimatur, examinatur, confirmatur, & in Epiſcopum conſecratur. Albertus, Abbas Stadenſis, ſe ad Minores fratres in Stadio reddidit XIII. Kalend. Septemb. feria II. Cui Thidericus, Monachus de Rarſtede, ſucceſſit. Abbas ſiquidem Albertus ſæpius in regula beati Benedicti, quam profeſſus erat, animaduertit hunc articulum, vbi dicitur, quòd qui eam ſeruare tenetur, & non ſeruauerit, ſciat ſe à DEO damnari, quem irridet. Romanam adierat ſedem anno Gregorii Papæ XI. Videlicet anno Domini M. CC. XXXVI. Papæ ſupplicans vt locum ſuum in Ciſtercienſem ordinem commutaret, vt ſic fratres ibidem commorantes ſub obſeruatione ſanctæ regulæ poſſent diem extremum, & aduentum diſtricti judicis, ſine grauiſſimo animarum ſuarum periculo exſpectare. Papa petitionem ipſius exaudiens, talem ei dedit litteram.

Albertus, Abbas Stad.

Inceſſitur religione.

Elicit Papa bullam de monasterij sui mutatione.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI Fratri Bremens. Archiepiscopo, & dilectis filiis, Decano & Johannni de Beuersak, Canonicis Bremensibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

DEsideria deuotorum, in quibus fructus æternæ vitæ contineri dinoscitur, eo promptioribus ad effectum per nos sunt deducenda studiis, quò super talibus exequendis nobis inesse debet diligentia specialis. Hinc est, quod cùm monasterium sanctæ Mariæ in Stadio ordinis sancti Benedicti Bremensis diœcesis, sicut accepimus, sit peccatis exigentibus ita dispositum, quòd euidenter ibidem non absque diuini nominis offensa salus negligitur animarum, ad preces Abbatis eiusdem monasterii super hoc salubriter prouidere volentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum, si salubriter in suo non possit ordine reformari, de Cistercienſi ordine consilium habendo præ oculis reformare curetis, illos exiisdem Monachis, qui fortè meliorationis hujusmodi gratiam consequi recusantes, noluerint habitum Cistercienſem assumere, in aliis locis sui ordinis collocando, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes his exequendis interesse poteritis, tu frater Archiepiscope, cum altero eorum nihilominus exequaris. Datum Viterbii II. Nonas Maii. Pontificatus nostri anno vndecimo.

Huic negotio Archiepiscopus à prima fronte interfuit, & Abbas ad curiam de ipsius voluntate & conscientia processit, cui etiam ad eiusdem rei executionem fidum consilium & firmum auxilium repromisit. Die itaque Mariæ Magdalenæ Abbatem & totum conuentum super capellam suam in Stadio conuocauit, cum collega suo in hoc facto, Gernando, Decano majoris Ecclesiæ in Brema, eisque Papalem litteram declarauit, hoc adiiciens, quòd se studerent in suo ordine reformare, alioquin vellet circa ipsos mandatum Apostolicum adimplere. Duo de Minoribus fratribus, videlicet Eilbertus de Danneberg, & frater Heinricus de Haluerstad, & Johannes Monachus de Rarstede, qui etiam se postea ad Minores fratres reddidit, huic interant actioni. Abbas executionis finem ab illa die plusquam per triennium expectauit, & sæpius monens Archiepiscopum, sæpissimè Decanum, vidensque quòd nihil proficeret, sed magnus tumultus fieret & periculum animarum, ab admonitione destitit, & propositum suum posse fieri desperauit. Hoc siquidem negotium sic est sine termino terminatum. Abbas autem intelligens, se sine effectu laborasse, ad Minores fratres prædicto tempore, scilicet anno gratiæ M. CC. XL. intrauit. Si verò in monasterio memorato secundum verbum Domini Papæ non absque diuini offensa nominis salus negligitur animarum, hi, qui mandatum receperunt Apostolicum super reformatione huiusmodi, videant, quid in die judicii respondeant creatori. Papa Gregorius insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens, Principes super electione alterius sollicitauit, sed nihil profecit, quia quidam Principum ei rescripserunt, NON ESSE SVI IVRIS, IMPERATOREM SVBSTITVERE, SED TANTVM ELECTVM A PRINCIPIBVS CORONARE. Electio enim ad istos dinoscitur pertinere. Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem, Treuirensis, Moguntinus & Colonienſis. Treuirensis enim licet de Alemannia non sit, ratione

Ludit operam.

Abdicat se Abbatia.

Papa antiquum obtinet.

NOTA. Electores Imperij.

ratione antiquitatis eligit : quia cùm eadem ciuitas à filio Nini, quam Semiramis, nouerca eius, ſtuprum ab eo deſiderans à Babylone fugauit, ſit conſtructa, Abraham Patriarcha trium annorum exiſtente, etiam eſt à tempore Petri Apoſtoli in fide catholica ſolidata. Palatinus eligit, quia Dapifer eſt, Dux Saxoniæ, quia Marſcalcus, & Margrauius de Brandenburg, quia Camerarius. Rex Boëmiæ, qui pincerna eſt, non eligit, quia non eſt Teutonicus. Eodem anno cœperunt magis atque magis horrendi rumores de populis barbarorum, qui dicti ſunt Tartari, ſuccreſcere, qui pertranſientes innumerabili multitudine, & manu valida, Ruziam & Poloniam, & alia pluſima regna, nulli pepercerunt, ſed omnes, quos attingere poterant, cuiuſcunque eſſent profeſſionis, ſexus vel ætatis, crudelitate nimia peremerunt, venienteſque Vngariam inopinatiſſimo euentu, factaque infinita ſtrage hominum, Regem, occiſo fratre eius in pugna, de ſuo regno in Græciam expulerunt. Anno Domini M. CC. XLI. Imperator omnes vias verſus Romam cum ſuis fautoribus occupauit, euntes autem ad curiam Romanam ſi comprehendit, detinuit ſæpius & afflixit : Legatum Angliæ, Ottonem & Franciæ, Prænestinum Epiſcopum, profeſſione Ciſtercienſem, à Janua per mare Romam redire volentes, cum infinita pecunia captiuauit, & proſpero nimis euentu circa IV. millia Januenſium cepit, & tres Galeas in eodem conflictu cum rebus & hominibus ſubmerſit. Cepit XXII. Galeas, & Prælatos & Clericos infinitos, & ambaxatores vltra centum. Tartari tanto timore hominum corda concuſſerunt, vt homines contra eos in diuerſis locis & prouinciis auctoritate Epiſcoporum ſe crucis charactere inſignirent. Tandem Papa ad inſtantiam regis Vngariæ, Ducis Auſtriæ, & Domini Carinthiæ, dedit generalem terræ Hieroſolymitanæ indulgentiam contra eos. Rex Daciæ, Waldemarus, obiit in cœna Domini, ſcilicet V. Kalend. Aprilis. Cui Ericus, filius eius, ſucceſſit. Papa Gregorius obiit XII. Kalend. Septembris, & duo electi ſunt, ſcilicet Romanus Portuenſis, & Godefridus Sabinenſis. Ceſſerunt ambo, & iterum Cardinales elegerunt vnum, ſed non de ſuo collegio. Romanis quærentibus quis eſſet, nomen illius exprimere noluerunt. Abel, Dux Jutiæ, renuncianit in Hamborch tuitioni puerorum Fratris Adolfi, cuius filiam, nomine Mechtildem, quæ poſtea duxit Ducem Sueciæ, habuit in vxorem, die Willehadi, præſente Archiepiſcopo Bremenſi Gerardo, qui etiam tunc efficaciter ad hoc laborauit, vt Dux Abel Comitem Gunzelinum Zuerin. in gratiam ſuam reciperet, cuius antea capitalis fuerat inimicus, quia Regem captiuauerat pater eius. Sed idem Gunzelinus huius Ducis gratiam ſibi impenſam malè obliuioni tradidit, quia cum Rege Daciæ, qui Ducem impiè voluit opprimere, eundem Ducem & ſocerum eius Johannem, Holſatiæ Comitem, non eſt poſtea verecundatus, in quantum potuit, impugnare. Johannes Comes, Fratris Adolfi filius, IV. Idus Nouembris in Hamborch cum maximo Cleri & populorum tripudio eſt receptus, cui etiam eodem tempore filia * Ducis Saxoniæ, adhuc puellula, in coniugem eſt promiſſa. Eclipſis ſolis octaua Michaelis, ſcilicet II. Nonas Octobris, die Dominica poſt meridiem, modicum ſtellis apparentibus, & Sole penitus à noſtris viſibus occultato. Et tanta erat cœli ſerenitas, vt nulla in aëre nubes appareret. Cœleſtinus Papa ſucceſſit Gregorio, dictus antea Jufridus, & ſedit diebus XIV.

Irruptio Tartarorum.

Imperatorem feliciter gerit.

Papales indulgentiæ aduerſus Tartaros.

Mors Wildemari R.

Abel, Dux Iutiæ.

Gunzelinus junior.

Ioannes Com. Holſatiæ.

Eclipſis Solis.

* *Hæc ſuprà in familia Billingana ſtemmate ad ann. M. C. LI. appellatur Elizabetha, nata ſcilicet Alberto patre.*

Anno Domini M. CC. XLII. duobus annis ſedes Papalis vacauit. Cardinalibus inter ſe diſcordantibus, & quibuſdam Romam intrare non audientibus. Vnde contigit, vt ſe inuicem frequentius vocarent ad electionem, &

Interregnum Papale.

etiam ipſi tam inter ſe, quàm ab aliis multas controverſias & inſolentias ſuſtinerent. Anno Domini M. CC. XLIII. Imperator à ſuo propoſito non quieuit, ſed pro ſua parte omnes, quos potuit, ſollicitauit, & plurimi pro eo, plurimi etiam contra eum diuerſis opinionibus ſenſerunt, ita vt quidam eum non ſolùm excommunicatum ſed etiam hæreticum appellarent. Eodem anno Bedericus, Comes in Beltitz, miſit Abbati ſanctæ Mariæ in Stadio, Thiderico, & ſuæ Eccleſiæ & conuentui reliquias glorioſas, videlicet ſanguinem Jeſu Chriſti in vaſculo chryſtallino, quod Dominus Abbas ſuper duas chryſtallos, in quibus prædeceſſor eius plures reliquias antea collocauerat, honorificè collocauit appendens crucem ibidem paruulam, in qua eſt lignum Domini collocatum. In alio vaſculo chryſtallino competenter magno de ſpinea corona Domini, de clauo, quo affixus fuerat Dominus cruci, de flagello Domini, de lacte Mariæ virginis. In tabula quadam ad modum palmæ quindecim glorioſas portiones, Andreæ Apoſtoli, Johannis Baptiſtæ, Pauli Apoſtoli, de ſepulchro Domini, de cingulo ſanctæ Mariæ, item de ſepulchro eius, Stephani protomartyris, Thomæ Apoſtoli, Georgii Martyris, Pantaleonis, Margaretæ virginis, Blaſii Epiſcopi & Marthæ, hoſpitæ Domini, Danielis Prophetæ, Bacchi Martyris. Et eadem tabula ex parte reliquiarum, ibidem nudè poſitarum, eſt aurea, & ex alia argentea. Item ſub chryſtallo circulari, & in argento deaurato, cum IV. lapidibus precioſis poſita, de cruce Domini, de crine beatæ Virginis, de crine beati Johannis Evangeliſtæ, de capite Johannis Baptiſtæ, Stephani protomartyris, & Mariæ Magdalenæ. Miſit autem prædictus Comes eaſdem reliquias ſub teſtimonio Rudcheri, Brandeburgenſis Epiſcopi, & Abbatis Sichemenſis, & ſub ſuarum etiam teſtimonio litterarum, in quibus aſſeruit, ſe eas à Pontifice de Caph, quæ olim appellabatur Joppe, magnis laboribus & precibus impetraſſe, & ſecum de tranſmarinis partibus aduexiſſe, miſitque eas per Monachum Ottonem de Bederekeſa, qui etiam idem totum factum de tempore in tempus cognoſcitur promouiſſe. Sed hæ glorioſiſſimæ reliquiæ in aſſumptione beatæ Virginis cum magno Cleri plebiſque tripudio in Stadio ſunt receptæ. Anno Domini M. CC. XLIV. Senobaldus in Papam electus eſt, & dictus Innocentius. Frater Adolfus, olim Comes Holſatiæ, ſedem adiit Apoſtolicam pro diſpenſatione, quia ordines ardentiſſimo deſiderio affectabat, & rediens diſpenſationem largam cum tali litera reportauit.

Imperator ſatagit rerum ſuarum.

Bedericus Comes.

λείψανα Stadenſia.

Rutgerus, Epiſc. Brandeburg.

Adolfus, Com Monachus.

Diſpenſatio Papalis.

VNIVERSIS PRÆSENTES LITTERAS INSPECTURIS, FRATER REINARDUS & Frater Gerardus, Domini Papæ pœnitentiarii, ſalutem in Domino.

NOueritis, quòd nos audita confeſſione Fratris Adolfi, ordinis Minorum fratrum, præſentium portitoris, eidem ſuper omnibus articulis, pro quibus duxerat ad ſedem Apoſtolicam laborandum, & de ſimilibus ſiue minoribus, ſi quos in obliuionem deduxit, de ſpeciali mandato venerabilis patris noſtri, Ottonis, ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, cui Dominus Papa plenariam ſuper hoc conceſſerat poteſtatem, beneficium abſolutionis impendimus, & vt ad omnes ſacros ordines promoueri valeat, diſpenſauimus cum eodem, iniuncta ſibi pœnitentia ſalutari. Datum Later. X. Kalend. Maii, Pontificatus domini Innocentii Papæ IV. anno primo.

Et idem Frater Adolfus Subdiaconus rediens, à Johanne Epiſcopo, ordinis Prædicatorum magiſtro, in Diaconum, & à Johanne Lubicenſi Epiſcopo, in

in aduentu Domini XIII. Kalend. Januarii est in Presbyterum ordinatus, qui etiam in Dominica, Omnis terra, primam Missam in Zuentina, loco valde solitario, & fratrum Minorum eremitorio, & in Hamborch, vbi Comes fuerat, in Quadragesima apud Minores fratres die Gregorii celebrauit. Anno Domini M. CC. XLV. Papa in Burgundiam Lugdunum, quæ prima sedes est Galliarum, veniens, post festum Johannis Baptistæ ibidem concilium celebrauit, & quintam partem ab Ecclesiis redituum requisiuit. Imperator pro se nuncios misit, inter quos erat quidam Thaddæus, doctor legum, qui pro eo elegantissimè allegauit, ita vt plurimorum sibi audientiam conquireret & fauorem. Nihilominus autem Papa Imperatorem in die Jacobi feria tertia, quæ tertia dies erat concilii, excommunicauit. Papa per totam terram Teutoniæ lugubrem litteram Principibus Ecclesiasticis destinauit, conquerens flebiliter, quòd à gente quadam Sarracena, quam Choresminorum populum appellavit, sepulchrum Domini esset enormiter violatum, ita vt plurimi, imò ferè omnes, hanc literam audientes, intellexerint venerabile monumentum Domini ab eisdem infidelibus destructum funditus & euersum, & locum sanctum in planiciem jam redactum. Et in eadem litera fideles sollicitari præcepit, vt se crucis insignirent charactere contra ipsos. Plures Teutoniæ Episcopi ad concilium non iuerunt. Dixerunt etiam quidam, quòd eodem tempore fuerint ab ipsis Sarracenis in ciuitate sancta XI. mill. hominum occisa, & in templo & circa sepulchrum Domini sex millia. Circa ascensionem Domini orta est versus meridiem quasi in Capricorno stella quædam ad instar Luciferi, magna, clara sed rubea, & sicut vnus Planetarum, Certum singulis diebus ortum tenuit & occasum, & quia rubea fuit, Martem esse plurimi autumabant. Jupiter non fuit, qui circa quinque annos manifestè visus, jam circa Virginem vagabatur. Multi dixerunt, quòd ab ipsis, licet assiduam circa astra considerationem habuerint, nunquam, quod meminerint, antea visa fuit. Eclipsis Solis die Jacobi hora I. feria tertia Luna XXVII. & Lunatio proxima tantum errauit, vt in XII. plenilunium appareret. Stella verò jam dicta post diem Jacobi vlterius adeò lucida visa non est, sed die in diem tam magnitudinem perdidit, quàm claritatem. Præpositus Olricus de Buestehude quendam seruum habuit, Geuehardum, qui quoties voluit gurgitem aquæ Eschede ita, quod non videretur, intrauit, & post longam horam rediens magnos pisces, ferè ad instar trium palmarum, in qualibet manu vnum & in ore tertium secum retulit, & sæpè de balneo exiens in aquam prosiliit, & in Stubam pisces domino reportauit. Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, præsente Præposito, vidi, quod inter rotas molendini in profundum aquæ se dimisit, & diu post cum pisce non modico rediit. Circa festum Michaëlis viderunt quidam intempesta noctis hora in oriente surgere lucem clarissimam, quasi Solem, & tandem euanescere per aërem, & in colorem rubeum, hominum permixta specie, permutaram. Papa in jam dicto concilio, scilicet die Jacobi, contra Imperatorem excommunicationis sententiam renouauit, & eum ab Imperiali culmine auctoritate propria deposuit, & hanc depositionem per totam Ecclesiam promulgauit, præcipiens sub interminatione excommunicationis, vt nullus eum Imperatorem de cætero nominaret. Qua sententia per mundum volante, quidam Principum cum multis aliis reclamabant, dicentes, AD PAPAM NON PERTINERE, IMPERATOREM VEL INSTITVERE VEL DESTITVERE, SED ELECTVM A PRINCIPIBVS CORONARE. Interea Papa sollicitari fecit Principes, quos ad Imperium regendum credidit

Concilium Lugdun.

Thaddæus IC. agit causam Imperatoris.

Choresmini ¶ Vide Appendicem nostram ad Haythonum.

Stella prodigiosa. ¶ Similem inculcat Nicephorus Callist. lib. 12. cap. 37.

Eclipsis Solis.

Vrinator.

Chasma.

Papa Imperatorem denuò excommunicatum exauctorat. ¶

Cumulat flagitium flagitio.

¶ *Istud nimirum fuit Iana templum, dextra palatium tenere. Et de Constantino Mesopotameno legitur Nicetas pag. 56. Caterum formula excommunicationis huius legitur sexto Decretal. lib. 2. tit. 14. mutila tamen. Integram ex vetusto quodam libro præmisit Simon Schardius operi epistolarum Petri de Vineis.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dit idoneos, vt aliquis eorum onus Imperii sumeret & laborem, promittens ei, quicunque Imperium assumeret, consilium & auxilium pariter & fauorem. Tandem Heinricus Lantgrauius, cognomento Raspe, multis cuictus precibus imperium accepit. Anno Domini M. CC. XLVI. Heinricus, Lantgrauius Turingiæ, juxta Herbipolin, in Ascensione Domini, à Moguntino & Colonienſe, & quibusdam Principibus, in Regem eligitur, & subitò crux contra omnes infideles à Moguntino solenniter prædicatur, & omnis illa Principum & nobilium collectio crucis charactere insignitur. Rex nouus in Frankeneuorde festo Jacobi proximo curiam indixit, & cum ibidem Rex Conradus ei cum pluribus occurreret, fugatus est, multis suorum tam Capitaneis quam nobilibus captiuatis. Cœperunt interea illi, qui plenum fauorem non habebant ad talia, eundem Landgrauium Regem dicere Clericorum. Papa etiam omnes Principes Alemanniæ per legatos sollicitauit, vt Fridericum desererent, & pro hoste Ecclesiæ manifesto eum reputarent, & Heinrico, tanquam filio obedientiæ, adhærerent. Etiam ad Soldanum * Papa nuncios destinauit, eum intendens à familiaritate abstrahere & amicitia Friderici quondam Imperatoris. Et Soldanus litteris benignè receptis, Græca lingua Papæ rescripsit. Præsentiæ Papæ, nobilis, magni, spirituales, affectuosi, sancti, tertii decimi Apostolorum, vniuersalis loquelæ Christianorum, manutenentis adoratores crucis, judicis populi Christiani, ductoris filiorum baptismatis, summi Pontificis Christianorum. Confirmet eum DEVS, & det sibi felicitatem. A Soldano potentissimo, regnante super colla nationum, continente duas virtutes gladii & calami, possidente duo præcellentissima, scilicet doctrinam & judicium, Rege duorum marium, dominatore Austri & Septentrionis, Rege regionis Ægypti, & Syriæ, & Mesopotamiæ, & Mediæ & Idumææ, & Ophir, Rege Fabethbelfechaliob, filio Soldani Chamel heleſmenaphat, Mechmet filii Soldani regis Holdal Joberir filii aiob, cuius regnum DEVS diligit. In nomine DEI misericordis & miseratoris præsentatæ sunt scripturæ Papæ nobilis, magni affectuosi, sancti, tertii decimi Apostolorum, vniuersalis loquelæ Christianorum, manutenentis adoratores crucis, judicis Christianorum, summi Pontificis filiorum baptismatis. Faciat eum DEVS de affectantibus bonum, & facientibus illud, & volentibus pacem, & perseuerantibus in causis eius, & adiuuet eum DEVS in his, quæ decentia sunt ad illos, qui sunt sui cultus siue ritus, & ad alios. Et respeximus dictas scripturas studiosè, & intelleximus capitula quæ in eis inserta erant, & eorum continentia nobis placuit, & delectatus est auditus noster in relatu eorum. Et nuncius venit ad nos, quem misit sanctus Papa, & ipsum præuenimus cum honore & dilectione, cum deuotione & reuerentia, ipsumque vocauimus ad conspectum nostrum, sibi inclinantes. Intendimus autem verbis eius, & fidem adhibuimus ei nuncianti nobis de Christo, super quem sit laus. De quo Christo plus scimus, quàm vos sciatis, & magnificamus eum plus quàm vos magnificatis. Et de hoc, quod dicitis, vos desiderare tranquillitatem & quietem, & habere materiam conuocandi populos ad pacem, similiter & nos desideramus, nec volumus contraire, & hoc semper voluimus & desiderauimus. Sed Papa, quem confirmet DEVS, scit, quòd inter nos & Imperatorem jam dudum fuerit familiaritas & concordia perfecta à tempore Soldani, patris nostri, quem DEVS ponat in claritate, & adhuc inter nos & Imperatorem prædictum est, sicut scitis. Vnde non licet nobis, aliqua componere cum Christianis, nisi prius habuerimus super his ipsius consilium & consensum. Et nos scripsimus nuncio nostro, qui est in Curia Imperatoris, pro causis, quas detulit nuncius Papæ, nunciantes capitula & proposita nuncii vestri. Ipse nuncius noster veniet ad præsentiam nostram, & loquetur nobis, & postquam

Henricus Lantgrauius imperium capessit.

Rex Clericorum. Papæ furor

* *Melahadinum scilicet, de quo suprà.*

Litteræ Soldani.

Barbari fides.

¶ Attende, lector, Syrũ vel interpretẽ, vel librariũ credi hic σφάλμα aliquod apparet.

poſtquam renunciauerit, faciemus juxta tenorem reſponſi, nec diſcrepabimus ab eo, quod vtile videbitur vniuerſis, ita quòd poſſimus habere meritum à DEO. Hoc vobis nunciamus, & bonum ampliabitur in poſterum, DEO dante. Scriptum eſt hoc in VII. die menſis Macharon, qui fuit lunatio Auguſti. Dicit gloſa: Laus DEO ſoli, & benedictio eius ſuper Dominum noſtrum Mahometum, & ſuper ipſius genus. Hanc itaque literam, cùm Græcè ſcripta fuerit, quidam Latinus, Græcæ linguæ peritus, tranſtulit, & de verbo ad verbum, ſicut ſeries literæ habuit, explanauit. Dux Auſtriæ contra regem Vngariæ conflictu habito occubuit, & Ducatum ſine hærede reliquit. Vnde hi verſus in quodam loco Auſtriæ in lapide ſculpto inuenti ſunt: *Auſtria ἄναξ.*

Anno milleno centeno terque triceno,
His quinquaginta ſi miſces, tunc benè diſces,
Auſtria quòd tota ſit Principibus viduata,
Terraque cornuto diſcet ſeruire tributo.

Johannes, filius Fratris Adolfi, Comes Holſatiæ XVI. annorum, & frater eius Gerardus de Pariſiis, vbi pluſquam duos annos ſteterant, à ſuis non modico deſiderio exſpectati, incolumes redierunt, & octaua Franciſci feria quinta in Hamborch cum maximo Cleri & populi tripudio ſunt recepti. Terram ſub guerra inuenerunt, Erico, rege Daciæ, eam cum omnibus, quos in auxilium ſui ſollicitare poterat, infeſtante. Anno Domini M. CC. XLVII. Heinricus Lantgrauius, qui imperium acceptauerat, eſt defunctus. Hæredem non habuit, ſed Dux Brabantiæ terram eius manu valida ingrediens ratione tuitionis filiæ ſuæ, quæ fuerat vxor eiuſdem Landgrauii, ſe tam de terra & caſtris quàm de terræ dominio intromiſit. Comes Gunzelinus & Sclavi, qui partem Erici, regis Daniæ, contra Johannem, Comitem Holſatiæ, juuerunt, die Briccii Todeslo venientes hoſtiliter, aliquos militum capientes, de Holſatis plurimos, cùm ſe viriliter defenderent, occiderunt. Rex etiam Daciæ, Ericus, fratrem ſuum, Ducem Abel, in Ducatu ſuo moleſtare cœpit, Chriſtophorum fratrem ſuum de ſuis terminis expulit, Kanutum, Ducem de Blekende, fratrem de patre, captiuauit, quem poſtea Lubicenſes, expugnato caſtro Stekenburg, in quo detinebatur, viriliter abſoluerunt. Da ciam inſuper nauali congreſſu ſæpius vaſtantes, cum magnis ſpoliis redierunt. Papa Heinricum Landgrauium mortuum intelligens, Petrum Capucium, de aurelo velo Diaconum Cardinalem, miſit in Teutoniam, qui euocatis Archiepiſcopis & Epiſcopis, quos potuit, concilium prope Coloniam celebrauit feſto Michaëlis. Et feria quinta poſt Michaëlis, Wilhelmus, frater Comitis Hollandiæ, à quibuſdam Epiſcopis & Comitibus in Nuſſia, in Regem Romanum ad gubernandum Imperium eſt electus. Ab eodem ibidem Johannes, Comes Holſatiæ, militiæ cingulo eſt accinctus, die Sanctorum Baſilidis & Cirini Feria quarta poſt meridiem cùm eſſet aura calida & ſerena, ſubita tempeſtas orta eſt, & inter pluuiam & tonitrua grando denſiſſima cecidit, & quantitas pluſquam columbini oui magnitudinem adæquavit. Bernardus, Paderburnenſis Epiſcopus, obiit, cui Simon * frater Domini Bernardi de Lippia, ſucceſſit, & frater eiuſdem Simonis, ſcilicet Otto, maior Præpoſitus Bremenſis, Monaſterienſi Epiſcopo ſubrogatur. Theodericus, Zuuetin. Epiſcopus, obiit, cui Wilhelmus, eiuſdem Eccleſiæ Præpoſitus, ſucceſſit.

Ioann. & Gerardus Adolfi Com. FF.

Mors Henrici Lantg.

Gunzelinus Com.

Dani in fratres iniuriæ.

Expeditio Lubecenſium.

Wilhelmus deſignatus Rex Romanorum.

Tempeſtas.

Lippienſis familia geminatus Epiſcopatum.

* *qui ſeptem ann. Adiutor fuerat Gerhardo, Archiepiſc. Brem. patruo ſuo, & Crantius Metrop. lib. 8. cap. 15.*

Anno Domini M. CC. LXIIX. cœperunt in Eccleſia DEI mirabiles & miſerabiles hæretici pullulare, qui pulſatis campanis, & conuocatis Baronibus

bus & dominis terræ, in Hallis Sueuorum sic prædicauerunt in publica sta-
Doctores Halenses obtrectant Papæ. ¶ Viderit auctor, an omnia bona fide referat.
tione. Primò, quòd Papa esset hæreticus, omnes Episcopi & Prælati Simoniaci & hæretici, inferiores quoque Prælati cum sacerdotibus, quia in vitiis & peccatis mortalibus non haberent auctoritatem ligandi & soluendi, & omnes isti seducerent, & subduxissent homines. Item quòd sacerdotes in peccatis mortalibus constituti non possent conficere. Item quòd nullus vivens, nec Papa, nec Episcopi, nec aliqui alii possint interdicere diuina, & qui prohiberent, essent hæretici & seductores, & licentiauerunt in ciuitatibus interdictis, vt Missas audirent super animas ipsorum, & sacramenta Ecclesiastica liberè perciperent, quia ipsis perceptis, mundificarentur à peccatis. Item quòd Prædicatores & Fratres minores peruerterent Ecclesiam falsis prædicationibus, & quòd omnes Prædicatores & Fratres minores, Cistercienses quoque & omnes alii prauam vitam ducerent & iniustam. Item quòd nullus esset, qui veritatem diceret, & qui fidem justam opere seruaret, nisi ipsi & eorum socii, & si ipsi non venissent, antequam DEVS in perículo dimisisset suam Ecclesiam, prius ipsos de lapidibus suscitasset, vel alios, qui Ecclesiam DEI vera doctrina illuminassent. Prædicauerunt etiam: Huc vsquè vestri prædicatores sepelierunt veritatem, & prædicarunt falsitatem, nos sepelimus falsitatem, & prædicamus veritatem. Et in fine: Indulgentiam, quam damus vobis, non damus fictam vel compositam ab Apostolico, vel Episcopis, sed de solo DEO & ordine nostro. Et sic: Non audemus habere memoriam Papæ, quia ita peruersæ vitæ est, & tam mali exempli homo, quod eum tacere oportet. ¶ Et blasphemando adiecit idem perfidus prædicator: Orate, inquit, pro Domino Friderico Imperatore, & Conrado, filio eius, qui perfecti & justi sunt. Item dixit, quòd Papa non haberet auctoritatem ligandi nec absoluendi, quia non haberet vitam Apostolicam, & hoc probare vellet per quandam glossulam. Istos hæreticos fouit, & defendit Conradus filius Friderici, Imperatoris quondam, & patrem suum se per talia venena credidit defensare. Sed res lapsa est in contrarium, quia catholicis prædicatoribus audacter resistentibus, & fideles exhortantibus, liberi & ministeriales à Conrado recesserunt, ita quòd quasi exul & profugus de Sueuia in Bauuaria moraretur. Maxima inundatio aquarum nocte puerorum, & in vtroque littore Albiæ plurima submersio hominum.

Conradi in Imp. patrem pietas.

Periculum.

¶ *Egregiam blasphemiam è Pauli doctrina 1. Timoth. 2. Adhortor vos, precari pro Regibus & omnibus, qui præsunt.*

Anno Domini M. CC. XLIX. cruce signati Aquensem ciuitatem lon-
Wilhelmus inauguratur.
ga obsidione obtinentes, Wilhelmum coronauerunt, qui procedens vlterius, Imperii bona, quæ poterat, occupauit. Dux Abel cum fratre suo, rege Daciæ, in amicitiam rediit. Vnde expeditio per Archiepiscopum Bremen-
Joannes Com.
sem, & Comitem Holsatiæ Joannem, & eorum adiutores in Daciam facta, inaniter est soluta. Modicum antè Io. Comes castrum ædificauerat in Todesso. Wilhelmus, Zuuerin. Episcopus, obiit, cui Rodolfus, maior eiusdem Ecclesiæ Præpositus, successit. Et ita omnes illius Ecclesiæ Episcopi, vsque
Series Episcoporum Suuerin.
nunc vsu sibi metrico secundum nomina successerunt. Verbi gratia. Berno, Brunvvardus, Fridericus, Theodericus, Wilhelmus, Rodolfus. Infra octauam assumptionis pons in ciuitate Misna impetu tempestatis totus confractus corruit, & infinitum populum, qui ibidem propter horrorem auræ confugerat, obtruncauit. Rex Franciæ cum pluribus sui regni militibus terram sanctam adiens, circa octauam Pentecosten obtinuit Damiatam, quem Friderícus Imperator multis dicitur obsequiis adiuuisse. Willehelmus coronatus, circa Rhenum aliquaudiu commorans, cùm expensas Regi congruas non haberet, in Hollandiam est ingressus, & iterum postea ad partes Rheni rediit, & ter-

Ludouici X. regis Franc. bellum sacrum.

& terras sibi aliquas subiugauit. Anno Domini M. CC. L. De rege Franciæ rumores miserabiles sonuerunt, videlicet quòd frater eius esset occisus, & ipse captiuatus, amissa magna multitudine suorum, & quòd se redemerit pecunia infinita. Feria. III. post octauam Paschæ, scilicet Non. Aprilis, Rex Franciæ conflictum habuit cum Soldano super Nilum, vbi occisa sunt in parte Regis centum & sexaginta millia Christianorum, Rex captus est, & reddidit Damiatam, & seipsum redemit centum millibus marcarum. Præterea venerant Regi recenter XIII. vasa plena Byzantiis, & tantæ magnitudinis, quòd sex boues vix trahere poterant vnum vas per duo milliaria vna die. Hæc pecunia tota transiit ad Soldanum. His auditis rumoribus, prophetiam Abbatis Joachimi quidam reduxerunt ad memoriam, qui dixit: Superabitur Francus, capietur summus Pontifex, prævalebit imperans Alemannus. Sed frater Alexander in expositione Apocalypsis eandem prophetiam tangens, subiicit sic: Sed Ecclesia orat, vt quod dictum est in vltionem, transeat in salutem. Iohannes Comes auxilio Bremensis Archiepiscopi, & auunculi sui Simonis, Padeburnensis Episcopi, expeditionem versus Daciam in maximo exercitu circa Augustum ordinauit, castro in Reinoldesborch, quod Rex firmissimum fecerat, & viris strenuis munierat, forti obsidione primitus oppugnato. Interea circa diem Laurentii de Erico, rege Daciæ, rumores infortuna-ti sucreuerunt, quibusdam dicentibus, Regem captum, quibusdam mortuum. Tandem veritas innotuit, quod cùm securè luderet in aleis, in domo quadam super aquam posita, venit super eum inopinatè Dux Abel, frater eius, qui amicabiliter cum ibidem inuitauerat, & captum hostiliter projecit in nauiculam, ad locum illum ex industria deportatam. Delatus est in medium aquæ, quæ dicitur Sli, & Lago quidam de Danorum potioribus, Duci dilectus, cum altera naue celeriter aduenies, eum decollari fecit, & corpus, multo ferro onustum, in profundum illius aquæ submersit. Rex tamen cùm mortem ineuitabilem vidit, sacerdotem petiit & obtinuit, & facta confessione, vt dicunt, intimè decollatori flagitium indulsit, & jam decollandus dixit: Frater meus, sicut ante DEVM heu merui, turpem mihi ingerit mortem, sed ipse si se non emendauerit, sentiet turpiorem. Istud contigit in nocte Laurentii. Non multùm pòst corpus inuentum est à Prædicatoribus ipso ferro onustum, & capite adhuc ad collum pendente. Sepelierunt eum Prædicatores in ecclesia sua Sleswic. Postea frater eius Abel fecit eum extumulari, & ibidem in noua moniali Ecclesia sepeliri. Exercitus obsidione soluta rediit. In die omnium sanctorum Abel coronatur in Regem, vxor eius Mechildis in reginam, filio eorum Waldemaro adhuc puerulo, quem redeuntem de Rothomago Colonicnsis Archiepiscopus ceperat, adhuc in captiuitate detento. Fridericus Imperator mortuus est, ab Archiepiscopo Palormitano absolutus, & in Sicilia in jam dicta Ecclesia tumulatus. Anno Domini M. CC. LI. Wilhelmus Rex duxit filiam Ducis Ottonis de Brunsuuich, & in ipsa nuptiarum nocte, scilicet conuersionis sanct: Pauli, palatium, in quo quieuerunt sponsus & sponsa, in Brunsuuich juxta Leonem penitus exarsit, ex luminis & straminis incuria, corona Regis exusta est, & multæ res preciosæ. Duo sartores, qui in consuendis in quadam camera sedebant vestibus, sunt exusti. Rex & Regina vix euaserunt, regina tamen Regem, tanquam in domo esset notior, educente. Anno Domini M. CC. LII. Otto, Dux Luneburgensis, cùm jam esset in procinctu eundi ad curiam Frankeneuorde, quam Wilhelmus Rex Principibus circa festum Johannis Baptistæ vel Jacobi indixerat, die Dominica Primi & Feliciani, infra vesperas obiit XLIIX. annorum. Die Apostolorum Petri & Pauli Rex

Clades miserabilis.

Ioachimi Abbatis Vaticinium.

Ioann. Comitis expeditio Danica.

Abel Dux, parricida.

Inauguratur Rex.

Mors Imperatoris.

Wilhelmi Regis nuptiæ.

Periculum

Mors Othonis Ducis.

Ss Dano-

¶ *Cranzius Saxon. lib. 8. cap. 19. Principem hunc eo ornat elogio, vt Vnicum Saxonici germinis decus vocet.*

Danorum Abel, Strantfresones ab insolentia eorum volens compescere, in-
Christophorus, rex Daniæ. opinata morte ab eis est occisus. Christophorus, frater eius, ei in regno
successit. Lago, quem prædiximus, cum regali corona, & multa pecunia,
ab Abel collecta, fugit in Holsatiam, non multo pòst tempore & ipse occisus
ibidem. Anno Domini M. CC. LIII. Dux Albertus Horeborch reædificat,
patris violans juramentum. Comitissa Flandriæ militiam nauigio misit
Wilhelmi Regis successus. versus Hollandiam contra Wilhelmum regem. Sed Rex victoria potitus,
plurimos ex eis occidit, & innumeros captiuauit, & multam inde pecuniam
Dissidium cum Coloniense. conquisiuit. Anno Domini M. CC. LIV. Inter regem Wilhelmum & Colo-
niensem Archiepiscopum in Nussia tanta controuersia surrexit, quòd Colo-
nien. applicato igne valido ad domum, in qua erat legatus cum Rege, vo-
luit ambos incendio suffocare, vix euaserunt. Anno Domini M. CC. LV.
Confœderatio ciuitatum. Quidam validus ciuis in Moguntia cœpit hortari conciues suos, vt pro pa-
ce restauranda juramento se inuicem constringerent. Consenserunt ei &
aliæ ciuitates plurimæ. Vocârunt eum Watbodonem. Non placuit res
Principibus, nec militibus, sed neque prædonibus, & maximè his, qui ha-
bebant assiduè manus pendulas ad rapinam, dicentes esse sordidum, merca-
tores habere super homines honoratos & nobiles dominatum. Castrum
ædificatur Horneborch super fluuium Lu, super fundum Hersenueldensis Ec-
clesiæ. Papa Innocentius obiit, cui Reinardus, Alexander dictus, successit.
Friderici Hasseldorpii Clericatus. Fridericus Dominus de Hasel horp de laicatu ad Clericatum ascendit, & in-
ter cætera virtutum opera, villam Worthen cum omnibus suis attinentiis
contulit Ecclesiæ beatæ Virginis in Stadio, eiusdem loci Theoderico Abba-
Interitus Wilhelmi Regis. te eum exhortante. Anno Domini M. CC. LVI. Wilhelmus, Romanorum
Rex, occiditur à Fresonibus Medemlek, prope Hollandiam, morantibus in
loco incognito ab eisdem sepultus. Papa crucem prædicari præcepit in au-
xilium terræ sanctæ. Milites de Bederekesa pluribus in auxilium euocatis,
Worthsatos Fresones inuaserunt audacter, & quidam prima vice, terram in-
trantes, domos plurimas exusserunt. Secunda autem vice, scilicet IV. Idus
Septembris iterum eis in terram intrantibus, & quasi de victoria securis, oc-
Frisiorum iterata victoria. currerunt Fresones, & ferè nudi in armatos impetum facientes, in fugam
eos verterunt inopinabilem, cæsis ibidem plurimis, inter quos erant nobiles
aliqui, milites multi, prædones famosi.

AD

AD ANNALES ALBERTI, ABBATIS STADENSIS APPENDIX GENEALOGICA.

INter ea ſtemmata, quæ auctor contexuit, deſideratur Carolingorum, ſeu ut ipſe nominauit, Carolum. Id collocandum hoc loco duximus. Ac profectò iſte auctoris labor non caret ſua laude. Etſi quod ad generis Carolingorum ſeriem, ab eo conſutam potius, quàm elaboratam, attinet, omnia in medio relinquimus, aliàs argumentum id enodatius pertractaturi. Venit etiam in mentem, pleraſque alias, quarum ſtemmata auctor præteriiſſet, ſed quæ hiſtoriæ ipſius miram lucem afferrent, ſubiungere, breviter tamen, & quaſi ἐν παρόδῳ, denique vt intra auctoris limites nomenclatio illa, ἡ ῥαψῳδία, ſubſiſtat. Hæ numero & ordine iſtæ ſunt.

I. Regia { CAPEVINGORVM, ſeu Capetiorum.
II. { DANICA.
III. OLDENBVRGICA.
IV. SCHAWENBVRGICA, ſeu HOLSATICA.
V. STADENSIS.
VI. LIPPIENSIS.

De quibus ſingulis paucas quaſdam ſubiectiones noſtras præmittemus, cùm inſtituto noſtro accommodatas, tum, quemadmodum equidem perſuaſum habeo, per ſeſe planè neceſſarias.

De CAPEVINGORVM, ſeu Capetiorum domo, quarum appellationum de HVGONIS regis cognomento illam Franciſcus Hotomanus retinuit in Francogallia, hanc recens Apologia catholica, Lutetiæ Pariſiorum edita, multum omnino antiquitatis Germanicæ, & inprimis rerum Saxonicarum ſtudioſi, auctori noſtro debent. Notum enim, vt Widechindus Monachus variet, notum quod hac in parte figmentum, futile inquam, proteruum, inſolens, Dantes Florentinus infarciat, notum denique, quid Apologia, quam diximus, diſputet. Quibus omnibus Alberti opponimus auctoritatem αὐτόπτου, opponimus ſententiæ eius ſuffragantia Ammonii, Vrſpergenſis & Chronici Colon. teſtimonia. Nam recentiorum ſcriptorum repetitas inde aſſertiones inculcare non libet. Tantùm Pauli Æmilii, Onuphrii Panuinii & Ioannis Bodini, illorum quidem amborum Italorum, huius Galli, præteriri mentio non debebat. Enimuero Onuphrius etiam generis gradus congruè obſeruauit. Ad hæc in medio ſunt Petri Albini, Electoris Saxon. Hiſtorici viri neceſſitudine inueterata, multiſque officiis nobis deuinctiſſimi, tàm accuratæ quàm laborioſæ συγγραφῆς. Nec reticeri hîc debebat de Roberto, Widechindi F. locus Reginonis ad ann. 861. qui cùm in editis exemplis ad hunc modum legatur:

Carolus placitum habuit in Compendio, ibiq; cum optimatum conſilio Rodoberto Comiti ducatum inter Ligerim & Sequanam aduerſum Britones commendauit, quem cum ingenti induſtria per aliquod tempus rexit:

Codex manuſcriptus iſtam habet adiectam appendicem:

& defendit, inde alter Machabæus appellatus.

Nam ea de re humaniſſima ſignificatione me condocefecit Cyriacus Spangebergius, eundem librum à ſe pellectum affirmans, communicatum ſcilicet ſecum ex illuſtriſs. memoriæ Principis, Georgii Anhaldii &c. Præpoſiti Magdeburg. & Merſepurg. bibliotheca. Cæterum in Gallici Francorum regni ſtirpibus Capetingorum numero tertia eſt. De cuius propagatione cùm explicatum à multis ſit, nos auctoris noſtri ductum ſequentes ea tantummodo delibabimus, quæ narrationibus ipſius illuſtrandis ſint. Conſtat enim, eam in diuerſas & complures familias diſceſſiſſe, quibus omnibus extinctis, ſolæ hodie, VALESIA & BVRBONIA, ſuperant.

Ad DANICAM, & nominatim ad WALDEMARI II. Regis imperium, auctor ætatem ſuam reſtringit. Quocirca de ea ipſa, qua Waldemarus editus fuit, in præſenti tantùm agemus, omiſſis tam quæ præceſſere, quàm quæ ſecutæ fuere, nec integram dabimus, ſed eas ſolummodò perſonas, quæ inſtituto noſtro quadrant. Principium autem deſcriptionis illius eſto GORMO, Sigefridi & Godefridi pater. Etenim generis propaginem ita ſe habere, inde coniecturam capimus, quòd Adamus Brem. lib. I. cap. 13. item noſter auctor pag. 86. Hemmingum Regem Godefridi patruelem vocat, cùm fratris extiterit filius, vt annales Francici ad ann. DCCCX. Et Sigefridum, à Saxone Grammatico, à cuius veſtigiis Crancii Dania nec latum vnguem diſcedit, prætermiſſum, ſecundum annales Francicos etiam noſter auctor celebrauit, & ita celebrauit, vt Godefridi deceſſorem faciat. Vnde vtrunque opinione auguramur, & fratres illos fuiſſe, & Sigefridum filium Hemmingum reliquiſſe. Similiter Godefrido itidem de Francicorum annalium fide, item ex Adamo Brem. & noſtro auctore ſurrogamus Hemmingum, non Olaum, vt Saxo. Et ſi de familiæ deductione non refragamur. Sint ergo noſtro auctori, qui Adamum Brem. ſequitur, Sigefrid & Anulo, qui Saxoni Siguardus & Ringo, ambo quidem Godefridi nepotes, ſed ille ex filia, cuius nomen vetuſtas oblitterauit, nuptæ tamen Siguardo Norvegio, hic ex Olao filio. Nam ita è Saxone aſſertionem iſtam tueri poſſe videmur: à qua annales Francici diſcrepantes, Anulonem Heriholti regis nepotem aſtruunt. Ac ſolerter Andreas Seuerinus, Adami Brem. vulgator & commentator, pro Amilone legendum Anulonem ſuſpicatur, vt Germanicæ linguæ nomen Latino commutatum intelligamus. Succedit jam ſcrupulus de Reginfrido, qui Adamo Brem. lib. I. cap. 33. noſtro auctori pag. 94. eſt Lodparchus, & Haraldo, Anuloni ſuffectis. Nam Saxo vt Haraldi natales præterit, ita Reginfridum, quem ipſe Regnerum nuncupat, narum Sigefrido autumat. Verùm cùm ambo regni aſtipulatores Anulonis ſocios habuerint, veriſimile non eſt, id hoſtis filio tributum. Et plani hac in parte annales Francici, qui Haraldum & Reginfridum Anulonis fratres nominant, adeoque fratrem quartum, Hemmingum, vt Adamus Brem. tum quintum Ericum, qui noſtro Auctori Horicus, adiiciunt. In his ergo aſſenſio noſtra acquieſcat, nempe circa tempora illa ſcriptis. Etſi de Godefridi filiis, qui ibidem inculcantur, aqua hæret. Niſi fortè ex Adamo Brem. lib. I. cap. 33. Sigefridum & Haldanem accipere malimus. In quam ſententiam ideo libentius iuerim, quòd Haldan & Sigefridus noſtri quoquè auctoris indicatione referantur, imo & ipſe Godefridi filiorum mentionem iniiciat: vt Horich, Orduig, Godafrid, Rodolf & Inguar, è Saxone credantur in Reginfridi, ſeu Regneri filiis, Ericus, Singuardus, Fridleuus, Regnoldus, Iuarus. Nequè enim alioqui conſiſtet, quod cùm poſt Guthormi & Erici regis bellum ciuile de ſtirpe regia ſolus Ericus, Siardi filius, ſuperfuiſſe tradatur, paulo pòſt, quàm diximus, Regum multitudo exponitur. Omitto, in numero illo Godefridum & Sigefridum irruptionis in Galliam & Germaniam duces videri. Cætera fide dignum Saxonem non negauerim. Quanquam minimè hic excludo

cludo Helligonem, siue de tota illa Adami Brem. narratione, cuius vestigiis & noster auctor insistit, statuendum, quod ab Andrea Seuerino in lib. 1. cap 40. annotatum, seu cùm Dania per ea tempora variis, & penè catenatis motibus obnoxia esset, tumultuarii ἐκ παρεισακτοι Reges illi dicendi. Enimuero posteriori huic coniecturæ non obscurè auctor noster suffragatur pag. 102.b. Neque abhorret à vero, Helligonem vel Haldane vel Sigefrido prognatum. Nam quòd ad Olaum Suecum, eiusque filios & successores vsque ad GORMONEM alterum attinet, cum planè Gordium nodum expediendum modò non putauimus. Quinimo locum hîc habeat ipsius Adami cautio lib. 1. cap. 44. Tanti Reges, inquit, imò Tyranni Danorum, vtrum simul aliqui regnauerint, an alter post alterum breui tempore vixerit, incertum est. Interea de Gormone cum Saxone congruit Adamus Brem. congruit noster auctor, verum vt ille de vxore Haraldi, item de Sorore & vxore CANVTI MAGNI discrepet. Locus est lib. 2. cap. 19. & 37. Et nos quidem earum Adami expositionum fidem potiorem ducimus. Reliqua auctori nostro debentur: cum quibus Saxonis historiam ita copulauimus, vt σφάλισμα nostrum in Alberti annalibus desinere voluerimus. Saltem istud adiicere corollarii loco placuit, cùm Appendice ad Chronicon Hierosolym. SVENONEM, qui cum Florina Burgundica, sponsa, in bello sacro periit, Erico regi, qui in Cypro extinctus est, attribui filium posse scripserimus, id titubantis coniecturæ ἀμάρτημα ita NICOLAVM CASAM, sereniss. Regis Danorum Cancellarium, quem honoris, maximorumque in me meritorum ergo nomino, beneuolentissima subiectione correxisse, vt Suenonem Erici fratrem haberi malit, & tam Saxonem quàm Crancium, qui ambo Ericum in Dania vita defunctum memoriæ prodiderint, turpiter hallucinatos, sentiat. Neque alia de Casa, qui cum generis nobilitate insignem & exquisitam doctrinam, eruditionem, facundiam, rerum vsum coniunxit, & amplissimum dignitatis gradum cùm cæteris veræ virtutis auctoramentis, tum prolixa in litteras litteratosque munificentia, iis jam aliorum celebrata elogiis, in quibus Comici istud recognoscas:

Et habet quod det, & dat nemo largius,

ruetur, mentione nostra opus erat. Sat enim commendatus est, cui non aliunde, sed ex seipso existimationis, auctoritatis, gloriæ decus nascitur, seu, quemadmodum ille loquitur, apta omnia existunt.

OLDENBVRGICÆ origo æquè vetusta ac controuersa reperitur. Inprimis refellendum & explodendum Wolfgangi Lazii commentum lib. 9. de migrationibus gentium, vbi à Joanne, Comite Holsatiæ, Adolfi IV. F. derivatam astruit. Crancius hoc ἐν πλάτει scriptum reliquit, conditam à Widechindo Magno. Legitur id placitum eius Metropol. lib. 2. cap. 30. Et pertinet eodem alter locus lib. seq. cap. 25. Alii tamen maiores intermedios perscrutari annixi, quidam in Reginberno, quidam in Theodorico familiam inchoarunt. Ac posterioris quidem sententiæ auctores dedisse operam cernimus, vt singulos propaginis gradus exprimerent. Nisi quod de Theodorico eam incurrere ἀνισορροπίαν, vt Reginberni non fratrem, sed aui fratrem fecerint. Omitto, eosdem paterni sanguinis stirpe intersecta, ad maternam transire. Pendet autem schola illa tota ab annalium, diplomatum & id genus aliorum monumentorum fide. Atque vtinam nostra tandem ætas Menandros Ephesios nobis resuscitet. Nam Auentini & Sigonii simile fermè institutum tantùm circa res patrias subsistit. Sed & Petri Albini de familiis, Widechindi fatu editis, commentarii summa in expectatione sunt. Interea conatum profiteri nobis liceat: nam egestatem hac in parte nostram quid dissimulem? Esto ergo id commentationis huius caput, nos de Oldeburg. domus primordiis in Crancii senten-

ſententiam pedibus ire, & quod aiunt, ambabus eam manibus amplecti. Quod ad generis gradus, proximiores dico, attinet, de iis res in medio relinquatur, quoad ἀνθένται, ἢ ἀξιόπιστοι ſcriptores producantur. Sanè vt ἐπέχειν jure poſſe videamur, ipſius Crancii facit exemplum, qui cùm in Saxones ſuos, & ſingulariter in Oldeburg. familiam, ita animatus fuerit, vt fuiſſe eum ſcripta eius loquuntur, tum omnis generis annalibus abundârit, credibile non eſt, tanti momenti rem ſuppreſſurum fuiſſe, modò præſtandæ ei fuiſſet, aut idonei quaſi teſtes ſuppetiſſent. Idem de auctore noſtro rectè affirmauerimus. Qui cùm perſonarum ſerie fathiſcentem familiæ Oldeburg. propaginem in Eilmaro fulciat & reficiat, nos eundem ductum ſequemur. Hoc vtique conſtat, de poſteritate Eilmari explicationem eius diſertam & præclaram eſſe. Et excipiunt illam rurſus Crancii, excipiunt Hermanni Hamelmani & aliorum lucubrationes. In quarum veſtigia tantiſper nobis ſuccedere placuit, donec quædam virgula diuina ſi non meliora, at vberiora, & è fontibus euidentiora ſubminiſtrauerit, denique nobis ipſis argumentum hoc plenius atque ex profeſſo pertractandi, καὶ πάντα περὶ πάντων reddendi, commodior occaſio oblata fuerit.

SCHAWENBVRGICAM, ſeu Holſaticam, expoſuit Crancius Saxoniæ lib. 8. cap. 26. Fertur eandem in litteras retuliſſe Hermannus Lerbeke, Dominicanæ familiæ Monachus Mindenſis, quæ hiſtoria nondum, quod ſciam, typis expreſſa. Nos è Crancii expoſitionibus decerptum ſtemma ſuperioribus annis euulgauimus, ſubiectum nimirum de ADOLFI II. vita hiſtoriæ. Vt in præſentia mentionem eius iteraremus, cùm alia pellexere quaſi auctaria, tum illud potiſſimum de nomine filiæ GERHARDI, primi Ducis Schleſuic. quæ Theodorico, Comiti Oldeburg. matrimonio ſociata, peperit CHRISTIANVM, eius regiæ domus conditorem, quæ hodie rerum potitur in Dania. Quippe quod ab illo ipſo profectum ſit, cui annales hoſce debere nos profeſſi ſumus, HENRICO inquam RANZOVIO, de quo plus vel aliud modò verborum fieret, quàm quod de Cerellio ſuo Cenſorinus retulit, ad id virtutum omnium faſtigium aſcendiſſe, vt cuncta iſta, quæ vel ſapienter monentur, vel facundè prædicantur, vita ſuperauerit, neceſſe non eſſe duximus. Nam quæ antè in manus noſtras peruenerant monumenta, eo deficiebantur, imò ne Crancius quidem etſi temporibus illis vicinus, conſignârat. Nuper tamen in συμψήφου Hamelmani ſcriptum quoddam incidimus, ſed vt is modicè cùm à ſeipſo, tum à Ranzouio diſcrepet. Nam quæ adductis ab eo monaſterii Blancoburg. memoriis Heyluuigis dicitur, deſcriptione ſubiecta Heiluuiga eſt. Verùm iſtud forſan parum momenti habeat. Cætera noſtra antiquum obtinentia, ſecundum Comicum, lectoris judicio & accuratiore inueſtigatione ſtare volumus.

STADENSIS tota auctoris noſtri expoſitionibus accepta ferenda ad ann. 1144. Quanquam is ſui quaſi oblitus, in Henrici Boni liberis ea Henrico attribuit, quæ ad ann. 988. de Sigefrido fratre retulit. Et ſanè de hoc ipſo Sigefrido propter Ditmarum, cuius in illa tempora ætas incidit, etiam Adamus Brem. ſuffragatur lib. 2. cap. 22. Præterea idem Ditmarus, cui ab authore omiſſum Henrici nomen debemus, plures Henrici Boni liberos commemorat. In quibus Henrico natus Sigefridus, auctori titubandi occaſionem præbuit. Nam in eum pro patre obſidem datum piratæ ſæuierunt, cùm Sigefridus patruus ſolerter euaſiſſet. Ac malim ad hunc juniorem Sigefridum familiæ propagationem reſtringere. Sic enim ſalua & Ditmari, & auctoris, de mutilato eo aſſertio manſerit: vti perperam de Henrico prodita orbitas rectè è Ditmaro ad Sigefridum maiorem transferetur. Cæterùm Stadium, à Sigefrido ſeu conditum ſeu inſtauratum (nam Crancius rem controuerſam videri vult) Ditmaro crediderim eſſe Stethu. Nec de ipſo DITMARO,

MARO, cuius mater Stadensi familia edita fuit, quique in Episcopis Mersepurgiis ordine quartus numeratur, auctor, vt tempora illa ferebant, historiæ luculentissimus non commonere poteramus, quod à plerisque traditur, nempe Comitum Walbecensium prosapia ortum. Argumenta, quibus sententia ista roboratur, nunc non persequor. Tantùm id teneatur, locum Walbeck, seu vt Ditmarus scripsit, Wallibizi, vt hodierna vulgi habet enunciatio, Walbeke, Helmæstadio, ACADEMIÆ IVLIÆ sedi, planè finitimum esse, vixque quinto lapide inde distare, ditionis tamen Halberstadensis, & vt ciuitas, quemadmodum Ditmarus appellauit, in pagum conuersa sit. Quam equidem mentionem vel ideo attexendam duximus, vt jam priscis temporibus fauentem Musis, quæ bonarum litterarum cultura est, Genium haud defuisse finibus hisce intelligatur, tum Ditmari historia, tam propinquo in loco, & quidem generis satu cum primis illustri, prognati, reddatur nobis commendatior. Nam quod ea operæprecium factum, alterius scilicet & considerationis & commentationis fuerit, neque nos, vbi oportuit, reticuimus.

De LIPPIENSI domo comperi jam ante nonnullos commentando industriæ suæ periculum fecisse. Quas scriptiones nos in medio relinquentes, ea hîc tantum afferemus, quæ ab auctore nostro prodita sunt. Verisimile autem est, BERNARDVM, in quo is expositiones suas exorditur, illum ipsum esse, de quo Helmoldus lib. 2. cap. 30. Nam ὁμώνυμοι multæ concurrunt. Sed nec istud silentio hîc prætermittendum, cùm Crancius Metropol. lib. 7. cap. 40. familiæ Lippiensi Comitum dignitatem deroget, diuersum ex eo, quem citauimus, Helmoldi loco, qui cum alter Alberti nostri congruit ad ann. 1219. apertùm fieri. Quare tam vetustorum scriptorum auctoritas potior ducatur. Quod ad reliquum stemma attinet, de eo summæ accurationis Henrici Meibomii, collegæ, amici, & vt Byzantinorum scriptorum voce vtar, συντέκνου coniunctissimi, commentationem expectamus. Quippe qui Justini cuiusdam Lippiflorium, hoc est de Lippiensi domo poëma & benè vetustum, neque inuenustum, in manibus habeat, cùm castigatius emissurus, tum eo commentario vestiturus, quod eiusdem familiæ historiam vsque ad hæc nostra tempora repræsentet. Sic igitur nos jam manum de tabula, secundum adagium, suo tempore, proque re nata, & ipsi verbosius de ea explicaturi.

STEMMA CAROLINGORVM,
AB AVCTORE CONSARCINATVM.

S. ARNOLFVS, primùm Comes, deinde Episcopus Metensium.

|

Anchises, Maior domus ann. Domini DCLXXXVI. maritus Beggæ, quæ soror erat S. Gertrudis.

|

Pippinus, Princeps & Maior domus.

|

Karolus Fortis, Maior domus.

|

PIPPINVS, Maior domus & Rex Francorum.

|

⁂

KARO-

2L

KAROLVS, Rex Francorum, & Patricius Romanorum, primus Imperator in Francia.

LODEVVICVS, cognomento Pius.

LOTHARIVS, rex Italiæ & Lotharingiæ. — Karolus. α — Lodevvicus. β

Hugo, in monasterium trusus. — Lodevvicus, rex Italiæ, excæcatus à Beringario. — Lotharius, rex Lotharingorum.

Albertus, Marchio. — Bertha. — Lotharius.

VVido. — Lambertus. — Hugo, rex Italiæ.

Frumbertus, ex VVendelmoda. — Lotharius, ex Alda Teutonica.

α Karolus, Ludouici Pii F. rex Galliæ & Hispaniæ,

Carolomannus, excæcatus. — Lothevvicus, rex Franciæ. — Karolus, in venatione occisus.

Irmindrud. — Lothevvicus, rex Franciæ. — Karolus.

Cunigund. — Lotharius, rex Franciæ. — Karolus.

Sigefrid, Comes. — Lotharius, rex Franciæ.

β Lodevvicus, Ludouici Pij F. rex Germaniæ.

Lodevvicus, rex Oſtfranciæ. — Karlomannus, rex Bavvariæ invictiſſimus. — CAROLVS, rex Alemaniæ.

ARNOLFVS, rex Bavvariæ & Franciæ.

Zvventebaldus, Dux Lotharingorum. — LODEVVICVS, rex Oſtfranciæ. — Conradus, quem Albertus interfecit.

CONRADVS, vltimus Carolorum, propterea Imperium transiit ad Germanos.

I. STEM-

I.

STEMMA CAPEVINGORVM.

Widechindus, Widechindi junioris, quæ recepta multorum opinio est, filius, Widechindi Magni N. De huius prosapia auctor pag. 95. & 97.

Robertus, Marchio, vt Regino & Sigebertus.

OTHO, auctori nostro VTO, Abbas S. Germani, vt Annonius lib. 5. cap. 34. & 41. primus ex hac familia Rex Francorum.

Robertus, Dux Celticæ, pro Rege se gerens, in eo conatu opprimitur.

Hugo, cognomento Magnus, Comes Parisiorum.

HVGO, cognomento Capetus, Rex Francorum.

ROBERTVS, cognomento Pius.

HENRICVS. I.

PHILIPPVS. I.

Hugo Magnus, dedit nomen bello sacro.

LVDOVICVS, cognomento Crassus.

PHILIPPVS II.

LVDOVICVS, cognomento Pius.

PHILIPPVS III. cognomento Augustus Adeodatus

ANNA Aug. de qua Nicetas pag. 32. & 40.

LVDOVICVS, cognomento Mitis.

LVDOVICVS, cognomento Sanctus. Bellum eius sacrum dedimus fragmento è speculo historiali Vincentij Beluacensis. Nam id opus Regis huius rogatu & sumtu elaboratum, præter Philippum Bergomatem etiam Trithemius scriptum reliquit.

Robertus.

PHILIPPVS IV.

Robertus, condidit familiam BVRBONIAM, de qua consulenda Apologia Catholica item Chronologia Dauidis Chytræi pag. 56.

PHILIPPVS V. cognomento Pulcher.

Carolus, Comes Valesii, cuius filius PHILIPPVS auctor extitit familiæ VALESIAE.

II.

STEMMA FAMILIÆ REGVM DANIAE.

GORMO, *filius Haraldi.*

SIGEFRIDVS, *hospes* WIDECHINDI *Magni, vt annales Francici ad ann. 777.*

GODEFRIDVS, *Saxoni alio nomine Gotricus, belligerauit cum* CAROLO MAGNO.

HEMMINGVS.

Olaus.

N. filia ἀνώνυμος, *vxor Siguardi Norvegij.*

SIGEFRIDVS.

HALDANVS.

***

HELLIGO.

Sigefridus, æmulus & hostis Anulonis.

ANVLO, *Saxoni Ringo.*

REGINFRIDVS, *cognomento Lodparchus, Saxoni Regnerus, cognomento Lodbrog.*

HARALDVS. *Hemmingus.*

Guthormus, Adamo Brem. lib. 1. cap. 28. Gudurin, Alberto pag. 92. Gudur.

ERICVS, *Alberto pag. 89. & 92. Horicus.*

SIGVARDVS.

Ericus.

Godefridus,

Rodulfus.

Inguarus, à quo ortus ACQVIN, *rex Norvegiæ, vt Albertus pag. 110.*

ERICVS, *Alberto pag. 92. Horicus junior.*

Vxor N. filia Guthormi.

CANVTVS.

FROTHO.

GORMO, *cognomento Anglicus.*

HARALDVS.

GORMO, *Thira.*

Christiani nominis hostis, victus ab HENRICO *Auc. Cæs.*

HARALDVS, *cognomento Magnus, vt Albertus, regnauit ann. 50.*

Gunild, de qua Adamus Brem. lib. 2. cap. 19. Albertus pag. 106.

Canutus, forsan Ditmaro lib. 1. Cnuto, nisi quòd perperam Regem fecit, cùm patris regis legatus esse potuerit.

SVENO, *in baptismo de* OTTONE *Magno Cæs. ἀναδόχῳ dictus Sucnotto.*

Haral-

Haraldus, nominatur à Ditmaro lib. 7. Vbi plura de patre & fratre.

Emma, soror Richardi, Comitis Norman. in Gallijs, vidua Adelradi, regis Angl.

CANVTVS, cognomento Magnus, alio nomine Lambertus, vt Adam. Brem. lib. 2. cap. 36.

Aluina, concubina.

Richardus, Com. Norman.

Margarita.

Robertus.

Vlfo Dux Angl.

CANVTVS, cognomento Durus, rex Daniæ.

Gunild, Vrspergensi Cunigunda, vxor Henrici III. Imp.

HARALDVS, rex Angl.

SVENO, rex Norwegiæ.

WILHELMVS. rex Angl.

Biorn. Esbern. De his Adamus Brem. lib. 2. cap. 37. lib. 3. cap. 14.

Gunild, vel Giuthe, vt Adamus Brem. Gude, vt Albertus, Sueonis vxor.

Thore, concubina.

SVENO junior, cognomento Magnus, rex Daniæ, Angliæ & Norwegiæ. Quàm antiquitatis cognitioni, & in primis historiæ patriæ studuerit, ostendunt Adami Brem. narrationes lib. 1. cap. 40. & 44.

Magnus, in pueritiæ annis Romam missus, eo in itinere moritur.

HARALDVS.

CANVTVS.

OLAVS.

ERICVS, cognomento Bonus, profecturus Hierosolymam, commendat regnum NICOLAO fratri.

Sueno, memoratur cum Florina Burgund. sponsa à Chronico Hierosol.

NICOLAVS, occupat regnum, exclusoCANVTO, pupillo, Erici fr. filio.

Ingerta. Syritha, vxor GODESCALCI, Princ. Sclauorum.

N. filia

CANVTVS, rex Obotritorum. Encomium eius habet Albertus ad ann. 1133.

ERICVS, nothus, cognomento Hasenfuss & Emun. aduersarius & successor NICOLAI.

Tunna, concubina.

Magnus, interfecit matris pellacis inflatu CANVTVM, patruelem.

ERICVS, cognomento Lam, regnauit post ERICVM auunculum. Vxor Ludgardis, de qua Albertus ad ann. 1144.

WALDEMARVS. I. rex Daniæ & Sueciæ.

SVENO, violat sanguinis, fœderum & hospitij jus, regni gratia, oppressus demum Waldemari I. armis.

Canutus, obtruncatur inter scyphos à SVENONE.

Waldemarus, Episcopus Schlesuig.

CANVTVS.

WALDEMARVS II. regnavit ann. 40. Estq; hic Waldemarus, sub quo Albertus noster vixisse se profitetur.

Helena, vxor Wilhelmi, filij HENRICI LEONIS, vt Albertus ad ann. 1202.

ERICVS.

ABEL.

Mechtildis, Adolfi IV. Com. Holsatiæ F.

Waldemarus, refertur mentione Alberti ad ann. 1250.

CHRISTOPHORVS, in quo desinit Albertus.

Canutus

III.

STEMMA FAMILIÆ OLDEBVRGICAE.

WIDECHINDVS, cognomento Magnus, Rex Saxon. Dynasta Angriuariorum, latam sobolem reliquit moriens, ex quibus erant Comites de Ringelheim atq; Oldenburg, vt Crancius.

* * *

Eilmarus, ortus à Widechindo, propagauit Oldeburg. domum hodie superantem. Uxor Rixa, Dedonis, Comitis Ditmarſ. F.

Eilmarus. — *Elica, aliis Lucca, Comitissa Cappenberg.*

Joannes. — *Beatrix.*

Christianus, bellator fortis & industrius. Uxor Cunegunda, aliis Jutta.

Otho, Præpositus Bremensis.

Henricus. Uxor Salome, soror Henrici, Comitis Geldriæ.

Joannes. — *Catharina Obotrita.*

Christianus.

Mauricius. Uxor Comitissa Sualenberg.

Henricus.

Gerhardus.

¶ Inserendus hic Bernardus, de quo Helmoldus lib. 2. cap. 40.

Burchardus, occisus à Stedingis ann. 1233. ut Albertus noster.

Otho, condidit Delmenhorstum ann. 1247.

Christianus. — *Mechtilda, Comitissa de Sladem.*

Mauricius, Canonicus Colon. & Brem.

Henricus cognomento Bogenarius.

Theodorus, equestris ordinis Teutonici Magister.

Joannes. — *Anna, Comitissa Hoiensis.*

Otho.

Margarita, Comitissa Lippiensis. — *Joannes.*

Christianus, perhibetur Lutetiæ Parisiorum litteris operam dedisse, cumq; hoc pacto doctus ipse euasisset, hominum doctorum consuetudine summopere delectatus fuit. Uxor Gertrudis, Comitissa Marcana.

Otho, Canonicus Brem.

Otho. — *Margarita, Comitissa Benthem.*

Christianus. — *Ludgardis, Comitissa Brunchorst.*

Anna, nupsit agnato è posteritate Joannis, fratris Eilmari II. Natiea.

Rixa, Comitissa Teckenburg. — *Otho.*

Joannes. Otho. Christianus. Wilhelmus. Ultimi ex Joannis stirpe.

Nicolaus, Archiepisc. Brem.

Adelheida, uxor Theodorici, agnati ἄπωτ.

N. Comitissa Hoiensis, prima uxor. — *Conradus, tutor Othonis patruelis, filij Christiani. Prædicatur secundum doctrinarum eruditionem eloquentia eius, rerum gerendarum dexteritas, & eximia corporis species.* — *Cunegunda.*

Con-

α

Conradus. — Ingeberga, Comitissa Schavvenburg.

Gerhardus.

β

Christianus — Agnes, Comitissa Honsteinia.

Joannes, moritur adolescens.

Mauricius — Elizabetha, Ducissa Brunouic.

Adelheida, agnata, Othonis F. prima vxor.

Theodoricus.

Hedvvigis, Comitissa Holsat.

Christianus.

Anna, vxor Othonis, Comitis Waldechiani.

Ingeberga.

CHRISTIANVS, rex Daniæ, post Holsatiæ Dux primus à Friderico III. Cæs. creatus. De cuius persona heroica, cæterúm Rege dignis virtutibus, multi multa. — Dorothea, Brandeburg. vidua CHRISTOPHORI regis. — Mauricius, vixit in litteris Erfurdiæ, Rostochij & Lutetiæ, ac tantum profecit, vt Bacularij Jurisprudentiæ nomen promeruerit. Cùm aliquantisper in collegijs Colon. & Brem. Canonicum egisset, tandem ordine eo se abdicat, vxore ducta Catharina, Comitissa Hoiensi: Unde liberi nati. — Gerhardus, cognomento Bellicosus. De huius posteritate infrà ad notam. ✠

Jacobus. Helvviga. Adelheida.

Olaus, moritur primis ætatis annis.

JOANNES, Rex, successor patris.

Christina, Ernesti, Electoris Saxon. F.

FRIDERICVS. I. habuit fortunæ & morum præsagium in nomine πρᾶξις ἡ εἰρηνοποιὸς ὢν.

MARGARITA, regina Scotorum.

Ergo CHRISTIANO. II. surrogatus, placidâ demùm compositus pace quievit. Geniti ei de vxoribus.

CHRISTIANVS II. Danis Christiernus, Rex. — Isabella, Philippi, Archiducis Austriæ F. — Elizabeta, vxor Joachimi I. Electoris Brandeburg. mater & aviâ 70. Principum, vt Michaël Boiemus.

Joannes, vitam egit finiitque in Karoli V. Cæs. aula, conspicuus eruditione in litteris & eloquentia.

Dorothea, vxor Friderici, Palatini El.

Christina, nupsit Francisco Sfortiæ, Duci Mediolan. & eo mortuo, Francisco, Duci Lotharing.

* 1. Anna, Joannis, Electoris Brand. F.

CHRISTIANVS III. ἀμφότερον βασιλεὺς ἀγαθὸς πρᾶκτήρ τε αἰχμητής. Inprimis religiosa in Deum pietate, priscaq; fide, seu purioris doctrinæ professione, studio, protectione inclytus. De quo Herodoti illud jure locum habeat: εἰς ἐμὲ τὶς ὀρέων ἄριστος ἔσο ἐλθών. — Dorothea, Magni Ducis Saxon. Lavvenburg. F. — Dorothea, vxor Alberti, primi Ducis Borussiæ.

FRIDERICVS. II. Rex, avos atavosq; virtute, potentia, fortuna repræsentans, & hac nostra tempestate imperans. — Sophia, Ulrici, D. Megapol. F. — Magnus, Princeps Linon. — Joannes junior. Uxor Elizabetha, Erneſti D. Brùnouic. F. — ANNA, vxor Augusti El. Saxon. — Dorothea, nupsit Wilhelmo, Duci Luneburg.

(†)

γ

CHRISTIANVS, *designatus Rex, cuius vix nouennis eam indolem, eum in litteris profectum accepimus, vt sermone Latino expeditè quiduis & loquatur & scribat.*

Ulricus. Joannes. Anna. Elizabetha. Augusta.

* 2. *Sophia, Boguslai, Ducis Pomeran. F.*

Joannes, Dux Holsatiæ, moritur cœlebs. — *Adolfus, Dux Holsatiæ.* — *Christina, Philippi, Lantgrafii Hassiæ F.* — *Fridericus, Coadiutor Brem. Episcopus Hildesheim. & Schlesuic.* — *Elizabetha, vxor Ulrici, Ducis Megapol.* — *Dorothea, vxor Christophori, Ducis Megapol.*

Fridericus. — *Philippus.* — *Joannes Adolfus, designatur Archiepiscopus Brem. 1585. & seq. ann. Episcopus Lubec.* — *Joannes Fridericus.* — *Christianus moritur puer.*

(†) Joannis junioris liberi.

Christianus. — *Ernestus.* — *Alexander.* — *Augustus.* — *Joannes Adolfus.* — *Fridericus.* — *Philippus.* — *Dorothea.* — *Maria.* — *Anna.* — *Sophia.* — *Elizabetha.*

♃ *Gerhardus, frater* CHRISTIANI. I. *regis Daniæ.* — *Adelheida, Comitissa Teckenburg.*

Gerhardus. — *Adolfus.* — *Dittericus.* — *Ioannes.* — *Anna, Ernesti, Princ. Anhaldij F.* — *Otho, Christianus.* — *Adelheidis.* — *Ermegarda. De utriusq; matrimoniis Continuator Vandal. Cranc. pag. 289.* — *Helvviga.* — *Anna.* — *Elizabetha.*

Joannes. — *Georgius.* — *Christophorus, Canonicus Colon. & Brem.* θεράπων μὲν ἐνυαλίοιο θεοῖο, καὶ μουσῶν ἐρατᾶν δῶρον ἐπιστάμενος. — *Antonius.* — *Sophia, Magni D. Saxon. Lavvenburg. F.* — *Anna, vxor Ennonis, Com. Frisiæ.*

Joannes, successor patris, & hæres designatus à Maria, Domina Jeuerensi. — *Elizabetha, Comitissa Schvvarceburg.* — *Christianus, vita defunctus in aula Augusti El. Saxon.* — *Antonius.* — *Catharina, vxor Alberti, Comitis Hoiens.* — *Anna, Clara. vxor Joannis Guntheri, Comitis Schvvarceburg.*

Joannes Fridericus, moritur infans. — *Anna.* — *Sophia.* — *Maria Elizabetha.*

¶ Subiicio hîc ad me nuper missum ab HENRICO RANZOVIO carmen de mense Octobri, familiæ Danicæ & Holsaticæ, ab Oldeburg. domo oriundæ, quasi fatali: etenim quæ hanc obseruationem confirment, non pauca nostræ tempestatis exempla in medio sunt. Id carmen eiusmodi est.

October mensis calamo signabitur atro:
Sæpius hic etenim tristia fata tulit,

Quæ

Quæ quia disparibus numeris comprendere conor,
His clemens cœptis annue Christe meis.
Omne licet tempus mortales eximat orbe,
Ac nulli mortis nota sit hora viro:
Ni DEUS omnipotens motus bonitate paterna,
Hanc monstret famulis cœlitus ipse suis.
Testatur liquido tamen experientia rerum,
Non vnum cunctis mensibus esse statum.
Regibus hic nec non ducibus fatalior illo est.
Existens luctus fons & origo grauis.
Quis negat, Octobrem fatalem regibus esse,
Frugiferæ Daniæ qui pia sceptra tenent?
Namq; dies secum, quos dixeris esse nociuos
Magnatum propter funera mœsta, trahit.
Primus in hoc quam sit tristis, fatalis, acerbus,
Quàm secum casus traxerit ipse graves,
Novit Saxoniæ Electoris masculus hæres,
Ob matris mortem passus acerba suæ.
Regis erat Daniæ soror hæc, cui secula nostra
Non similem studio relligionis habent.
Holsatiæ testatur idem nunc vndiq; luctus,
Quem patitur propter fata inopinata Ducis.
In quo certârunt pietas, clementia, candor,
Justiciæ studium nobile, pacis amor.
Quod talis fuerit, quem nunc lugemus, Adolphus,
Sana cui mens est, nemo negare potest.
Proximus hoc in mense dies memorabilis æquè
Est obitu factus fratris, Adolphe, tui.
Quem non dissimili, quo nunc se conficit orba
Holsatiæ, luctu, terra secuta fuit.
Nam quoq; dignus erat, quem sic lugeret ademptum,
Luctus nil quamuis vtilitatis habet.
Septimus hoc in mense dies signetur eadem
Luctibus & lachrymis conueniente nota.
Est quia fatalis, Daniæ ceu regia nouit,
Ex obitu Dominæ reddita mœsta suæ.
Reginæ puto, quæ propter pietatis amorem,
Dorotheæ à summi munere dicta DEI est.
Infelix etiam, dum tristia fata reuoluo,
A decimo quartus noscitur esse dies.
Hoc etenim regis Friderici filia primi
Causa noui luctus, Elisabetha, fuit.
Dum sua mortali naturæ debita solvit,
Occubuitq; velut falce resecta seges.
Insuper Octobri plures ac mense Nouembri
In Dania Reges occubuisse, liquet.
Sic & Reginas: quibus annumeranda videtur
Dorothea, hoc Regum sanguine creta pio:
Quæ fuit vndecima sublata hinc luce Nouembris.
Christophorique Ducis nupta pudica fuit.
Quem Dominum agnoscit præclara Megapolis ora,
Officioque sibi conueniente colit.
Sed reliquas omnes nimis & pertexere longum.
Ponenda est elegis certaque meta meis.

Anna, conjunx Augusti, Electoris Saxoniæ, Friderici II. Regis Daniæ, soror, mortua est primo Octobris.

Adolphus, Dux Holsatiæ, Friderici I. filius mortuus primo Octobris.

Ioannes, Dux Holsatiæ, Friderici I. filius, obiit secundo Octobris.

Dorothea, Christiani tertij vxor, mortua 7. Octobris.

Elizabetha, filia Friderici I. vxor Vdalrici, Principis Megapolensis, periit 14. Oct. die & hora, quibus nata fuerat.

Dorothea filia Friderici I. conjunx Christophori, Ducis Megapolensis, periit vndecimo Nouembris.

Tu

Tu pie Chriſte pium Daniæ defendito regem.
Ac omnes magna pro pietate ſuos.

IV.
STEMMA FAMILIÆ SCHAWENBVRGICAE.

Adolfus, primus Holſatiæ & Stormariæ Comes.

Hartungus. — *Mathildis, Comitiſſa Daſſel. ut Helmoldus cap. 1. lib. 3. & 4.* — *ADOLFVS. II.*

Adolfus III. — *Adelheidis, Burcardi, Comitis Querfurt. F.*

Bruno, Antiſtes Olemuc. — *Conradus, Comes Schawvenburg.* — *Helvvvga Hermanni, Comitis Lippienſis F.* — *Adolfus IV.*

Elizabetha, Alberti D. Saxon. F. — *Ioannes, tenuit Wagriam, Aldeburg. & Lubecam.* — *Gerhardus, poſſedit Holſatiam & Stormariam.* — *Luderus.* — *Mechtildis, vxor ABELIS, regis Daniæ.*

Adolfus V. — *Ioannes.* — *Albertus, Præpoſitus Hamburg.* — *Henricus.* — *Gerhardus, cognomento Cæcus.*

Ioannes, cognomento Liberalis. — *Gerhardus.* — *Adolfus VI.* — *Otho.* — *Henricus.*

Adolfus. — *Ioannes.* — *Adolfus VII. propaganit familiam Schawvenburg. Hnic infrà appoſuimus notam.* — *Ericus, Antiſtes Hildesheim.* — *Gerhardus.* — *Henricus.*

¶ — *Ioannes.*

Gerhardus, cognomento Magnus.

Nicolaus. — *Henricus, cognomento Ferreus.*

Albertus. — *Henricus, Antiſtes Oſnabrug.* — *GERHARDVS, primus DVX Schleſuic.*

Henricus. — *Adolfus.* — *Gerhardus.* — *Hedvvigis, nupſit Theodorico, Comiti Oldeburg. conditori familiæ Regum Daniæ, Ducum Holſatiæ & Comitum Oldeburg.*

¶ *Adolfo VII. procreantur liberi.*

Adolfus IIX. — *Otho, cognomento junior.* — *Gerhardus, Antiſtes Mindenſis.* — *Simon.* — *Bernhardus, Præpoſitus Hamburg.*

℔

Adolfus

¶

Adolfus IX. Wilhemus.

Otho.

Adolfus X. Ericus. Ernestus, Antistes Hildesheim. Otho, Henricus, Antistes Mindensis, cujus epitaphium legitur Mindæ in templo cathedrali, scriptum à Bartholomæo Colon. Meruit & Crancij præconium Metropol. lib. 12. cap. 19 Bernhardus. Antonius. Joannes, Vxor Corda Gemensis: è qua jam quinquagenaria natus. Mechtildis, nupsit Bernhardo, Duci Lunæburg. eoq; mortuo, Wilhelmo Seniori Duci Brunouic. Anna, vxor Bernhardi, Comitis Lippiens. sepulta Blombergæ.

Maria, Comitissa Nassoviensis. — Jodocus.

Otho. Henricus. Adolfus, Archiepiscopus & Elector Colon. Encomium ejus habet Joannis Sturmij præfatio in volumen 2. Orationum Ciceronis. Joannes. Maria, Duc. Pomeran. — Otho. — Elizabetha Vrsula, Duc. Lunæburg. Antonius, Archiepisc. & El. Col. Wilhelmus, Præpositus Hildesheim. Jodocus. Ericus. Ernestus, Præfectus superior Hornberg. in Suevia, ut meminit Nicodemus Frischlinus.

Maria. Elizabetha, vxor SIMONIS, Comitis Lippiensis. Ernestus, illustri virtutis indole adolescens, nec Jurisprudentiæ solùm, atq; historiarum literatè peritus, verùm etiam in carmine pangendo cum primis felix & elegans. Vixit in acad. Julia biennium, & posito tirocinio, ingenij & profectus specimina diversa, nec vulgaria edidit.

Hermannus, Episcopus Mindensis, qua dignitate se abdicauit. Otho. Adolfus. — Elizabetha, JULII, Ducis Brunovic. F. Antonius, Decanus Colon.

Julius.



V.

STEMMA FAMILIÆ STADENSIS.

Henricus, cognomento Caluus, floruit temporibus HENRICI. II. Cæs. Vxor Hildegarda: vnde natus

Henricus, cognomento Bonus. — Juditha.

Henricus. — Ethela. Vdo. Sigefridus, condidit, seu instaurauit Stadium, inde Comes Stadensis dictus. Heduigis, Abbatissa Heslingensis. CVNEGVNDA, vxor Sigefridi, Comitis Walbecensis, mater DITMARI. Episcopi & Historici.





VI.

STEMMA FAMILIÆ LIPPIENSIS.

Bernhardus, Comes Lippiensis, propugnauit summa fide pro HENRICI LEONIS partibus. Pòst monasticum vitæ genus amplexus, ex Abbate tandem fit Episcopus Lealensis in Liuonia. Encomium eius legetur in Alberti annalibus ad ann. 1228.



FINIS.

MARTI-

MARTINI
POLONI
CHRONICON.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CHRONOLOGIA F. MARTINI Poloni Romanorum Pontificum.

Anno Domini.

1. ANNO XLII. Octaviani Augusti natus est Jesus Christus, Filius DEI, in Bethlehem Judæ, ex Virgine Maria, nocte diei dominicæ: Qui Salvator noster Dominus noster Jesus Christus, primus & summus Pontifex, sedit in hoc mundo annis triginta duobus, mensibus tribus, juxta illud Euangelij, *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*, hoc est, inceperat tricesimum annum, XIII. diebus eiusdem anni peractis. Quia eodem anno reuoluto convertit aquam in vinum: & in sequenti Pascha incarceratus est Beatus Joannes Baptista: & in sequenti alio decollatus est. Chrysostomus tamen dicit super Matthæum, quòd Christus vixit plenariè triginta tribus annis, & tantum supra, quantum est à Nativitate usque ad Pascha; & dicit ipsum plenè compleuisse triginta annos, quando venit ad Baptismum, sic dicens: *Post triginta annos venit Jesus ad Baptismum legem veterem soluturus, & post vixit tribus annis integris.* Et quantum fluxit à Natali vsque ad Pascha, quod pro dimidio Anno computatur; & ita secundum ipsum, Christus vixit triginta tribus annis, & dimidio. Fuerunt igitur vsque ad Natalem Christi anni compleri ab Adam quinque millia, centum nonaginta nouem. Et à conditione Romanæ vrbis, Anni DCC LII. ut ait Paulus Diaconus in Historiis Romanorum. Hoc ipso die quo natus fuit, trans Tiberim de Taberna emeritoria fons olei de terra emanauit, ac per totum diem largissimo riuo fluxit. Tunc etiam circulus ad speciem cœlestis arcus circa Solem apparuit; tunc etiam statim, vt virgo peperit, illa statua aurea corruit, quam in Romuliano Palatio Romulus posuerat, dicens: *Non cadet donec virgo pariat.* Anno etiam Domini XVII. Pilatus factus est Præses in Judæa. Et anno XIX. Joannes cœpit prædicare Baptismum pœnitentiæ. Anno autem XXXII. idem Joannes decollatus est. XIII. die à Nativitate Domini venerunt Magi Hierosolymam. Eodem anno quo natus est, tulit eum Joseph in Ægyptum: quo ingrediente corruerunt Idola Ægypti, juxta vaticinium Isaiæ & sicut traditur, non fuit in Ægypto templum in quo non corruisset Idolum. Et in septimo anno à Natiuitate sua de Ægypto reuertitur in Judæam. Porrò de infantia Saluatoris, & de operibus eius, vsque ad Baptismum non legitur in Euangelio, nisi quod Lucas dicit, quod duodenis remansit in Hierusalem, & post triduum à Parentibus inuentus est in medio Doctorum in templo. Legitur tamen in libro de Infantia Saluatoris, quod Jesu fugiente in Ægyptum, cùm sub vna palma recubuisset, Beata Virgine Matre ipsius pueri fame laborante ad præceptum eius palma vsque circa terram se inclinauit, & post collectionem fructus ipsius, ad pristinum statum palma se erexit, & etiam sitiente Joseph ibidem ex præcepto pueri Jesu, arida terrá fontem produxit. Legitur etiam ibidem quod cum in eodem itinere in ore cuiusdam speluncæ hospitati fuissent, de eadem spelunca duo immanissimi Dracones sunt egressi, ad quorum contuitum dum B. Virgo & Joseph nimio terrore concuterentur, ad præceptum pueri Jesu Dracones cum omni mansuetudine inclinatis capitibus diserta petierunt. Et quod etiam vnus Leo veniens in ipso itinere vsque in Ægyptum ipsis obsequio fuit.

Iste liber prohibitus est à Papa Gelasio capite sancta Romana 15. dist.

30. Christus baptisatur. Hac eadem die, vt dicitur: Magi adorauerunt, reuolutis annis quasi triginta. Et hac eadem die, reuoluto anno, vt fertur, conuertit aquam in vinum.

33. Christus crucifigitur. Et de Saulo Paulus efficitur. Post Passionem Domini anno sequente B. Petrus Apostolus filius Joannis Prouinciæ Galilææ, de vico

CHRONOLOGIA F. MARTINI

Anno Domini.

Poloni Romanorum Imperatorum.

AUGUSTUS II.

POST Natiuitatem Domini nostri Jesu Christi, Octauianus Augustus imperauit annis quatuordecim, Romanus genere, Patre Octauiano Senatore, maternum genus ab Ænea ducens, Julij Cæsaris Nepos, adoptione filius, totum mundum in vnam redigens Monarchiam, neq; vir tantus vitijs caruit: Seruiebat enim libidini, nam inter duodecim catamites, totidemq; puellas accubare solitus erat. Hunc populi Romani videntes esse tantæ pulchritudinis quia nemo in oculis eius intueri poterat, & tantæ prosperitatis & pacis, quod totum Mundum sibi tributarium fecerat, dicunt ei: Te volumus adorare, quia Deitas est in te, Si hoc non esset, non tibi succederent omnia tam prosperè. Qui renuens inducias postulauit, & ad se Sybillam Tiburtinam sapientem vocauit. Cui, quod Senatores dixerant, recitauit. Quæ spatium trium dierum petijt, in quibus arctum ieiunium operata est. Post tertium diem respondit Imperatori, hoc modo: 1.

Judicij signum, tellus sudore madescet.
E Cœlo Rex aduenier per sæcla futurus. & quæ sequuntur.

Ilicò apertum est cœlum, & nimius splendor irruit super eum, & vidit in Cœlo quandam pulcherrimam Virginem, stantem super altare, puerum tenentem in brachijs, & miratus est nimis, & vocem dicentem audiuit: Hæc ara Filij DEI est. Qui statim proiiciens se in terram adorauit. Quam visionem Senatoribus retulit, & ipsi mirati sunt nimis. Hæc visio fuit in Camera Octauiani Imperatoris, vbi nunc est Ecclesia B. Mariæ in Capitolio, vbi nunc Fratres Minores sunt. Ideo dicta est Ecclesia sanctæ Mariæ, Ara Cœli. Cum autem Octauianus de Oriente Victor reuersus, vrbem triplici triumpho ingressus esset, tunc primum Augustus, eò quod Remp. auxerit, à Romanis est salutatus, Hic vicit prælio Dacos, Germanorum ingentes copias prostrauit. Quo bello captiuorum quatraginta millia hominum ex Germania transtulit, & supra Rheni Ripam in Gallia collocauit. Nullus eo in bellis fortior. Quadraginta quatuor annis, quibus solus rexit imperium, ciuilissimè vixit. Duodecim alios annos cum Antonio regnauit. Hic est gloriatus vrbem lateritiam se inuenisse, & marmoream reliquisse, & quamplurimo decore ornatam. Anno ipsius vigesimo quinto Virgilius Brundusii moritur, & ossa Neapolim transferuntur. Anno eiusdem trigesimo quinto Horatius Poëta Romæ moritur. Tempore Octauiani erat Taberna famosa trans Tiberim, quæ ideo dicebatur emeritoria, quia emeriti, eaque suis stipendijs meruerant in solatiando expendebant. De qua, quia in die Natiuitatis Domini fons olei erupit, ad honorem B. Mariæ Virginis constructa fuit Ecclesia ibidem à B. Calixto Papa primo. Mortuus est Octauianus Augustus anno vitæ suæ LXXVII. apud Attelam ciuitatem Campaniæ: & sepultus est in campo Martio.

TIBERIUS. III.

Tiberius imperauit annis octodecim, vsq; ad annum, quo passus est Dominus noster Jesus Christus. Hic fuit Octauiani Priuignus, & Gener, necnon & adoptione filius, satis prudens in armis, satisq; fortunatus; cui scientia litterarum multa inerat, eloquio clarior, sed ingenio pessimo, & insidioso, simulans ea se velle, quæ nollet. Hic cum imperij sui vicesimo tertio Anno, ætatis octogesimo octauo cum immani furore insontes & innoxios, suos pariter ac extraneos puniret, cum ingenti gaudio omnium est mortuus in Campania. Hic, vt refert Josephus, in omnibus suis negotiis morosus erat: vnde cum statueret Procuratores in Prouinciis, vix vnquam mutabat eos. Huius tempore Ouidius Poëta in exilio moritur. Pontius Pilatus à Tiberio Procurator Judeæ destina- 15.

vico Bethsaida, Frater Andreæ tenuit Sacerdotalem Cathedram in partibus orientis, annis quatuor, vbi primam Missam celebrauit, dicendo solummodò *Pater noster*. Deinde venit Antiochiam, Anno XXXVIII. post Natiuitatem Christi, vbi Cathedram adeptus sedit annis septem. Inde venit Romam, vbi viginti quinque annis, mensibus septem, diebus octo Pontificatum tenuit. Hic scripsit duas epistolas quæ Canonicæ nominantur, & Euangelium Marci, qui eius auditor fuit, & Filius de Baptisterio. Hic etiam fecit ordinationes mense Se-
40. ptembri; Episcopos sex, Presbyteros decem, & Diaconos septem. Anno etiam Domini Quadragesimo Matthæus Euangelium scripsit, & Anno Quadragesimo quarto Marcus Euangelium edidit, & fames valida fuit. Nec multò post Apostolus Petrus Apollinarem mittit Rauennam quæ tunc in Italia & magnitudine & populi frequentia post Romam famosior erat, Syrum Papiam, Marcum verò Interpretem suum, postquam in Italia Aquileiæ scripserat Euangelium, ad Ægyptum destinauit, qui Alexandrinam primus fundauit Ecclesiam. Misit etiam in Gallias ad plures ciuitates plures discipulos, sicut sanctum Sauianum, Potentianum, Altimum, & Martialem, qui dicuntur fuisse de septuaginta duobus discipulis, & alios plures, per diuersa loca Galliæ, & ciuitates. Paulus verò, sicut continetur in Actibus Apostolorum, propter appellationem à Judæa Romam veniens, extra vrbem horreum publicum conduxit. vbi cum Fratribus de verbo vitæ tractauit, & satis innotuit vrbi de signis & prodigiis & sanctitate ipsius. Concursus quoque magnus fiebat de domo Cæsaris. Nam & Neronis instructor Seneca sibi valde familiaris extitit, ita vt cum ore ad os sibi loqui non possent, se epistolis visitarent. Sed quia Paulus dixerat coram Nerone, figuram mundi per ignem soluendam, jussit omnes qui ipsi crediderant igne cremari. Paulum verò tanquam Maiestatis reum, secundùm humanas leges capite truncari. Petrum verò fecit crucifigi. Fueruntque discipuli B. Pauli viri egregii, & Illustres, sicut Timotheus; Titus, Onesimus, & multi alii, quos ad diuersas mundi partes prædicationis causa direxit.

B. APOSTOLUS PETRUS.

51. BEatus Petrus Apostolus primus instituit ante Pascha Domini quadragesimale ieiunium: & ante Natalem tres Hebdomadas & quartam imperfectam, ab omni Christiano instituit populo venerari, in commemorationem primi & secundi Aduentus Domini nostri Jesu Christi; De quorum Apostolorum Pontificatu & morte scribit Gelasius Papa dicens: *Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cui data est societas Beatissimi Apostoli Pauli, qui non diuerso, vt Hæretici garriunt, sed vno tempore, eodemque die, in vrbe Roma cum Petro sub Cæsare Nerone, agonizans coronatus est; & pariter Romanam Ecclesiam prædictam Christo Domino consecrauerunt: ac cæteris vrbibus in vniuerso mundo sua corporali præsentia, ac venerando triumpho prætulerunt. Pro tanto & Romanus Pontifex, Summus Pontifex dicitur.

Petrus & Paulus passi sunt. Petrus quidem sepultus est in viâ aureâ in
70. templo Apollinis, juxta locum, vbi crucifixus est, juxta Palatium Neronianum, in Vaticano, juxta territorium triumphale tertio Kalendarum Julij.

tur, quem magister in Historijs natum fuisse asserit de Lugduno. In hoc loco ponit Josephus Judæorum Historiographus de Christo laudabile testimonium, dicens: Fuit eis temporibus sapiens vir, si virum ipsum nominare fas est, erat enim mirabilium operum effector, & Doctor, & multos sibi adiunxit. Christus hic erat, & plura alia de eius Passione, & Resurrectione dicit.

Post Passionem Domini, dictus Tiberius Imperator imperauit annis quinque. Pontius Pilatus propter multas accusationes contra ipsum factas, à Tiberio in exilium Viennam, vnde oriundus fuit mittitur, & propter multas calamitates, quas ibidem sustinuit, se propria manu interfecit. Herodes qui Joannem Baptistam occiderat, & sub quo passus est Christus, cum Herodiade vxore sua apud Viennam in exilium mittitur, ibique ambo miserabiliter moriuntur.

CAIUS IV.

CAIUS, qui & Caligula, imperauit annis tribus, mensibus decem, diebusque octo. 40.
Hic sceleratissimus fuit, duabus sororibus suis stupra intulit; Ex vna etiam natam filiam cognouit. Fuit Nepos Tiberit Cæsaris. A primo Julio Cæsare omnes Romani Reges Cæsares dicuntur.

CLAUDIUS V.

CLAUDIUS imperauit annis quatuordecim, mensibus septem, diebus viginti & octo. 43.
Hic fuit patruus Caligulæ, Britannis intulit bella. Quasdam etiam Insulas vltra Britanniam positas in Oceano Imperio Romano addidit, quæ appellantur Archades. * Hic quamplurimùm civilis erat. Vixit annis sexaginta quatuor, * Orcades.
Post mortem consecratus est, Diuusque appellatus. Hic memoriæ nullius fuit; nam occisa vxore sua, paulò post in Triclinio decumbens, cur domina non veniret, requisiuit. Cibo, vinoque omni tempore intemperantissimus fuit. Meditatus est edictum statuere, quo veniam daret flatum strepitumque ventris in conuiuio emittendi, cum ex incontinentia præpudore quendam periclitatum inuenisset. Hic cum deficeret, Britannicum Filium suum vxoris persuasionibus exortem Romani Imperij faciens, Neronem Maritum Filiæ suæ designauit Imperatorem. Sicque prælatus est gener filio ordine præposterо. Huius Claudy tempore Petrus Apostolus venit Romam, & ibi viginti quinque annis rexit Ecclesiam, & salutarem fidem prædicans, potentissimis virtutibus ipsam comprobauit.

NERO VI.

NERO imperauit annis tredecim, mensibus septem, diebus nouendecim. Hic
Romanum imperium deformauit, & minuit. Piscabatur retibus aureis, qui se- 57.
ricis funibus extrahebantur. Infinitam Senatus partem interfecit. Bonis hominibus hostis fuit. Citharædico & tragico habitu parricidia multa commisit. Fratre, Vxore, & Magistro interfectis, vrbem Romam incendit. Christianis primam persequutionem intulit. Propter hæc à Romanis hominibus * destitutus, simul & à Sena- * omnibus.
tu hostis judicatur inter viam Salariam & Numentanam interfectus est. Huius anno sexto Jacobus Frater Domini, qui ab omnibus Justus appellabatur, lapidatus est, postea pertica fullonis excerebratus occubuit. Seneca Cordubensis, Patruus Lucani Poëtæ, Præceptor Neronis, vita & scientia clarus, incisione venæ & hausto veneni jussu Neronis periit. Nero etiam omnibus flagitijs hoc addidit, vt Sanctos DEI Petrum & Paulum trucidaret. Hoc tempore Romanis rebellis efficitur Judæa, & à Nerone contra ipsam Vespasianus mittitur. Hic cum propter vrbis incensionem, & alia maleficia quæreretur ad pœnam, à Palatio fugit, & in suburbano, quod fuit inter Salariam & Numentanam, ad quartum vrbis miliarium se ipsum interfecit, & à Lupis dicitur comestus. De ipso refert Suetonius, quod cum esset sceleratissimus, nullum hominem ex aliqua parte corporis pudicum vel purum judicabat. Ideoque obscœnitatem suis, cæteraque delicta liberè

concede-

LINUS II.

71. LInus Italicus de Regione Tuſciæ Patre Herculano ſedit annis vndecim, menſibus tribus, diebus tredecim. Hic ex Præcepto B. Petri Apoſtoli conſtituit, vt mulier in Eccleſiam velato capite intret. Hic Martyrio coronatus, eſt ſepultus in Vaticano, iuxta corpus B. Petri, Nono Kalendarum Octobris. Dicunt qui de Cathedra Romanæ Eccleſiæ diligentius perſcrutati ſunt, quod Linus & Cletus non ſederunt vt Pontifices, ſed vt ſummi Pontificis Coadiutores, quibus in vita ſua B. Petrus vnam credidit Eccleſiaſticarum rerum diſpenſationem. Ipſe verò tantum orationi & prædicationi vacabat, propter quod tanta auctoritate dotati, meruerunt in Catalogo Pontificum poni. Clementem verò ipſe B. Petrus ſibi Succeſſorem conſtituit. Hic B. Pontifex Linus, cum Dæmones effugaret, mortuos ſuſcitaret, & innumerabilia alia miracula faceret, & multos baptiſaret, & cum etiam Saturninus Conſul, qui ipſum captaverat, filiam à dæmone liberaſſet, Saturninus Conſul credens hæc magicis artibus fieri, ipſum diuerſis pœnis afflictum decollauit. Et licet corpus eius primò fuerit in Vaticano ſepultum, poſt tamen à Gregorio Hoſtienſi Epiſcopo, cum multa ſollennitate Cleri in Hoſtiam eſt deportatum, & in Eccleſia maiori, ſcilicet ſancti Laurentij reconditum.

CLETUS III

82. CLETUS Natione Romanus, de Regione Vico patricio, Patre Æmiliano, ſedit annis XI. menſe vno, & diebus vndecim. Hic ex præcepto Beati Petri, XXV. Presbyteros ordinauit in vrbe Roma, menſe Decembri. Sepultus eſt juxta corpus B. Petri, in Vaticano, ſexto Kalend. Maii, & ceſſauit Epiſcopatus diebus triginta quinque.

CLEMENS IV.

93. CLEMENS Romanus Natione, de Regione Cœliomonte, ex patre Fauſtino, ſedit annis nouem, menſibus duobus, diebus decem. Hic dum libros multos ſcriberet Chriſtianæ religionis, Martyrio coronatus eſt. Hic fecit ſeptem Regiones diuidi Notariis, qui geſta Martyrum, vnusquiſque per Regionem ſuam diligenter perquirerent. Hic quamuis à B. Petro eſſet electus, tamen coëgit ante ſe Linum & Cletum Pontificari: & ita ipſe eſt primus poſt Petrum per electionem, tertius verò per gradum; Vnde ipſe ſcribit in epiſtola ad Jacobum Jeroſolimitanum dicens: *Simon Petrum tempore quo vitæ finem ſibi imminere perſenſit, in conuentu fratrum poſitus, apprehenſa manu mea ſic dixit: fratres, hunc Clementem Epiſcopum vrbis ordino, qui mihi ab initio vſque ad finem comes in omnibus fuit. Cumque ego ad pedes procidens declinarem Cathedræ honorem, reſpondit: Tu peccati periculum timens fugis Cathedram, certus eſto, quod amplius peccas, qui populum DEI velut in fluctibus poſitum, cum poſſis adiuuare ſubterfugis; tui tantummodo cogitationi inhærens, & non quod in commune expedit prouidens.* Huius corpus circa Cherſonam, vbi exilio relegatus fuerat, in mare Ponticum proiectum diu iacuit, ſed poſt multorum annorum curricula, mari ab illo loco recedente, à B. Cyrillo Morauorum Epiſcopo & Pene ſolanorum diuinitus repertum, delatum eſt tempore primi Nicolai Papæ Romam, & in Eccleſia ſancti Clementis, per Papam & populum Romanum honorificè reconditum, in qua Eccleſia & Beatus Cyrillus poſt paucos dies claudens extremum diem, tumulatur, miraculis coruſcando.

ANA-

Anno Domini.

concedebat. Nullam veſtem bis induit. Soleas argenteas mulis fecit. In nulla re tamen damnoſior fuit, quàm in ædificando. Nam Palatij ipſius largitas, ſtructura, ornatus ex auro, argento, gemmis & ebore breui ſermone non poteſt comprehendi. Huius temporibus Coloſeus, ſeu Coloſſus Romæ erigitur, habens altitudinis pedes centum & ſeptem.

GALBA VII.

GALBA menſibus ſeptem in Hibernia, Vitellius in Germania octo, Romanum regentes Imperium, per annum ſeſe interfecerunt. 71.

VESPASIANUS VIII.

VESPASIANUS imperauit annis nouem, menſibus vndecim, & diebus viginti duobus. Hic factus eſt Imperator in Paleſtina. Obſcurè quidem natus eſt, ſed optimis comparandus. Sub hoc Judæa Romano ceſſit Imperio. Hic cum Filio Tito de Hieroſolymis triumphauit: propter hoc Senatui & Populo Romano extitit amabilis ac iucundus. Profluxu ventris periit. Et cùm morte vrgeretur, erexit ſe, & ſtantem, inquit, decet Imperatorem excedere terris. Hic à Claudio in Germaniam & Britanniam miſſus triceſies & bis cum hoſte conflixit, & validiſſimas gentes Romano imperio adiecit. 72.

TITUS IX.

TITUS annis tribus. Hic Hieruſalem cum Patre Veſpaſiano ſubuertit, Mirabilis omnium virtutum, adeò vt Deliciæ humani generis diceretur. 81.

Hic conuictos aduerſum ſe de coniuratione, dimiſit in eadem familiaritate, quam ante habuerant, permanendo. Liberalitatis tantæ fuit, vt nulli quidquam negaret, dicens: Nullum triſtem ab Imperatore diſcedere debere: Aſſerens ſe illum diem perdidiſſe, quo nihil dederat. In eâ qua Pater Villâ apud Sabinos ſepultus eſt. Tantus luctus eo mortuo in Vrbe fuit, vt omnes quaſi ſuam mortem deflerent.

A Ieroſolymis omnia ornamenta templi delata ſunt Romam, et juxta quod Hieronymus in expoſitione Johelis Prophetæ refert quod in templo Pacis repoſita fuerunt, & Judæos de Jeroſolyma cæpit, & Mortem Chriſti vindicauit poſt quadraginta annos poſt paſſionem Chriſti. Vt dicit Magiſter Bruno de Florentia, in fin. c.

DOMITIANUS X.

DOmitianus imperauit annis XIII. menſibus quinq;. Hic Frater Titi fuit, primis annis moderatus in Imperio, mox ad ingentia vitia progreſſus, tantùm in ſe excitauit * vt merita Patris & Fratris aboleret. Interfecit nobiliſſimos de Senatu, Dominum & Deum primum ſe appellari iuſſit: Nullam ſibi niſi argenteam, vel auream ſtatuam in Capitolio paſſus eſt poni. Conſobrinos interfecit, Secundam poſt Neronem Chriſtianis intulit perſequutionem. Joannes Euangeliſta in Pathmum relegatur. Hic licet Filius Veſpaſiani & Titi frater fuerit, in nullo tamen ipſis, ſed potius Neroni & Caligulæ ſimilis fuit. Verùm cùm ob ſcelera vniuerſis exoſus fuiſſet, interfectus eſt à ſuis in Palatio, anno ætatis ſuæ XXXVI. & cum dedecore ſepultus eſt. Huius tempore paſſus eſt Dionyſius Areopagita, cum ſocijs ſuis, & Sanctus Lucianus, B. Petri Diſcipulus, quos S. Clemens coniunxerat in Gallias mittendo. Iſtius tempore ædificatum eſt Pantheon, quod nunc Maria rotunda dicitur. Factum eſt autem hoc modo: Senatores percipientes Perſam rebellaſſe, cùm Marcum Agrippam, Vrbis Præfectum illuc mittere voluiſſent, & ille renueret, petens trium dierum deliberationem, & cùm quadam nocte ſuper hoc cogitando obdormiuiſſet, apparuit ei quædam femina dicens: quod ſi promitteret, ſe facturum vnum templum ad honorem ipſius, ſicut ipſa doceret, vinceret ipſius auxilio, Aſſerens ſe vocari Cybelem Matrem omnium Deorum. Agrippa 85.

* effecit.

ANACLETUS V.

102. ANACLETUS, Natione Græcus, de Regione Athenis ex Patre Antiocho, ſedit annis nouem, menſibus duobus, diebus decem, & ceſſauit Epiſcopatus diebus tredecim. Hic memoriam B. Petri conſtruxit & compoſuit, ſeu alia loca, vbi Epiſcopi traderentur ſepulturæ. Sepultus eſt iuxta corpus B. Petri tertio Idus Julii. Hic conſtituit, vt Clericus nec comam nutriat, neque barbam. De iſto tacet Euſebius in Chronicis, & dicit quod Anacletus ipſe eſt, qui & Cletus. Sed Damaſus Papa in Chronica Romanorum Pontificum, quam ſcribit Hieronymo, ponit eos diuerſos & dicit, quod Cletus fuerit Natione Romanus, Anacletus autem Natione Græcus. Neque ſolum in hoc, ſed in pluribus aliis Chronicon Euſebii diſſentit ab illis Chronicis.

EVARISTUS VI.

111. EVARISTUS Natione Græcus, ex Patre Iudæo, nomine Iuda, de ciuitate Bethlehem, ſedit annis decem, menſibus ſeptem, diebus duobus, & ceſſauit Epiſcopatus diebus octodecim. Hic Titulos in vrbe Roma diuiſit Presbyteris, & ſeptem Diaconos conſtituit, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem, propter ſtylum erroris, qui poſſet imponi ab Æmulis, & ſic infamaretur Epiſcopus & verbo diuino detraheretur ab Inſidiatoribus. Conſtituit etiam, vt Coniugium à Parentibus publicè ſponſetur & demum à Sacerdote benedicatur ſollemniter. Hic Martyrio coronatur ſub perſequutione Traiani, qui ſepultus eſt iuxta corpus B. Petri in Vaticano.

ALEXANDER VII.

121. ALEXANDER Natione Romanus, ex Patre Alexandro, de Regione Capitauri, ſedit annis octo, menſibus quinque, diebus duobus & ceſſauit Epiſcopatus diebus triginta quinque. Hic conſtituit Aquam aſperſionis cum ſale benedici, & habitacula hominum aſpergi. Hic ſub Hadriano Imperatore miſſus eſt in Carcerem, & Hermes Præfectus Vrbis, qui per eum crediderat, atque Euentius Presbyter & Theodulus Diaconus: qui cum Papa Alexandro & cum pluribus aliis diuerſis pœnis affecti, martyrio coronantur, Alexander Papa tunc Via Numentana ſepultus, poſt in Eccleſiam S. Sabinæ eſt translatus. Hic in memoriam paſſionis Chriſti in Canone addidit: QUI PRIDIE QUAM PATERETUR. HOC EST CORPUS MEUM. Hic etiam ſtatuit vt vino aqua miſceretur, ad deſignandam Vnionem Chriſti & Eccleſiæ: & vt oblatio fieret ex azymo; & in modica quantitate dicens: Hæc oblatio, tantò potior, quanto rarior.

SIXTUS. VIII.

129. SIXTUS Natione Romanus, ex Patre Paſtore, Regione Via lata, ſedit annis decem, menſibus tribus, diebus viginti & vno, & ceſſauit diebus duobus. Hic conſtituit vt diceretur Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth in Miſſa: & miniſteria ſacrata non tangerentur, niſi à Miniſtris. Iſte foris portam Appiam, * vbi Dominus apparuit Petro, † Domine quo vadis. Sepultus eſt in Vaticano iuxta corpus B. Petri. Huius temporibus, dum ſæuiente vbique perſecutione, Chriſtianorum pauciſſimi inuenirentur, qui ſe dicerent Chriſtianos, * in Gallia poſcentibus, vt ipſis aliquem virum dirigeret, qui pænè iam extinctam lucernam fidei reaccenderet, miſit Peregrinum Epiſcopum, genero

* *Decollatur.*
† *dicenti.*
* *Chriſtianos.*

cum hoc promisisset, & mane consurgens, hanc visionem Senatui retulisset, missus cum magno apparatu Nauium & quinq; legionibus Militum, Persas debellauit.

NERVA XI.

NErua anno vno, mensibus quatuor.
Iste omnia quæ Domitianus fecerat, damnauit, vnde & Ioannes Euangelista de exilio Ephesum rediit. 99.

TRAIANUS XII.

TRaianus imperauit annis XVIII. Iste Asia & Babylonia capta, ad Indiæ fines, post Alexandrum accessit. Hic non per se, sed per suos consiliarios tertiam Christianis iussit inferri persecutionem. Hic ex familia Hispanica, natus in Italia, apud Agrippinam in Galliis Imperator factus est. Hic post Augustum fines Romani Imperii longè lateq; ampliauit, vsque ad fines Indiæ accessit, & in Mari Rubro classem instituit, vt per eam fines Indiæ vastaret. Romæ & per Prouincias omnibus se æqualem exhibens, amicos suos salutandi caussa frequentans vel ægrotantes, liberalis extitit cunctis. Hic post ingentem belli gloriam à Perside veniens, apud Seleuciam profluuio ventris extinctus est: Ossa verò ipsius collata in vrnam auream Romam delata, in foro quem ipse ædificauit, sub Columna posita sunt, cuius altitudo centum quadraginta pedes. Hic solus omnium intra Vrbem sepultus est, & inter Diuos relatus. Huius hoc signum memoriæ est, vt in Senatu Principibus non aliter acclametur nisi felicior Augusto, melior Traiano. Sub eo passus est S. Ignatius Discipulus S. Ioannis Euangelistæ Episcopus Antiochiæ, qui Traiano de Victoria redeunti, & mortem Christianis comminanti occurrit, & se Christianum confitens, Romam ferro vinctus ducitur. Huius cor cum minutim diutissimè esset, nomen Christi in singulis particulis, aureis litteris scriptum fuit: Eo tempore floruit Eustachius cognomento Placidus, Magister militiæ Traiani Imperatoris, cui in venatione inter cornua cerui Christus in cruce apparuit. Et post cum vxore & pueris baptizatus, sicut Christus prædixerat, multa cum Vxore & Filiis aduersa sustinuit. Pantheon Romæ fulmine concrematur, denuoque reparatur, Plinius Orator & Historicus floret, (a) Alexander Papa martyrio coronatur. 101.

a non sub hoc Imperatore sed sequenti qui & Traianus Hadrianus quod adoptatus esset dicitur, Martyrologium Romanum ad tertium Maij. & notæ eius.

ADRIANUS XIII.

HAdrianus imperauit annis viginti & vno. Iste rebelles Iudæos subiugauit, vrbemque Hierosolymam restaurauit, non Iudæos, sed alias gentes in ea locando. Iste fuit in omnibus gloriosus, Leges multas condidit, & columnam suo nomine in Vrbe fieri fecit. Qui licet Romani Traiani Nepos esset, tamen gloriæ Traiani inuidens, statim tres Prouincias, videlicet Syriam, Mesopotamiam & Armeniam, quas Traianus addiderat, reliquit. Idem de Dacia facere conantem, amici deterruerunt eum, quia Traianus victa Dacia ex toto Orbe Romano infinitam hominum multitudinem ad agros & vrbes colendas transtulerat. Pacem tamen omni tempore sui Imperii habuit: facundissimus latino sermone, Græco eruditissimus, diligentissimus circa ærarium fuit, & militum disciplinam. Obiit in Campania Imperii sui anno vigesimo primo. Senatus noluit ei tribuere diuinos honores, tamen successor ipsius multo conatu apud Senatores vix obtinuit. Hadrianus etiam restaurata Hierosolyma præcepit, ne cui Iudæorum daretur licentia intrandi, sed tantum Christianis: illo tempore factum est, vt locus Passionis Christi esset intra muros, qui prius fuerat extra. Et quia ipse vocabatur Ælius Adrianus, voluit vt Hierosolyma nomine suo vocaretur Ælia. Sub Adriano passa est Romæ B. Virgo Serapia Antiochena genere, manens in Domo nobilissimæ fœminæ Sabinæ; quam sua doctrina conuerterat: vnde ipsa sancta Sabina, quia collegisset ossa S. Serapiæ accusatur, ac demum ipsa martyrio coronatur. Floruit & huius temporibus Secundus Philosophus, qui Philosophatus est omni tempore silentium seruans: 119.

nere Romanum, ipsique populos alios sociando. Qui peregrinis multis ad fidem conuersis, ibidem martyrio coronatur. Hic constituit, vt Corporale non fieret de serico, sed de purissimo lino contexto, non tincto, & vt mulier vasa sacra Altaris et pallas non tangeret.

TELESPHORUS. IX.

139. Thelesphorus alii.

TELOFORUS ex Anachoria sedit annis Vndecim. Mensibus tribus, diebus viginti & duobus, & cessauit diebus septem. Hic constituit vt per septem Hebdomadas ante Pascha ieiunium celebretur, & vt Missam ante Tertiam nullus præsumeret cantare; constituit cani Hymnum Angelicum ante Sacrificium, & in Natali Domini cantari tres Missas cum GLORIA IN EXCELSIS DEO. Hic Martyrio coronatur, & in Vaticano iuxta corpus B. Petri sepelitur: Septem autem Hebdomadarum ieiunium plenè ieiunandum maximè Clericis præcepit dicens: *Sicut discreta decet esse vita clericorum à Laicorum conuersatione: ita & Ieiunium debet esse discretio: Has ergo septem Hebdomadas omnes Clerici à carne & delitiis ieiunent.* Tres autem Missas in Natali Christi instituit; primam in Gallorum cantu, proximante media nocte, quando Christus in Bethlehem nasci dignatus est. Secundam illucescente Aurora, quando Christus in cunabulis à Pastoribus est adoratus. Tertiam Missam ipsa hora diei tertia, quando illuxit nobis dies Redemptionis nostræ.

HYGINIUS X.

150.

HYginius Natione Græcus, de Athenis, cuius Genealogia non inuenitur, sedit annis quatuor, mensibus tribus, diebus sex, & cessauit diebus tribus. Hic Clerum composuit, & gradus distribuit; Hic sepultus est in Ecclesia B. Petri. Hic constituit vt Vnus Patrinus vel Patrina suscipiat leuatum à fonte Baptismi, similiter & in Confirmatione & in Catechizatione. Hic Martyrio coronatur.

PIUS XI.

154.

PIUS Natione Italicus, de Ciuitate Aquilegia, ex Patre Ruffino, sedit annis vndecim, mensibus quatuor, diebus viginti vno, & cessauit diebus quatuordecim. Sub cuius Episcopatu Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, vt Resurrectio Dominica nisi die Dominica celebretur. Hic constituit Hæreticum venientem ex Iudæorum hæresi suscipi, & baptizari. Hic fecit Ordinationes quinque. Martyrio coronatus, sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano. Huius tempore Polycarpus Episcopus Ephesius, Joannis Apostoli Discipulus Romam veniens, multos ab Hæretica labe reuocauit, qui
* Cerdonis. Valentini & Tridonis * fuerant doctrina corrupti. Huius temporibus fuerunt Romæ sacratissimæ duæ Virgines Potentiana & Praxedis.

ANICETUS XII.

166.

ANicetus Natione Syrus, ex Patre Ioanne de Vico mirra, Sedit annis nouem, mensibus tribus, diebus quindecim. Hic constituit, vt Clericus non nutriat comam, nec barbam, & vt haberet coronam in modum Spæ-
* Spharulæ. rulæ. * Hic constituit, vt Episcopus consecrari non debeat, nisi ad minus à tribus Episcopis; nam Apostoli, sicut ipse asserit, hoc seruauerunt. Si autem Archiepiscopus est consecrandus, omnes Comprouinciales Episcopi debent adesse, sicut omnes tenentur ei obedire. Item statuit, vt si aliquis Episcopus habet aliquid

causſa autem ſilentii in ſuo libro demonſtratur. Hoc tempore Aquila, genere Ponticus, ſecundus Interpres Moſaicæ legis floret. Hic Adrianus præcepit per Epiſtolam, vt nemini liceret Chriſtianos ſine obiectu criminis ante probationem damnare. Hic poſtquam Remp. iuſtiſſimis legibus ordinauit, & Bibliothecam Athenis miri operis extruxit, obiit in Campania. Anno Domini.

ANTONINUS XIV.

ANtoninus Pius, cum filiis imperauit annis viginti duobus, menſibus tribus. Iſte ob hoc tale cognomen accepit, quia in omni regno cautionibus retentis, Creditorum debita relaxauit. Iſte gener Adriani, erga Chriſtianos pius fuit, & adeò tranquille regnauit, vt meritò Pius & Pater dictus fuerit. Ærarium opulentum reliquit: & Remp. ampliauit. Poſt mortem verò eius, tanquam Romulus colebatur. Obiit autem apud Ortam villam ſuam, miliario ab Vrbe duodecimo, atque inter Diuos eſt relatus & meritò conſecratus. Hoc tempore Galenus Medicus Pergamo oriundus, Romæ claret. Eo etiam tempore floruit Pompeius Trogus, natione Hiſpanus, qui totius Orbis Hiſtorias à tempore Nini Regis Aſſyriorum, vſque ad Monarchiam Cæſaris latino ſermone deduxit, diſtinguens per libros quadraginta quatuor, quorum abbreuiationem fecit Iuſtinus eius diſcipulus, qui Iuſtinus Philoſophus, Antonino * Pio librum de Chriſtiana Religione compoſitum tradidit & benignum eum Chriſtianis fecit. Hic Antonius adeò Pius fuit, vt nulli acerbus fuerit, quærens bonis honorem. Qui dicitur tale exemplum dixiſſe: Malo exemplo Scipionis vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere. 140. * Antonio.

Huius Antonini Filia Fauſtina nomine, cum vidiſſet Gladiatores, exarſit in vnum, propter quod cum languere cæpiſſet, viro ſuo M. Antonio cauſſam languoris manifeſtauit, qui per conſilium Medicorum Chaldæorum ipſum Gladiatorem fecit interfici, & ſanguine illius corpus Fauſtinæ perungi: Quo facto ceſſauit tentatio & infirmitas.

MARCUS ANTONIUS VERUS XV.

MArcus Antonius Verus, cum Fratre. Lucio Aurelio Commodo imperauit annis nouemdecim. Ab iſto Roma incepit duos Imperatores habere. Iſte optimus fuit, tamen à ſuis mota eſt Chriſtianis perſequutio quarta. Horum tempore primum Reſp. æquo jure * Imperium adminiſtrantibus paruit. Mortuo tamen altero ſolus Antonius rexit Remp. Et tam in Oriente in Aſia quàm in Occidente in Galliis multi Martyrio coronati ſunt. In Aſia S. Polycarpus, aliique duodecim, cum eo in Philadelphia. In Gallia S. Iuſtus Viennenſis Epiſcopus, & Photinus Epiſcopus Lugdunenſis cum innumerabili multitudine martyrio coronantur. Quem M. Antonium quis laudare non poſſet? A principio enim vitæ ſuæ tranquilliſſimus fuit; adeò vt ab Infantia ſua vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutauerit. In ſcientia Philoſophica tam literis Græcis quam Latinis peritiſſimus fuit. Hic ad nullum euentum elatus, Prouincias ingenti benignitate & moderamine tractauit. In datione munerum poſt victoriam magnificus. Hic in Pannonia mortuus, ab omnibus conclamantibus certatim inter Diuos relatus eſt. Per idem tempus floruit Egeſipp. ſcriptor Hiſtoriographus. Huius tempore floruit B. Virgo Praxedis, quæ iugiter Martyrum ſepeliendo corpora, ipſa orando, vt tranſiret ex hoc mundo poſt eos ad Dominum, mox exaudita fuit migrando in pace ad Chriſtum. Hic poſt bellum quod habuit contra Germanos, Sclauos, Glaucos & Sarmatas, cum iam ærario exhauſto, nil haberet dare militibus, nulli volens eſſe moleſtus, magis elegit vaſa ſua aurea, & ornatum vxoris, & multa alia ornamenta alienare, quàm Senatum, vel Prouincias grauare. Sed victoria habita non ſolum illa recuperauit, immò etiam omnibus Prouinciis tributa relaxauit. 150. Auguſtin. de ciuitate Dei lib. 18. 52. * Fratribus deeſt. Euſeb. lib. 4. c. 14.

aliquid erga suum Archiepiscopum, non aliò esse deferendum, nisi ad Primatem, vel ad sedem Apostolicam. Hic Sepultus est via Appia in Cæmiterio Calixti.

SOTHER. XIII.

175. SOther Natione Campanus, ex Patre Concordio, de ciuitate Fundana, Sedit annis nouem mensibus duobus, diebus viginti vno', & cessauit diebus viginti duobus. Hic constituit, vt nulla Monacha * palla sacrata tangeret, nec incensum poneret in Sancta Ecclesia; & vt velum portet. Constituit etiam vt legitima non habeatur Vxor, nisi per sacerdotem fuerit benedicta, & à Parentibus fuerit sollemniter tradita, & à Paranymphis custodita, cauens multis periculis, quæ solent circa matrimonium contingere. Hic martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano, in Ecclesia sancti Petri. Huius temporibus Cataphrygæ Hæretici exorti sunt, qui à Phrygia Prouincia, vnde originem habuerunt, nominati sunt. Hi Spiritum sanctum nec Apostolis, nec aliis datum asserunt, nisi tantùm ipsis, quorum auctores fuerunt Montanus, Prisca & Maximilla.

* *Pallas sacratas.*

ELEVTHERIVS XIV.

684. ELeutherius, Natione Græcus, ex Patre Abundo, de oppido Nicopolis, sedit annis quindecim, Mense, diebus quinque: & cessauit diebus sex. Hic accepit epistolam à Lucio Rege Britannico, vt Christianus per eius mandatum fieret. Et hic etiam firmauit, vt nulla esca quæ fieret vsualis, à Christianis repudiaretur, maximè fidelibus, quæ rationabilis, & humana esset: Cui Papa misit duos Religiosos viros videlicet * Fuganum & Damianum, qui Regem prædictum baptizauit & populum. Erant tunc in Britannia viginti octo Pontifices Idolorum, quos Flamines vocabant, inter quos tres Archiflamines erant, sed prædicti sancti de mandato Apostoli, vbi erant Flamines instituerunt Episcopos, vbi erant Archiflamines Archiepiscopos. Hic quod Apostoli firmauerunt, suo decreto renouauit, vt videlicet à Christianis nulla esca repudiaretur, quæ rationabilis esset & humana. Hic martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano apud S. Petrum. Huius tempore Apollinaris Hierapoli, & Dionysius Corinthi clarissimi habentur Episcopi.

* *Fugatium.*

VICTOR XV.

199. VICTOR Natione Afer, ex Patre Felice, sedit annis decem, mensibus duobus, & cessauit diebus duodecim. Hic constituit sanctum Pascha die Dominica celebrari. Hic ad Sacerdotum Interrogationem de termino Paschali celebrauit Concilium. Celebratum est autem propter hoc Concilium in Alexandria Palestinæ, cui interfuit ipse Papa Victor, Narcissus Patriarcha Hierosolymorum, Theophilus quoque Cæsareæ Episcopus, & Irenæus Episcopus Lugdunensis, vbi statutum est, vt semper die dominica Pascha celebretur, obseruata decima quarta Luna mensis Aprilis, vsque ad vigesimam primam. Multi enim tunc Episcopi Asiæ & Orientis, cum Iudæis Pascha celebrabant. Hic constituit, vt necessitate faciente, quicunque hominum, siue in flumine, siue in fontibus, siue in mari, tantum Christiana confessione credulitatis clarificata baptisaretur. Hic sub Seuero Principe Martirio coronatur.

ZEPHERINVS XVI.

209. ZEPHERINUS Natione Romanus, Patre Abundo, sedit annis nouem, mensibus sex, diebus sex. Hic constituit in præsentia omnium Clericorum & Laicorum fidelium, vt omnes Christiani annorum duodecim in die Paschæ Eucharistiam accipere deberent. Et fecit statutum in Ecclesia, vt omnia vasa Altaris essent vitrea, vel stannea. Sepultus est in Cœmiterio Calixti

Papæ,

COMMODUS XVI.

COmmodus post Antonium imperauit annis tredecim cum Lucio Antonio. Theodotion Interpres tertius habetur, atque Irenæus Episcopus Lugdunensis in doctrina habetur insignis. Hic Commodus Antonini filius, nihil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter pugnauit. Septembrem mensem ad nomen suum reducere conatus est, vt Commodus diceretur. Vxoris obscœnitate deprauatus, in Amphitheatro cum huiusmodi hominibus dimicabat. Obiit morte subita cum tanta execratione hominum, vt hostis etiam generis humani iudicaretur. Iste dictus Commodus cunctis incommodus, in domo Vestalis strangulatus interiit. Hic Philippum illustrem Romanum in Aegyptum, vt Præfectus Alexandriæ esset direxit, cuius filia Eugenia cum duobus suis Eunuchis Proto & Hyacintho clam à Patre Gentili in virili habitu recedens, Eugenium se vocans, baptizatur & Monachi in Monasterio effecti, cum Eugenius, mortuo Abbate Prælatus efficeretur, per quandam feminam Melanthiam nomine, quæ in ipsum oculos coniecerat, tanquam oppressor infamatur, cum omnibus Monachis, & dum captus ad tormenta duceretur, coram præfecto laniatis vestibus, ostendit se ipsius filiam Eugeniam & Eunuchos Prothum & Hyacinthum adesse. Magnum fit gaudium: Pater cum omnibus baptizatur. Melanthia infamatrix ictu fulminis concrematur. 181.

ÆLIUS PERTINAX ET SEVERUS. XVII.

AElius Pertinax & Seuerus imperauit annis octodecim. Hic supplicante Senatu, vt vxorem Augustam, & Filium Cæsarem faceret, renuens ait: sufficere sibi debere quod ipse regnaret in vita. Tandem seditione prætorianorum militum, & Salui scelere vulneribus obtruncatur. Symmachus quartus Interpres habetur. Narcissus Episcopus Hierosolymorum virtutibus pluribus celebratur. Tertullianus Afer in Ecclesia insignis inuenitur. Origenes Alexandriæ in studiis eruditur. Hic Aelius Pertinax vir grandæuus, & omnibus æquus, nunquam accepit munera, nunquam ad vlciscendum seductus est. Qui sexto mense, quo imperare cæperat, interemptus est. 189.

SEVERUS XVIII.

SEuerus genere Afer, imperauit annis septendecim. Hic bellicosissimus fuit, ac Græcis & Latinis litteris eruditissimus. Ad quærendum diligens, ad dandum liberalis. Seuerus etiam quintam in Christianos exercuit persequutionem, in qua multi Sancti per diuersas Prouincias sunt passi: inter quos fuit Leontius Pater Origenis capite cæsus, Originem adhuc teneræ ætatis, cum sex Fratribus, & Matrem ipsorum viduam relinquens. Sed prædictus Origines septendecim annos agens, sic peritus erat in Grammatica, quod in ipsa docendo Matrem & Fratres sustentabat. Passus est & tunc Irinæus cum magna multitudine populi. Seuerus verò moritur in Britannia quæ modò Anglia dicitur, Eborati. Hic Seuerus admodum natura sæuus, multa bella feliciter gessit. Parthos vicit & Arabes, multaque toto orbe Romano imperia recuperauit. Qui etiam præter bellicam gloriam ciuilibus studiis, & scientia Philosophiæ clarus fuit, Nobilissimum bellum in Britannia habuit. Et vt prouincias acquisitas omni securitate muniret, vallum per viginti duo millia passuum à mari vsque ad mare deduxit. 196.

ANTONINUS CARACALLA. XIX.

ANtoninus Caracalla imperauit annis septem, & Seuerinus eius Filius. Iste fuit Seueri Imperatoris filius, & pessimus homo fuit. In Vircho quinta editio scripturarum inuenta est cuius Auctor non apparet. Hic morum Paternorum fuit asperior, libidinis impatientissimus, adeò vt Nouercam suam Iuliam duxerit Vxorem. Hic cum aduersus Parthos bellum pararet, mortuus est apud Edissam ciuitatem, anno Imperii sui septimo. 212.

MACRI-

Papæ, Via Appia. Eo tempore Alexander Episcopus Capadociæ, cum causſa deuotionis Ieroſolymam veniſſet, viuente adhuc Narciſſo eiuſdem vrbis Episcopo, in ætate ſenili ipſo tunc moriente, idem Alexander in Episcopum per reuelationem ibidem eligitur.

CALIXTVS. XVII.

218. CALIXTUS Natione Romanus, ex Patre demetrio, de Regione vrbis Rauennenſis, ſedit annis quinque; menſibus duobus, diebus decem, & ceſſauit Episcopatus diebus ſex. Hic fecit *B*aſilicam S. Mariæ trans Tiberim, & conſtituit ieiunia quatuor temporum. Hic fecit Cæmiterium in via Appia, quod modo vocatur Cæmiterium Calixti, vbi quàm plurima multitudo Martyrum eſt ſepulta. Hic Martyrio coronatus, ſepultus eſt in Cæmiterio ſuo.

VRBANVS XVIII.

224. VRBANUS Natione Romanus ex Patre Potentiano, ſedit annis octo, menſibus vndecim, diebus duodecim, & ceſſauit Episcopatus diebus triginta. Hic de Regione Via lata, fecit omnia miniſteria ſacrata, argentea, vel aurea, vel ſtannea, & conuertit multos ad baptiſmum, & etiam Valerianum, nobiliſſimum virum Sponſum S. Ceciliæ, quem vſque ad Martirii palmam perduxit. Hic Vrbanus genere nobilis, ab infantia Chriſtianus, virtute abſtinentiæ & caſtitatis ornatus, perſecutione adhuc ſæuiente ſucceſſit Calixto Papæ. Qui dignitatis officium virtutum ſtudiis adornans, multoties proſcribitur ex vrbe, ſed à Fidelibus clam reuocatus, dum prædicationi & baptiſationi Fidelium inſiſteret, capitur, & poſt Carceris ſqualorem decollatur.

PONTIANVS XIX.

232. PONTIANUS ſedit annis quinque, menſibus duobus & diebus duobus: & ceſſauit diebus decem Episcopatus. Hic Natione Romanus ex Patre Calphurnio, deportatus fuit in exilium in Inſulam Sardiniæ, Martyrio coronatur: quem B. Fabianus adduxit per nauem Romam & ſepeliuit in Cæmiterio Calixti Via Appia. Pontiano dicitur ſucceſſiſſe Cyriacus Papa, & ſediſſe vno anno, & tribus menſibus, ſed quia contra voluntatem Cleri ceſſit de Papatu, ſubſtituendo Antherum, & cum vndecim millibus Virginum, quas Romæ baptizauerat, Agrippinam deſcendendo, non eſt poſitus in Catalogo Pontificum.

ANTHERVS XX.

237. ANtherus Natione Græcus, ſedit Menſe vno, diebusque quindecim. Hic conſtituit, vt Epiſcopi de ſede in ſedem poſſent transferri, & vt geſta Martyrum conſcriberentur. Hic Martyrio coronatus, Sepultus eſt in cœmiterio Calixti.

FABIANVS XXI.

238. FAbianus Natione Romanus ex Patre Fabiano de Regione Cælii montis, ſedit annis tredecim menſibus duodecim, diebus 11. & ceſſauit Episcopatus diebus ſeptem. Iſte diuiſit Regiones, Diaconis & fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis immінerent, vt geſta Martyrum in integrum colligerentur, & vt omni anno in Cæna Domini conſecraretur Chriſma. Martyrio coronatur quarto Cal. Februarii, ſepultus eſt in Cœmiterio Calixti, Via Appia. Fabianus iſte, cùm de quodam loco cum amicis ſuis reuerteretur, Papa defuncto, & cum de futuri Papæ electione populus loqueretur, adfuit, inter ipſos rei exitum expectans, & ſubitò candida Columba ſuper caput eius deſcendit de Cælo dicens: ROMÆ EPISCOPUS ORDINABERIS. Qui tandem iuſſu Decii decollatus eſt. Noua-

MACRINUS. XX.

MAcrinus anno vno. Hic cum filio suo ob inuidiam detruncatur. 219.

ANTONIUS. XXI.

ANtonius annis tribus. Sexta editio inuenta est Nicopoli. Sabellius oritur. Hic Antonius impudicissimè & obscœnissimè vixit, adeo quod nullum genus luxuriæ esset quod non exerceret: Interfectus est à tumultu militari Romæ, cum Matre sua. 220.

ALEXANDER. XXII.

ALexander annis tredecim. Iste ab exercitu Cæsar, à Senatu dictus est Augustus. Persas in bello vicit. Tandem apud Maguntiam decollatur. Hic militarem disciplinam seuerissime rexit. Assessorem Vlpianum Iurisconditorem habuit. Romæ quoque fauorabilis fuit. Periit in Gallia militari tumultu. Eo tempore Origines post Apostolos super omnes in Ecclesia DEI scientia & eloquentia floruit & vita, Tunc enim incœpit diuersos componere libros, habens præter alios scriptores septem Iuuenes & septem puellas, quæ ex ore ipsius materias conscribebant. Et tanta scripsit, quod B. Hieronymus fatetur se legisse sex millia voluminum exceptis Epistolis, quas diuersis scripsit: De ipso erat Prouerbium, quod qualis eius vita, talis & doctrina. Nam super lectum nunquam iacuit, carnes nunquam comedit, Vinum nunquam bibit, sicut legitur in Ecclesiastica Historia. (a) *Et cum sanctissimæ vitæ fuerit, atque doctrinæ mirabilis, excusant ipsum magni Doctores de erroribus, quæ sibi imponuntur, sicut Eusebius Cæsariensis, & Ruffinus Presbyter Aquilegensis scribens ad S. Hieronymum, & multi alii, & dicunt quod post mortem Hæretici ad obfuscandum præclarum nomen suum libris suis Hæretica interseruerunt.* 223.

(a) Non fatetur id S. Hieronymus, sed alius quispiam de se hoc iactauit. Vide Tom. 9. operum S. Hieronymi fol. 155. ex editione Plantini anno 1579. a. lib. VI.

MAXIMIANUS XXIII.

MAximianus imperauit annis tribus. Iste enim primus ex militari corpore absque decreto Senatus Imperator efficitur. Christianos persequitur, Germanicos, Parthos vicit. Tandem deserentibus eum suis militibus, à Pupieno Aquileiæ cum filio suo adhuc puero occisus est. 236.

GORDIANUS XXIV.

GORDIANUS, annis sex. Fabianus reuelatur testimonio S. Spiritus in specie columbæ, super illius caput dicentis: Romæ Episcopus ordinaberis. Iste Gordianus postquam de Persis triumphauit, veniens Romam, prope Vrbem, fraude Philippi, peremptus est. Floruit huius temporibus Africanus inter Scriptores Ecclesiasticos nominatissimus. 239.

PHILIPPUS. XXV.

PHilippus, cum Philippo filio suo annis septem. Hic primus Imperator Christianus fuit; cuius & primo anno, Millesimus annus Vrbis Romæ fuisse docetur expletus, propter quod Romani mirabilem solemnitatem fecerunt: quam tribus diebus & tribus noctibus in multo gaudio protraxerunt. Hic fuit babtizatus à B. Pontio Martyre, in Nicæa ciuitate Prouinciæ Ambo isti ab exercitu occisi sunt: Pater Romæ, Filius Veronæ. Qui filius adeò seueri animi fuit, vt nullius cuiusquam commento ad ridendum solui potuisset. Isti duo Imperatores thesauros suos B. Sexto, & Ecclesiæ dimiserunt, quos Decius, qui mortem ipsorum procurauerat, & Imperio successerat, à B. Laurentio requirebat. 245.

Nouatianus Hæreticus, Presbyter Romanæ Ecclesiæ, ambiens Episcopatum, hæreticus factus est tempore Decii, contra quem Concilium in Vrbe Roma celebratum est sexaginta Episcoporum. Hic enim Hæreticus lapsis spem veniæ denegabat, Vnde in Concilio hoc reprobando, statuerunt, vt lapsis misericorditer venia promitteretur, dummodò per pœnitentiam reuertantur.

CORNELIVS. XXII.

252. COrnelius Natione Romanus, ex Patre Iustino, sedit annis tribus, Mensibus duobus, diebus decem. Hic constituit, vt Sacerdotes si vellent, pro certa caussa iurare possent. Hic rogatus à S. Lucina, corpora B. Petri & Pauli de Catacumbis leuauit, & Lucina corpus B. Pauli posuit in prædio suo in Via Ostiensi: Beati autem Petri corpus B. Cornelius posuit iuxta vbi crucifixus est in Templo Apollinis, in Vaticano, in Palatio Neronis, Post hæc jubente Decio martyrio coronatur.

LVCIVS. XXIII.

255. LUCIUS Natione Romanus, ex Patre Porphyrio, sedit annis tribus, mensibus tribus. Hic constituit, vt duo Presbyteri, & tres Diaconi, semper sint cum Episcopo propter sty lum erroris. Hic primum in exilio fuit, demum ad Ecclesiam suam reuersus à Valeriano capite truncatus est.

STEPHANVS. XXIV.

258. STephanus Natione Romanus Episcopus ex Patre Iuliano, sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus quindecim. Hic constituit Sacerdotes & Leuitas veste sacrata quotidiano vsu non vti. Hic dum multos Gentilium conuertisset & multa corpora martyrum sepeliuisset, comprehensus, post templi Idolorum ruinam, quam impetrauit, domum euadens: Missam celebrantem in sua sede decollauerunt.

SIXTVS. XXV.

261. SIXTUS Natione Græcus ex Patre Sophor, sedit annis duobus, mensibus vndecim, diebus sex, & cessauit Episcopatus diebus viginti duobus. Hic constituit, vt missa celebraretur super Altare, quod ante non fiebat. Hic cum Felicissimo & Agapito præsentati Decio, capite truncati sunt, quos B. Laurentius & Hyppolitus cum multis aliis, per Martyrium secuti sunt.

DIONYSIVS. XXVI.

264. DIonysius ex Monacho, cuius genus non inuenitur, sedit annis duobus mensibus tribus, & cessauit diebus octo Iste Dionysius, & non reperio de alio, distinxit Diocæses, vt notatur c. 13. qu. 1.

FELIX. XXVII.

268. FElix Natione Romanus, ex Patre Constantio sedit annis duobus, mensibus decem de Regione Capritauri & cessauit diebus tribus.

EVTYCHIANVS. XXVIII.

270. EUTYCHIANUS Natione Tuscus, ex Patre Maurino, de ciuitate Luna, sedit annis octo, mensibus decem, diebus quatuor. Hic constituit, vt fruges superaltare, & fabæ primæ benedicerentur. Hic sanctissimus Papa, per diuersa loca CCCXLII. martyres sua manu sepeliuit. Et hoc constituit, ut quisque ex fidelibus Martyrem sepeliret. Hic Martyrio coronatus, sepultus est Via Appia in Cæmiterio Calixti, Octauo Kalend. Augusti.

GAIVS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

DECIUS XXVI.

DEcius imperauit annis duobus mensibus quatuor. Iste in omnibus malus, sed tamen prudens in armis fuit. Odio habuit pauperes. Et septimam dedit Christianis persequutionem. Hic de inferiori Pannonia natus, in bello barbarico est occisus. 252.

GALLUS XXVII.

GAllus cum Volusiano annis duobus, mensibus quatuor, Ventris Ingluuie periit. Cyprianus Episcopus in Carthagine floret. 254.

VALERIANUS XXVIII.

VAlerianus cum Filio suo Galieno imperauit annis quindecim. Iste Gotham, Graciam, Macedoniam Asiamque depopulauit. Iste in Ierosolyma & Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Rege Persarum victus & in ignobilem seruitutem est redactus. Nam quàmdiu vixit, Rex eiusdem Prouinciæ pedem ceruicibus eius imponendo solitus erat equum ascendere. Hic in sui imperii principio Christianos multum persequutus est & multus Sanctorum sanguis tunc effusus. Passus est tunc Cyprianus Martyr & Lucius Papa. Sub Persecutione Valeriani Paulus primus Eremita eremum intrasse putatur. 256.

GALIENUS XXIX.

GAlienus verò primo laudabiliter Remp. gerens, post in lasciuiam resolutus, deteriorata Republ. fraude Aurelii, Ducis sui, occisus est. 271. Hieron. in vita eius in principio.

CLAUDIUS XXX.

CLAUDIUS anno vno, mensibus sex. Iste Gothos, Illyricum, Macedoniam deuastantes, exsuperat: & victis Alemannis morbo interiit. 271.

AURELIANUS XXXI.

AURELIANUS, annis quinque. Iste persequutionem faciens Christianis, fulmine corripitur, sed non moritur. Hic de Dacia Ripensi oriundus, in bello potens, qui Gothos strenuissimè vicit. Hic primum diadema capitis apud Romanos * inuexit gemmis. Hic muris validioribus vrbem cinxit. Templum Solis ædificauit, in quo infinitum auri gemmarumque * posuit. Porcinæ carnis vsum populo instituit. Hic Aurelianus Imperator ad Gallias veniens, crudelia edicta emisit contra Christianos. Senonas veniens S. Columbum, & omnes Christianos interfecit, Altisiodori multos martyrio coronauit. Ciuitatem Galliæ, quæ Genubum dicebatur, nomine suo Aurelianam vocauit. Occiditur serui fraude: & inter Diuos relatus est. 273. * intexuit. * pondus.

TACITUS XXXII.

TACITUS anno vno, mensibus sex. Iste egregius fuit, prudens & largus. Nil tamen potuit ostendere morte præoccupatus. 278.

PROBUS XXXIII.

PROBUS annis sex, mensibus tribus. Iste duos Reges vicit. Manichæus Hæreticus surrexit. Hic Perses genere, acer ingenio, moribus barbarus, Manes primo dictus, 279.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

GAIUS XXIX.

278. GAIUS Natione Dalmata, ex genere Diocletiani, Patre Gallo, sedit annis vndecim, mensibus quatuor, diebus nouem. Hic constituit, vt omnes ordines in Ecclesia sic ascenderent, ut si aliquis dignus fuisset, primò Hostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, deinde Episcopus ordinaretur. Martyrio coronatur, & Via Appia in cæmiterio Calixti sepelitur. Hic constituit Hæreticos & Paganos Christianos non posse accusare, aut vocem infamationis inferre. Item statuit, vt nemo Episcopum aut reliquos Clericos apud Iudices sæculares accusare præsumat.

MARCELLINUS XXX.

290. MARCELLINUS Natione Romanus ex Patre Proiecto, sedit annis septem, mensibus duobus, diebus viginti quinque, & cessauit Episcopatus annis septem, mensibus sex, diebus viginti quinque. Hic de Regione Capritauri, à Diocletiano Imperatore compulsus, incensum posuit Idolis. Postea Synodo facta in Campania, proprio ore pœnituit coram centum octoginta Episcopis, & cinere aspersus capite, nec non & cilicio indutus, pœnitentiam egit, dicens: se peccasse. Tunc iratus Diocletianus Imperator, fecit eum decollari, qui sepultus est in cæmiterio Priscillæ Via Salaria, Martyrio coronatus. Coniurauerat autem Marcellinus Marcellum Presbyterum, qui consequenter post ipsum Papa factus est, vt præceptum Diocletiani de immolatione non impleret. Postquam B. Marcellinus decollatus fuisset, & corpus ipsius per triginta dies in platea iacuerat, in exemplum Christianis, Marcellus Presbyter nocte cum Presbyteris & diaconibus cum Hymnis, & Lucina cum ipsis sepelierunt illud. Sed hoc laudabile inuenitur de eo, quia cum se in Concilio Episcopis iudicandum suppositisset, dicens se paratum ad omnia obedire, quidquid sibi imponerent; illi responderunt. *Absit vt Summus Pontifex ab aliquo iudicetur.* Negasti tu? Negauit Petrus Magister tuus: & quis Apostolorum ausus fuit illum iudicare, sed egressus foras fleuit amarè. Tu ergo, in teipso collige causam tuam, & ore proprio teipsum iudica. Ad hæc Marcellinus: Ob scelus Idololatriæ, iudico me deponendum. Anathematizo quoque quicunque corpus meum tradiderit sepulturæ. Et flens dixit: Heu me auarum, me corrupit aurum, & non possum in Sacerdotio remanere: sicque pergens ad Diocletianum, profitens se Christianum, cum Claudio & Quirino capitalem accepit sententiam. Et cum corpus eius per triginta dies iacuisset inhumatum, noctu apparuit in visione B. Petrus Apostolus Marcello, qui in Papatu successit, dicens: Marcelle dormis? Et ille, cum dixisset: quis es Domine? Respondit: Ego sum Princeps Apostolorum: & quare corpus meum inhumatum non sepelis? Dans ei intelligere, hoc dictum de corpore Marcellini, & addidit: Non legisti? Qui se humiliat exaltabitur? Denique multum se humiliauit, qui se indignum sepultura iudicauit. Vade ergo, & sepeli eum iuxta me: vt quos iustificauit gratia, non diuidat sepultura.

MARCELLUS XXXI.

304. MARCELLUS, Natione Romanus, ex Patre Benedicto, de Regione Via lata, sedit annis quinque, diebus duodecim, & cessauit diebus viginti quinque. Hic constituit quindecim Cardinalatus in vrbe Roma, propter baptismum & sepulturas hominum. Huic præceptum est à Maxentio Imperatore, vt quia Diis sacrificare nollet, iumenta & animalia custodiret. Noctu verò Clerici eius duxerunt eum de stabulo. Sed cum consecrasset domum Licinæ in Ecclesiam Via lata, Maxentius turbatus, de Ecclesia stabulum faciens, ipsum sub

Anno Domini.

*sed per adiectum, post se Manichæum dixit. Hic asserebat duo esse principia, vnum boni, & alterum mali: vnum lucis & alterum tenebrarum: & multos erroris sui reliquit successores. Porrò Probus Imperator apud * Sirminum militari tumultu necatus est.*

* Sutrinum.

FLORIANUS XXXIV.

*FLORIANUS imperauit annis duobus. Hic incisis venis * mori fertur. Iste nihil dignum memoria egit.* 285.

* mortuus.

CLARUS XXXV.

CLARUS cum Filiis suis Carino & Numeriano imperauit annis duobus. Iste in omnibus malus, Parno flumine periit. Filii etiam ipsius ambo interempti sunt. 287.

DIOCLETIANUS XXXVI.

DIOCLETIANUS & Maximianus annis viginti. Hic obscurè natus, diuinis libris aduſtis, Christianos toto orbe persequitur decem annis. Iste primus gemmas vestibus calceamentisque inseri iussit, cum omnes retrò Principes sola purpura vterentur. Tandem veneno periit. Hic oriundus de Dalmatia, Maximianum quendam Cæsarem fecit, mittens in Gallias contra populum Rusticorum, qui manu graui collecta Romano se opposuerunt imperio: quos idem compescuit. Sed & in ipso itinere Thebæa legio, cui B. Mauritius præerat, cum sacrificare idolis renueret, à præfato Maximiano Seduno Galliæ loco Agauno, pro Christo libenter occubuit. Interim Diocletianus in Oriente, Maximianus in Occidente vastari Ecclesias, & interfici Christianos fecerunt: quæ persequutio ferè omnibus anterioribus durior erat. Nam per decem annos durauit. Variis edictis iubentur diuinæ legis libri exuri, Ecclesiæ vbique dirui, & prælati Ecclesiarum trucidari: & generaliter, non ætas, non sexus, non conditio excipitur, quin non sacrificantes trucidentur. Tunc in vrbe Gaio Papa martyrio coronato, Marcellinus eligitur. Cuius tempore tanta vis persequutionis efferbuit, vt intra triginta dies, viginti duo millia promiscui sexus per diuersas Prouincias martyrio coronarentur: ita vt & ipse Marcellinus Papa timore ductus, idolis immolaret: sed post ad pœnitentiam rediens, sententiam contra seipsum de Papatus cessione dans, à Diocletiano martyrio est coronatus. Eadem persequutione passa est in Vrbe Anastasia virgo, Sebastianus, Agnes, Lucia. Mediolani Gerualius & Prothasius, Agatha virgo, Gorgonius, Quintinus & Chrysogonus. Eodem tempore apud Aegeam passi sunt Cosmas & Damianus vna die, carne & spiritu gemelli. Apud Phrygiam vna ciuitas tota Christianorum vndique, ne fugere possent, circumdata, cum omnibus cremata est. In Britannia quoque & Anglia tunc pænè tota Christianitas deleta est. 289.

GALERIUS XXXVII.

GALERIUS annis duobus cum Constantino & Licinio. Iste Constantinus Hiſpaniam sibi subegit: & Filiam Regis Britaniæ nomine Helenam accepit in Concubinam, de qua genuit Constantinum magnum, qui tandem Eboraci in Britannia obiit: Et Constantinum Filium suum de Concubina procreatum, Imperatorem Galliarum reliquit. Qui factus Imperator, ciuibus & exercitui & aliis acceptus fuit: Veniensque Romam contra Maxentium, quem Romani fecerant Imperatorem, qui adeò plenus vitiis fuit, quod nullum vitium ipsum effugeret, in signo crucis, quod sibi in visione ostensum est, vicit. Sub hoc Maxentio passa est B. Catharina. 309.

sub custodia publica, vt custodiret animalia, intus recluſit, ibique defunctus, in Cæmiterio Priſcillæ. Via Salaria ſepelitur.

EVSEBIVS XXXII.

310. EUSEBIUS Natione Græcus ex medicò ſedit annis duobus, menſibus duobus, diebus viginti quinque, & ceſſauit diebus ſeptem.

MELTHIADES XXXIII.

312. MELTHIADES Natione Afer, ſedit annis tribus, menſibus ſex, diebus octo, & ceſſauit diebus ſexdecim. Hic conſtituit, vt nulla ratione ageretur ieiunium die Dominico, vel die Iouis, quia eos dies Pagani, quaſi ſacrum ieiunium celebrant.

SILVESTER XXXIV.

315. SILVESTER Natione Romanus, ex Patre Ruffino, ſedit annis viginti tribus, menſibus decem, diebus vndecim, & ceſſauit diebus quindecim. Huius præcepto in Nicena Bithiniæ congregati ſunt quadringenti & octodecim Epiſcopi Catholici, qui expoſuerunt fidem Catholicam integram, & multa decreta conſtituit. Hic baptizauit Conſtantinum Imperatorem, valida ſqualoris lepra perfuſum; qui ſtatim à lepra mundatus. Eodemque tempore Conſtantinus Auguſtus fecit Baſilicam B. Laurentio Martyri, Via Tiburtina, in agro Verano, ſuper Arenarium Criptæ, & vſque ad corpus B. Laurentii fecit gradus aſcenſionis & deſcenſionis in quo loco conſtruxit capſidam, & exornauit marmoribus Porphyreticis, & deſuper incluſit argento puriſſimo: Ornauit & cancellum, qui penſatur libris ducentis. Et ante ipſum locum in crypta poſuit lucernam de auro puriſſimo, & ante corpus B. Laurentii fecit Pharatantarum argenteum cum delphinis. Conſtruxit etiam intra Palatium Lateranenſe, Saluatoris noſtri Eccleſiam, duodecim cophinos terræ propriis humeris ad fundamenta deportando. Quam Eccleſiam cenſuit eſſe in toto orbe Matrem Eccleſiarum. Et conſtruxit etiam eccleſiam Apoſtoli Petri & Pauli, quas auro, argentoque locupletauit, in thecis pretioſiſſimis ipſorum corpora recondendo. Sylueſter verò Papa

Nota quæ hic de Sylueſtro ſequuntur Poloni non ſunt.

ANTE Sylueſtrum fuerunt poſt Chriſtum triginta tres Papæ (vt dicit Magiſter Bru. de Florentia in c. Quomodo Chriſtianitatem exaltauit tempore Sylueſtri & dicit, quod poſt Iulium Cæſarem triginta quinque Imperatores ante Conſtantinum, qui imperabat tempore Sylueſtri, regnauerunt.

Iſti Sylueſtro fuerunt datæ omnes Imperiales dignitates à Conſtantino, & theſaurus & honor Imperii ſuppoſitus, Anno Domini trecenteſimo & vigeſimo tertio. Et paulò poſt fuit Crux inuenta; per Helenam Matrem eius, in partibus vltramarinis.

Ante iſtum Sylueſtrum Papæ fuerunt paſſi multas perſecutiones pro fide, & interfecti, & ideo durabat perſecutio vſque ad iſtum, vnde fuerunt ſanctificati. Sed poſtquam Conſtantinus contulit tantum honorem Apoſtolatui, ceſſauerunt perſecutiones, & inceperunt errores Hæreticorum, vnde poſtea multi Imperatores & Reges, multi Italicorum fuerunt malè credentes, vſque ad tempus Iuſtiniani Imperatoris Romani, qui fuit anno ab Incarnatione Domini quingenteſimo & trigeſimo nono, qui fecit libros Legales & damnauit hæreſes: & licet ab initio idem Iuſtinianus fuiſſet in errore Hæreticorum, poſtea tamen recognouit errorem ſuum, & emendauit ſe Concilio Agapiti tunc Papæ. Et regnauit triginta octo annis, & ante ipſum Iuſtinianum fuerant

CONSTANINUS MAGNUS XXXVIII.

CONSTANTINUS Imperator imperauit annis triginta, mensibus decem, diebus vndecim. Hic magnus dictus, effectus est Christianus, & licentiam dedit Christianis liberè congregari, & basilicas in honore Iesu Christi construi fecit. His temporibus hæresis Arriana oritur. Nicænumque Concilium à Constantino ad condemnandam Hæresim congregatur trecentorum & octodecim Episcoporum. In quo Concilio Beatus Nicolaus Myræorum Episcopus legitur fuisse. Donatistarum schisma oritur. Per idem tempus Crux Christi ab Helena Constantini Matre Ierosolymis inuenta est. Iste deuictis Maxentio & Licinio & Seuero Imperatoribus, à Siluestro Papa caussa mundandi à lepra, baptizatus est, vnde omnes imperiales dignitates Papæ contulit, & ipse Constantinopolim transiit. Constantinum autem in extremo vitæ suæ ab Eusebio Nicomediensi Episcopo rebaptizatum & in Arrianum dogma conuersum esse, quidam tradiderunt. Sed hoc de Constantino mendosè dicitur, quia B. Gregorius in Registro, cum loqitur Mauritio eum bonæ memoriæ appellat. & in Historia Tripartita eius exitus, atque bona acta inueniuntur, sed de Constantino Filio eius, omnia prædicta esse vera inueniuntur. Flauianus & Dioscorus, viri sancti instituerunt in Ecclesia, vt chori in duas partes diuisi Psalmos alternatim cantarent. His temporibus Antonius Eremita & Monachus floruit. Temporibus Constantini, Helena Mater ipsius, religionis cultu inducta, Ierosolyman adiens, conuocatis Iudæis, & tormentis adhibitis, crucem Domini quam quærebat, reperit: Eis temporibus B. Nicolaus Myræ ciuitatis Episcopus floruit: & Eusebius Cæsariensis, qui Ecclesiasticam historiam conscripsit.

* Hæc quæ sunt à parte ista, non sunt de Chronicis F. Martini, sed de Chronicis Magistri Bruneti de Florentia, vt hic in fine dicitur.

Anno Domini.

* *Hæc in margine alia manu scripta leguntur.*

311.

Post istum Constantinum magnum, alii Imperatores post ipsum non fuerunt ita feruentes, nec ita dilexerunt Ecclesiam, immo recuperarent libenter ea quæ Constantinus dederat, si possent. Sed DEVS non passus fuit, & ita Imperatores succedentes, quidam fuerunt mali, alii boni. Et tenebant vtrumque imperium vsque ad tempora Leonis & Constantini eius Filii. Ille imperator accepit omnes imagines Ecclesiarum Romæ, & detulit Constantinopolim in despectum Papæ, & eas fecit in igne comburi, & fecit coniurationem contra Papam, cum Thelophoro Rege Lombardorum, propter quod Stephanus, qui erat tunc Papa eos excommunicauit, & abstulit Apuliam illi, & statuit vt in perpetuum esset de Ecclesia, Et quando vidit idem Papa, quod non poterat durare diu contra illos, iuit in Franciam ad bonum Regem Pipinum, qui tunc erat Rex Franciæ & Dominus, & consecrauit ipsum & liberos suos ad essendum perpetuo Reges Francorum. Et excommunicauit & maledixit omnes illos, qui Regem Franciæ facerent de alia progenie, nisi de progenie ipsius. Postea iuit idem Rex cum exercitiu suo in Lombardiam: & pugnam habuit cum Thelophoro & deuicit eum, & fecit eum emendare sanctæ Ecclesiæ, scilicet, quod Papa, & Fratres sui voluerunt percipere, & propter vim dicti Regis fuit statutum negotium Regni Apuliæ, & patrimonii S. Petri prout Papa & Fratres ordinauerunt. Sed postquam Pipinus recessit in Franciam, non multò post Constantinus Filius Leonis, postquam fuit Imperator, post mortem Patris sui fuit, quantum potuit, contra Ecclesiam Romanam, & Desiderius Rex Lombardorum, reincepit ab alia parte guerram maiorem quam Thelophorus Pater suus nunquam fecerat in vita sua. tantum quod Adrianus Papa tunc rogauit Carolum magnum Filium Pepini, tunc Regem Franciæ, ita quod ille Rex venit in Italiam & deuicit ciuitatem Pauiæ, vbi Rex ille morabatur, & cæpit Desiderium Regem & eius vxorem & eorum liberos, & fecit eos iurare fidem Ecclesiæ, postea misit eum captum in Franciam, sed Argisius Filius Desiderii Regis fugit per mare Constantinopolim, qui postea magnas fecit guerras, sed postquam iste Carolus conquisiuit totam Lombardiam & Italiam & sibi subiecit & Romanæ Ecclesiæ, venit Romam cum magno triumpho, & ibi fuit coronatus in Imperatorem Romanorum, & tenuit Imperium per totam viam. Postea fecit multas alias victorias contra Saracenos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Papa post conuersionem Constantini, magnum conflictum à Iudæis, procurante matre Constanti Helene * iudicante perpessus est ; in quo conflictu post multorum verborum altercationem & post Tauri à B. Syluestro resuscitationem, Helena cum omnibus Iudæis ad Christum conuersa fuit. Postquam verò B. Syluester à Draconis pestilentia Romam liberauit, maxima pars vrbis baptizata fuit. Quotidie enim Draco sex millia hominum flatu suo interficiebat, ad quem S. Syluester per centum quinquaginta gradus cum Presbyteris descendens, facta oratione, & signo Crucis ipsum ligatum, æreis portis conclusit, & vsque ad diem iudicii seris obfirmauit. Hic Syluester constituit, vt nullus Laicus crimen Clerico audeat inferre. & constituit vt Diaconi Dalmaticis vterentur. Hic constituit, vt sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto celebretur, nisi tantum in lineo ex terra procreato, Sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in syndone linea sepultum est.

* Iudaizante.

Iste etiam Constantinus contulit scilicet Syluestro dignitatem & honorem Imperii, & Palatium Lateranense, & Romanam vrbem, & omnes Italiæ, siue Occidentalium Regionum Prouincias, coronam auream & sceptrum, & omnia alia Imperialia ornamenta.

rant sexdecim Imperatores Romæ, post Constantinum & à Syluestro vsque ad tempus Agapiti Papæ 38.

Constantinus prædictus postquam dimisit Romam Papæ, & subiecit Imperium, transtulit se Constantinopolim quæ vocabatur Bizantium, & retinuit Imperium Græciæ, & illud non subiecit, sicut fecerat Romanum, vt de his loquitur Magister Bruno de Florentia in libro suo de Thesauro, quem fecit in Galliis, *Sepius in M. S.*

Et hæc quæ dicta sunt à parte ista, non sunt de Chronicis F. Martini, vt etiam hic in fine dictum est.

MARCVS XXXV.

338. MARCUS Natione Romanus, ex Patre Prisco, sedit annis duobus, mensibus octo, diebus viginti. Hic constituit, vt Episcopus Hostiensis qui Papam consecrat, pallio vteretur.

IVLIVS

cenos & alios inimicos Ecclesiæ, & subiecit dominio suo Alemanniam & Yspaniam, & quamplures alias prouincias. Et postquam Leo fuit Papa, post mortem Adriani, fuit exulatus per Romanos, Carolus reduxit eum Romam ad dignitatem & statum suum, & confirmauit tunc ea, quæ pater suus fecerat. Et statuit & ordinauit negotium Ecclesiæ & Imperii: Clericorum & laicorum, Et dedit B. Petro Ducatum Spoletanum & Beneuenti. Et postquam omnia ista fecit & plura alia magna, discessit Anno ab Incarnatione Dominica DCCC. XXIII. & ante ipsum fuerant sexdecim Imperatores, post Iustinianum, & quadraginta Papæ ab Agapito, vsque ad istum Leonem Papam. Et isto modo prædicto venit dignitas Imperii Romani ad Gallos, & Romani perdiderunt. Postquam Carolus magnus decessit, eius Filius Lodouicus fuit Rex & Imperator, & regnauit cum Lothario filio suo viginti quinq; annis. Postea decessit & reliquit quatuor filios. Sed antequam discederet, diuisit eos, ita quod Carolus Caluus esset Rex Franciæ, & Lotharius esset Imperator Romanus, & Pipinus esset Rex Alemanniæ, & Lodouicus esset Rex Aquitaniæ siue Dominus. Sed accidit quod postquam Lotharius fuit Imperator, vidit se fortem & potentem, & cogitauit, quod iret in Franciam conquisiturus Regnum Patris sui, & venit cum hoste Italicorum, & transiuit montes, & diuisit vsque Nens, siue Nemis, seu Nemausium, vbi inuenit Fratrem suum Regem Franciæ qui veniebat sibi obuiam cum tam magno hoste seu exercitu, quem ipse vidit aperte quod non poterat ipsum deuincere, nec habere intentum. Quando vidit se in proposito defecisse, reddidit se Monachum in Abbatia S. Marci de Sone: & dimisit imperium Filio suo Lodouico. Ille filius Lodouicus vixit per biennium, & dereliquit ex se vnam filiam solam, quæ nupsit cum Rege Apuliæ. Et tunc venit Romam Carolus Caluus, & fuit Imperator per vnum annum. Sed quia guerræ & discordiæ creverunt multipliciter in Italia, dimisit Carolus Caluus Imperium Lodouico juniori filio Neptis suæ, & regi Apuliæ prædicto. Et dicunt plures, quod quidam Angelus præcepit sibi, ne plus se intromitteret in Imperium Romanorum, & quod quitt aret juniori Regi Apuliæ, & super hoc fuit sententia firmata. Propter quod Gallici vel Francici non iuuabant Ecclesiam contra Italicos. Et ita, vt dictum est, Lodouicus junior Italicus post Gallicos fuit primus Imperator, & postea fuerunt quinque successive vsque ad tempora Berengarii & Alberti eius filii, qui fuerunt vltimi Lombardi, qui imperium tenuerunt. Et quod Agapetus Papa, qui multotiens debellauit contra Romanos pro defendendis viribus Ecclesiæ. Sed post ipsum fuit Papa Ioannes, filius illius Alberti Imperatoris. Et sciendum, quod ante ipsum fuerant vndecim Imperatores vsque ad Carolum magnum, & quadraginta Papæ & vnus à Leone vsque ad ipsum Ioannem Papam. Sed postea crescente inuidia magnatum Lombardorum, & nullus esset qui se intromitteret de Republ. tuenda vel iuuanda, nisi Alemanniæ Principes, fuit stabilitum: Quoniam de necessitate quod electio & origo imperii, seu Imperator fieret per eos, qui tunc erant defensores Ecclesiæ & custodes. Et sic septem principes Alemanniæ habuerunt ius eligendi Imperatorem, vnde Otto fuit primus electus, & confirmatus in Imperatorem Romanorum Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo & trigesimo sexto, & postea tredecim Imperatores Allemanni, vsque ad Fridericum II. qui fuit coronatus per Papam Honorium. Anno Domini M CC XX. Et à tempore Ioannis prædicti vsque ad istum Honorium fuerunt quadraginta duo Papæ. Fredericus regnauit ante mortem triginta annis, vel circiter, licet ante diu fuisset excommunicatus & post depositus, de consilio Concilii per Innocentium IV. Et tunc vacauit Imperium sine Rege & Imperatore: Licet Fridericus illegitimus filius teneret de facto regnum Apuliæ, & Sicilie contra justitiam. Et ideo fuit contra Italicos & Guelfos, qui erant tunc pro Ecclesia, maximè contra illos de Florentia, ita quod per ignem & flammam coacti fuerunt exire. Prout de istis omnibus scripsit in Gallis Magister Brunetus de Florentia in libro de Thesauro, c. quomodo Rex Franciæ fuit Imperator Romanorum, cum tribus Capitibus sequentibus.

IVLIVS XXXVI.

340. * Iulius. LUcius * Natione Romanus, ex Patre Ruſtico, ſedit annis vndecim, menſibus duobus diebus quindecim. Hic conſtituit, vt nullus Clericus ad cauſſam in publico ducatur, niſi in Eccleſia. Sepultus eſt in Cœmiterio Calepodii, * ab Vrbe. milliario tertio. * Tempore huius celebrata eſt ſancta Synodus Nicena, trecentorum & octodecim Epiſcoporum, in qua damnata eſt Hæreſis Arrii, qui aſſerebat, Filium minorem Patre. Hoc factum eſt viuente adhuc Conſtantino Auguſto. Huius tempore florent Athanaſius, S. Paphnutius, Euſebius Cæſarienſis, B. Nicolaus. S. Hilarius Pictauienſis, Victorinus Rhetor, S. Hilarion, S. Epiphanius. In cuius tempore Ioannes Chryſoſtomus, & multi alii Eremitæ, & ſancti, vt Siſoys, & Paſtor Abbas floruerunt. Et B. Maximinus in Treueri; qui ſanctum Athanaſium Alexandrinæ Ciuitatis Epiſcopum fugientem à facie Conſtantii Imperatoris, recepit, ibique Symbolum QUICUNQUE VULT SALVUS ESSE, compoſuit. Quod de Hilario Pictauienſi ſolet dici; quod Leo Hæreticus Papa dixerit Hilario, Tu es Gallus, ſed non de Gallina: & ipſe dicitur reſpondiſſe: Tu es Leo, ſed non de tribu Iuda: & quod in Concilio nullo ſibi aſſurgente, dicendo: Domini eſt terra, volens in terra reſidere, terra ſe erexit. Quod etiam Papa ſibi minanti, ſicut prædixerat, Hilarius ſubito expirauerit, in nullis Chronicis inuenitur; maximè cum ſuo tempore nullus Papa Leo vocabatur, niſi forte Liberius Papa, qui Conſtantio Hæretico, & ſuis fauebat, Leo alio nomine dictus ſit, vel forte aliquis alius falſus Papa Leo tunc dictus fuit.

LIBERIVS XXXVII.

351. LIBERIUS Natione Romanus, ex Patre Liguſto, ſedit annis ſedecim, menſibus ſeptem, diebus tribus, & ceſſauit diebus viginti quinque. Hic de Regione Via Lata in exilium deportatus eſt à Conſtantio Auguſto, eò quod noluiſſet Hæreſi Arrianæ conſentire, & fuit in exilio annis tribus, quo tempore in exilio exiſtente, Clerus Romanus de Conſilio prædicti Liberii ordinauit Felicem Presbyterum in Papam virum venerabilem. Quo Felice celebrante Concilium, inuenit intereſſe duos Presbyteros Arriana hæreſi infectos, nec non Imperatoris Conſtantii familiares, videlicet Vrſacium & Valentem, & eiecit ipſos Concilio 48. Epiſcoporum. Poſt paucos autem dies prouocati contra Felicem, rogauerunt Conſtantium, vt reuocaret Liberium de exilio, tanquam ipſis ma- * hæretici. gis conſentaneum. Liberius autem, vt præceptis Imperatoris * aſſenſum dedit, de exilio eſt reuocatus. Imperator verò conuocato Concilio, cum Hæreticis Arrianis, & cum Vrſatio & Valente, Felicem de Papatu, quia erat Catholicus, eiecit, & Liberium, quia ſibi & Arrianis conſenſerat, in ſede repoſuit. Et ſic infelix Liberius Baſilicam SS. Petri & Pauli, & S. Laurentii vi tenuit, & fuit tunc perſecutio magna in vrbe, ita vt Clerici Liberio contrarii, martyrio coronarentur. Paſſus eſt tunc & presbyter Euſebius in Vrbe, quia Liberium eſſe Hæreticum declarabat.

FELIX XXXVIII.

368. * Hic fuit Catholicus. FELIX Natione Romanus, ex Patre Anaſtaſio, ſedit anno vno. * Huic abfuit Hæreticus. Et conſtituit vt Epiſcopus vocatus ad Concilium, veniat. Hic declarauit Conſtantium Filium Conſtantini eſſe Hæreticum; & ſecundo rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo. Propter hoc ab eodem Conſtantio de Papatu depoſitus, Martyrio coronatur quarto Kalendis Auguſti.

DAMA-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anno Domini.

ISTI SUNT IMPERATORES QUI POST MAGNUM Constantinum, diuiſo Imperio, Romæ & Conſtantinopoli imperauerunt.

340.

Romæ.		Constantinopoli.	
Conſtantinus.	*Artemius.*	*Conſtantinus.*	*Anaſtaſius.*
Iulianus.	*Olibrius.*	*Inutrag.*	*Iuſtinus.*
Iouinianus.	*Glicerius.*	*Inutrag.*	*Iuſtinianus.*
Valentinianus.	*Nepos.*	*Valens.*	*Hic reduxit Imperium ſumpto Vitigi per Beliſarium, qui deinde Totila, qui illi ſucceſſerat, Narſete interfecto.*
Gratianus.	*Auguſtulus.*	*Valentinianus.*	
Theodoſius.	*Odoacer.*	*Inutrag.*	
Honorius.	*Theodericus.*	*Arcadius.*	
Valentinianus.	*Athalaricus.*	*Theodoſius.*	
Maximinus.	*Theodardus.*	*Leo.*	
Auitus.	*Vitigis.*	*Zenon.*	
Morianus.	*Totila.*		

CONSTANTINUS XXXIX.

CONSTANTINUS, *cum Conſtantio & Conſtante fratribus, annis viginti quatuor.* 340.
*Hi filii magni Conſtantini fuerunt. His Fratribus dimicantibus Romanæ vires conſumuntur. Poſtea ſolus Conſtantinus triumphans Imperium tenuit, & Chriſtianus fuit, quem duces Conſtantii Fratris peremerunt, & demum Imperio aſſumpto, Conſtantius Arrianus effectus, Chriſtianos toto orbe perſequitur, cuius etiam fauore fretus Arrius, dum Conſtantinopolim ad Eccleſiam pergeret, aduerſus nos dimicaturus de fide, diuertens per forum Conſtantii ad neceſſariam cauſſam, viſcera eius repente ſimul cum vita effuſa ſunt. Donatus artis Grammaticæ Scriptor ac Præceptor Hieronymi illuſtris habetur. Antonius Monachus moritur. Oſſa B. Andreæ Apoſtoli, & Lucæ Euangeliſtæ Conſtantinopolim transferuntur. Hic * exulauit Defenſores fidei, ſcilicet Anaſtaſium Alexandrinum, Euſebium Vercellenſem, qui poſtea reuocati ſunt; & Hilarium. Dionyſius autem Mediolanenſis & Paulinus Treuirenſis in exilio obierunt. Huius Conſtantii timore Iulianus Apoſtata, ne occideretur factus eſt Monachus.*

* Conſtantinus.

IULIANUS APOSTATA XL.

IULIANUS *imperauit annis duobus, menſibus octo. Hic Iulianus fuit Apoſtata.* 364.
Huius tempore B. Martinus relicta militia floruit. Iſte Nepos Conſtantini fuit. Qui tantum imperium concupiuit, vt etiam Chriſtianam religionem dimitteret. Hic tam ſcholaribus, quam diuinis libris eruditus, à fide & à vita Monaſtica declinauit. Qui a Conſtantio Cæſar factus, contra Gallos, & Alemannos miſſus, ipſos ſubiecit. Ex his elatus, contra Conſtantium Auguſtum ſe erexit. Poſt mortem autem Conſtantii factus Auguſtus, Chriſtianos perſequi cæpit. Honoribus eos prius magis alliciens, quam tormentis ad Idololatriam. Demum varia edicta contra Chriſtianos ſtatuens, multi Sancti martyrio coronati: inter quos Paulus & Ioannes, Conſtantiæ, magni Conſtantini Filiæ, Cubicularii. Item Cyrillus Diaconus, & multi alii terra marique peremptiſunt. Ipſe etiam licentiam Iudæis dedit templum Ieroſolymis reædificandi, qui ex omnibus partibus congregati, quod magno labore conſtruxerant, per terræ motum funditus deſtructo, & locum & opus deſeruerunt. Cum verò contra Perſas ad bellandum tranſiſſet per Cæſaream Cappadociæ, multa opprobria B. Baſilio illius ciuitatis Epiſcopo, & Chriſtianis, & comminationes futuras inferens. B. Baſilius orans, & ieiunans cum Chriſtianis, vidit B. Virginem præcipientem Mercurio militi dudum ante in quodam Monaſterio ſepulto, vt ſe & Filium eius de Iuliano vindicaret. Quod & factum eſt. Et blaſphemando expirans clamauit: VICISTI GALLILÆE.

IOVINIANUS XLI.

IOVINIANUS *imperauit menſibus ſeptem. Iſte Chriſtianus fuit, & cum Sapore Rege Perſarum corpus Iuliani ſepeliuit.* 366.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

DAMASUS XL.

370. DAMASUS Natione Hiſpanus, ex Patre Antonio, ſedit annis octodecim menſibus duobus, diebus decem, & ceſſauit diebus triginta & vno.

Hic elegans verſibus componendis ingenium habuit: Multaque & breuia opuſcula Heroico metro edidit.

Huic ſanctiſſimo viro B. Hieronymus multa Eccleſiaſticæ religionis ſcripta miſit; inter quæ etiam duos verſus ſcripſit, Gloria Patri, &c. Sicut erat in principio. Poſt Pſalmos canere. * Octogenarius ſub Theodoſio moritur. Hicque inſtituit, vt Pſalmi die noctuque canerentur, & vt Chori in duas partes diuiſi, Pſalmos alternatim cantarent. Hic multa corpora ſanctorum requirens, inuenit, quorum tumbas verſibus decorauit. Huius temporibus floruit in India Ioſaphat, filius Regis, Eremita factus, & Barlaam, qui ipſum conuertit: & Apollinaris Antiochenus, in ſcripturis ſacris eruditiſſimus, quem B. Ieronymus reuerenter audiuit. B. Ambroſius Mediolani ordinatur Epiſcopus. Omnes in Italia ad fidem rectam conuertuntur. Florent Baſilius Cæſarienſis, Gregorius Nazianzenus, ambo Collegæ, & Athenis eruditi, Didymus Alexandrinus Philoſophus. Ieronymus, S. Martinus Turonenſis. In Ægypto Pachomius Abbas, duo Macharii, Iſidorus, Moyſes, Beniamin. Heraclides, Effrem ſanctiſſimus, Anaſtaſius Epiſcopus Alexandrinus, quieuit in pace. Ieronymus correxit Pſalterium ſeptuaginta, quod in omnibus Eccleſiis cantabatur. Quo iterum vitiato, iterum nouum compoſuit: quod Papa Damaſus rogatu Ieronymi cantari inſtituit in Eccleſiis Gallicanis, & propter hoc Gallicanum vocatur; Romanis Pſalterio ſeptuaginta remanente. Tertium tranſtulit de Hebraica veritate in Latinum de verbo ad verbum. Damaſus Papa, rogatu Ieronymi, inſtituit vt diceretur in Eccleſia in fine Pſalmorum: Gloria Patri, &c. Ambroſius ritum canendi Antiphonas inſtituit. Sancta Synodus centum quinquaginta Patrum Conſtantinopoli celebratur, in qua damnatur Macedonius, qui negabat Spiritum ſanctum eſſe DEUM; & aſſertum eſt Spiritum ſanctum eſſe conſubſtantialem Patri, & Filio, dans ſymboli formam, quam & Latina Confeſſio prædicat in Eccleſiis.

*canendos.

SIRICIUS XLI.

388. SIRICIUS, Natione Romanus, ex Patre Tiburtio, ſedit annis quindecim, menſibus vndecim, diebus viginti quinque, & ceſſauit diebus viginti. Hic Manichæos inuenit, quos exilio deportauit, & conſtituit, vt non participent cum fidelibus communionem, & præcepit, vt ſi quis de eadem ſecta conuerſus, rediret ad Eccleſiam, nullatenus communicaretur, niſi tantum relegationi Monaſterii omnibus diebus vitæ ſuæ obnoxius teneretur: ieiuniis & orationibus maceratus, probatus ſub omni examine vſque ad diem vltimum tranſitus ſui, & ita viaticum accipiat. Hic Synodum Conſtantinopoli celebrauit, cum trecentis quinquaginta Epiſcopis. Huius temporibus Hieronimus Presbyter, Interpres & Doctor ſecundum Hebraicam veritatem Bibliam tranſtulit de Hebræo in Latinum. Clarebat & Ruffinus Aquileienſis Presbyter, Per idem tempus Paula multum nobilis Matrona, cum filia ſua Euſtochium, Hieroſolymam adiit. Arſenius in vrbe Roma claret: qui ex Senatore Monachus factus, per quadraginta annos in Eremo vixit. Eodem tempore in Emaus caſtello natus eſt puer ab vmbilico & ſurſum diuiſus; ita vt haberet duo pectora, & duo capita, & quælibet proprios ſenſus. Vno edente vel dormiente, alter non comedebat nec dormiebat. Porrò poſteaquam duobus annis vixiſſet, vnus mortuus eſt, altero vſque in diem tertium ſuperuiuente. Eo tempore floruit Ioannes Chryſoſtomus, primò Presbyter Antiochenus, poſt Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus.

ANASTA-

VALENTINIANUS XLII.

VALENTINIANUS cum fratre Valente imperauit annis vndecim. Iste Christianus fuit, de Cybalensi Pannoniæ editus. Hic sub Iuliano Augusto, cum fidem Christianitatis integram gereret, & Scrutariorum tribunus esset, mandato accepto Sacrilegi Imperatoris, vt immolaret Idolis, aut militiæ cederet: militiam sponte dimisit, sed paulò post Iuliano interfecto, Iouinianoque mortuo, qui pro nomine Christi amiserat Tribunatum, persecutori succedens, suscepit Imperium. Hic Saxones, Gentem Oceani littoribus virtute ac agilitate Romanis terribilem subiugauit. Anno verò Imperii sui vndecimo, cum Sarmatæ sese per Pannonias diffudissent easque vastarent, dum bellum aduersus eos pararet, apud oppidum * Strimgomense subitò per fluxum sanguinis expirauit. Fuit autem Imperator egregius, vultu decens, solers ingenio, sermone cultissimus, quamquam ad loquendum parcus. Hic fratrem suum Valentem, qui post cum filio sub Valentiniano imperauit quatuor annis, volentem persequi, eò quod Arrianus esset, tempore quo vixit, compescuit. Huius Valentiniani tempore & hortatu S. Ambrosius factus est Archiepiscopus Mediolanensis. 365. * Strigoniense.

VALENS XLIII.

VALENS cum Gratiano & Valentiniano imperauit annis quatuor. Isti tres Imperiales dignitates optimè Romæ tenuerunt, & Actus Romæ fecerunt. Hoc tempore Ambrosius Mediolanensis claruit. Anno Valentis Imperii tertio, qui imperauit Constantinopoli, quatuor gentes, scilicet Gothi, Hippogothi, Gipedes & Wandali, vnam linguam habentes, nomine tantum diuersi, bipartito agmine Danubium transierunt. Hic Valens Arrianus existens, multas persecutiones Christianis faciens, à Gothis in bello peremptus est. Hic legem dederat, vt Monachi militarent, nolentes verò, fustibus fecit interfici. 377.

GRATIANUS XLIV.

GRATIANUS cum fratre Valentiniano, & Theodosio, imperauit annis sex. Per idem tempus templa Christianorum, iubente Theodosio, destructa reficiuntur. Hic Gratianus, cum inæstimabilem hostium multitudinem contra se cerneret, apud Argentinam Oppidum Galliæ, fretus Christi potentia feliciter deuicit. Nam postquam triginta millia Alemannorum peremit, hoc Christi cultura veræ fidei contulit. Nam cum ad ipsius tempora Italia Hæresi Arriana langueret, ad veram fidem fecit redire. Fuitq; Gratianus literis instructus, parcus cibi, somnique ac libidinis victor, cunctisque bonis plenus obiit. 381.

THEODOSIUS XLV.

THEODOSIUS cum Valentiniano annis vndecim. Huius tempore magnum schisma fuit inter Paganos & Iudæos. Hic destruxit templa Idolorum. Sub isto transtulit Ieronymus nouum & vetus Testamentum. Ambrosius post Hilarium Hymnos composuit. Arsenius Romæ claret, factus ex Senatore Monachus. Augustinus, cum esset Manichæus, ad fidem conuertitur. Iste Christianissimus Imperator fuit. Hostes suos non tam ferro, vel multitudine, quam ieiunio, & oratione confisus, prostrauit. Hic propter virtutum perfectionem etiam à Barbaris summè diligebatur, vnde multæ Gentes ad ipsius inductum, relictis erroribus & idolis ad Christum conuersi sunt. Hic Orientis & Occidentis partes pacifice possidens, apud Mediolanum defunctus est: cuius corpus eodem anno in Constantinopolim translatum est. Fuit autem Theodosius propagator Reipublicæ: Moribus & corpore Traiano similis, clemens, misericors, comis. Solo habitu se differre à cæteris putans. In omnes honorificus, effusior verò in bonos. 387.

ARCHADIUS ET HONORIUS XLVI.

ARCHADIUS & Honorius annis tredecim. His temporibus Donatus Epyri Episcopus, virtutibus insignis est habitus, qui Draconem ingentem, expuens in ore eius, necauit: quem octo iuga boum ad locum incendii vix trahere potuerunt, ne aërem putredo eius corrumperet. Per idem tempus corpora SS. Abacuc & Micheæ Prophetarum 398.

ANASTASIUS XLII.

404. ANASTASIUS, Natione Romanus, ex Patre Maximino, sedit annis duobus, diebus viginti sex. Hic constituit, vt qui careret aliquo membro, non posset fieri Clericus. Floruit Ioannes Chrysostomus, Orosius Historiographus. Hic Anastasius constituit, quotiescunque Euangelium recitaretur, Presbyteri & Clerici non sederent, sed starent. Et constituit, vt nullus transmarinus ad Clericatus honorem susciperetur; nisi quinque Episcoporum sigillis designatum exhiberet Chyrographum, propter Manichæos.

INNOCENTIUS. XLIII.

407. INNOCENTIUS, Natione Albanensis, ex Patre Innocentio, sedit annis quindecim, mensibus duobus, diebus viginti. Hic constituit Sabbatho ieiunium celebrari; quia Sabbatho Dominus in sepulchro iacuit, & discipuli ieiunauerunt. Constitutionem fecit de Ecclesia, & de Regulis Monasteriorum & de Iudæis, & Paganis, & multos Cataphrygas inuenit. quos exilio relegauit, & Cælestinos Hæreticos, & damnauit eos, & constituit, vt qui natus fuerit de Christiana, per Baptismum nasci denuò debeat. Hic decreuit ad Missam pacis osculum dari. Floret Alexius Romæ, nobilissimi Romani Euphemiani filius, qui primus in Palatio Imperatoris fuit. Hic Innocentius statuit oleo ad vsus infirmorum, ab Episcopo consecrato, vti, non Presbyteris tantùm, sed etiam omnibus aliis Christianis. Hic damnauit Pelagium, in Britannia, cum execrabili sua doctrina exortum, asserentem hominem sine gratia DEI posse saluari, vnumquemque suis meritis, propria voluntate, ad iustitiam regi, infantes sine peccato Originali nasci. Damnauit & Cælestinum & Iulianum complices Pelagii. Hic fecit Ordinationes quatuor per mensem Septembrem. Qui sepultus est Romæ ad Vrsum Pileatum quinto Kalend. Augusti.

Quæ sequuntur, alia manu & atramento addita sunt.

HIc excommunicauit Arcadium Imperatorem, quia consenserat, vt S. Ioannes Chrysostomus à sede sua Constantinopolitana pelleretur ab Eusebia vxore sua, propter prædicationem, quam fecerat contra eam, eò quod circa imaginem suæ speciei quam erexerat, mulieres & puellas ludere compellebat, quod Chrysostomus prædicabat esse vitium Idololatriæ.

ZOZIMUS XLIV.

422. ZOZIMUS Natione Græcus, sedit anno vno, mensibus octo, diebus viginti quinque. Et cessauit diebus vndecim. Hic constituit, quod seruus nullo modo Clericus fieret, & vt in Sabbatho sancto Cereus benedicatur, & vt nullus Clericus in publico potum venderet.

BONIFACIUS XLV.

425. BONIFACIUS Natione Romanus, ex Patre Iocundo Presbytero, sedit annis tribus, mensibus octo, & cessauit diebus nouem. Hic decreuit, vt nulla mulier, aut Monacha pallam sacratam Altaris tangeret, aut lauaret, & vt seruus aut obnoxius curiæ, non fiat Clericus.

COELESTINUS XLVI.

428. COELESTINUS Natione . . . . ex Patre Prisco, sedit annis octo, diebus nouem & cessauit diebus viginti & vno. Hic constituit, vt Iudica me Deus, & discerne, &c. diceretur ante introitum Missæ, & Psalmi Dauid centesimus quinquagesimus ante Sacrificium psallerentur, canendo ex omnibus antiphonatim,

rum producuntur. Augustinus quoque Episcopus doctrinæ scientia præclaruit. Huius tempore Priscillanistæ & Pelagius Hæretici fuerunt. Hic Archadius fuit filius Theodosii, magnæque virtutis & prudentiæ homo. Huius tempore Albericus Rex Gothorum ex Africa veniens, Italiam intrauit, cæpit Romam, igne ferroque vastauit, dato prius præcepto, illos, qui in sacris locis, præcipuè in Basilicis Petri & Pauli Apostolorum se reciperent, securos esse. Deinde per Apuliam & Calabriam in Africam properantes, Albericus subita morte apud Consentium defunctus est. Gothi verò Bascentum amnem diuidentes, Albericum in medio aluei cum multis opibus sepeliunt. Amnem post proprio meatui reddentes Regem Attaulfum Alarici affinem constituentes, Romam redeunt, & si quid residuum fuit, more locustarum consumunt. Eo tempore clarissima vrbis loca fulminibus diruta sunt, quæ comburi ab hostibus nequiuerunt. Fitq; in tota Vrbe blasphemia Christo clamantium: Hæc ideo se perpeti, quia neglecta fuerunt sacra Deorum: sed Gothi de Vrbe recedentes, Gallam Theodosii Principis filiam Sororem Archadii, & Honorii secum auferunt, quam sibi Attaulfus matrimonio copulauit, quæ post Reipubl. multum vtilis fuit.

Anno Domini.

HONORIUS XLVII.

HOnorius cum Theodosio minore fratris filio imperauit annis quindecim. Huius temporibus Romam cœperunt Wandali: Hispanias quoque & Gallias occupant & vastant. Et Rodagius Rex Gothorum ab exercitu Romanorum occisus est. Hoc tempore Pelagius aduersus Christi gratiam erroris sui dogmata prædicat. Ad cuius damnationem Concilium apud Carthaginem trecentorum & tredecim Episcoporum congregatur. Hoc tempore Cyrillus Alexandrinus Episcopus insignis habetur. Hic Honorius Filius Theodosii & Frater Archadii fuit. Cuius tempore Heradianus quidam cum tribus millibus, & Septingentis nauibus ex Africa Romam tendens, occursu comitis Constantii, quem Honorius bellis præfecerat, sic contriuit, vt solus rapta naui Carthaginem rediret: ibique peremptus est. His diebus præcipiente Honorio, fauente Constantio, sopitis apud Africam Hæreticis, Pax Ecclesiis redditur. Tunc apud Hipponam florebat Augustinus Episcopus. His temporibus apud Bethlehem Palestinæ B. Ieronymus nonagesimo primo anno ætatis migrauit ad Christum. Fuit sanè Honorius moribus & Religione Theodosio Patri suo similis, Remque publicam pacatam relinquens, Romæ defunctus est: & iuxta B. Petri Apostoli Ecclesiam in Mausoleo sepultus est. Nullam sobolem relinquens. Nam duæ Stiliconis filiæ videlicet Maria & Hermancia, vna post alteram eius coniugio sociatæ, vtraque DEI iudicio morte præuentæ subita, ex hac luce Virgines migrauere. Cuius Honorii temporibus, quamuis multa bella surrexerunt, tamen vel nullo, vel minimo sanguine sunt sedata.

410.

THEODOSIUS XLVIII.

THEODOSIUS iunior, cum Valentiniano genero suo annis viginti septem. Hic accepto Imperio statim Valentinianum amitæ suæ filium Cæsarem fecit. Gens Wandalorum ab Hispanis ad Africam transeunt & vastant: ibique Catholicam fidem Arriana impietate subuertunt. Per idem tempus Nestorius Constantinopolitanus Episcopus suæ perfidiæ molitur errorem, aduersus quem Ephesina Synodus congregata, eius impia dogmata condemnauit. Eodem tempore in Creta Diabolus specie Moysis apparens, dum Iudæos in terram promissionis per mare pede sicco promitteret perducere, plurimos necauit, sed qui euaserunt ad Christi gratiam conuersi sunt. Tempore istius Vincula S. Petri instituta sunt celebrari, ab vxore eius. Hic Theodosius Arcadii filius orientale regebat imperium. Qui mortuo Honorio, Valentinianum amitæ suæ filium, vt Imperium occidentis susciperet, transmisit. His temporibus Gensericus Rex Wandalorum ex Hispania in Africam veniens, pene totam ferro, flammis & rapinis crudelissime deuastauit. Hoc sub turbine Beatissimus Augustinus, septuaginta sex ætatis suæ annis, & vigin-

425.

natim, quod antea non fiebat: sed Epistola Pauli & Euangelium dicebatur. Et ex hoc instituto accepti sunt Introitus de Psalmis, & Gradualia, Offertoria similiter, ante Sacrificium. Hic misit S. Patritium filium Conthes Sororis S. Martini Turonensis, in Hiberniam & conuertit omnes ad fidem. Tertia S. Synodus Vniuersalis Ephesina collecta est Ephesi, ducentorum Patrum, iussu huius Papæ Cœlestini, & Theodosii iunioris, in quo damnatus est Nestorius duas personas in Christo asserens & condemnatus anathemate; & confirmatum est, Christi esse vnam Personam in duabus naturis. Et vt B. Maria theoticos, id est DEI Mater, appellaretur.

SIXTUS XLVII.

436. SIXTUS III. Natione Romanus, ex Patre Prisco, sedit annis octo, diebus nouem, & cessauit diebus viginti duobus. Hic de Regione Cœlii Montis, constituit, vt nullus Clericus in Parochia alterius ordinare præsumat.

LEO XLVIII.

443. LEO Natione Tuscus, ex Patre Quintiano, sedit annis viginti & vno, mense vno, diebus viginti septem. Hic misit Epistolam * Martio Augusto, & suæ Coniugi, pulcherrimè omnem fidem exponens, & misit ad Fabianum Episcopum Epistolas octo, inter quas etiam scripsit vnam præclaram aduersus Eutychen de Incarnatione Domini, in qua redarguit eius blasphemiam. Hic post cladem Wandalorum * reuocauit omnia sacrata ministeria argentea. Sub hoc facta est tertia Synodus Calcedone. Hic etiam sepultus est in Basilica S. Petri Apostoli, Tertio Idus Aprilis. Hic Doctor addidit Canoni: Sanctum Sacrificium immaculatam hostiam. Septem Dormientes Fratres sub Decio tormentati in spelunca præ timore recluſi Dormientes, ex tunc post sanctam orationem, quam speluncam Decius obstruxerat, diuinitus à somno tempore huius Leonis surgunt, & asserta fide Resurrectionis nostræ coram Theodosio, de quo multum dubitabat, iterum dormiunt in Christo. Hoc factum est apud Ephesum. Quarta Synodus Calcedonensis sexcentorum & triginta Episcorum, apud Calcedonum industria Leonis, mandante Martiano Imperatore celebratur, in qua Eutyches Constantinopolitanus Abbas & Dioscorus Alexandrinus Episcopus, qui dicebant vnam verbi Dei, & carnis esse naturam, damnati sunt, & rursum Nestorius, & error eius damnatus est, & definitum, duas in Christo prædicari naturas, & vnam personam. Hic Leo Totilam Regem Wandalorum, postquam de Pannonia in Italiam regressus fuisset, & per triennium Aquileiam obsidens, cæpisset, ferro igneque omnino consumpta, Veronam, Vincentiam, Brixiam, Pergamum, Mediolanum, Ticinum diripuisset, Leo Papa Sanctissimus, ne Romam veniens idem faceret, personaliter adiit ipsum, vbi circa Padum morabatur: & non solum Romanam, sed totius Italiæ salutem reportauit. Et mirantibus omnibus Barbaris, cur sic honorificè Totila contra consuetudinem Papam recepisset, & in omnibus exaudiuisset, respondit, quendam vultu terribilem Papæ astitisse, & mortem sibi minantem, nisi Papam in omnibus exaudiret. Vnde statim de Italia exiens in Pannoniam rediit. Hic etiam Leo sanctissimus Gensericum Principem Africæ, qui cum magna multitudine Romam veniens, ipsam pæne totam vacuam inueniens, quia tam Nobiles, quam alii propter timorem suum ab Vrbe fugerant, rogauit & obtinuit vt in Vrbe ab igne & cæde abstineret, qui per tredecim dies Vrbem spolians, per Apuliam & Siciliam ipsas vastando & homines deducendo reuersus est in Africam. Illo tempore S. Paulinus Nolanæ ciuitatis Episcopus, pro cuiusdam Viduæ filio capto se tradidit, & in Africam deductus fuit. De quo scribit S. Gregorius in Dialogo.

* Martiano.

* renouauit.

HILARI-

& viginti nouem in Episcopatu expletis, migrauit ad Christum. Theodosius verò apud Constantinopolim morbo correptus interiit, ibique sepultus est. Eo tempore Rex Hunnorum Attila, dum cum Fratre suo Bela intra Pannonias, Daciamque gubernaret, Belam suum Germanum Regnique consortem peremit. Fultus itaque fortissimarum gentium, quas sibi subiugauerat, præsidio, ad demoliendum Romanum Imperium contendit. Fueruntque cum Romanis Burgundiones, Franci, Saxones, & pæne totus populus Occidentis: Convenerunt in Aluernia, & primum quidem Regem Burgundiæ occurrentem sibi, prostrauit. Demùm in bello ita acriter pugnatum est, qualiter vix vnquam in aliqua reperitur Historia. Cæsa sunt ex vtraque parte centum octoginta millia hominum, tantusque sanguis effusus est, vt modicus, qui ibi latebat, riuulus, de sanguine torrens effectus, traxit cadauera mortuorum. Attila verò, tanquam victus, Pannoniam rediit, & maiorem exercitum colligens, cum furore Italiam intrauit. Ac primum Aquileyam capiens, omnes ciuitates occupauit. Valentinianus autem dudum per Theodosium ad occidentales partes Cæsar missus, de consensu totius Italiæ, Imperator efficitur. Itemque ex Decreto Theodosii Augustus appellatur.

352 Anno Domini.

MARTIANVS XLIX.

Martianus & Valentinianus annis imperauerunt septem. Cuius initio Imperii Chalcedonense Concilium geritur, vbi Eutyches cum Dioscoro condemnatur. Huius anno etiam sexto Imperii Theodoricus Rex Gothorum, cum ingenti exercitu Hispaniam ingreditur. Sancta Genouefa claret Parisius. Sub isto martyrisantur vndecim millia Virginum ab Hunnis apud Coloniam. Iste Martianus Imperator apud Constantinopolim, facta suorum contra ipsum conspiratione, peremptus est. Tunc etiam ciuitas Agrippina, & omnes ciuitates supra Rhenum: nec non Parisii, Rhemi, Beluacum, Ambianii: Tungri & pæne omnes ciuitates Galliæ ab Hunnis siue Wandalis captæ & destructæ sunt.

451.

LEO PRIMVS L.

Leo primus Imperator annis septemdecim. Alexandria & Ægyptus errore Dioscori Hæretici languens, immundo repleta Spiritu, canina rabie latrat. Per idem tempus apparuit Hæresis Acephalorum Chalcedonense Concilium impugnantium. Hoc tempore Leo omnes imagines, quas in vrbe Roma inuenit, Constantinopolim deportauit, ibique omnes incendit. Sub isto Helisæus Propheta transfertur Alexandriam, & corpus S. Marci Venetias. Isiius Leonis tempore Augustulus apud Italiam Imperii Regnum inuasit, sed Odonacer capta Ticino, & omnino igne ferroque destructa, Horestem captum in Placentia decollauit. Augustulus verò, qui Imperium præsumpserat occupare, & quindecim mensibus tantum Remp. gubernasset, videns quod Odonacer totam Italiam occupasset; magno metu perterritus, sponte purpuram abiiciens, Imperialem deposuit Maiestatem. Et sic Odonacer vrbem Romanam ingressus, totius Italiæ regnum habuit. Quod cùm per quatuordecim annos, nullo inquietante gubernasset, ab Orientis partibus adueniens Gothorum Rex Theodoricus, Italiam possessurus intrauit. Per idem tempus S. Mammertus Viennensis Episcopus claruit, qui tres dies Rogationum ante Ascensionem Domini statuit ieiunare. Floruit etiam his temporibus Prosper natione Aquitanicus, & B. Leonis Papæ Notarius, qui apud Regnum Italiæ factus Episcopus, doctrina & miraculis claruit: ibique honorificè requiescit.

458.

HILARIVS XLIX.

465. HILARIUS Natione Sardus ex Patre Criſpino, ſedit annis ſex, menſibus tribus, diebus decem. Hic conſtituit, vt nullus Pontifex ſucceſſorem ſibi conſtitueret, & fecit ad ſanctum Laurentium Balneum, & Monaſterium, qui etiam ibidem ſepultus eſt iuxta corpus eiusdem Martyris. Per idem tempus, vt legitur in Hiſtoria Britonum, in Britannia regnabat Arturus, qui benignitate & probitate ſua Franciam, Flandriam, Norvvegiam, Daciam, cæterasque marinas Inſulas ſibi ſeruire coëgit. In prælio quoque lethaliter vulneratus, ſecedens ad curandum vulnera in quandam Inſulam, deinceps Britonibus de vita eius vſque hodie nulla certitudo remanſit.

SIMPLICIVS L.

471. SIMPLICIUS Natione Tiburtinus, ex Patre Caſtino, ſedit annis quindecim, menſe vno, diebus ſeptem, & ceſſauit diebus ſex. Hic vir Beatiſſimus dedicauit Baſilicam S. Stephani iuxta Baſilicam S. Laurentii, & Baſilicam S. Martyris Bibianæ, vbi Corpus eius requieſcit cum quatuor millibus, ducentis & quinquaginta ſeptem ſanctorum corporibus, exceptis paruulis & mulieribus. Hic conſtituit ad S. Petrum & ad S. Paulum, vt ſeptem Presbyteri, per Hebdomadas manerent propter pœnitentes & baptizantes, & fecit quinque regiones Presbyteris Vrbis dividendas, Primam regionem ad S. Petrum; Secundam ad S. Paulum; Tertiam ad S. Laurentium; Quartam ad S. Ioannem Lateranenſem; Quintam ad ſanctam Mariam maiorem. Et conſtituit, vt nullus Clericus inueſtituras à Laico recipiat. Sepultus eſt in Vaticano, iuxta corpus B. Petri Apoſtoli. Eo tempore fuit in Britannia Merlinus Vates ex filia Regis ſanctimoniali & Incubo Dæmone natus. * Nam mater ipſius Regis Dæmone Filia, inter Monachas in Eccleſia S. Petri degebat in Vrbe Koermedin, quæ aſſeruit, ſe nunquam virum cognouiſſe, ſed quidam in ſpecie pulcherrima ipſam frequenter deoſculans, & euaneſcens, & rurſum apparens, & eam amplectens grauidam reliquit, & cum Rex Britanniæ ædificium miræ magnitudinis conſtrueret, & nocte euaneſceret, quod de die ædificabatur, admirans, à Magis recepit reſponſum, quod ædificium non perficeret, niſi calcina miſceretur ſanguine alicuius ſine Patre procreati, & cum per Regnum talis quæreretur, Merlinus puer, à quodam puero ſecum contendente, talis notificatur, & captus Magos mentitos eſſe dixit. Et oſtendens eſſe ſub terra voraginem, * Mortem euaſit.

Videtur legendum. Nam vxori ipſius Regis Demercii vna cum filia.

**istum abſorbentem.*

FELIX LI.

486. FELIX Natione Romanus ex Patre Felice Presbytero, de Regione Faſciolæ, ſedit annis octo, menſibus vndecim, diebus octodecim, & ceſſauit diebus quinque. Hic fecit Baſilicam S. Agapiti juxta Baſilicam S. Laurentii Martyris. Hic conſtituit, Eccleſias ab Epiſcopo eſſe conſecrandas. Sepultus eſt in Baſilica S. Pauli. Huius tempore venit relatio de Græcia, Petrum Alexandrinum propter hæreſim damnatum, ab Acatio Conſtantinopolitano Epiſcopo reuocatum. Quod S. Felix graviter accipiens, conuocato Concilio, damnauit Acatium & Petrum. Hic etiam duos Epiſcopos, quos pro prædicta cauſſa in Conſtantinopolim Legatos direxit, qui per Imperatorem corrupti fuerant, conuocato Concilio damnauit.

GELASIVS LII.

494. GELASIUS Natione Afer, ex Patre Valerio, ſedit annis quatuor, menſibus octo, diebus viginti octo. Et ceſſauit diebus ſeptem. Hic fecit Orationes, Tractus & hymnos, ſicut Ambroſius, & Præfationem Miſſæ compoſuit: Verè dignum & iuſtum eſt: quotidiano vſui. Huius tempore facta eſt Inuentio Cryptæ S. Michaëlis. Inuenitur corpus S. Barnabæ, & cum eo Euangelium, quod propria manu in Hebraico S. Matthæus ſcripſit. Auitus Epiſcopus Viennenſis Galliam defendit ab Hæreſi Arriana. Alias Clodoueus quicquid Galliarum ſub iure Romanorum erat, tranſtulit ad ius Francorum.

ANA-

Anno Domini.

ZENO LI.

ZENO imperauit annis septendecim. Hic fecit leges plurimas. Leonem Augusti filium interficere quærens, pro eo, quod mater eius alium figura similem obtulit, eumque Leonem occultè fecit Clericum, qui in Clericatu ad tempora Iustini vixit. Per idem tempus corpus B. Barnabæ Apostoli, & Euangelium Matthæi eius stylo scriptum ipso reuelante repertum est. Iste Zeno cum Gothis fœdus pacis iniit. Theodoricus puer a Patre suo Principe Gothorum, Zenoni Imperatori in obsidem datur. Qui Theodoricus, cum octodecim annos habuisset, misit illum cum Gothis, gente sua in Italiam, quam Odonacer occupatam tenebat. Dum ergo Theodoricus per Bulgariam & Pannoniam in Italiam peruenisset, & post magnos labores, non longè ab Aquileia in uberrimis pascuis se & suos recrearet, Odonacer cum totius Italiæ viribus ibidem ipsum inuadens, contritus est penitus à Theodorico; ita quod Odonacer cum paucis Romam fugiens, dum propter portarum firmationem à populo non fuisset permissus Vrbem intrare, Rauennam se recepit, quam Theodoricus post trium annorum obsidionem peremit: & Romam ueniens, cum gaudio est receptus. Post Theodoricus omnia quietè tenens, Regis Francorum filiam duxit in uxorem. His temporibus * Hurricus Rex Africæ Arriana hæresi maculatus, plusquam trecentis Episcopis Ecclesias clausit: & ipsos in exilium in Sardiniam misit. Eodem tempore gens Saxonum, post multa & durabella totam Insulam Britanniæ possedit.

475.

* Hunericus.

ANASTASIUS LII.

ANASTASIUS annis viginti sex. Huius tempore * Transbamundus Wandalorum Rex in Africa Ecclesias Catholicas claudit. Centum viginti Episcopos exilio in Sardiniam † misit. Per idem tempus Carthagine Olympius Arrianus Episcopus, sanctam ciuitatem in balneis blasphemans, tribus igneis iaculis, Angelo mittente inuisibiliter, est combustus. Barnabas quoque quidam Episcopus Arrianus, dum contra regulam fidei, quendam baptisans dixisset: Baptisat te Barnabas per Filium, in nomine Patris, in Spiritu sancto, statim aqua, quæ fuerat ad baptisandum parata, nusquam comparuit. Quod aspiciens, qui baptisandus erat, abiit: & iuxta morem fidei baptisatus est. Huic Hormisda Papa, qui Symmacho successerat, Legatos solemnes in Constantinopolim dirigens, monuit, vt ab Hæresi Arriana discederet: Qui non solum Legatos audire, sed nec videre volens, subitò diuino iudicio per ictum fulminis interiit.

492.

* Thrasimundus.
† relegauit.

ANASTASIVS LIII.

498. ANASTASIUS Natione Romanus, ex Patre Fortunato, sedit anno vno, mensibus vndecim, diebus viginti tribus. Et cessauit diebus quatuor. Hic constituit, vt nullus Clericus prætermitteret Officium suum ira vel rancore, præter Missam.

SYMMACHVS LIV.

501. SYMMACHUS Natione Sardus, ex Patre Fortunato, sedit annis quindecim, mensibus septem, diebus viginti octo, & cessauit diebus septem. Hic constituit, omni die Dominico & in Natalitiis Sanctorum, Gloria in excelsis Deo canere, & quæ sequuntur, post verba Angeli addidit in eodem Hymno. Sub contentione ordinatus est vno die cum Laurentio, Symmachus in Basilica Constantiana, Laurentius in Basilica sanctæ Mariæ maioris, ex qua causa separatus est Clericus, & Populus diuisus à Senatu. Et facto Rauennæ iudicio coram Theoderico Rege, electus est Symmachus & confirmatus. Clodoueus Rex Francorum à B. Remigio baptizatur, qui & Parisiis regalem Ecclesiam ædificauit in honorem Apostolorum Petri & Pauli, tunc S. Genouefæ. Boëtius vir Consultus in Italia floret, qui exulatur à Theodorico Rege Italiæ, ibique libros sibi de consolatione Philosophiæ edidit. Hoc tempore clarent S. Remigius, S. Maxentius Abbas, S. Leodegarius, S. Arnulphus, S. Genouefa. Eo tempore Sigismundus Rex Burgundiæ ad honorem B. Mauritii, sociorumque eius, apud Agaunum ibidem quiescentium, Monasterium construxit, multisque possessionibus ditauit. Eodem tempore Papa Symmachus conuocata Synodo, ex misericordia constituit prædictum Laurentium Nucerinum Episcopum. Post paucos annos criminatur ex Inuidia Symmachus per falsos testes, & occultè reuocatur Laurentius, & iterato est diuisus Clerus. Quidam adhærebant Symmacho, alii Laurentio. Sed conuocata Synodo iteratò ducentorum quindecim Episcoporum, expurgatur Symmachus de crimine falso, & cum gloria restituitur, Laurentius cum suis condemnatur.

HORMISDA LV.

516. HORMISDA Natione Campanus, de ciuitate Freselon, ex Patre Iusto, sedit annis nouem, diebus septendecim, & cessauit diebus sex. Hic Clerum composuit, & Psalmos erudiuit, & Græcos reconciliauit, qui obligati fuerant vinculo anathematis, propter Petrum Alexandrinum Episcopum. Hic postquam eleemosynas multas pauperibus erogasset, nec non & Basilicis diuersa ornamenta contulisset, apud S. Petrum trabem argenteam mille & quadraginta librarum relinquens, ibidem sepultus, requiescit.

IOANNES LVI.

525. IOANNES Natione Tuscus, ex Patre Constantino, annis duobus, mensibus octo, & cessauit diebus octo, Huius tempore Francia conuertitur ad Christum. Hunc Theodoricus Rex Gothorum, qui dominabatur in Italia, misit Constantinopolim ad Iustinum Imperatorem. Sed reuersum cum sociis suis carcerali angustia peremit: quod Deus paruo tempore post acriter puniuit. Nam post paucos dies est Rex extinctus, cuius animam quidam S. Eremita vidit per Iohannem Papam in ollam Vulcani proiici, Obiit autem Rauennæ in Carcere, cuius corpus translatum est Romam & sepultum in Ecclesia S. Petri.

FELIX LVII.

527. FELIX Natione * Sauinus, ex Patre Constantino, sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus tredecim, & cessauit diebus quinque, Hic constituit vt Infirmi ante transitum suum sancto oleo debeant inungi. Hic Patriarcham Constantinopolitanum excommunicauit.

* Samius.

BONIFA-

IUSTINUS LIII.

IUSTINUS imperauit annis nouem. Hic ardore fidei certabat, vt Hæreticos dissipa- 518.
ret. Quod audiens Theodoricus Rex Arrianus Italiæ, misit nuncios suos Constanti-
nopolim ad Iustinum Imperatorem, mandans, quod nisi Ecclesias Hæreticis restitueret,
ipse totam Italiam deuastaret. Post Transmundus * Illericum Wandalorum regnum *Illyricus.
suscepit. Qui sacramento Transmundo astrictus, ne Catholicis in regno suo consuleret,
antequam regnum susciperet, Episcopos ab exilio reuocauit, & Ecclesias reformauit.
Hic Iustinus Christianissimus Imperator, statuit, vt vbique Ecclesiæ Hæreticorum, Chri-
stiana Religione consecrarentur. Quod cum in Italia Rex Theodoricus Gothus, Arria-
na Hæresi pollutus, audisset, Ioannem Papam, & alios viros consulares, in Con-
stantinopolim dirigens, comminatus est, quod nisi Arrianis Ecclesias restitueret, omnes
Christianos per Italiam gladio perimeret. Qui à Iustino honorificè recepti, ad preces
Papæ, & Nunciorum, compatiens neci Christianorum, de Ecclesiis Arrianorum super-
sedit. Dum verò hi in itinere demorarentur, Theodoricus rabie iniquitatis stimula-
tus, Boëthium Senatorem, quem prius exilio relegauerat, & alios viros Catholicos gla-
dio trucidauit. Ioannem vero Papam, cum his quibus fuerat profectus, postquam re-
dierunt Rauennam ad ipsum, carcerali angustia peremit. Sed hanc ipsius crudelita-
tem mox animadversio diuina secuta est. Nam nonagesima die post hoc facinus subita
morte defunctus est, cuius animam quidam vir sanctus Eremita vidit per Ioannem Pa-
pam in ollam Vulcani proiici. Ad hunc Iustinum Christianissimum misit Hormisda
venerabilis Papa in Constantinopolim S. Germanum Capuanum Episcopum, cum multis
aliis personis, pro reuocatione Episcoporum, quos Anastasius perfidus eiecerat, quos
Nuncios cum grandi lætitia Clementissimus Imperator suscepit. Eodem tempore B. Bri-
gida obiit in Scotia.

IUSTINIANUS LIV.

IUSTINIANUS imperauit annis triginta octo. Hunc Imperatorem Agapitus Papa, 527.
vir Dei reuocauit ab errore Eutychis. Hic leges condidit, & consummauit libros
Codicem & Digestum. Belisarius Patricius mirabiliter de Persis triumphauit, qui
de Iudæâ, à Iustiniano missus ad Africam, Wandalorum gentem deleuit. Hoc tempore
obsessa est Roma à Gothis vno anno circuitu, sed liberata est à Belisario Patricio. Arator
Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, Poëta mirabilis, qui Actus Apostolorum metricè compo-
suit, claret. Floret Priscianus Grammaticus. Hic Iustinianus abbreuiauit leges Roma-
norum. Huius temporibus facta est mortalitas apud Constantinopolim, qua de caussa

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

BONIFACIVS II. LVIII.

531. BONIFACIUS II. Natione Romanus ex Patre Figunuldo, ſedet annis duobus, diebus viginti ſex, & ceſſauit diebus quinque. Hic conſtituit, vt Clerici ſint diuiſi à Laicis in celebratione Miſſæ. Hic ſepultus eſt in Eccleſia S. Petri.

IOANNES II. LIX.

533. IOANNES II. Natione Romanus ex Patre Proiecto, de Cælio monte, Sedit annis duobus, menſibus quatuor, diebus ſex, & ceſſauit diebus ſeptem. Hic damnauit Anthemium Arrianum Epiſcopum. Maurus diſcipulus S. Benedicti ſanctitate claret in Gallia.

AGAPITVS LX.

536. AGAPETUS Natione Romanus, de regione Ioannis & Pauli, ſedit annis duobus, diebus octodecim. Hic conſtituit Proceſſiones fieri in die Dominico. Hic ad Iuſtinianum Imperatorem in Conſtantinopolim veniens, defunctus eſt, cuius corpus Romam translatum in Baſilica B. Petri ſepultum eſt.

SILVERIVS LXI.

538. SILVERIUS Natione Campanus, ex Patre Hormiſda, Epiſcopo Romano, ſedit anno vno, menſibus quinque, diebus vndecim. Hic in exilio interfectus eſt ab Imperatore. Nam Theodora Imperatrix propter Anthemium Epiſcopum de Hæreſi condemnatum, quia ipſum reſtituere noluit, miſit in exilium in Pontiam Inſulam, ibique mortuus eſt.

VIGILIVS LXII.

541. VIGILIUS Natione Romanus, ex Patre Ioanne, ſedit annis ſeptendecim, menſibus ſex, diebus viginti ſex, & ceſſauit menſibus tribus & diebus quinque. Huius tempore Beliſarius Patricius liberauit Romam à captione Gothorum, & obtulit S. Petro crucem auream de Wandalorum ſpoliis, penſantem libras centum. Moritur in exilio in ciuitate Syracuſis. Hic ordinauit Miſſam celebrari in Eccleſia ab Orientali parte. Hunc, quemadmodum & Prædeceſſorem ſuum, Theodora Imperatrix propter Anthemium Epiſcopum Conſtantinopolitanum perſecuta eſt, & de mandato ipſius ductus eſt Conſtantinopolim; vbi, cum nollet Anthemium Hæreticum Epiſcopum reſtituere, alaphizatus, de Eccleſia S. Sophiæ, in quam fugerat, extrahitur, & miſſo fune in collum, per totam ciuitatem à mane in veſperam tractus, in exilium miſſus, moritur. Hoc tempore in vna Vrbe Ciliciæ conſtat Theophilum Archidiaconum extitiſſe, qui Chriſtum & ipſius Genitricem abnegando, Diabolo homagium fecit, qui poſt per diabolum, ad quod volebat, promotus, ad cor rediens, & cum fletu dura pœnitentia ſe affligens, mediante B. Maria Virgine, veniam & gratiam recuperauit. Hic Vigilius, licet malè Papatum intrauit, eò quod cupidus ad Papatum, cum eſſet Sylueri Papæ Archidiaconus, propter ipſius conſilium Syluerius Papa ab Imperatrice Theodora exilio eſt relegatus, vt ei in Papatu ſuccederet, qui tamen de facto pœnituit, pro fide exilio relegatus, ibidem feliciter vitam terminauit. Huius tempore apud Conſtantinopolim quinta Synodus congregata eſt ſub Iuſtiniano Principe contra Theodoram & omnes Hæreticos, qui beatiſſimam Mariam tantum hominem, & non Deum & hominem genuiſſe affirmabant.

PELAGIVS LXIII.

558. PELAGIUS Natione Romanus, ex Patre Ioanne, ſedit annis quatuor, menſibus decem, diebus octodecim. Hic conſtituit, vt Hæretici vel ſchiſmatici per ſæculares poteſtates punirentur. Hoc tempore B. Brandanus in Scotia clarus habetur.

IOANNES LXIV.

562. IOANNES Natione Romanus, ex Patre Anaſtaſio, ſedit annis duodecim, menſibus vndecim, diebus viginti ſeptem, & ceſſauit menſibus decem & diebus tribus. Hic reparauit & reſtaurauit Cœmiteria SS. Martyrum. His temporibus Fortunatus Poëta, vir egregius, & ingenio clarus, de Italia Turonis veniens, geſta B. Martini conſcripſit, & demum in Pictauenſem Epiſcopum eſt ordinatus. Eodem tempore B. Maurus, S. Benedicti Diſcipulus, qui de Italia Gallias venerat, poſt laudabilem vitam Monaſticam migrauit ad Chriſtum, & prope Pariſios quieſcit tumulatus.

BENEDICTVS LXV.

573. BENEDICTUS, Natione Romanus ex patre Bonifacio, ſedit annis quatuor, menſe vno, diebus octodecim, & ceſſauit menſibus tribus, diebus decem. Huius tempore Longobardi inuaſerunt totam Italiam, comitante multa fame, & mortalitate, in quibus laboribus & afflictionibus idem Benedictus Papa mortuus eſt, & ſepultus in Baſilica S. Petri.

PELA-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anno Domini.

constituta est solennitas Purificationis B. Mariæ, quæ dicitur Hypante dum Hypantein Græcè, latinè dicitur obuiare. His temporibus apud Montem Cassinum, post solitariam & arctam vitam, in Cœnobio monastico S. Benedictus degebat. Huius Iustiniani temporibus Resp. multum prosperata est tàm in Oriente, quam Occidente. Nam licet ipse esset circa libros & leges intentus, per Patritium tamen Belisarium nomine, quem ad bella constituit prosperè vbique gessit. Nam postquam Persas incredibili victoria vicit, transiuit in Africam contra Wandalos, & ipsis victis Romano Imperio subiugauit. * Transtulitque Italiam contra Gothos, qui eam, & etiam Romam occupauerant. Transiensque per Siciliam, venit Neapolim, sed quia ciues propter Gothos, qui intus erant, eum recipere noluerunt, ipsam paucis diebus oppugnans cæpit. Qui non solum in Gothos acriter desæuiit, sed etiam in ciues. Nulli enim ætati, vel sexui parcere voluit. Monasteriorum atque Clericorum & aliarum Ecclesiarum bona diripuit. Tandem cum ad vrbem Romanam appropinquaret, Gothi qui intus fuerant, nocturno tempore dimissi, portis vrbis apertis, versus Rauennam fugerunt, ibique se congregantes bello campestri omnes victi sunt. Belisarius verò Patricius victoria habita ad Iustinianum Constantinopolim rediit, regem Gothorum secum adducendo. Iisdem temporibus tanta fames fuit per totam Italiam, quod Matres carnes puerorum suorum comedebant. Eodem tempore floret Cassiodorus Rauennæ Senator, postea Monachus, ornatus scientia & eloquio. Hoc etiam tempore S. Herculanus Perusinus Episcopus à Rege Gothorum capite truncatus moritur. Hic etiam Iustinianus, postquam mirificum templum Constantinopoli honore S. Sophiæ, & Christi extruxit, ibidem in multa pace defunctus sepelitur.

* transiuit.

IUSTINUS LV.

IUSTINUS imperauit annis vndecim. Narses Patritius, postquam Iustino Augusto Regem Gothorum in Italia superauit, Sophiæ Augustæ Iustini coniugis minis perterritus, ad Longobardos se contulit, eosque in Italiam introduxit. Nam cum gens Lombardorum habitaret in Pannonia, Narses cum * Alburæa, qui tunc fuit Rex ipsorum, & cum Rotario successore ipsius, sic facti sunt amici, quasi essent Germani, & inierunt consilium, quomodo Regnum Italicum à Iustino Imperatore, & eius successoribus possent eripere, quod factum est, & absolutum est regnum Italicum à iugo Constantinopolitano. Et ab illo tempore Romani per Patritios cæperunt dominari. Et factum est regnum Italiæ habitatio Lombardorum; qui Mediolano, Ticino, Brixia, Pergamo depopulatis, ibidem prius habitare cæperunt. Post Rotarium regnauit Gisulphus & Erberectus. Cui Erberecto successit Rex Lubrandus: & Lubrando successit Rex Guimandus, & eius filius Romualdus Samnitibus imperabat. Istis temporibus Lombardi, licet essent baptisati, nihilominus colebant Idola, sicut arbores: & etiam more bestiali simulacrum viperæ: a quo errore vir sanctus Barbatus nomine Beneuentinus Episcopus, ipsos retraxit. Nam & arborem quam colebant, succidit, & simulacrum viperæ aureum in calicem commutauit. Post in Lombardorum regno successit Astulphus Rex, contra quem venit Rex Pepinus ex Francia, vocatus per Papam, sicut ostenditur, vbi agitur de Pepino. Istius Romualdi temporibus corpus B. Bartholomæi de Indiæ primò peruenit in Insulam Liparim, post Beneuentum translatum est. Huiusmodi tempore Armeni Christianam fidem receperunt. Eo tempore Lombardi comam capitis tondebant, & hoc à ceruice vsque ad occipitium. Nam ceruicem vsque ad occipitium radentes nudabant, Capillos à facie vsque ad os dimissos habebant. Vestimenta eis erant larga & longa, & maximè linea: qualia Frisones habere solent, Caligæ verò erant pendentes vsque ad pollicem: laqueis corrigiarum hinc inde ligatæ.

568.

* Arburo.

LIBERIUS

PELAGIUS LXVI.

580. PELAGIUS, Natione Romanus, ſedit annis decem, menſibus duobus, diebus decem. Et ceſſauit menſibus ſex, diebus vigintiſex. Hic ordinatus fuit abſque iuſſione Principis. Eo tempore Longobardi obſederunt Romam. Multa vaſtatio ab eis in Italia fuit. Eo tempore tantæ pluuiæ fuerunt, quod omninò dicerent, quod diluuium inundaret: & tales clades fuit, qualem nullus à ſæculo meminit audiuiſſe. Ab hoc B. Gregorius Conſtantinopolim Apocriſarius directus, hortatu Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, libros moralium in Iob compoſuit.

GREGORIUS LXVII.

591. GREGORIUS, Doctor, Natione Romanus, ſedit annis tredecim, menſibus ſex, diebus decem. Cœpit quarto Idus Martii, & ceſſauit Epiſcopatus menſibus quinque, diebus ſedecim. Hic Doctor diuinarum Scripturarum ſollertiſſimus, inquiſitor manſuetus. Hic compoſuit Homilias numero quadraginta, Iob & Ezechielem expoſuit. Regiſtrum Paſtoralem, Dialogum & multa alia bona fecit. Hic in propria domo fecit Monaſterium. Merito terreſtris Angelus vocatur, quia cæleſtem vitam duxit in terris. In ſingulis Eccleſiis Romanæ Vrbis in remiſſionem humani generis, ſingulis diebus quadrageſimæ conſtituit fieri Stationes, deuotioni fidelium celebrandas; & ne erroris antiqui ſemen de cætero pullularet, imaginibus Dæmonum, capita & membra fecit generaliter amputari, vt per hoc extirpata radice hæreticæ prauitatis, palma Eccleſiaſticæ veritatis plenius exaltaretur. Et addidit in Miſſa: *DIES NOSTROS IN TVA PACE DISPONAS.* Et compoſuit multos libros. Et fecit ſupra Corpora Apoſtolorum Petri & Pauli iugiter celebrari à Papa ſiue à Carſidinalibus. Hic conſtituit per ſeptiformem Litaniam placare iram Dei. Septiformis autem ideo dicta eſt, quia in primo Choro fuit omnis Clerus, in Secundo omnes Abbates cum Monachis, In Tertio omnes Abbatiſſæ cùm Congregationibus, In Quarto omnes Infantes, In Quinto omnes Laici, In Sexto vniuerſæ viduæ, In Septimo omnes coniugatæ. Hic primus Pontificum *SERVVS SERVORVM DEI*, ſe ſcripſit.

Quod ſequitur, paulo minutiore charactere, verùm eâdem manu ſcriptum eſt, idque ſeparatim.

Vnde habentur verſus apud gloſſ. 1. q. 7. c. Quoties.

Seruierant tibi Roma prius Domini Dominorum,
Seruorum ſerui nunc tibi ſunt Domini.
Roma vetuſta fuit, ſed nunc noua Roma vocatur,
Eruta ruderibus culmen ad aſtra fero.

SABINIANUS LXVIII.

604. SAVINIANUS ſedit anno vno, menſibus quinque, diebus nouem, & ceſſauit menſibus vndecim & diebus viginti vno. Hic conſtituit vt horæ diei per Eccleſias * pſallerentur. Hic cum B. Gregorio Papæ poſt mortem derogaret, & maximè ipſius liberalitati; & propter hoc egenis manum adiutricem ſubtraheret, S. Gregorius ipſum ter per viſum pro culpa redarguens, & quarto cum ſe nollet corrigere, in capite percuſſit, quo tactu etiam euigilans, vexatus in capite, expirauit.

**pulſarentur.*

BONIFACIUS LXIX.

606. BONIFACIUS III. Natione Romanus, ſedit menſibus octo, diebus viginti octo. Hic conſtituit, vt * viridus pannus ſupra Altare poneretur.

**nitidus.*

BONIFA-

LIBERIUS LVI.

LIBERIUS imperauit annis septem. Tempore huius Lombardi Italiam magna manu cæperunt, & depopulati sunt eam Gothi, qui erant Pagani & Hæretici; facti sunt Christiani. Hic Christianissimus, & in pauperes pissimus Thesauros Palatii pauperibus erogabat. Et cum ipsum Augusta, eo quod omnes Thesauros pauperibus erogaret, tanquam * dispensatorem Reipub. argueret, respondit: Confido in Domino, quod fisco nostro non deerit pecunia: si de his, quæ nobis Dominus contulerit, eleemosynas faciendo, conquiramus in cælo thesauros. Et cum transiret per quoddam Palatium Imperiale, vidit in pauimento tabulam marmoream, in qua erat crux sculpta. Cumq; illam tabulam fecisset leuari dicens indignum crucem pedibus conculcari, quæ in pectoribus & frontibus hominum debet esse, apparuit sub illa alia tabula, eodem modo cruce sculpta. Cumq; & illam leuari fecisset, apparuit tertia tabula consimilis. Et cum Imperator admirando & illam leuari fecisset, inuenit infinitum thesaurum. 578.

* dissipatorem. B. Gregorius Turonensis histor. Francor. lib. 2. c. 19.

MAURITIUS LVII.

MAURITIUS imperauit annis viginti. Eo tempore S. Gregorius insignis habetur. * Assathes aduersus Romanos dimicantes, auro magis, quam ferro pelluntur. Hic fuit vir fide Catholicus, & Reipubl. satis vtilis: qui Persas & Armeniam præliis, incendiis, captiuitate hominum, primo Imperii eius anno per Præfectum suum debellauit. Huius tempore B. Gregorius Archidiaconus in Papam eligitur, & ipse imperialibus literis suum firmauit assensum. Eo tempore in Saphet non longè à Ierusalem tunica Domini * inconsumptilis inuenta, ab Episcopis Gregorio Antiocheno, Thoma Ierosolymitano, & ab aliis in arca marmorea & delata est in Ierusalem. Anno decimo quarto Mauritii B. Gregorius misit in Angliam Augustinum Monachum, pro conuersione Saxonum, qui de nouo Britanniam intrauerant. Nam Britones diu ante Christiani fuerunt. Tandem Imperator Mauritius cum B. Gregorio Papa discordabat plurimum, adeò vt post multas detractiones, quas Papæ faciebat, etiam * sibi mortem minitaretur. Apparuit autem Romæ tunc quidam vir in Monastico habitu euaginatum habens gladium, per ciuitatem transeundo clamans: Mauritium eodem anno gladio perimendum. Quod Imperator percipiens, de malis suis pœnitens, per se & per alios Deum orauit, vt hanc sententiam retractaret. His gestis audiuit in somno vocem dicentem: Vis vt hic, aut in futuro iudicio tibi parcam? Et Imperator respondit. Amator miserorum Deus, hic mihi redde malum meum, vt in futuro parcas. Post Mauritius in Oriente constitutus, cum Milites suos à furtis & rapinis cohiberet, nec tamen eis stipendia consueta daret: milites prouocati Phocam super se, contra Mauritium in Cæsarem creauerunt. Quo audito, Mauritius in Insulam quandam fugit, ibique cum vxore, & duobus Filiis per Phocam interemptus est. Hic primus ex Græcorum gente Romanum possedit Imperium. 585.

* Arsaces.

* inconsutilis.

* eis

PHOCAS LVIII.

PHOCAS imperauit annis octo. Iste seditione Imperator factus, Mauritium Augustum nobilem, & multos interfecit. Prælia quoque grauissima aduersus Regem Persarum exercitatus est, quibus Romani fortiter debellati, plurimas Prouincias, & ipsam Ierosolymam dimiserunt. Hic concessit B. Bonifacio IV. Pontifici Romano templum, quod Pantheon dicebatur, vt consecraretur in honorem B. Mariæ & omnium Martyrum. Priscus autem Phocæ homicidia non sustinens, ad Heraclium in Africam mittit, vt Heraclium filium suum contra Phocam mitteret: quod & factum est. Nam Heraclius nauigio veniens, Phocam vicit. 603.

BONIFACIUS. III. LXX.

607. BONIFACIUS IV. Natione Marsorum de Ciuitate Valeria ex Patre Ioanne * Mendico, sedit annis sex mensibus octo, diebus duodecim. Et cessauit mensibus septem, diebus viginti quinque Hic obtinuit ab Augusto Phoca Imperatore, vt Ecclesia B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum: quia Constantinopolitana Primam omnium Ecclesiarum se scribebat. Iste Bonifacius Papa & Christiani, templum, quod dicitur S. Maria rotunda, multotiens à Dæmonibus percutiebantur Christiani, rogauit Imperatorem Phocam, vt condonaret ei hoc templum: ita mirabilitet dedicatum ad honorem Cybeles Matris Deorum, & Neptuni Dei marini in Calend. Nouembrium, vt ipse posset dedicare illud ad honorem B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quod Cæsar ei concessit, & ipse Papa cum Romano populo in die Kalendarum Nouemb. illud dedicauit, & statuit vt in isto die Romanus Pontifex celebraret ibi Missam, & Populus accipiat Corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sicut in die Natalis Domini, & in isto die Omnes sancti cum Virgine Matre Christi Maria habeant festiuitatem cum omnibus cælestibus Spiritibus, & omnis populus Christianus. Defuncti verò habeant per Ecclesiam totius mundi Sacrificium sequenti die, pro Redemptione animarum.

* Medico.

DEUS DEDIT LXXI.

613. DEUS dedit, Natione Romanus, ex Patre Stephano Subdiacono, sedit annis tribus viginti, & cessauit mensibus tribus & diebus sexdecim. * Hunc dum quidam oscularetur Leprosus, statim à lepra mundatus est.

* Hic dum quendam oscularetur leprosum.

BONIFACIVS LXXII.

616. BONIFACIUS V. Natione Campanus, de Ciuitate Neapoli, sedit annis quinque diebus tredecim. & cessauit mensibus sex, diebus sexdecim. Hic constituit vt fures Ecclesiarum essent anathematizandi, & vt testamentum valeret Principis iussione, & vt Acolytus reliquias Martyrum non audeat leuare.

HONORIVS LXXIII.

622. HONORIUS I. Natione Campanus, ex Patre Petrino Mocorsi, sedit annis duodecim, mensibus vndecim, diebus septendecim, & cessauit mensibus septem & diebus octodecim. Hic constituit, vt omni Sabbatho ad S. Petrum procederent Litaniæ. Hic etiam Clerum salubritet erudiuit, ac super Eleemosynas, quas quotidie pauperibus distribuebat larga manu, multas Ecclesias, auro, argentoque decorauit. Hic Sepultus apud S. Petrum.

SEVERINVS LXXIV.

635. SEVERINUS, Natione Romanus, ex Patre Abieno, sedit anno vno, & cessauit mensibus quatuor, & diebus viginti octo. Hic Pontifex Sanctus & benignus, fuit amator Cleri, & pauperum. Res & possessiones Ecclesiarum ampliauit, sepultus est apud S. Petrum.

IOANNES IV. LXXV.

636. IOANNES IV. Natione † Dalmata, ex Patre * Veneratio Scholastico, sedit anno vno, mensibus nouem, diebus octodecim & cessauit mensibus †..... diebus octodecim. Hic thesauris Ecclesiæ distractis, multa millia hominum per Istriam & Dalmatiam à seruitute redemit. Sepultusque est in Ecclesia S. Petri.

† Dalmatia. * Venantio. † nouem.

THEODORVS LXXVI.

638. THEODORUS Natione Græcus, ex Patre Theodoro Episcopo, de ciuitate Ierusalem, sedit annis sex, mensibus quinque, diebus octo, & cessauit diebus quinquaginta duobus. Hic constituit benedictionem Cerei in Sabbatho sancto.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

HERACLIUS LIX.

HERACLIUS, cum Constantino Filio suo imperauit annis triginta & vno. Huius tempore * Sebustius Gothorum glorioſiſsimus Princeps plurimas Romanorum ciuitates sibi rebellantes subiecit: & Iudæos regni sui subiectos ad fidem Christi conuertit. Tertio anno Imperii huius Heraclii, Cosdroes, Persarum Rex, multam partem Romanæ Reipubl. cepit, deuastauitque Ieroſolymam, & venerabilia loca incendit. Qui populorum captiuans copias, vna cum Patriarcha Zacharia, & pretioſo ligno S. Crucis in Perſidem duxit. Anno autem Heraclii duodecimo Cosdroes Rex Persarum interemptus est per Heraclium. Et tunc populus à Captiuitate liberatus, cum S. Cruce est reuocatus. Eodem tempore Mahometus Propheta Saracenorum surrexit. Fuit autem magus. Et quia epilepticus, ne perciperetur, dicebat se tunc loqui cum Angelo, quotieſcunque caderet. Et de principatu latronum peruenit ad regnum. A quodam etiam Monacho Apoſtata, nomine Sergio, informabatur. Hic Heraclius deuicta Perſide, cum gloria rediens, Zachariam Patriarcham, & omnem populum Christianum captiuum Ieroſolymam reduxit: & ſanctam Crucem, quàm à Coſdroe receperat, portans, ornatus regio ſchemate, dum per portam, per quam Chriſtus baiulans crucem ad paſsionem exiuit, intrare vellet, Porta diuinitus clauditur, eique humiliato rurſum ad intrandum aperitur. Et ita cruce reuelata, celebritatem Exaltationis ipſius ſtatuit fieri annuatim. Hoc tempore floret Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, B. Leandri ſucceſſor. Hic vir eruditiſsimus Etymologiarum librum compoſuit; Chronica etiam à tempore * Ieronymi vſque ad obitum ſuum conſcripſit. His temporibus floruit S. Gallus Abbas in Alemannia S. Columbani diſcipulus. Anno Imperii Heraclii quinto decimo Saracenos, qui hactenus ſub regno Perſarum fuerant, Heraclius ipſos deuictos, Romano reddit Imperio. Hoc tempore Mahomet Princeps Saracenorum moritur, poſt quem * Ebier principatur. Heraclius autem cum eſſet Aſtronomus, vidit in aſtris regnum ſuum à circumciſa gente eſſe vaſtandum: propter quod mandauit Regi Francorum, vt omnes Iudæos in regno ſuo præciperet baptiſari; quod & factum eſt. Verum poſt inter Romanos & Saracenos bellum implacabile oritur, adeò quod Heraclius timens de Cruce Domini, ipſam de Ieruſalem Conſtantinopolim tranſtulit. Cuius magna pars poſt, Anno Domini Milleſimo, ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Lodoici Regis Francorum, Pariſios eſt translata. Eo tempore S. Aurea claret. Anno Heraclii viceſimo octauo, Saraceni, qui ſibi rebellauerant, deſtructa Hieroſolyma, Antiochiam capiunt. Demum Heraclius Hydropicus effectus, moritur Monothelitarum hæreſi maculatus, quæ negat in Chriſto fuiſſe duas voluntates. Nam ex quo crucem Domini in Hieruſalem portauerat, in partibus illis fuerat commoratus; Et cum Patriarcha Iacobitarum de fide diſceptans, ab ipſo decipitur. Iacobitæ verò ſunt Chriſtiani, quos Apoſtolus Iacopus ad fidem conuertit, ſed male de fide ſentiunt.

612. * Siſebuſtus.

* Iouiniani.

* Ebuzer.

ſancto. Hic librum pœnitentialem compoſuit. Huius tempore Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, * Puri ſucceſſor, non tantum veſana ſua doctrina, ſed etiam aperta perſecutione Catholicos cruciat. Apocriſarios etiam Romanæ Eccleſiæ, qui ad eius correctionem miſſi fuerant, quosdam carceribus, quosdam verò verberibus affecit. Vnde & ipſum ſicut anteceſſorem ſuum Papa damnauit.

* Phyrrhi.

MARTINVS LXXVII.

645. MARTINUS de ciuitate Tiburtina Prouinciæ Thuſciæ, ſedit annis ſex, menſe vno, diebus viginti ſeptem, & ceſſauit diebus viginti octo. Hic dum celebraret Miſſam, Spatarius Olympii miſſus eſt ad occidendum eum: qui leuando gladium, ſtatim cæcus effectus eſt. Hic celebrauit Romæ Concilium, vbi damnauit praui dogmatis aſſertorem Paulum Conſtantinopolitanum, falſi nominis Patriarcham. Propter quod Conſtantinus Imperator ipſum Conſtantinopolim euocauit, & inde in exilium Cherſonam miſſus, ibi ad Chriſtum feliciter migrauit.

EVGENIVS LXXVIII.

651. EVGENIUS I. Natione Romanus, de Regione Auentina, Clericus à cunabilis, ex Patre * Ruſiano, ſedit annis duobus, menſibus octo, diebus viginti duobus, & ceſſauit menſe vno, diebus viginti octo.

* Ruffino.

VITALIS LXXIX.

653. VITALIS Natione Signenſis, Prouinciæ Campaniæ, ex Patre Anaſtaſio, ſedit annis octodecim, menſibus ſex, & ceſſauit menſibus duobus, diebus tredecim. Hic cantum Romanorum compoſuit, & dulciſono & organo concordauit.

THEODATVS LXXX.

671. THEODATUS Natione Romanus, ex Monacho, de Patre Iobiano, ſedit annis quatuor, menſibus duobus, diebus quinque, & ceſſauit menſibus quatuor, & diebus quindecim.

DONVS LXXXI.

675. DONUS Natione Romanus. ex Patre Mauritio, ſedit anno vno, menſibus quinque, diebus decem. Et ceſſauit menſibus duobus, diebus quindecim. Hic decorauit illum locum ante Baſilicam S. Petri, qui dicitur Paradiſus.

AGATHO LXXXII

677. AGATHO Natione Siculus, ſedit annis duobus, diebus tribus, menſibus ſex, & ceſſauit anno vno, menſibus ſeptem, diebus quindecim. Hic dum quendam leproſum oſcularetur, ſtatim mundatus eſt. Huius tempore Rauennata Eccleſia, quæ diu ſedi Apoſtolicæ rebellis fuerat, ad obedientiam rediit.

LEO LXXXIII.

681. LEO II. Natione Siculus, ex Patre Paulo, ſedit menſibus decem, diebus ſeptendecim, & ceſſauit menſibus vndecim, diebus viginti duobus. Hic conſtituit pacem dari in Eccleſiis totius Chriſtianitatis fidelibus, poſt Agnus DEI. Hic fuit eloquentiſſimus, in diuinis ſcripturis ſufficienter inſtructus, Græca Latinaque lingua eruditus, erga inopum prouiſionem non ſolùm mentis pietate, ſed etiam ſtudii labore ſollicitus. Huius tempore, procurante DEO & labore ipſius, Eccleſia Rauennata poſuit ſe ſub Ordinatione ſedis Apoſtolicæ, vt defuncto Archiepiſcopo, qui electus fuerit iuxta antiquam conſuetudinem, veniat ad Romanam curiam ordinandus. Hic fecit conſtitutionem, vt qui ordinandus fuerit Archiepiscopus, nulla conſuetudine pro vſu pallii, aut diuerſis officiis aliquid Eccleſiæ perſolvere debeat. Hic ſepultus eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli, & ipſius feſtum fit in Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli.

BENE-

CONSTANTINUS III. LX.

CONSTANTINUS III. in Italia cum Fratre eius * Iradona imperauit annis viginti septem. Iste filius Eraclii in Sicilia interfectus est. Sub hoc plurima pars Reip. à Saracenis desolata est, Pessimus enim omnibus fuit. Nam Martinum Papam interfecit. Insuper veniens Romam, deposuit quidquid erat ad ornatum ciuitatis Romæ, & asportauit secum in Siciliam. Anno Constantini sexto Saraceni Africam occupant. Hic Constantinus à Paulo Constantinopolitano deceptus, exposuit typum contra fidem Catholicam: nec vnam, nec duas voluntates in Christo esse confitendas. Ob hoc Martinus Papa Concilium faciens ducentorum Episcoporum, anathematisauit * Tynum, Sergium, Paulum quoque præsentis erroris Inuentorem. Hac de caussa Papa Martinus, de mandato Constantini Imperatoris, capitur, & tandem Chersonæ, vbi & S. Clemens Papa relegatus fuerat, in exilio moritur. Eodem tempore S. Iudocus, Regis Britanniæ filius, regno & mundo relicto, Eremita effectus, in Pago Pontino requieuit in Christo. Hic Constantinus Imperator multos Orthodoxos verberibus & exiliis condemnauit, eò quod hæresi suæ acquiescere nollent. Propter quod dum apud Constantinopolim pænè omnibus esset exosus, ad Italiam nauigauit, volens ipsam eripere de manibus Lombardorum, & ibi residere. Et cum ad Beneuentanorum fines accessisset, Grimaldus eiusdem prouinciæ dux, fortiter resistendo, ipsius exercitum debellauit. Cernens igitur quod ibi non proficeret, Romam perrexit. Cui sexto ab Vrbe milliario Vitalianus papa reuerenter occurrit, & eum ad B. Petri basilicam cum populi frequentia perduxit. Et cum in Vrbe per duodecim dies resedisset, magna ductus cupiditate, varia ornamentorum genera ex ære & marmore, quibus Vrbs ornabatur, in Tiberim vexit, vt in Constantinopolim transferret. Inter quæ Basilicam Dei Genitricis & Martyrum, quæ olim Pantheon dicebatur, æreis tabulis * discooperuit: Igitur à Roma digressus, cum in Siciliam nauigasset, in Balneo à suis occiditur. Post decessum milites quendam Armenum, nomine Mezentium in Imperatorem creauerunt. Sed cum multò post Constantinus, Constantini filius ibidem nauigio veniens, & imperialem purpuram sumsit, & Mezentium cum interfectoribus patris sui morte turpissima, condemnauit. Hoc tempore Humarus princeps Saracenorum, in loco vbi prius fuerat templum Iudæorum, quod Vespasianus destruxerat, templum quod nunc est in Ierusalem extruxit, in quo adorant Saraceni.

643. Heraclione.

* Tirium.

* cooperitam.

CONSTANTINUS IV. LXI.

CONSTANTINUS IV. filius Constantini imperauit annis septendecim. Huius tempore Saraceni Siciliam inuadunt, & cum spoliis multis recedunt. Istius etiam tempore quinta Synodus celebratur Constantinopoli, contra Gregorium Patriarcham ducentorum & octo Episcoporum. Hic fuit fide Catholicus & modestus, sapienti quoque vsus consilio, cum Arabibus, qui Damascum inhabitabant & cum Bulgaris pacem firmissimam fecit. Restaurauit etiam Ecclesias, quæ per Hæreticos destructæ fuerant à temporibus Eraclii proaui sui. Insurrexit etiam contra Monothelitas, quos Pater & Auus protexerant: Satagens eorum opiniones delere, pro quo & sextam Vniuersalem Synodum congregauit Constantinopoli, ducentorum octuaginta nouem Episcoporum; Quæ Synodus in vno Domino nostro Iesu Christo duas Naturas, & duas voluntates declarauit. Huius Anno primo, Grimualdus Longobardus, Rex Beneuentanorum, cum nono die post phlebotomiam, accepto arcu columbam percutere nisus est, vena brachii ipsius disrupta est, & superponentibus Medicis venenata medicamenta, defunctus est. Huius temporibus pestilentia Ticinam ciuitatem adeò depopulata est, vt hominibus per iuga montium fugientibus, herbæ nascerentur, atque fruteta. Mortuo autem apud Constantinopolim Orthodoxo Augusto, Filius eius Iustinianus sibi successit in Imperium.

671.

BENEDICTUS LXXXIV.

684. BENEDICTUS II. Natione Romanus, ex Patre Ioanne, sedit mensibus decem, diebus duodecim, & cessauit mensibus duobus, diebus quindecim. Hic ab Imperatore factus est Papa.

IOANNES LXXXV.

685. IOANNES V. Natione Syrus, ex ciuitate Antiochia, ex Patre Habundo, sedit anno vno, diebus decem, & cessauit diebus duobus.

CONO LXXXVI.

686. CONO Natione Romanus, de Regione Cælii montis, ex Patre Benedicto, sedit mensibus vndecim, diebus nouem, & cessauit mense vno, & diebus viginti octo.

SERGIUS LXXXVII.

688. SERGIUS Natione Syrus, de regione * Antiochiæ, ex Patre Tiberio, sedit annis nouem, mensibus octo, diebus viginti tribus, & cessauit mense vno, diebus viginti. Hic constituit, vt AGNUS DEI ter cantetur in Missa in fractione Dominici corporis. Hic DEO sibi reuelante in Sacrario S. Petri inuenit capsam argenteam in loco obscurissimo, multæ annositatis, ita vt argentea non appareret, in qua Sigillum erat expressum, quo ablato, inuenit crucem pretiosis lapidibus ornatam; & ineffabilem portionem crucis Dominicæ interius repositam, quæ in die S. Crucis adoratur. Corpus etiam I. Leonis Papæ DEO reuelante transtulit: apud * Visemburch, Ostrofranciæ S. Cilianus cum sociis suis martyrio coronatur.

* *Antiochena.*

* *Wirtzburg.*

LEO III. LXXXVIII.

698. LEO III. Natione Romanus, & ex Patre Nicolao Diacono, sedit annis duobus, mensibus duodecim. Hic per Patricium Romanorum factus est Papa.

IOANNES LXXXIX.

701. IOANNES VI. Natione Græcus ex Patre Patrono, sedit annis tribus, mensibus duobus, & diebus viginti tribus, & cessauit mense vno, diebus nouemdecim. Hic coronatur martyrio, sepultus est in Ecclesia S. Sebastiani ad Catacumbas.

IOANNES VII. XC.

704. IOANNES VII. Natione Romanus, ex Patre Gregorio, sedit annis duobus, mensibus septem, diebus septendecim, & cessauit mensibus nouem.

SISINNUS XCI.

707. SISINNUS Natione Romanus, ex Patre * Tresmundo, sedit diebus viginti, & cessauit mensibus duobus. Huius tempore maximum Schisma fuit.

* *Cresimundo.*

CONSTANTINUS XCII.

708. CONSTANTINUS Natione Syrus, ex Patre Ioanne, sedit annis septem, diebus quindecim, & cessauit diebus quadraginta. Sepultus est in Vaticano S. Petri. Hunc Iustinianus Imperator ad se venire Constantinopolim fecit, ac solemniter ipsum recipiens, vt die Dominica in Ecclesia S. Sophiæ celebraret, rogauit, communionem de manibus ipsius accipiens ac vultum in terram proiiciens, vt pro suis peccatis Dominum exoraret, postulauit, cuncta priuilegia Romanæ Ecclesiæ renouando. Hic etiam Philippum Imperatorem denunciauit Hæreticum, eò quod Sanctorum imagines deleuerat.

GREGORIUS II. XCIII.

715. GREGORIUS II. Natione Syrus, ex Patre Ioanne, sedit annis sexdecim, mensibus octo, diebus viginti, & cessauit diebus triginta quinque. Hic consti

Anno Domini.

IUSTINIANUS LXII.

IUstinianus, imperauit annis decem, Iste contraxit pacem cum Saracenis decennio terra marique. Hic bonus, prudens & largus, Romanum imperium auxit nimis, cuius gesta leguntur in Pantheon, & condidit multas leges, Ecclesiastica officia multum honorauit. Sed circa finem suum sextam Synodum, quam Pater suus fecerat, infirmare nititur, & Sergium Papam in hoc sibi resistentem, frustra turbare molitur, Anno igitur suo decimo, Leo Patritius Iustinianum regno priuat, eumque naso & lingua priuatum in exilium Chersonam relegat. Hoc tempore Beda venerabilis Presbyter claret. 639.

LEO II. LXIII.

LEO II. imperauit annis tribus. Huic Tiberius ab Imperio pulso, nasum abscidit, eoque in exilium in Chersonam retruso, imperauit pro ipso. Hoc tempore Schisma magnum fuit. Nam Synodus Aquileiæ facta, quintam Vniuersalem Synodum à Iustiniano primo, & Vigilio Papa Constantinopoli celebratam, suscipere noluit: quod Sergius Papa ad concordiam reduxit. 697.

TIBERIUS LXIV.

TIberius, imperauit annis septem. Huius tempore Gizilphus, Dux Beneuentanus Italiam deuastauit. Tempore huius Tiberii, cum Iustinianus in exilio Chersonæ positus, populo publicè assereret, se adhuc Imperium resumpturum; & Populus zelo Augusti ipsum interficere intenderet, fugit ad Principem Turcorum, qui sibi Germanam suam tradidit in vxorem, eiusque fretus & Bulgarorum auxilio, imperium recuperauit, Leonemque & Tiberium Imperii occupatores iugulat, tantam in aduersarios vltionem exercens, vt quoties sibi à naso præciso guttam defluentem rheumatis detergeret, pænè toties aliquem aduersariorum occideret. 701.

IUSTINIANUS LXV.

IUstinianus, imperauit annis sex. Iste est idem qui supra priuatus fuerat Imperio. quia tali anno recuperauit Imperium, propter hoc iteratò hic repetitur. Igitur Iustinianus post resumptionem Imperii fidem orthodoxam amplexus, Constantinum Papam ad se Constantinopolim inuitat, eumque venientem & redeuntem Apostolicæ dignitatis gloria honorat. Porrò Iustinianus statim Chersonam, vbi fuerat in exilio, euertere conatur: Et congregatis omnibus nauibus, quas habere potuit, per Patricium suum interfecit omnes, præter infantes. Cumque iteratò & infantes vellet perimere, homines Prouinciæ, quendam exulem, Philippum nomine, sibi præfecerunt, qui Constantinopolim veniens, Iustinianum cum Filio interemit. 707.

PHILIPPUS LXVI.

PHilippus, imperauit anno vno, & mensibus sex. Iste fugit in Siciliam propter exercitum Romanorum. Hic cum esset Hæreticus, omnes picturas Ecclesiæ præcepit auferri, propter quod Romani imaginem numismatis sui recipere noluerunt. 713.

ANASTASIVS LXVII.

ANastasius imperauit annis tribus. Hic Philippum captum, oculis priuauit. Iste omnibus malus fuit. Huius exercitus Theodosium elegit Imperatorem, qui Anastasio deiecto ordinauit ipsum in Presbyterum. 715.

THEODO-

constituit quintam feriam per totam Christianitatem in tota quadragesima ieiunari, & Missarum celebritatem. Huius tempore Bonifacius Episcopus gentem Germanorum ad Christum conuertit. Huius tempore * Patronas ciuis Brixianus diuino instinctu, & Gregorii Papæ hortatu animatus, Cœnobium S. Benedicti apud Castrum Cassinum laudabiliter reædificauit, quod plusquam 100. annis à primo tempore Longobardorum desolatum fuerat. Quidam scribunt, quod hoc tempore S. Ægidius, Græcus natione, venerit in Prouinciam. Hic Gregorius Papa prædictum Bonifacium à Britannia venientem Episcopum consecrat, & per ipsum verbum DEI in Germania prædicat: qui post Archiepiscopus Moguntinus factus, cum in Frisia prædicaret, Martyrio coronatur, & transfertur ad * Vuldense Cœnobium, quod ipse construxerat. Hic etiam cum Leo Imperator congregatis imaginibus Christi & B. Virginis, & aliorum Sanctorum inciuitate Constantinopolitana igne cremari iussisset, idem ipsi facere præcipiens, non solum facere renuit, sed Imperatorem pro ipso facto anathematizauit.

* Petronax.

* Fuldense.

GREGORIUS III. XCIV.

730. GREGORIUS III. Natione Romanus, ex Patre Marcello, sedit annis decem, mensibus octo, diebus viginti quatuor, & cessauit diebus nouem. Hic adiunxit in secreta. *Quorum solennitas hodie in conspectu Maiestatis tuæ celebratur, Domine DEUS noster, in toto orbe terrarum, &c.* Et fecit recedere totam Italiam à potestate Leonis Hæresiarchæ, ob depositionem Imaginum. Huius tempore Alebrandus, Rex Longobardorum Romam obsedit. Sepultus est in Vaticano, in Ecclesia S. Petri. Hic Gregorius, cum Leonem Imperatorem de depositione Imaginum Christi, & Sanctorum incorrigibilem vidisset, Romam, Italiam & Hesperiam totam ab eius iure discedere fecit, & vectigalia interdixit, Synodumque pæne mille Episcoporum Romæ celebrando veneratione Sanctarum Imaginum confirmat, & violatores generali sententia anathematizat.

ZACHARIAS XCV.

740. ZACHARIAS Natione Græcus, ex Patre Polycronio, sedit annis decem, mensibus duobus, diebus quindecim. Et cessauit diebus duodecim. Hic fecit pacem cum Longobardis. Hic Dialogorum libros de Græco in Latinum transtulit. Hic Carolomannum Francorum Regem, Fratrem Pepini, fecit fieri Clericum, & misit eum in Cassinense Monasterium, vt Monachus fieret, cui Monasterio etiam dona plurima cum priuilegio sedis Apostolicæ contulit. Huius admonitione Erachis Rex Longobardorum, cum vxore & filiis, relicto mundo, Monasticum indutus est habitum. Ad hunc Papam Monachi Cœnobii Cassinensis, adiuncto sibi Carolomanno Romam venerunt, rogantes Papam, vt literas Regi Francorum Pepino dirigeret, quatenus corpus B. Benedicti, quod Monachi Floriacenses furtim habuerant, loco Cassinensi restituerent: Quod Rex Pepinus cum mandasset Monachis Floriacensibus, ieiunantibus & flentibus, nuncii, qui corpus auferre debuerant, percussi sunt cæcitate, & hoc cognito, ibidem remansit.

STEPHANUS XCVI.

751. STEPHANUS Natione Romanus ex Patre Constantino, sedit annis quinque diebus viginti octo, & cessauit mense vno, diebus quinque. Hic ob infestationem Astulphi Regis Lombardorum, pergens in Franciam, vnxit Pepinum in Regem Francorum. Cui Pepinus venienti occurit ad trium milliarium spatium; de equo descendens, Stratoris officium exercens, vsque ad suum deduxit Palatium. Hic vltimo anno Pontificatus sui, imperium à Græcis transtulit in persona magnifici Karuli, tunc in iuuenili ætate constituti, de qua Translatione tangit Decretalis VENERABILEM.

PAULUS

THEODOSIUS. LXVII.

THeodosius imperauit anno vno. Iste benignus fuit, & humili corde imperium tenuit. Quem quidem Leo potentissimus de Imperio deposuit: qui post Clericus factus, residuum vitæ deduxit in pace. 719.

LEO. LXVIII.

LEO III. cum Constantino Filio imperauit annis viginti quinque. Huius tempore Saraceni Constantinopolim venerunt; & tribus annis ciuitatem obsidentes abscesserunt: & inde bona multa abstulerunt. Anno Leonis quarto, Luprandus Lombardorum Rex audiens, quod Saraceni depopulata Sardinia, loca illa vbi ossa B. Augustini erant, dehonestarent, quæ propter Saracenorum deuastationem de Hyppona illuc vsque delata fuerant, Legatos * ibi direxit, qui dato multo auro, pretiosas illas reliquias secum detulerunt vsque Ianuam: vbi præfatus Rex personaliter occurrens, cum magno gaudio & deuotione Papiam deferens, in Ecclesia B. Petri Apostoli, quam ipse extruxerat, honorifice collocauit. Huius Leonis tempore, * Richodus Dux Phrisonum ad prædicationem Wolframmi Senonensis Episcopi adductus, vt baptisaretur. Cum vnum pedem lauacro imposuisset, alterum retraxit, querens: * vbi plures maiorum suorum essent, in Inferno, vel in Paradyso? Et audiens, quod in Inferno, intinctum etiam pedem retraxit. † Lætius est, inquiens, vt plures quam pauciores sequar. Et ita ludificatus à Diabolo, cum sibi multa bona in annos plurimos promitteret, tertia die subita morte extinctus fuit. Hic Leo Imperator à quodam * refuga fidei seductus, contra Imagines Dei & Sanctorum bellum indicit: easque vbique incendi, & deponi iubet. Pro quo errore cum Gregorius Papa in scriptis suis in vacuum multum redarguit. Constantinopolitani quoque pro depositione Imaginum contra ipsum tumultuantur. Aliqui etiam pro hoc martyrisantur. Hoc Leone in perfidia mortuo, succedit Filius Constantinus. 720.

* illis.

* Richardus.

* vtrum.
† Melius.

* transfuga.

CONSTANTINUS. LXIX.

COnstantinus, Leonis filius, imperauit annis triginta quinque. Hic impietatum patrum successor, * legumque à Patribus traditarum persecutor, omni tempore vitæ suæ, maleficiis & magicis deseruiens, luxurijs operam dedit: & multi Clerici & Laici & Monachi per ipsum in fide periclitati sunt. Habebat etiam sibi consentientem in omnibus Anastasium Constantinopolitanum, falsi nominis Patriarcham. Huius anno octauo, * Rachis Lombardorum Rex, dum rupto fœdere Romanos inquietare nititur, à Zacharia Papa non solum à malo reprimitur, sed etiam eius instinctu cum vxore & filijs Romam veniens, Monachus efficitur. Cui Astulphus Frater in Regno succedit. Anno vero ipsius vndecimo, Arstulphus Rex Lombardorum tributum exegit à Romanis, & Papa Stephanus auxilium Pipini nititur inuocare. Anno Constantini duodecimo, Pipino Lombardiam ingresso, Arstulphi exercitus à Francis vincitur. Idem Constantinus vocata Constantinopoli Synodo, præcipiens depositionem imaginum, Ecclesiam Dei grauissimè scandalizat. Idem Constantinus cum filio suo Leone, & cum Pipino Rege Francorum, & Principe Romanorum, eiusque Filijs, Carolo, & Carolo Magno imperauit annis sexdecim. Et quia hic incidit Historia Pipini, vt sciatur quis fuit iste Pipinus, genus per ordinem disseremus. Mortuo primo Pipino Principe Francorum, factus est Princeps Filius eius ex Concubina Carolus dictus Martellus. Hic fuit bellicosissimus, Saxones armis subiugat. Deuicit Lanfridum Alemannorum Ducem, & Alemanniam fecit sibi vectigalem. Sueuos quoque & Bauaros debellat, & Eudonem Ducem Aquitaniæ: & sic sibi tandem Aquitaniam, Burgundiamque subiecit. Cumque instarent sibi multa bella, Ecclesias spoliat, decimas militibus conferendo, propter quod S. Eutherius Aurelianensis Episcopus, post animam suam in Inferno vidit. Eodem tempore Hildericus regnat in Francia, totus deses & remissus, nihilque in Regno, nisi nomen habebat. Carolus Martellus victoriosissimus post moritur, & in sancto Dionysio sepelitur. Sed post aliquod tempus in tumba ipsius nihil penitus de corpore, nisi solum vnus maximus serpens, inuenitur. 742.

* Erachis.

PAVLVS XCVII.

756. PAULUS Natione Romanus, ex Patre Conſtantino, ſedit annis decem, menſe vno, & ceſſauit anno vno, menſe vno, de Regione Viæ latæ. Hic conſtituit diuina officia celebrari ante horam ſextam in Quadrageſima. Iſte transtulit corpus S. Petronillæ Virginis, filiæ B. Petri Apoſtoli, cum Titulo, quem B. Petrus ſcripſerat * Aures Petronillæ, dilectiſſimæ filiæ, & in Sarcophago pretioſo repoſuit.

* Aurea.

CONSTANTINVS XCVIII.

766. CONSTANTINUS ex Laicis, Natione Romanus, ſedit anno vno, menſe vno. Hic ex Laico ſubitò factus Presbyter, & Tyrannica ambitione Papatus inuaſor, magno fuit ſcandalo Eccleſiæ DEI: ſed zelo fidelium ab Eccleſia deturbatus, oculis priuatur.

STEPHANVS XCIX.

768. STEPHANUS tertius, Natione Siculus, ex Patre Oliuo, ſedit annis tribus, menſibus quinque, diebus viginti octo, & ceſſauit diebus nouem. Sepultus eſt in Vaticano, Baſilica S. Petri. Hic ex Gallia & Italia, Romæ conuocata Synodo, omnia à Conſtantino ordinata deordinauit, præter Baptiſma & Chriſma. Et omnes per ipſum ordinatos deordinauit, & degradauit.

ADRIANVS. C.

771. ADRIANUS Natione Romanus, ex Patre Theodoro, de Regione Via lata ſedit annis viginti quatuor, menſibus decem, diebus octodecim. Et ceſſauit diebus tribus. Huius precibus vocatus Carolus Magnus Pipini filius, obſedit Longobardos in Papia, vbi cepit Deſiderium Regem, & vxorem eius: quos captiuos duxit in Franciam. Et veniens Rõmam reddidit omnia, quæ Patet cius Pipinus dederat B. Petro: adiuncto quoque ei Ducatu Spoletano, & Beneuentano, & ob hoc ipſe Patritius Romæ eſt effectus. Hic reſtaurauit S. Anaſtaſium ad aquam * Salinam poſt incendium. Hic ædificauit turres & muros vrbis Romæ. Hic Portas æreas maiores dedit S. Petro. Huius tempore celebrata eſt ſancta ſeptima Synodus CCCC. Epiſcoporum apud Conſtantinopolim. Aliam Synodum ipſe Papa Hadrianus præſente Carolo Rege Romæ celebrauit, in qua fuerunt centum quinquaginta quatuor religioſi Epiſcopi, & alii Abbates & Prælati, in qua Carolus dedit Adriano Papæ in Synodo ius eligendi Pontificem, & ſedem Apoſtolicam ordinandi: Item Archiepiſcopos per ſingulas Prouincias à Papa inueſtituram recipere. Anathematizauit omnes huic Decreto rebelles, & iuſſit bona ipſorum, niſi reſipiſcerent, publicari. Quidquid etiam Longobardi Romanis à retroactis temporibus abſtulerant, totum reſtituit. Et tunc ceſſauit regnum Longobardorum, Carolo in tota Italia dominante. Hoc tempore floruit Albinus, qui & Alcuinus Caroli eruditor. Hic genere Anglicus, clarus ingenio, in Philoſophia excellentiſſimus, non tantum in ſcientia, ſed etiam morum honeſtate præclarus. Et ab ipſo Carolus didicit omnes artes liberales. Qui & ſtudium de vrbe Romana Pariſios tranſtulit, quod de Græcia illuc translatum fuerat à Romanis.

* Saluiam.

LEO

Anno Domini.

*Huius Principatus Carolomannus & Pepinus. * Carolomanno, tanquam Primogenito* Hæredes facti sunt. *cessit Thuringia & Austria : Pipino verò minori Burgundia & Prouincia. Sed Carolomannus, anno principatus suo quinto, deuotionis causâ ad limina Apostolorum visitanda Romam adiit, ibique coram Zacharia papa, mundo renuncians, est ab eo tonsus in Clericum, & factus est Monachus. cessit in montem * Sirapti, factoque ibi Cœnobio* Soracte. *in honorem S. Syluestri, & alio Monasterio S. Andreæ, non longè ab eodem Monte, ipsis bene dotatis religiosè est conuersatus. Sed cum multi Francorum & Teuthonicorum Romam venientes, ipsum inquietarent, transiit ad montem Casinum, ibi post laudabilem vitam quieuit in Christo. Eodem tempore claret S. Bonifacius Maguntinus Archiepiscopus, qui in Sylua Boëtania Cœnobium * Madelse fundauit in partibus Germa-* Fuldense. *niæ, quod cæteris Monasterijs præclarius extat. Abbas etiam illius loci in curia Imperatoris magni honoris habetur. Pipinus verò Fratre suo Carolomanno Monacho existente, solus gubernabat Francorum Principatum : & Maior domus dicebatur. Et misit ad Zachariam Papam, quis potius Rex deberet esse ; An ille, qui otio deditus solo nomine regnabat, an ille qui omne pondus regni sustentabat. Cui cum Papa respondisset, quod ille potius, qui vtilius regni gubernacula gereret. Franci mox incluso Rege suo Hilderico, & vxore sua in Monasterio, Pipinum Regem sibi constituunt, quem S. Bonifacius Maguntinus Archiepiscopus, iussu Papæ, in Regem vnxit. Interim Zacharias Papa moritur, & Stephanus in Papam consecratur. Huius tempore Arstulphus, Rex Lombardorum, per quosdam pessimos Nuncios Romanos inductus, Tusciam occupando, & vallem Spoletanum vsque Romam peruenit, Ecclesias, vbi Sanctorum corpora quiescebant, & alia loca sacra igne & ferro deuastando, & de vniuscuiusque capite censum repetendo. Papa Stephanus tantam hominum, & Ecclesiarum afflictionem cernens, personaliter iuit in Franciam ad Pipinum, & vt Arstulphum Regem reprimeret, secum in Italiam, & vsque Romam perduxit. Tunc & in Patritium Romanorum Pipinus est electus, & Arstulpho Rege Lombardorum manu forti oppresso, restitutis * viribus S.* Vribus. *Petri, Pipinus in Franciam est reuersus. Arstulpho mortuo, Desiderius Rex Lombardorum efficitur. Eo etiam tempore corpus S. Viti Martyris per Abbatem S. Dionysij Volcandum nomine, Roma defertur in Franciam. Finito bello Aquitanico in Aluernia, & in Gasconia, moritur Pipinus, & apud S. Dionysium sepelitur. Et Carolus Magnus, filius eius in Regem substituitur.*

LEO LXX.

LEO, imperauit quinque annis per se. Hic cum insaniret cupiditate, concupuit 777.
cuiusdam Ecclesiæ coronam, habentem Carbunculos, quam cum portaret in Capite, febri correptus moritur.

CONSTANTINUS LXXI.

CONstantinus, Filius Leonis cum Hyrene Matre sua imperauit decem annis : sed quia 782.
Matrem priuauit imperio, ipsa rancore femineo stimulata, filium exoculans, imperauit tribus annis. Constantinus verò ante excæcationem, sine Matre imperauit quinque annis. Huius Constantini primo anno, quædam aurea lamina in Constantinopoli in quodam Sepulchro cum quodam defuncto, ibidem iacente, inuenta est cum hac Scriptura : Christus nascetur ex Virgine Maria, & credo in eum, sub Constantino & Hyrene Imperatoribus, ô Sol, iterum me videbis. *Horum imperij anno octauo, facta est sancta Synodus Nycena, trecentorum quinquaginta Episcoporum, sanctorum Patrum, in qua affirmatum est Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

LEO CI.

796. LEO Natione Romanus, ex Patre Azulpho, ſedit annis viginti, menſibus quinque, diebus ſexdecim. Et ceſſauit diebus tribus. Hic dum pergeret die S. Marci cum Litaniis, quas ipſe conſtituit ante Aſcenſionem, ad S. Petrum, captus & excæcatus eſt, præciſa etiam lingua ei; ſed Deus omniporens reddidit ei viſum, & loquelam. Poſtea pergens ad Carolum Regem Francorum, ibi ſuſceptus eſt cum maximo honore, & rediit Romam cum præfato Rege, & facta eſt vindicta de eius inimicis: purificante ſe Papa de quibusdam criminibus ſibi illatis. Idem Rex eſt coronatus in Romanum Imperatorem. Hic fecit porticum S. Petri, quæ adhuc dicitur ciuitas Leonina.

STEPHANVS IV. CII.

816. STEPHANUS IV. ſedit menſibus ſeptem, & ceſſauit diebus octodecim. Hic Natione Romanus, ex Patre Iulio, ſepultus eſt in Eccleſia S. Petri. Hic Gallias veniens, honorificè ab Imperatore Ludouico ſuſcipitur, & captiuos multos per Franciam redimens, Romam reuerſus diem clauſit extremum.

PASCHALIS. CIII.

817. PASCHALIS, Natione Romanus, ex Patre Marino, ſedit annis ſeptem, diebus ſeptendecim, & ceſſauit diebus octodecim. Hic corpus B. Ceciliæ ipſa ei reuelante, & corpus B. Tiburtii, & Valeriani, nec non & ſancti Vrbani Papæ, de Cœmiterio, vbi fuerant reconditi, manu propria eleuans, intra Vrbem, in Eccleſia B. Ceciliæ honorificè collocauit.

EVGENIVS. CIV.

824. EVGENIVS Natione Romanus, ſedit annis tribus, menſibus duobus. Hic ex Patre Bonomundo; per laicos Romanos cæcatus eſt, & martyrio coronatus, ſepultus eſt in Eccleſia S. Petri in Vaticano.

VALENTINVS CV.

827. VALENTINUS Natione Romanus, ſedit diebus quadraginta, & ceſſauit diebus tribus.

GREGORIVS IV. CVI.

828. GREGORIUS IV. ex Patre Ioanne, ſedit annis ſedecim. Hic Natione Romanus Eccleſiam S. Martini in monte prius à fundamentis deſtruxit, & poſtea nouis fabricis erexit. Hic ex aſſenſu Lodouici Imperatoris, & omnium Epiſcoporum inſtituit, vt feſtum omnium Sanctorum celebraretur Kalendis Nouemb. in partibus Franciæ, & Germaniæ, quod ex Inſtitutione Bonifacii Papæ Romani faciebant. Huius tempore orta eſt magna turbatio Chriſtianis, nam de Romanis quidam ſcelerati miſerunt ad Soldanum Babyloniæ, vt Romam veniens Italiam poſſideret. Tanta itaque multitudo Saracenorum per portum Centumcellenſem intrans, repleuit ſuperficiem terræ, vt locuſtæ. Obſeſſa

CARULUS MAGNUS LXXIV.

CARULUS Magnus Imperator accepit Imperium Romanorum, & imperauit annis quatuordecim, menſe vno, diebus quatuor. Hic exiſtens Rex Francorum, antequam eſſet Imperator, precibus Papæ Adriani vocatus fuit, & obſedit Longobardos in Papia; vbi cepit Deſiderium Regem & vxorem eius, quos captiuos duxit in Franciam. Qui veniens Romam confirmauit omnia quæ Pater eius Pipinus dederat B. Petro Apoſtolo, adiunctis ei Ducatu Spoleti & Beneuenti, & obrogatum Romanorum factus eſt Imperator. Huius tempore Comites & Palatini, Rollandus & cæteri, Saracenos in Hiſpania deuicerunt ſed proditione Sammonis Comitis mortui ſunt. Hic ſubactis Saxonibus & aliis Germanis, & pæne totius Occidentis Regionibus, Coloniæ trans Rhenum duos pontes conſtruxit. Hic barbam ad pedis longitudinem deferens, cibo potuq; temperatus fuit. Filios ſuos quàm citò ætas patiebatur, faciebat equitare, & armis intendere: Filias verò lanificio conſueſcere: colo, & fuſo, ne per otium torpeſcerent. Regnum quoque Francorum, quod poſt Patrem ſuum Pipinum regendum ſuſceperat, quàm plurimùm ampliauit. Chriſtianum cultum ſumma pietate ſemper excoluit, Romam veniendo de equo ad milliare deſcendit, & pedes eundo per vrbem omnium Eccleſiarum poſtes humiliter deoſculatus fuit. Ac etiam tunc in vrbe Monaſteriis & Eccleſiis multa munera largitus fuit. Hic terram ſanctam, occupatam à Saracenis, Legatis Patriarchæ Hieroſolymitani, & Conſtantini Imperatoris Conſtantinopolitani receptis, terræ ſanctæ compatiens, cum magno exercitu illuc vſq; peruenit, & recuperata terra, cum per Conſtantinopolim rediret, auro, argento, gemmisq; pretioſis à Conſtantino Imperatore exhibitis, cum nollet recipere, ſolas Chriſti ac Sanctorum reliquias poſtulauit. Præmiſſoq; ieiunio, & oratione recepit de Corona Domini, partem crucis Dominicæ, & ſudarium Domini, & camiſiam S. Mariæ, & Brachium S. Simeonis; quæ omnia concomitantibus multis miraculis ſecum detulit, & in Aquisgrano in Baſilica S. Mariæ, quam extruxerat, recondidit. Ad numerum etiam elementorum, id eſt, literarum in Alphabeto, Cœnobia fundauit, & in vnoquoq; per ordinem vnam literam de auro fabricatam plusquam centum libris Turonenſibus valentem, reliquit, vt ex ordine literarum tempus Fundationis vniuscuiusq; Monaſterii cognoſceretur. Quæ literæ adhuc in pleriſq; Monaſteriis reperiuntur. Hic Filio ſuo Lodouico coronato, plenus bonis operibus moritur, & Aquisgrani honorificè ſepelitur.

NICEPHORUS. LXXII.

NICEPHORUS imperauit Conſtantinopoli annis decem. Quibus temporibus Imperium Orientale quaſi ad nihilum deuenerat. 801.

MICHAEL. LXXIII.

MICHAEL Imperator, imperauit annis duobus, Vir Orthodoxus, & amabilis omnibus. 811.

LODOVICUS. LXXV.

LOdouicus cum Lothario Filio ſuo, imperauit annis viginti quinq;. Hic filius Magni Caroli, duos habuit Fratres, vnum, qui Theutoniam, alium, qui Hiſpaniam regebant. Et ambos ſuperauit. Qui in vltimo malum finem habuerunt. Hic habuit tres Filios, videlicet Lotharium, Pipinum & Lodouicum. Primum ſcilicet Lotharium Cæſarem fecit, cui etiam Italiam regendam commiſit; Secundum ſcilicet Pipinum Aquitaniæ Regem fecit; Tertium ſcilicet Lodouicum, Bauaris, & Germanis Regem & Principem conceſſit. Hoc tempore Legati Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani tulerunt Imperatori Lodouico inter cætera munera libros S. Dionyſii, qui cum magno gaudio ſunt recepti. Eo tempore floruit Rabanus Monachus, Abbas Fuldenſis, Poëta magnus, & in ſcientia Theologiæ præclarus. Hiſce diebus Heneidus, Rex Danorum, cum vxore & Filiis & magna parte Danorum Moguntiæ baptizantur. Hoc etiam tempore Lodouicus Rex Germaniæ, quatuordecim Duces Boëmorum cum ſuis ſequacibus fecit baptizari, & in lege Chriſtiana edoceri. Lodouicus Imperator cum Pipino Rege Aquitaniæ, & Lodo- 815.

Obsessa Roma capitur Ciuitas Leonina. Ecclesia S. Petri spoliatur, & equorum stabulum efficitur, & non solum ciuitas, sed omnis Tuscia in solitudinem redigitur. Tandem ad petitionem Gregorii Papæ, Guido Marchio cum Lombardis veniens, post Lodouicus Rex cum Gallicis, & cum multa sanguinis effusione Christianorum, Saraceni sunt fugati. Huius tempore etiam Saraceni Apuliam & Siciliam deuastauerunt.

SERGIVS. CVII.

844. SERGIUS II. Natione Romanus, ex Patre Sergio, sedit annis tribus, mensibus duobus, & cessauit diebus quindecim. Hic vocabatur os Porci; vnde ab isto in antea omnes nomen suum proprium mutauerunt. Hic coronauit * Lodouicum Imperatorem.

* forte Lotharium.

LEO CVIII.

847. LEO Natione Romanus, ex Patre Dualdo, sedit annis octo, mensibus tribus, diebus sex, & cessauit diebus sex. Huius tempore Adulphus Rex Anglorum, qui primus totius Angliæ obtinuit Monarchiam, deuotionis causa venit Romam & coram Leone Papa obtulit tributum S. Petro; de vna quaque domo argenteum vnum in anno, & hoc tributum vsque hodie perseuerat. * Hic Pontifex Catholicus multæ patientiæ, multæque humilitatis, diuinarum Scripturarum extitit feruentissimus perscrutator: vigiliis & orationibus semper intentus. Hic primum à Parentibus ob studia literarum in Monasterio B. Martini Confessoris, iuxta Ecclesiam B B. Petri & Pauli positus fuit, vbi non solum in scientia, sed etiam in conuersatione tanquam perfectus Monachus profecit. Hunc post Sergius Papa Presbyterum faciens. Titulum SS. quatuor Coronatorum sibi assignauit: sed eo post facto Papa, postquam Saraceni cum magna multitudine venerunt, Ecclesias Petri & Pauli penitus spoliantes, cum redirent in Africam, in alto Pelago submersi sunt. Hic Leo ciuitatem, quam Leo IV. in circuitu Ecclesiæ B. Petri & Pauli inceperat, ipse in quinque annis perfecit. Hic in Ecclesia B. Petri sepultus est, cuius festum agitur, decimo septimo Kal. Augusti.

* Subtraxit illud Papa Henrico VIII. & suis usibus applicauit. Vide Sandorum in lib. de schismate Anglicano.

BENEDICTVS. CIX.

855. BENEDICTUS Natione Romanus, sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quindecim. Hic ex Patre Patrodo, constituit, vt clerici ordinatè incederent & honestè.

NICOLAVS. CX.

858. NICOLAUS Natione Romanus, ex Patre Theodoro, sedit annis nouem, mensibus duobus, diebus viginti. Hic vir fuit sanctissimus: post magnum Gregorium Papam, vix vllus in sede Romana apparuit illi comparandus. Cuius ordinationem Lodouicus Imperator sua præsentia roborauit. Huius tempore Coloniæ orta tempestate, populo in Basilica S. Petri confugiente, subito fulmen ad instar ignei Draconis cecidit, scindens Basilicam; & tres homines in diuersis locis occidit: sex semiuiuos relinquens.

ADRIANVS. CXI.

867. ADRIANUS Natione Romanus, ex Patre Thalaro Episcopo, sedit annis quinque. Ad hunc Lotharius Rex, quem Nicolaus Papa pro adulterio excommunicauerat, Romam, vt se excusaret, venit, à quo, dum pro ostensione innocentiæ suæ ad communionem Corporis & Sanguinis Christi, tam ipse, quàm

IOANNES CAESAR *Lectori.*

CAndide Lector, ne mireris hoc loco prætermitti Ioannem, quem vocant octauum, Fæminam ortam, vt fabulantur, Moguntiæ. Non erasimus è Codice nostro, vt fortassis criminaberis: verum candidè ea quæ scripta inuenimus, edimus. Nihil plane addidimus, nihil etiam subtraximus, solum demptis erroribus manifestissimis Librarii manu commissis, quos fideliter, vbi visum fuit, sustulimus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

wico Rege Germaniæ Britanniam inuasit, & ipsam ferro & igne totam vastauit: sed post contra Lodouicum Imperatorem Filiorum eius & Optimatum oritur maxima commotio, sed Imperator plures Optimates exulauit, & ex hoc Optimates & Filios contra se plus prouocauit. Post hæc malitia quorundam actum est, vt etiam consensu Romani Pontificis, & etiam Episcoporum, nec non Procerum iudicio pius Imperator imperii deponeret dignitatem, siquidem & Populus à Patre recesserat, Filiis inhærendo. Sic pius Imperator à suis proditus & traditus, in potestatem Filiorum redactus, arma deponit, & recluditur. Sed Deo disponente, eodem anno Populus de facto Imperatoris pœnitens, cum pristino honori restituit: Filiiq; eius expoſcunt veniam pro commisso. Eo tempore ossa B. Viti Martyris de Parisiis transferuntur in Corbeyam, Saxoniæ Monasterium, multum sollemne: Vnde testati sunt hoc in præsagium contigisse, quia ab illo tempore gloria Francorum, quantum ad Imperium, translata est in Saxones. Eo tempore Normanni, qui iidem sunt, quod Norueni, Galliam infestant. Lodouicus autem Imperator, postquam omnia, quæ Constantinus ratione Ecclesiæ contulerat, confirmauerat, venienti ad se Lothario Filio suo reconciliatur: eiq; Imperii coronam relinquens, diem clausit extremum.

LOTHARIUS. LXXVI.

Lotharius imperauit annis decem, Huius tempore Saraceni funditus Ecclesias B. Apo- 840.
stolorum Petri & Pauli cum omnibus Romanorum finibus dilapidati sunt. Qui postea in Africam, vnde venerant, redeuntes, in alto pelago dimersi sunt. Hic senior Filius Lodouici solus vsurpat imperium. De hoc alii duo Fratres sui dolentes, contra ipsum bellum parant, & in pago Altisiodorensi conuenientes, tanta cædes vtrimq; facta est, qualis nunquam facta est in gente Francorum. Et cum ipsorum vires adeo attenuatæ essent, vt aduersariis suis resistere non possent, pacem inter se fecerunt, regna diuidendo, Imperio cum Lothario remanente. Tunc exiit fama in Africam & in Hispaniam de pugna horum trium Fratrum, pro Imperio, & ideo Saraceni & aliæ diuersæ gentes, quomodo Romanum Imperium inuadant, contendunt. Huius tempore Romani de mari, per Ligerim, Galliam intrantes, pæne totam ferro & igne deuastant. Saxones etiam ex alia parte se imperio opponendo, Galliam ferro & igne deuastant.

Item hic Lotharius cum Filio suo imperauit annis quinq;, Lotharius verò quinto decimo imperii sui anno partito inter filios regno, renunciauit sæculo, & in Prouincia Monasterio, suscepto habitu monachali, non multo post obdormiuit in Christo.

LODOVICUS. II. LXXVII.

Lodouicus II. imperauit annis viginti vno. Iste habuit prælium cum Romanis. Hic 855.
fuit Lotharii filius, à Sergio Papa in Regem coronatus: viginti & vno anno sine Patre regnauit. Huius tempore corpora SS. Martyrum Vrbani Papæ & Tiburtii Altisiodori dicuntur translata, & in Ecclesia S. Germani deposita. Per idem tempus Normanni Aquitaniæ terminos repetentes, Andegauum, Turonas, Pictauiam deuastant: quibus Ranulphus Dux Aquitaniæ occurrens, perimitur, & cæteri à Normannis tanquam oues à lupis consumuntur. Huius etiam tempore gens Danorum Angliam deuastat, Regemque pijssimum ac Christianissimum illius Prouinciæ Aymundum capitali sententia condemnat. Eodem etiam tempore in Brixia Italiæ, tribus diebus & tribus noctibus sanguis de cælo pluisse fertur. Huius Lodouici Filius, Carolus iunior per tres dies in præsentia Patris & Optimatum, vexatus est à Dæmone; & in ipsa vexatione fassus est, hæc sibi accidisse ideò, quod contra Patrem conspirationem tractauerat. Lodouicus in Italia moritur, & Carolus Patruus eius in Imperatorem sublimatur. Huius Lodouici tempore Regem Francorum Carolum domestica cura in Filiis afflixit. Nam Carolomannum vsq; ad Diaconatus Ordinem promotum Pater cepit & excæcauit, pro eo quod ad Apostasiam conuersus, omni genere nocendi regnum perturbans, alter Iulianus effectus fuerat. Porrò, alter Filiorum Carolus, dum cum quodam fortitudinem suam voluisset experiri, incautè peremptus periit.

CARU-

quàm Optimates sui per Papam inuitati fuissent, omnes, qui indignè percepe-
rant, mortui sunt ipso anno. Rex etiam ipsa via redeundo Placentiæ mortuus est.

IOANNES. VIII. CXII.

872. IOANNES VIII. sedit annis decem, diebus duobus. Hic vnxit oleo Caro-
lum Filium Lodouici Regis in Imperatorem. Huius tempore Saraceni in
Italia discurrentes Ecclesiam S. Benedicti in monte Cassino destruxerunt. Ad
hunc Ioannem, Ioannes Romanæ Ecclesiæ Diaconus vitam primi S. Gregorii
Papæ in quatuor libellis laudabiliter scripsit. Hic iniuriam perpessus est à Ro-
manis, ita, vt in custodia tentus esset, eo quod non fauebat Carolo, cum in
Francia fuisset. Nam cum Lodouico Balbo sibi contrario, ferè per annum
moratus fuerat.

MARTINVS CXIII.

882. MARTINUS sedit anno vno, mensibus quinque & cessauit diebus duobus.

ADRIANVS. CXIV.

884. ADRIANUS Natione Romanus, ex Patre Benedicto, sedit anno vno, men-
sibus tribus. Hic constituit, vt Imperator non intromitteret se de electione.

STEPHANVS CXV.

885. STEPHANUS, Natione Romanus, ex Patre Adriano, de Via lata, sedit annis
sex, diebus nouem & cessauit diebus quinque.

FORMOSVS CXVI.

891. FORMOSUS, Episcopus Portuensis, sedit annis quinque, mensibus sex, &
cessauit diebus duobus. Hic per picturam renouauit totam Ecclesiam B. Pe-
tri Principis Apostolorum. Hic aliquando ob timorem Ioannis Papæ fugiens,
Episcopatum Portuensem dereliquit, & post, cum reuocatus venire nollet, ana-
thematizatus est. Sed postea ad Papam in Galliam veniens, vsque ad laicalem
statum degradatus est. Insuper iurauit, nec Romam, nec ad Episcopatum se
reuersurum. Post à Martino successore Ioannis contra iuramentum restitutus,
non solum Romam est reuersus, sed & Romanum Pontificatum suscepit, pro-
pter quod de facto ipsius multa altercatio fuit, prout in sequentibus patebit.

BONIFACIVS CXVII.

897. BONIFACIUS Natione Tuscus, sedit diebus quindecim.

STEPHANVS CXVIII.

898. STEPHANUS anno vno, mensibus tribus, & cessauit diebus tribus. Is fuit
Natione Romanus. Hic à Formoso Papa Episcopus Anaginæ ordinatus,
ipsum Formosum persequitur, & omnes ordinationes ipsius irritas debere esse
decreuit. Legitur etiam, quod ipse corpus Formosi in Concilio positum, Pa-
pali veste exutum, laicali habitu induit, & duobus digitis dexteræ manus ipsius
abscissis, in Tiberim iactari præcepit.

ROMANVS CXIX.

899. ROMANUS sedit mensibus tribus, diebus viginti duobus.

THEODORVS. CXX.

* *sentiens.* THEODORUS Natione Romanus, sedit diebus viginti. Hic contra Ste-
phanum Papam * sæuiens, reconciliauit omnes ordinatos à Formoso.

IOANNES. CXXI.

900. IOANNES, annis duobus, diebus viginti. Hic pugnam fecit cum Romanis. Hic
ad confirmandam Formosi ordinationem Synodum septuaginta quatuor Epi-
scoporum Rauennæ statuit, vbi Synodus, quam Stephanus Papa fecit, reprobata
fuit. BENE-

CARULUS II. LXXVIII.

*CArulus II. Imperator imperauit anno vno, mensibus nouem. Huius tempore Saraceni perdiderunt Siciliam. Hic Carulus, Caluus * Romam properat, & Ioannem Papam, & Romanos per munera sibi attrahens, Imperator efficitur, sed statim à Lodouico Fratre suo bellum contra ipsum paratur, eo quod se inconsulto Imperium vsurpauit. Hic Carulus tam in Francia, quam in Italia multa Monasteria, & Ecclesias construxit, vel destructas reparauit. Suo tempore Comitatus Flandriæ exordium habuit. Flandria enim antea non erat tanti nominis, sicut est modò, nec tantæ opulentiæ, sed à Regum Francorum Forestariis regebatur. Imperator verò cum à Gallis in Italiam pergeret, per quendam Iudæum * Sedenciam nomine potionatus, in Alpibus diem clausit extremum. Iste in Compendio Monasterium S. Cornelii fundauit. Hic Oppidum cogitauerat facere ad instar Constantinopolim, & nomine suo iam appellauerat Carulopolim.*

876. * dictus.

* Sedechiam.

CARULUS III. LXXIX.

*CArulus tertius Imperator, qui dicitur * Grossus vel iunior, imperauit annis duodecim. Huius tempore maxima fames fuit ferè per totam Italiam. Hic Galliam & Germaniam pacificè possidens, anno secundo Imperii sui à Ioanne Papa coronatur. His diebus plusquam quinque millia Normannorum à Gallicis perimuntur. Demum Normanni, Danis sibi adiunctis, Franciam, * Thorongiam peruagantes, igne ferroque, multas ciuitates consumunt, sicut Coloniam, Leodium, Tungros, Ambianum, Treueros, & quam plurimas alias. Cumque Galli & Germani sic se à Normannis paganis opprimi cernerent, Carulı Imperatoris auxilium inuocant. Et dum, cum manu potenti contra Normannos venisset, Rex Normannorum facta pace, per matrimonium, baptisatus est, & per Imperatorem de Sacro fonte susceptus. Et tandem, cum non posset ipsos de Francia expellere, concessit eis Regiones, quæ vltra Sequanam erant; quæ pars vsque hodie dicitur Normannia à Normannis. Primus Dux Normannorum fuit Robertus. Genuit autem Guilielmum. Guilielmus verò Richardum. Richardus secundum Richardum & Robertum Guischardi. Hic Apuliam, & Calabriam, & Siciliam deuicit. Venetos quoque & Alexium Imperatorem Græcorum superauit. Qui Robertus genuit Guilielmum nothum. Carulus verò Imperator deficiens corpore & spiritu, ab Optimatibus regni repudiatur. Hic ante modicum tempus zelatus vxorem suam, quod nimis familiariter ageret cum Vercellensi Episcopo, protestatur se nunquam illam cognouisse: illa verò virginem se esse gloriata, accepto repudio Monasterium intrauit. His diebus Gens Hungarorum à Scythia egressa, & à Pincernatis propulsa in Pannoniam primitus venit: Et ejectis inde Auaribus, ibi vsque hodie permansit. Hæc gens illo tempore adeo inculta fuisse narratur, vt carnibus crudis ad cibum, humano verò sanguine vteretur ad potum, quemadmodum & Phalangi, qui vltra Ruthenos morantur.*

887. * Crassus.

* Lotharingiam.

ARNULPHUS LXXX.

ARnulphus, imperauit annis octo. Hic Nortmannos Gallia vastata, qui Lotharingiam & Arduennam circa Leodium, & circa Maguntiam vastabant, incredibili plaga prostrauit, Et tunc cæpit regnum Normannorum & Danorum cessare; qui quadraginta annis Galliam vastauerant. Demum Imperator Arnulphus longa infirmitate tabefactus, nulla arte Medicinali poterat adiuuari, quin à pediculis consumeretur. Arnulpho Filius eius Lodouicus succedit, sed ad coronam Imperii non peruenit. Vnde ipse fuit finis Imperii, quantum ad posteritatem Caroli, culpis exigentibus, quia Ecclesias, quas Patres eorum extruxerant, non fouebant, sed potius dissipabant.

894.

BENEDICTVS IV. CXXII.

902. BENEDICTUS IV. Natione Romanus, sedit annis quatuor, mensibus duobus, & cessauit diebus sex.

LEO VI. CXXIII.

906. LEO VI. diebus quadraginta. Hunc post quadraginta dies suæ ordinationis Christophorus Presbyter suus capiens, & in carcerem trudens, per inuasionem rapuit Præsulatum. Qui cum septem mensibus præfuisset, à Sergio Papa deponitur, & in carcerem tanquam Inuasor detruditur.

CHRISTOPHORVS CXXIV.

906. CHRISTOPHORUS mensibus septem. Hic à Papatu eiectus factus est Monachus.

SERGIVS CXXV.

907. SERGIUS Natione Romanus, ex Patre Benedicto sedit annis septem, mensibus tribus, diebus sexdecim, & cessauit diebus septem. Huius tempore Ecclesia Lateranensis corruit, quam Papa à fundamento reparauit. Hic Sergius Diaconus per Papam Formosum à Papatu reprobatus, tandem Papa factus, ad Francos se contulit, quorum auxilio Christophorum Inuasorem Papatus incarcerans, Romam ingressus Papatum obtinuit, & in vltionem suæ repulsæ Formosum de sepulchro extractum in sede Pontificali sacerdotaliter indutum decollari præcepit, & in Tiberim iactari, & omnes per ipsum ordinatos deordinauit. Quem à Piscatoribus inuentum, & in Basilica B. Petri positum, quædam Sanctorum imagines adorasse, & venerabiliter salutasse palam omnibus visæ sunt.

ANASTASIVS III. CXXVI.

914. ANASTASIUS III. Natione Romanus annis duobus, mensibus duobus, & cessauit diebus duobus.

LANDO CXXVII.

916. Lando. LANDO mensibus sex, & cessauit diebus triginta & vno. Natione Romanus.

IOANNES DECIMVS CXXVIII.

917. IOANNES annis tredecim, mensibus duobus, diebus tribus. Hic fuit Filius Sergii Papæ, & Episcopus Rauennàs, qui inuasor Ecclesiæ fuit & ab omni populo Rauennate depositus est. Huius consilio & auxilio Saraceni, qui tunc dominabantur in Italia, primo prope Vrbem deuicti sunt, demum ipse Papa cum Marchione Alberico intrans Apuliam, contra Saracenos, apud Galianum cum Saracenis durum bellum habentes, Victores effecti, postquam Romam redierunt, à Populo Romano cum gaudio & honore sunt recepti, sed póst discordia interueniente, Marchio de vrbe expulsus, in Orta Castrum extruens, ibi se recepit, & Nuncios pro Vngaris, vt terram Romanorum possiderent, misit, qui venientes totam Tusciam depopulando, mares & feminas, & quidquid tollere poterant in Vngariam deportauerunt: propter quod Romani prædictum Marchionem trucidauerunt, Vngari verò post, singulis annis per multa tempora fines Romanos deuastare soliti erant.

LEO VII. CXXIX.

930. LEO VII. mensibus sex, diebus quindecim, & cessauit Episcopatus diebus decem. Natione Romanus fuit.

STEPHANVS VII. CXXX.

930. STEPHANUS VII. Natione Romanus, annis duobus, mense vno, diebus duodecim.

IOAN-

LODOVICUS. III. LXXXI.

LOdouicus III. imperauit annis sex. Istius tempore cæperunt Italici imperare. Exempto enim Imperio à Francis, fertur ad Italicos, secundum sententiam Romanorum, quod Francigenæ non adiuuabant Romam contra Lombardos rebellantes, & multas ipsis iniurias inferentes, propter quam causam tempore istius Lodouici diuidi cæpit imperium. Quidam enim, sicut infra patebit, tantum in Italia, & quidam tantum per Alemanniam imperabant, vsq; ad Ottonem primum, qui cæpit vtrobiq; imperare. 902.

BERENGARIUS LXXXII.

BErengarius, imperauit annis quatuor. Iste fuit prudens in armis, & habuit bellum cum Romanis. Hoc tempore à Guilielmo Pio, Principe Burgundiæ Cluniacense Monasterium fundatum est. 908.

CONRADUS LXXXIII.

COnradus Alemannus imperauit annis septem. Tamen inter Imperatores non numeratur, quia non imperauit in Italia, & ideo caruit benedictione Imperiali. Huius tempore Saraceni Apuliam, Calabriam, & penè totam Italiam deuastant. Anno septimo Conradus Rex moriens, coram Principibus Regni, Regem designat Henricum filium Ottonis Ducis Saxonum. 912.

BERENGARIUS LXXXIV.

BErengarius imperauit nouem annis in Italia.

HENRICUS LXXXV.

HEnricus Rex imperauit annis octodecim. Et hoc per Alemanniam. Vnde nec ipse inter Imperatores computatur, quia non regnauit in Italia, nec fuit per Papam coronatus. Huius tempore Spitiginæus, Dux Boëmorum, ad fidem conuertitur, et licet fuerit Neophitus, præceteris tamen iste iustè ac religiosè principatur. Postquam Wenceslaus Filius eius iustitia & sanctitate præclarus, cui Frater suus Boleslaus iniquè aduersatur, & pòst, primo Anno Ottonis primi, ab eo occiditur, ambitione præripiendi principatum. In cuius vltionem Otto Rex Boleslaum aggrediens, per quatuordecim annos impugnauit. Tandem Rex Otto cum magna ruina suorum Boleslaum bello superans, totam Boëmiam deuastauit. Henricus Rex decimo octauo anno moritur. Qui licet in vincendis inimicis fuerit gloriosus, in eo tamen, quod Italiam à Tyrannis Berengario & aliis non recepit, benedictione Imperiali caruit. 919.

HUGO LXXXVI.

HUgo imperauit annis sex in Italia.

IOANNES CXXXI.

932. IOANNES annis quatuor, mensibus decem, diebus quindecim, Natione Romanus fuit. Cessauit Episcopatus die vno.

LEO VIII. CXXXII.

937. LEO VIII. Natione Romanus, sedit annis tribus, mensibus sex, diebus decem, & cessauit die vno.

STEPHANUS VIII. CXXXIII.

940. STEPHANUS VIII. sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus quindecim. Et cessauit diebus decem. Hic Natione Germanus, fuit intitulatus à quibusdam Romanis.

MARTINUS II. CXXXIV.

943. MARTINUS II. Natione Romanus, sedit annis tribus mensibus sex, diebus quatuordecim, & cessauit diebus tribus.

AGAPITUS. II. CXXXV.

947. AGAPITUS II. Natione Romanus, annis decem, mensibus sex, diebus decem, & cessauit diebus duodecim.

IOANNES XII. CXXXVI.

957. IOANNES XII. de regione Via lata, sedit annis septem, mensibus decem, diebus quinque. Et cessauit diebus duodecim. Ex Patre Alberto, Alberico Principe. Hic Albericus, cum esset potens in vrbe, vocatis nobilibus, rogauit eos, & induxit iuramento contingendo, vt mortuo Agapito Papa, promouerent Filium suum Octauianum in Papam; quod & factum est: vocatusque est Ioannes. Hic erat Venator, & totus lubricus, adeò quod etiam publicè feminas tenebat: propterea quidam Cardinalium & Romanorum scripserunt Otthoni Principi Saxonum, vt scandalo Ecclesiæ compatiens sine mora properaret. Hoc Papa percipiens, Ioanni Diacono Cardinali, tanquam huius facti Consiliario, nasum, & alteri Ioanni Subdiacono, qui literas scripserunt, manum amputari fecit. Hic cum frequenter per Imperatorem, & Clerum de sua correctione fuisset monitus, non correctus, præsente Imperatore de Papatu destitutus, communi voto Leo Papa eligitur.

BENEDICTUS V. CXXXVII.

965. BENEDICTUS V. mensibus duobus, diebus quinque, & cessauit diebus viginti. Hic viuente Leone Papa, à Romanis in Papam eligitur, propter quod Imperator cum Romam obsideret, traditur Benedictus Imperatori à Romanis. Et Leone restituto, Benedictus in exilio in Saxonia moritur, & in Hamburg sepelitur: Ioannes verò oblectatus adultera, sine pœnitentia subitò moritur.

LEO VIII. CXXXVIII.

965. LEO sedit anno vno, mensibus quatuor, & cessauit diebus septem.

IOANNES XIII. CXXXIX.

967. IOANNES XIII. Narinensis, sedit annis septem, mensibus vndecim, diebus quindecim, & cessauit diebus tredecim Episcopatus. Hic à Petro Præfecto Vrbis comprehensus est, & in Castello S. Angeli detrusus, deinde in Campaniam in exilium missus, post decem menses, & viginti octo dies, reuersus est Romam, & de persequutoribus eius ab Ottone Imperatore supplicium est sumptum. Nam nobiles vrbis, quos culpabiles inuenit, alios trucidauit, alios laqueo suspendit, quamplures verò in exilium ad Saxoniæ partes transmisit.

BENE-

966 Anno Domini.

BERENGARIUS. LXXXVII.

BErengarius imperauit annis septem. Huius tempore maximum schisma fuit in Italia.

LOTHARIUS. LXXXVIII.

LOtharius imperauit annis duobus. Istius tempore sol factus est sicut sanguis: vnde post pancos dies magna cædes hominum secuta est.

BERENGARIVS LXXXIX.

BErengarius cum Alberto filio suo imperauit in Italia annis vndecim. Qui Berengarius nimia feritate premebat Italiam, & Aluidam Lotharii Imperatoris relictam incarceratam tenebat. Sed Otto Rex Alemanniæ Italiam potenter intrans, Berengario depulso, Reginam liberat, eamq; sibi pro Vxore accipiens, Natale Domini festum Papiæ celebrat. Sed postea Berengario ab Ottone in gratiam recepto Lombardiam sibi reddidit, excepta Marchia Trevisina, & Veronensium, & Aquileia. Sed paruo tempore post ab Apostolica sede & Lombardia veniunt Legati ad Ottonem, de Tyrannide Berengarii conquerentes. Ottoverò pro corona Imperii vocatus Romam tendendo, cum in Lombardiam venisset, Berengarium captiuauit, & in Bauariam in exilio missò, Romam veniens, à Papa & à Romanis sollemniter suscipitur.

OTTO XC.

OTto imperauit annis duodecim. Hic fuit primus Imperator Teutonicorum. Exempto enim Imperio ab Italicis, soli Teutonici imperauerunt vsque ad præsens tempus. Hic potens cum esset in Saxonia, & multis annis regnasset per Alemanniam; quidam de Cardinalibus & de Romanis propter malum statum Ioannis Papæ duodecimi, miserunt occultè ad ipsum, vt super necessitate Romanæ Ecclesiæ Romam veniret, & etiam Imperii gubernacula possideret. Ipse verò per Lombardiam & Tusciam potenter veniens, à Papa & à Clero & à populo Vrbis Romanæ honorificè est receptus, & in Imperatorem coronatus. Multa donaria fecit Ecclesiis. Hic pacata Italia, cum Vxore sua Lombarda in Saxoniam rediit, de qua Filium genuit, tam regni, quam sui nominis successorem. Cui etiam Filiam Imperatoris Constantinopolitani de Romano sanguine procreatam in Coniugem dedit. Deinde propter bonum statum Ecclesiæ Romanæ pluries Romam veniens & iterum ad partes suas rediens, ibidem piis operibus intendendo, in Allodio suo apud Magdeburg Ecclesiam miræ pulchritudinis, ad honorem S. Martini fabricauit, & eam maximis possessionibus amplauit. Hic post depositionem Ioannis Papæ, propter infamiam Leoni Papæ a Clero Vrbis creato, postquam Romani ipso absente, tertium Papam, videlicet Benedictum, creassent, Romam veniens cum magno exercitu eam obsedit, quousq; Benedictum intrusum Papam sibi præsentauerunt. Qui Leone Papa reducto in sedem suam pacificatis omnibus rediit in Saxoniam, ducens secum Benedictum Papam, qui ibidem in exilio est sepultus. Hic etiam multitudinem Paganorum circa eundem locum habitantium conuertens ad Christum, fideliter est defunctus. 936.

BENEDICTVS VI. CXL.

974. BENEDICTUS VI. anno vno, menſibus ſex, & ceſſauit diebus decem. Hic Natione Romanus, in Caſtello S. Angeli retruſus, ſtrangulatus eſt abſinthio.

DONVS CXLI.

975. DONUS anno vno, menſibus ſex, & ceſſauit diebus duobus.

BONIFACIVS CXLII.

977. * *Poſt.* BONIFACIUS VI. menſe vno, diebus duodecim, & ceſſauit diebus viginti. Hunc Romani ſuffocato Benedicto VI. Papam fecerunt, qui * prius non valens in Vrbe ſubſiſtere, deprædata Eccleſia S. Petri, omnibus pretioſis, fugit in Conſtantinopolim, tandem Romam cum magna pecunia rediens, cum proficere non poſſet, Ioanni Diacono Cardinali oculos exemit: & ipſe ſubitò deinde extinctus fuit.

BENEDICTVS VII. CXLIII.

978. BENEDICTUS VII. annis octo menſibus ſex, & ceſſauit diebus quinque. Hic fauore Imperatoris multos ex Romanis capi fecit, Natione Romanus fuit.

IOANNES XIV. CXLIV.

986. IOANNES XIV. ſedit menſibus octo, & ceſſauit diebus decem. Hic in Caſtello S. Angeli per quatuor menſes fame afflictus eſt, & ſepultus in Vaticano S. Petri.

IOANNES XV. CXLV.

987. IOANNES XV. Natione Romanus, ſedit menſibus quatuor, & ceſſauit die vno.

IOANNES XVI. CXLVI.

987. IOANNES XVI. Natione Romanus, ſedit annis decem, menſibus ſeptem, diebus decem, & ceſſauit diebus ſex. Hic fuit in armis eruditiſſimus, & multos libros compoſuit. Hunc Creſcentius Patritius Vrbis in tantum cæpit perſequi, quod ipſum oportuit Vrbem relinquere, & Tuſciam intrare; Cognito autem Creſcentius, quod Papa pro Ottone tertio miſiſſet, pro Papa vt ad Vrbem rediret Nuncios miſit, & veniente Papa, ipſe cum Senatu ad pedes Papæ veniam poſtulauit. Sicque Papa facta pace Romæ eſt defunctus.

GREGORIVS V. CXLVII.

997. GREGORIUS V. Natione Saxo. ex Patre Otthone, ſedit annis duobus, menſibus quinque. Hic Bruno antea dictus, cum eſſet conſanguineus Ottonis tertii, ad inſtantiam Imperatoris eſt in Papam electus: ſed poſt paruum tempus Creſcentius Conſul Vrbis, Placentinum Epiſcopum de Legatione Conſtantinopolitana cum magna pecunia redeuntem, in Papatum intruſit: ſed hoc factum per Imperatorem grauem vltionem recepit.

IOANNES XVII. CXLVIII.

999. IOANNES XVII. ſedit menſibus decem, & ceſſauit Epiſcopatus diebus viginti. Hic nihil conſtituit. Hic natione Græcus, Placentinus Epiſcopus, viuente Papa Gregorio, per Conſulem Vrbis Papatum habuit. Sed poſt per Imperatorem exoculatus fuit.

SYLVE-

OTTO II. XCI.

OTTO II. viginti annis cum Ottone Filio suo imperauit. Hic cum Græcos in Calabria, incautè persequeretur, amissis militibus, exiliens de manu eorum euasit. Demum exercitum congregans Beneuentum obsedit. Qua capta ossa B. Bartholomæi, vt dicitur, inde asportauit, ac Romæ in Insula Tiberina, in Concha quadam collocauit: & in terram suam per Tyberim & mare in præfata Concha transferre excogitauit. Sed eo in breui vita exempto, pretiosus thesaurus ibi remansit vsque ad hodiernam diem. Hic Ottone Filio suo relicto in Saxonia, cum Regina & exercitu magno per Italiam transiens, venit Romam, ibique à Benedicto septimo, cum magno gaudio & lætitia est coronatus cum Regina. Erat enim summa pax inter Papam & Imperatorem. Accidit eodem tempore quod Agareni & Barbari Calabriæ fines ingressi, omnia ferro & igne vastabant, contra quos Imperator Otto cum Teutonicis, Lombardis & Gallicis & Romanis procedens, acriter dimicauit. Sed Romanis & Beneuentanis tergauertentibus, Christianorum exercitus pænè omnino est extinctus. Imperator verò solus ad mare * quosdam rogauit, vt ipsum in nauim reciperent, asserens se vnum de militibus Imperatoris. Qui suscepto eo in nauim considerantes dispositionem & decorem eius, loquebantur Græcè, credentes non ipsum intelligere, quod ipse esset Imperator, & quod vellent ipsum Constantinopolim adducere ad imperatorem suum. Quod Imperator intelligens, & grauiter dolens circumuenit ipsos, asserens se magnam habere pecuniam absconditam in Sicilia, rogans vt illuc irent, & accepta pecunia simul cum gaudio properarent. Ipsis autem propter hoc ad littus accedentibus, vidit Imperator Episcopum in armis, Probum Cæsium nomine. Et inuocato suo auxilio, Imperator cum Episcopo omnes nautas ibidem trucidauerunt quadraginta, * quod nec vnus euasit, per virtutem S. Petri Apostoli, quem Imperator sollicitè inuocabat. Et sic ad Imperatricem perueniens, cum gaudio ab ipsa & à suis Baronibus susceptus, Romam rediens post paucos dies est defunctus; & apud S. Petrum honorificè tumulatur. Hoc tempore S. Albertus, natione Boëmus floruit. Hic primum Episcopus Pragensis, post reuelatione Dei in Pannoniam veniens, primum Regem Vngarorum, videlicet S. Stephanum, cum multis aliis baptizauit. Demum per Poloniam transiens, & eosdem in fide confirmans, in Prussiam veniens, ibidem prædicando fidem, martyrio coronatur. 973.

* perueniens.

* scilicet.

OTTO III. XCII.

OTto III. imperauit annis nouendecim. In Italia quinque, permansit vacuum regnum annis duodecim. Hic Otto tertius, secundi Ottonis Filius, Romam veniens, à Papa Gregorio quinto in Imperatorem est coronatus. Deinde de Roma in Apuliam ad S. Angelum causa peregrinationis, & orationis transiuit. Sed reditum per Beneuentum faciens, corpus S. Paulini Episcopi secum Romam detulit. Hic ordinata Italia, transitum faciens per Galliam, in Saxoniam est reuersus. Sed Crescentius Consul Romanorum, Gregorio Papa fugato, fecit Papam quendam Græcum, Ioannem nomine, Placentinum Episcopum, multum pecuniosum. Quod audiens Imperator, ad vrbem cum magno furore regressus, Crescentium in Castro S. Angeli tam diu obsedit, quousque ipsum cum castro captum, truncauit capite. Ipsum verò Pontificem oculis orbatum, membris cæterùs debilitauit. Deinde Imperator ordinatis Imperii rebus, ducens secum nobiles aliquos Romanos, in Saxoniam est reuersus. Et visitans locum in Polonia vbi S. Adelbertus quiescebat Martyr: accepto ipsius brachio, Romam est reuersus, locans illud in Insula, in Ecclesia in qua modo dicitur requiescere S. Bartholomæus Apostolus. Tunc Imperator cœpit construere grande palatium in Vrbe, in Palatio Iuliani Imperatoris. Sed Romanis reclamantibus, Imperator multis persecutionibus Romanis illatis, post paucos dies vitam finiuit. Licet tres Otthones per successionem generis regnauerint, post tamen institutum fuit, vt per Officiales Imperii Imperator eligeretur: qui sunt septem, videlicet tres Cancellarii: Moguntinus Cancellarius Germaniæ, 983.

Treue-

SYLVESTER II. CXLIX.

1000. SYLVESTER II. sedit annis quatuor, mense vno, diebus octo, & cessauit diebus viginti tribus. Iste Natione Gallicus, nomine Gilibertus, qui mortuus fuit ad S. Crucem in Ierusalem. Hic primum iuuenis Floriacensis cœnobii in Aurelianensi diœcesi: Monachus fuit, sed dimisso Monasterio, homagium Diabolo fecerat, vt sibi ad votum * succederent, quod Diabolus promisit adimplere. Idem obsequiis Diaboli insistens, frequenter super desideriis suis cum eo loquebatur. Veniens autem Hispalim Hispaniæ causſa discendi, in tantum profecit, quod sua doctrina etiam maximis placuit: Habuit enim discipulos Ottonem Imperatorem, & Robertum Regem Franciæ, qui inter alia Sequentiam, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, composuit: & Leothericum, qui prius fuit Archiepiscopus Senonensis; sed quia idem Gilbertus quam plurimum honores ambiebat, Diabolus ea quæ petebat, ad votum compleuit. Fuit enim primo Rhemensis Archiepiscopus, post Rauennas, tandem Papa, & tunc quæsiuit à Diabolo, quam diu viueret, & responsum habuit, quod quam diu non celebraret in Ierusalem. Gauisus est valde, sperans se longè esse à fine, sicut longè esset à voluntate peregrinationis in Ierusalem vltra mare. Et cum in Quadragesima in Ecclesia quæ dicitur Ierusalem in Laterano celebraret, ex strepitu Dæmonum sensit sibi mortem adesse. Suspirans ingemuit (licet autem sceleratissimus esset, de misericordia DEI non desperans) reuelando coram omnibus peccatum. Membra omnia, quibus obsequium Diabolo præstiterat, iussit præcidi, & demum truncum mortuum super bigam poni, vt vbicunque animalia perducerent & subsisterent, ibi sepelirent, quod & factum est. Sepultusque est in Lateranensi Ecclesia, & in signum misericordiæ consequutæ, sepulchrum ipsius, tam ex tumultuatu ossium, quam ex sudore, præsagium est morituri Papæ, sicut est in eodem sepulchro litteris exaratum.

* omnia.

Annotatio Joannis Cæsaris.

QUÆ de Syluestro recitata sunt, absque vllo Autoris testimonio asseruntur, vana & mendacissima, quæ repetunt ex hoc loco Balæus insignis Impostor, & verarum Historiarum impudens falsarius & post eum Spangenbergius, de quo tamen Blondus Eugenii IV. Pontificis Secretarius Decade 2. lib. 3. scripsit, Nullum scriptorem affirmare dubitat Syluestrum II. litteris, moribusque ornatissimum fuisse. Imò ipse Panthaleon Pontificis & Ecclesiæ Romanæ hostis lib. de Illustribus parte 2. fol. 88. insignibus præconiis hunc Pontificem extollit. Vide Onuphrium Panuvvinum, in Annotatione ad Platinam, & Robertum Belarminum de Romano Pontifice lib. 4, c. 12. in fine. Chronologiam Genebrardi, & Cæsarem Baronium.

IOANNES XVIII. CL.

1004. IOANNES XVIII. sedit mensibus quinque, diebus viginti quinque, & cessauit diebus viginti.

IOANNES XIX. CLI.

1004. IOANNES XIX. sedit annis quinque, & cessauit diebus triginta. Natione Romanus, de Regione quæ vocatur * Metropolis.

* Porta.

ANNOTATIO.

DEceptus est hic B. Platina, dum in ordine hunc XXI. vocitat, cum non vigesimus primus, sed decimus nonus ferè fuerit; quod etiam Onuphrius obseruauit. Cæterum error accidit hoc modo per transpositionem numerorum: XIX. vndeviginti habes, hoc modo XXI. colligis viginti & vnum, quod facillime festinantis librarii manu accidere potuit.

SERGIUS CLII.

1009. SERGIUS annis duobus, mensibus septem, & cessauit diebus octo. Hic fuit sanctæ vitæ, & castæ conuersationis. Sepultus est in Basilica S. Petri.

BENE-

Trevirensis Galliæ, & Colonienſis Italiæ. Marchio Brandeburgenſis Camerarius. Palatinus dapifer, Dux Saxoniæ enſem portat. Pincerna Rex Boëmiæ. Unde verſus:

Maguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperij ſit Cancellarius horum.
Et Palatinus Dapifer: Dux portitor enſis.
Marchio præpoſitus Cameræ: Pincerna Boëmus.
Hi ſtatuunt Domum cunctis per ſæcula ſummum.

HENRICUS I. XCIII.

HENRICUS I. imperavit annis duodecim, menſibus quinque. Permanſit vacuum regnum annis duobus. 1003. *Hujus tempore Luna converſa eſt in ſanguinem. Nota quod plures ſunt Henrici Reges, quam Henrici Imperatores. Unde cum legis Henricus primus, ratione Imperij dicitur primus, ſed ratione nominis, ſecundus dicitur. Fuit enim quidam Henricus Rex ante ipſum. Idem intellige de Conradis. Hujus Henrici Imperatoris uxor fuit Cunigundis, & ambo virgines permanſerunt, & in Bambergenſi Eccleſia, quam ædificaverunt, requieſcunt miraculis corruſcando. Hic Henricus primo Dux Bavarorum, ab omnibus Principibus in Imperatorem electus. Multa bella proſperè geſſit in Germania, Bohemia, & Italia. Poſtremo volens ſoli Deo vacare, cum eſſet Chriſtianiſſimus, Epiſcopatum Bambergenſem fundavit. Regi etiam Ungarorum Stephano ſororem ſuam dans in uxorem, tàm ipſum, quàm totum regnum ſuum ad fidem vocavit. Hic etiam Bambergenſem civitatem, quæ fuerat S. Petri, pro Narnienſi apud Papam commutavit.*

CONRADUS I. XCIV.

CONRADUS I. imperavit annis viginti. Et permanſit vacuum regnum annis tribus. 1017. *Hic multas leges condidit. Hic pacem in terris conſervare cupiens, ſtatuit, ut quicunque Principum pacem infringeret, capite plecteretur. Sed hujus ſtatuti transgreſſor Comes Lupoldus accuſatur. Qui cupiens vitam ſalvare, cum paucis, id eſt uxore, & pueris occultè fugiens in vaſtam ſolitudinem, ipſam multis temporibus tanquam Eremita inhabitabat: nullo penitus ſciente, quo deveniſſent. Sed contigit Imperatorem ad illas partes accedere. Et cum venationis cauſſa, beſtias inſequens per ſolitudinem diſcurreret, ſic ſe ab omnibus elongavit, ut ſolus remaneret, & ubi eſſet penitus ignoraret; Et nocte appropinquante Imperator multum anxius, caſu ad prædicti Eremitorium Comitis pervenit. Qui benignè receptus, cum poſt laborem in ſtrato*

BENEDICTUS VIII. CLIII.

1012. BENEDICTUS VIII. natione Tusculanus, ex Patre Gregorio, sedit annis undecim, diebus viginti unum, & cessavit Pontificatus anno uno. Hic fuit ejectus de Papatu, & factus est quidam alius Papa, unde maximum schisma fuit. Dicit Petrus Damianus, quod quidam Episcopus, vidit hunc Benedictum Papam, nigro equo quasi corporaliter insedentem, & dixit ei: Nonne tu es Benedictus Papa, quem jam defunctum novimus? Ego sum, inquit, ille infelix Benedictus. Et quomodo est, inquit, tibi Pater? Graviter, inquit, torqueor, sed de misericordia Dei non despero, si mihi adiutorium præbeatur. Vade, inquit, ad successorem meum Papam, & die illi, ut in tali theca summam pecuniæ accipiens, pauperibus distribuat; quia quicquid antè pauperibus pro me datum fuit, nihil mihi profuit: quia de rapinis fuit. Quod Episcopus fideliter explevit, & Episcopatui cedens, Monasterium intravit.

JOANNES XX. CLIV.

1023. JOANNES XX. natione Romanus ex Patre Gregorio, sedit annis novem, diebus duobus, Habuit guerram cum Romanis.

BENEDICTUS IX. CLV.

1032. BENEDICTUS IX. natione Tusculanus, ex Patre Alberico, sedit annis quatuordecim. Iste est ejectus de Papatu: & factus est Papa Sabinensis Episcopus, qui infra vocatus est Sylvester. Iste quoque ejectus est, & Benedictus recuperavit Papatum. Et iste iterum ejectus est, & datus est Papatus Joanni Archipresbytero S. Joannis ante portam Latinam, qui Gregorius VI. infra dictus est. Et hic habito Papatu, cum esset rudis litterarum, alterum Papam ad vices Ecclesiastici officij exequendas secum consecrari fecit. Quòd cum multis non placeret, tertius superinducitur, qui solus duorum vices impleret. Uno tanquam contra duos, & duobus de Papatu altercantibus contra unum, & mortuo Gregorio, Henricus Imperator contra duos Romam accedit, & eis canonica & Imperiali censura depositis, Sidigerum Babenbergensem Episcopum, qui & Clemens II. infra dictus est, in Papatum per vim substituit: à quo Henricus Imperator coronatur: Romanis sibi promittentibus & jurantibus, se sine ipsius consensu nunquam Romanum Pontificem electuros. Iste Benedictus, qui fuit neposistius * Benedicti, apparuit juxta molendinum cuidam in specie cujusdam monstruosi animalis, cujus caput & cauda asini erat, reliquum corpus sicut ursus. Cumque conspector territus fugeret, clamans monstrum post ipsum, dixit: Noli expavere: scito me hominem fuisse, sicut tu es: sed sic modo repræsento me, sicut olim infelix Papa existens, bestialiter vixi.

* superioris.

SYLVESTER III. CLVI.

1046. SYLVESTER III. sedit diebus quinquaginta sex.

GREGORIUS VI. CLVII.

1047. GREGORIUS VI. de S. Joanne ante portam Latinam, sedit annis duobus, mensibus sex. Hic cum Henrico Rege habuit bellum. Hunc Guilielmus in suis Chronicis dicit sanctum virum fuisse: Et cum ad Papatum venisset, parum vel nihil ad Papatum pertinens, propter incuriam & negligentiam antecessorum

dormiret, & eadem nocte prædicti Comitis uxor filium peperisset, audivit vocem Imperator in somnis dicentem: ipsum puerum generum suum futurum, ac imperij successorem. Hanc vocem Imperator primò contemnens; cùm iterata fuisset, anxius viso puero de mane, cum ad suos pervenisset, vocatis duobus Secretarijs, occultè mandavit, ut prædictum puerum rapientes, in sylva occiderent: & sibi cor pueri apportarent. Ipsi juxta mandatum puerum rapiunt, & misericordia moti non occidunt, sed in nemore relinquentes, cor capti leporis, in argumentum occisionis Imperatori deferunt. Accidit autem ut eadem hora Dux Henricus caussa venationis in eadem sylva solus errans, puerum vagientem audiret, ipsumque pulchrum conspiciens, uxori suæ sterili occulte deportans, mandavit eidem, ut quod ipsum genuit affirmaret. Quod & factum est, vocavitque eum nomine suo Henricum. Cumque jam adultum Imperator vidisset, pensans vultum, quem olim viderat, & ætatem: licet multum renitente Patre scilicet Duce Henrico, Imperator juvenem, ut sibi astaret, retinuit: tractans apud se qualiter eum perderet. Et post aliquot tempus misit eum ad Imperatricem, scribens: ut eum sub obtentu gratiæ suæ, eo die, quo ipse juvenis ad ipsam veniret, ipsum occultè suffocaret. Sed juvene iter agente, cum in domo cujusdam Presbyteri quiesceret, Presbyter ipso dormiente curiosè ipsius bursam pertractans, litteras Imperatoris conspexit, & illas cautè aperiens, illi feliciter commutavit. Nam abraso Ipso die moriatur, reposuit; Ipso die Filia mea tradatur. Quod & factum est; licet cum admiratione Imperatricis, propter tam subitum & stupendum mandatum. Quod Imperator percipiens, obstupuit. Sed postquam investigavit illum verum ipsius Patrem nobilem Comitem fuisse, quem rusticum credebat, dolor ipsius mitigatus est. Qui Henricus postquam Conrado successit, in loco nativitatis suæ magnum construxit Monasterium.

HENRICUS II. XCV.

HENRICUS II. imperavit annis septendecim. Hic Henricus dictus Filius Conradi, secundum alios, gener ipsius. Iste veniens in Italiam Pandulphum Principem Capuanum cæpit, & captivum secum asportavit, & alium quendam Pandulphum Comitem Theatinum Principem ordinavit. Hujus tempore Normanni intraverunt Romam, & bellum Cadulphus contra Romanos in pratis S. Petri habuit. Tunc temporis Dux Godefridus venit in Italiam, & insecuti sunt eum Normanni à Roma usque ad Aquinum. Hujus Imperatoris tempore Romæ cuiusdam Gigantis corpus Pallantis nomine inventum est incorruptum, cujus vulneris hiatus, ubi vulneratus fuerat, quatuor pedes & semissem habebat. Corpus verò altitudinem muri vincebat. Lucernaque ardens ad caput ipsius inventa est, quæ nec flatu extingui poterat, nec liquore: sed cum stylo foramine subter flammam facto, extincta est: per illud foramen ære introducto. Hunc dicitur Turnus occidisse. Et hoc ipsius Epitaphium fuit: 1040.

Filius Evandri Pallas, quem Lancea Turni
Militis occidit, * more suo jacet hic.

* censeo legendum: Mole sua jacet hic.

Hoc tempore in Apulia erat quædam Statua Marmorea circa caput sum æreum habens circulum: in quo erat scriptum. Kalend. May oriente Sole habeo caput aureum. Quod quidam Saracenus à Guiberto Guischardi captus, quid portenderet intelligens, in Calendis Maij in oriente Sole, notato termino umbræ illius, reperit infinitum thesaurum,

cessorum suorum invenisse. Nam pænè à prædonibus tollebantur. Peregrini Romam venientes, quasi omnes spoliabantur. Et pervenientium oblationes violenter auferebantur. Quos omnes Papa admonuit primò, post excommunicavit, tertiò, quia contempserunt, manum armatam apposuit. Et primo raptores oblationum S. Petri, aut penitus extinxit, aut fugavit. Occisis itaque raptoribus, prædia & oppida multo tempore amissa recuperavit. Tunc omnes ipsum homicidiam clamantes, non Papam sed sanguinarium dicebant. Cardinales quoque ipsum in infirmitate, in qua & mortuus fuit, indignum fore dixerunt in Ecclesia S. Petri sepeliri: qui tot mortibus hominum sacerdotium fœdasset. Tunc Papa, licet infirmus, resumpto spiritu, longum sermonem Cardinalibus fecit; asserens ipsos stultè loquutos esse, & se benè fecisse, inducens illud Ezechielis Prophetæ: Sacerdotibus, qui se non opponebant murum pro domo Dei Israël, & multa alia. Et post subdidit, cum mortuus fuero, corpus meum ante fores Ecclesiæ sistite, Januas quoq; Ecclesiæ seris, & vectibus obfirmate: si voluntate divina portæ apertæ fuerint, corpus inferte: alioquin de ipso facite quod vultis. Cumque eo mortuo sic factum esset, turbo divinitus veniens, portas Ecclesiæ firmatas, non solum aperuit, sed & cum magno fragore usq; ad parietem deportavit.

CLEMENS II. CLVIII.

1050. CLEMENS II. sedit mensibus novendecim, diebus septem. Hic fuit invasor Ecclesiæ, & per vim habuit Papatum, & cessavit diebus viginti.

DAMASUS II. CLIX.

1051. DAMASUS II. sedit diebus viginti tribus, & cessavit diebus viginti & uno. Hic fuit invasor sedis Apostolicæ & subitò defunctus est.

LEO IX. CLX.

1052. LEo de genere Alemannus, de Lotheris regno, sedit annis quinque, mensibus duobus, Romani ex prava consuetudine, postquam petiissent ab Imperatore Henrico Pontificem dari; Imperator cum nullum Teutonicorum ad hoc ut reciperet, posset inducere, Episcopum Tullensem, Brunonem nomine, virum simplicem ad hoc inclinavit: qui ad urbem veniens, & ex hoc conscientiam habens, omninò resignavit. Et denuò ab omnibus electus, post laudabilem vitam in Ecclesia B. Petri tumulatur, manifestis claresccens miraculis.

VICTOR CLXI.

1057. VICTOR genere Alemannus sedit annis duobus, mensibus tribus, diebus tredecim. Hic timore Imperiali factus est Papa, Hic temporibus Henrici Imperatoris apud Florentiam Synodum celebravit, & multos Episcopos propter simoniam & fornicationem deposuit. Hic in Gallias veniens, ab Imperatore Henrico gloriosè suscipitur, & eo præsente Imperator moritur.

STEPHANUS IX. CLXII.

1059. STEPHANUS IX. sedit mensibus novem, diebus viginti septem. Hic natione Lotharingus, abbas prius Cassinensis; in Tuscia Florentiæ sepultus est.

BENEDICTUS X. CLXIII.

1060. BENEDICTUS X. mensibus novem. Hic prius * Velletrenensis Episcopus, Mitius nomine: per violentiam factus est Papa, postea cessit.

* *Vercellensis.*

NICOLAUS II. CLXIV.

1061. NICOLAUS II. natione Burgundus, sedit annis duobus, mensibus sex, diebus viginti sex, & cessavit diebus decem. Hic prius Florentinus Episcopus, apud Senam à Cardinalibus unanimiter est electus. Et celebrato Romæ Concilio, defunctus est.

ALEXANDER CLXV.

1063. ALEXANDER natione Mediolanensis, sedit annis undecim, mensibus sex, diebus viginti quinque. Hic cum esset Lucanus Episcopus, concorditer à Cardi-

quem dedit pro sua redemptione. Hoc tempore Ecclesia Gallicana per Berengarium Turonensem perturbatur, qui asserebat Eucharistiam, quam sumimus, non esse verum corpus Christi, sed figuram corporis & sanguinis. Contra quem Leo Papa, Guilensis celebrat Concilium. Qui tamen Berengarius alias homo sanctus dicitur fuisse: & post retractationem, finem mortis prædicendo, feliciter migrasse. Domini.

HENRICUS III. XCVI.

HENRICUS III. imperavit annis quadraginta novem. Hic primum venit Romam mense Maij, die vigesima quinta. Tunc temporis Robertus Guischardus intravit Romam. Fames & mortalitas fuit ferè in universa terra. Et obsedit civitatem Tyburtinam diebus tribus mense Junij. Hoc tempore hujusmodi Stella clarissima in circuitu * primæ Lunæ ingressa est, XIII. dieb. libræ, in noctis initio. Istius tempore Christianorum gens ad Sepulchrum Domini de toto orbe Christiano processit cum Duce Boamundo, & Jerusalem à Saracenis viriliter abstulerunt. Hujus tempore Hildebrandus Cardinalis qui postea Gregorius papa factus est, cum legatus esset in Gallia, & in concilio, contra multos Simoniacos Episcopos processisset, cum contra Episcopum unum multum infamatum procedere voluisset, & illos testes, qui ipsum accusaverant, precio corrupissent, dixit Legatus in Concilio: Cesset humanum judicium, producatur in medium divinum oraculum, cum certum sit, quod Episcopalis gratia sit sancti Spiritus donum: & quicunque Episcopatum mercatur indignè contra Spiritum sanctum facit. Si tu igitur contra Spiritum sanctum non feciſti, dic: Gloria Patri & filio & Spiritui sancto. Quòd ille intrepidus incipiens, cum Gloria Patri & Filio dixisset: nullatenus Spiritui sancto, dicere potuit, frequentius repetendo, sed dejectus ab Episcopatu, tunc plenè dixit. Iste Hildebrandus Gregorius Papa effectus, totus contra Henricum Imperatorem, quia dissidium procurabat in Ecclesia, * invenitur. Imperator verò Wormatiæ Concilio viginti quatuor Episcoporum, & multorum nobilium congregato, jubet omnia decreta Gregorij Papæ cassari. Propter quod Papa Imperatorem excommunicat, & à fidelitate & juramento omnes sibi adhærentes absolvit. Imperator verò Moguntiæ Gregorium à Papatu, quantum in eo fuit, deposuit. Guibertum Ravennatem Episcopum pro ipso constituens. Hujus tempore quidam potens, dum sederet in convivio, repente à 1057.

* *forte* plenæ Lunæ effulsit, tredecim diebus, *prout habet Zonar.*

* invehitur.

Cardinalibus in Papam est electus. Contra hunc fuit Cadulus, qui fuit Parmensis Episcopus, & ferè ab omnibus Lombardis Episcopis in Papam est electus, asserentes Papam non debere eligi nisi de Paradiso Italiæ. Qui Cadulus cum magno exercitu bis Romam veniens, violenter voluit Papatum obtinere, sed non potuit. Deinde Alexander Papa, ad rogatum Henrici Imperatoris, descendit in Lombardiam; & in Mantua solenniter celebrato Concilio pacificatis omnibus, ad urbem est reversus, & ibidem defunctus, in Lateranensi Ecclesia est tumulatus: Eodem tempore Normanni, qui in præjudicium Domini Papæ regnum Apuliæ occupaverant, fines Campaniæ devastabant, quos Dux Spoletanus Godefridus, & Comitissa devota filia S. Petri Malthidis expulerunt.

GREGORIVS VII. CLXVI.

1075. GREGORIUS VII. sedit annis duodecim, mense uno, diebus quatuor. Hic natione * Tuscus, Patria Suanensi, propter laudabilem vitam ex Cardinalibus est in Papam electus. Hunc Cencius Præfecti filius in nocte Natalis Domini, cum primam Missam in S. Maria majore ad præsepe celebraret, cepit, & in turri sua posuit. Sed Romani eadem nocte turrim destruxerunt. Papam liberando: & prædictum Cencium extra Urbem ejecerunt. Hic Pontifex Henricum Imperatorem Concilio CX. Episcoporum habito, excommunicavit, quia Romanæ Ecclesiæ unitatem scindere voluit. Sed post ad Papam in Lombardiam veniens, nudis pedibus super nivem & glaciem, pluribus diebus stans, vix absolutionem impetravit. Post de consensu ejusdem Regis, iteratò excommunicati plurimi seditiosi Episcopi, apud * Brissinam convenientes, Guipertum Ravennatem Episcopum in Papam elegerunt, Clementem vocantes; quem Rex Henricus pronus infra terram cum omnibus aliis adoravit, & cum ipso Romam veniens sine Cardinalibus, à Bononiensi, Mutinensi, & Cerinensi Episcopis benedici fecit, & ab eodem Gregorio in die Paschatis coronam Imperij assumpsit, Papam Gregorium in castro S. Angeli cum Cardinalibus obsidendo. Sed audito, quod Guischardus in adjutorium Papæ de Apulia veniebat, Imperator destructo Capitolio, & urbe Leonina cum suo Papa fugit Senas, & Guischardus eodem die Urbem capiens, & ferro, & igne consumens, Gregorium de obsidione liberando, in Palatio Lateranensi restituit, qui post in Apuliam descendens, Salerni mortuus est, miraculis coruscando.

* *Teutonicus.*

* *Brixiam.*

VICTOR CLXVII.

1067. VICTOR sedit anno uno, mensibus quatuor, diebus septem, & cessavit diebus novem. Hic proprio nomine Desiderius dictus, fuit Abbas Casinensis, qui veneno in Calice misso dicitur extinctus. Hujus tempore Ordo Carthusiensium incepit.

VRBANVS II. CLXVIII.

1088. VRBANUS II. sedit annis undecim, mensibus quatuor, & cessavit diebus sexdecim. Hujus tempore Dux Boëmundus cum Christianis recuperavit Sepulchrum Domini, sepultus in Ecclesia Lateranensi. Circa hoc tempus de * Myrrhea civitate ossa B. Nicolai transferuntur. Hoc eodem tempore in Hispania Toletum, illarum partium maxima urbium, per Christianos à Sarracenis tollitur. Floruit etiam hoc tempore in Anglia Anselmus, primò Abbas, post Cantuariensis Episcopus, in scientia & vita mirabilis. Hic etiam Papa primum Concilium apud Claromontem celebrat, in quo statutum est, ut Horæ B. Virginis quotidiè dicantur: Officiumque ejus diebus Sabbathi solemniter fiat. Annunciatur etiam in Concilio Hierusalem captio, Christianorum oppressio, Consilium quæritur, auxilium imploratur. Idem Papa Concilio Turonis celebrato penè totum Occidentem provocat in terræ sanctæ subsidium, & maximè de regno Franciæ, qui per terram & deinde per brachium S. Georgij transeun-

* *Myra.*

muribus circumvallatus est, & cum esset innumerabilis multitudo murium, de nullo captabant, nisi de illo, sed cum à suis in pelagum maris deductus esset, nihil ei profuit, quia mures navim sequentes, ipsam usque ad aquæ introitum corradebant. In terram ergo repositus, totus à muribus dilaceratus est, & comestus. Et hoc minus mirum judicatur, quia pro certò dicitur, quod in quibusdam terris, si Leopardus aliquem momorderit, confestim murium copiam advenire, ut vulneratum commingant, immundumq; urinæ illuvium hominis * commutari exitium. Invenitur etiam de quodam Principe, quod nulla arte poterat juvari, quin ipsum pediculi consumerent. Igitur Henrico Imperatore † mirabilis multitudo Gallorum in subsidium terræ sanctæ Cruce signati, inexplicabili labore per terram, & tandem per Constantinopolitanam urbem transeuntes, Antiochiam pervenerunt. Fuerunt autem hujus exercitus Capitanei Godefridus Dux Lotharingiæ, Comes Blesensis, Comes Flandrensis, Comes S. Ægidij, & Boamundus Dux Apuliæ, Filius Regis Guischardi, qui fuit Normannus, sed habuit uxorem Lombardam, de quo dicitur sub Carulo Calvo, & multi alij Nobiles & Barones. Antequam autem Antiochia caperetur, S. Andreas apparuit cuidam rustico simplici, Provinciali genere, dicens: Veni, ostendam tibi lanceam, qua perforatus fuit JESUS CHRISTUS. Qui Rusticus capta civitate, præsente Comite & Capellano suo, in Ecclesia S. Petri fodiens terram, in loco, de quo revelationem habuerat, lanceam invenit Anno millesimo octuagesimo nono. Dubitantibus autem plerisq; utrum esset lancea Christi, quidam Bartholomæus nomine, quem Christus sibi apparens, de lancea certificaverat, cum ipsa lancea per ignem tredecim pedum, quem fieri jusserat, illæsus transivit: Et sic exercitus in Christo, & in Lancea ipsius fiduciam habentes, intrepidi processerunt per Aconam, quæ tunc Ptolomaida dicebatur, venerunt Cæsaream, ubi cum essent, columbam desuper exercitum accipiter unus, graviter plagatam, dejecit, circa quam repertæ fuerunt litteræ, quæ deferebantur talis sententiæ. Rex Accaron Duci Cæsareæ salutem. Generatio canina venit, gens contentiosa, contra quos per te, & per alios legem tuam defendas. Idem annuncia aliis civitatibus. *Post venientes obsiderunt Jerosolymam. Est autem Jerusalem civitas in montibus sita, rivis, fontibus, & sylvis carens, excepto fonte Siloë, ubi quandoque aqua sufficiens reperitur. Fuerat autem post Titi & Vespasiani destructionem per Ælium Adrianum mirifice reparata, sed non in eodem loco ubi prius. Ibi Godefridus, qui fuerat factus ibi Rex, secundo anno mortuus, sepelitur. Creduntur autem tunc transfretasse, plusquam ducenta millia Christianorum in subsidium terræ sanctæ. Item anno Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo, ad instantiam Eugenij Papæ, & B. Bernardi prædicationem, Rex Franciæ ab ipso cruce signatus, & Imperator Conradus cum maxima multitudine Gallicorum & Teutonicorum, alij per Pannoniam, alij per mare usq; Constantinopolim devenientes, aliter ipsis evenit quam speraverunt, quoniam quidam ipsorum à Turcis capti, alij verò fatigatione, plerisq; fame & inedia consumpti sunt. Ita quod Imperator cum paucis vix rediit. Rex vero Lodovicus caussa orationis, ut peregrinus, aliquantulum manens, ad propria rediit. Imperatore verò Henrico in Italia existente, Principes Alemanniæ in Portheim convenientes, quendam Rudolphum Ducem Saxoniæ in Regem sibi elegerunt. Quem, quia Papa Gregorius ad petitionem Imperatoris, nec convictum, nec confessum excommunicare voluit, Imperator cruento bello victoria contra Rudolphum habita; convocata curia in* Brixina, Guipertum Ravennatem Archiepiscopum in Papam eligi procuravit. Propter quod à Gregorio Papa, cum denuò excommunicatus fuisset, cum suo Antipapa Romam properans, Gregorium Papam & Cardinales, cum multa hostilitate in urbe obsedit. Sed post depopulationem agrorum, & vinearum, cum Imperator sibi Populi Romani favorem attraxisset, intrans in urbem, prædictum Guipertum in Papam consecrari faciens, ab ipso in Imperatorem coronatur. Papa Gregorius cum Cardinalibus in Castro S. Angeli, quo concesserat, concluso, quem Robertus Guiscardi Rex Apuliæ cum magno exercitu veniens, & Romam uno die capiens, Imperatore cum suo Antipapa, usq; Senas fugiente, de castro cum Cardinalibus educens, Papam in Palatio Lateranensi reposuit. Romanos in hoc Imperatori consentientes, exilio, & alijs pœnis graviter affligendo.

* communicate.

† existente.

* Brixia.

HENRI-

transeuntes, inventa, per revelationem Christi, lanceâ, Antiochiam, Tripolim, Acon & pænè totam terram cum Jerusalem cæperunt.

PASCHALIS CLXIX.

1100. PASCHALIS sedit annis octodecim, mensibus quinque diebus septem, & cessavit diebus duobus. Sepultus est in Ecclesia Lateranensi. Hic fuit natione Tuscus, de Bleda. Hujus tempore Henricus IV. Teutonicorum Rex cum magno exercitu venit in Tusciam, ut Romæ coronaretur in Imperatorem, & præmissis ad Papam Nuncijs, per literas refutabat omnem investituram Episcoporum, Abbatum, & aliorum Clericorum, super qua alij Imperatores Prædecessores sui cum Romanis Pontificibus, quæstionem habuerant, & juramento, tàm Imperatoris, quàm suorum Principum, super hoc Dominus Papa accepto, postquam tam clerus quàm Populus, extra partes versus Montem Malum de mandato Domini Papæ obviassent, & ipsum usque ad summitatem graduum S. Petri conduxissent, & cum ibi summus Pontifex cum Cardinalibus & Episcopus expectasset, Rex adveniens, post pedum oscula se invicem osculati sunt, & se per manus tenentes, postquam ad portam argenteam pervenissent, osculo dato, Dominus Papa designavit ipsum in Imperatorem. Sed postquam ad rotam porphyricam pervenisset, & Papa super investitura refutanda juramentum expetiisset, Rex cum suis consilio habito, Papam & Cardinales cum tota curiâ captivavit. Hujus etiam temporibus, post ipsius liberationem, quidam ex Clero Romano perversi, contra ipsum Pontificem insurgentes, tres Hæresiarchas, videlicet Albertum Agnulphum & Theodericum diversis temporibus erigere in Papam præsumpserunt. Qui licet in Principio Domino Papæ multas infestationes fecissent, in fine tamen ab ipso prostrati sunt. * Hujusmodi temporibus Rex Ungariæ admonitiones plures per literas suas scribens Domino Papæ, renunciavit investituram Episcoporum & aliorum Prælatorum, quas usque ad illa tempora Reges Ungariæ facere consueverant. Eodem tempore Bernardus habens annos circiter XXII, sub Abbate Stephano, qui fuit tertius Abbas in Cistertio, cum socijs XXX. Cistertium ingreditur; sed eodem anno Claravalle fundata, illic pro Abbate mittitur. Paschalis verò Papa, post suam liberationem, facta pace cum Imperatore Henrico, & ipso Rege coronato & in Campum extra muros statim egresso, Pontifex cum Episcopis & Cardinalibus in Urbem regrediens, tanta frequentia Populi occurrentis & Deum laudantis, excipitur, ut vix ad Palatium Lateranense circa Vesperas potuit pervenire. Demum defunctus est apud Ecclesiam S. Mariæ trans Padum. Et inde cum totius Populi & Cleri frequentia per mediam urbem vectus, in Ecclesia S. Salvatoris sepultus est.

GELASIVS II. CLXX.

1118. GELASIUS II. natione Campanus de civitate Cajeta sedit anno uno, diebus quinque, & cessavit diebus viginti quatuor. Hic propter Henricum Imperatorem cum Cardinalibus Cajetam secessit, & inde cum per mare pergeret, in Franciam veniens in Cluniacum, ibi mortuus est & sepultus.

* Hujus etiam.

CALIXTVS II. CLXXI.

1119. CALIXTUS secundus sedit annis quinque mensibus decem, diebus tredecim. Et cessavit Pontificatus diebus quinque. Hic natione fuit Burgundus, Comitis Filius, & Archiepiscopus Viennensis. Post mortem Gelasij Papæ in Cluniaco à Cardinalibus est concorditer electus. Qui cum per Provinciam, Lombardiam & Tusciam rediret, Romam, ubique solemniter & cum gaudio est receptus. * Hurdinus verò, qui per Imperatorem Henricum in Papam fuerat factus, audito adventu Papæ, in Sutrio se recepit, quem obsessum Papa cum Romanis cum habuissent positum in camelo, versâ facie ad tergum: habens caudam Cameli pro freno, Papa ad Urbem procedebat, & post in arce Fumonis est retrusus, Papa verò facta pace cum Imperatore, in Ecclesia Lateranensi est sepultus.

* Burdinus

HENRICUS IV. XCVII.

HENRICUS IV. Henrici Filius imperavit annis quindecim. Iſte ſuſcepto Imperio Patrem ſuum capiens, in vinculis mori fecit. 1107.
Hujus temporibus Robertus Guiſcardi vicit Alexium & Emmanuelem Imperatores Conſtantinopolitanos. Iſte Robertus fuit quidam Francigena, qui venit Romam cum exercitu magno, volens, ſi poſſet, urbem occupare. Sed illo inde repulſo, intravit regnum Apuliæ, quod paulatim cepit. Hic habuit Filium Rogerium Regem Siculorum, & Filiam Conſtantini Imperatricem, matrem Friderici Imperatoris, qui contra Ottonem promotus eſt. Hic genuit illum Regem Apuliæ, qui fuit in omnibus glorioſus, cujus tempore Regnum Apuliæ divitiis & delicijs præcæteris florebat regnis. His temporibus Paſchalis Papa ab hoc Imperatore non bene pertractato, moritur. Et mortuo ſuccedit ei Joannes Romanæ Eccleſiæ Cancellarius, appellatus Gelaſius. Sed quia Imperator electioni non faverat, Hiſpanum quendam, nomine Burdinum ipſi ſuperordinavit. Sed Gelaſio in Cluniaco mortuo, & Calixto ibidem in Papam conſecrato, Imperator cum omnibus ſibi aſſentientibus, per ipſum excommunicatur. Papa verò Calixtus Romam proficiſcens, capto in Sutrio Burdino, ab omni Senatu, & Populo gloriosè ſuſcipitur. His temporibus Hugo de S. Victore Pariſiis claret. Hoc etiam tempore Ordo Templariorum ex militibus congregatis in Hieruſalem inœpit: & dicti ſunt Milites Templi, quia in Porticu templi ſedem ſui Ordinis ſtatuerunt. Henricus verò Imperator ad cor rediens, inveſtituram Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum per annulum & baculum, pro quo cum Paſchali Papa quamplurimum contenderat, Calixto Papæ liberè reſignavit, & conceſſit per omne Imperium in omnibus Eccleſiis canonicam fieri electionem. Concedens poſſeſſiones & Regalia B. Petri, quæ propter ſuam, vel aliam cum Eccleſia diſcordiam alienata fuerant, Romanæ Eccleſiæ reſtituit. Poſſeſſiones etiam aliarum Eccleſiarum, & aliorum tam Clericorum, quam Laicorum, quæ occaſione Guerræ ſuæ, quam habuit cum Eccleſia, ablatæ fuerant, reſtitui fideliter diſpoſuit. Hujus tempore Papa Calixtus Compoſtellanum Epiſcopum, pro reverentia corporis B. Jacobi Apoſtoli, quod ibi quieſcit, Archiepiſcopum inſtituit, ſubjiciens ſibi totam Emeritanam Provinciam. Lucanam quoque Eccleſiam gratia pallij decoravit.

LOTHARIUS IV. XCVIII.

LOTHARIUS imperavit annis undecim. Hujus tempore fames valida fuit & 1125.
ferè totam Italiam invaſit. Hic imperator factus, exercitum in Italiam parat, & Innocentium Papam Romam ſecum cum Archiepiſcopis deduxit. Petrum quoque Leonis, qui Papatum invaſerat, compeſcens, in ſede Lateranenſi potenter Papam Innocentium collocat. In Eccleſia Lateranenſi ab eodem Innocentio Lotharius in Imperatorem coronatur. Hic primo Imperij ſui anno contra Boëmos vadens, quorundam ſuorum

HONORIUS II. CLXXII.

1125. HONORIUS sedit annis quinque, mensibus duobus: diebus tribus. Hic Patria Bononiensis, descendit in Apulejam, à Baronibus vocatus, ut eam, qui juris sancti Petri est, tueretur à Comite Rogerio Siculo. Sed cum Papa vidisset infidelitatem Baronum, saniori consilio habito, Rogerium recepit in gratiam, & facto homagio, & fidelitate præstita, ipsum de Ducatu Apuliæ investivit. Hic per Legatum Cardinalem duos Patriarchas, scilicet Aquileyum & Venetum deposuit. Hic Romæ mortuus in Ecclesia Lateranensi est sepultus.

INNOCENTIUS II. CLXXIII.

1130. INNOCENTIUS II. natione Romanus, ex Patre Joanne de Regione trans Tiberim, sedit annis tredecim, mensibus septem, diebus octo, & cessavit diebus duobus. Hic perrexit contra Rogerium Ducem Apuliæ, cum exercitu Romanorum, sed cum suis, cum quibus fugam cæpit, captus est ab eo. Hic condemnavit totam partem Petri Leonis, cum ordinatione ipsius. Iste Petrus Petri Leonis filius Cardinalis à paucioribus electus, & Anacletus dictus, hostiliter fecit aggredi domos Frangepanensium in quibus se Innocentius cum Cardinalibus receperat. Sed quia nihil profecit, cum manu armata Ecclesiam S. Petri adiit, & eam per violentiam habitam, aureum Crucifixum, pendentesque coronas cum toto thesauro auri & argenti, ac lapidibus preciosis, spoliavit. Ciborium quoque quod S. Leo construxerat, destruxit. Hoc idem ad S. Mariam majorem magno thesauro ditatam, & aliis Urbis Ecclesiis fecit. Cum quo thesauro, cum omnes penè Romanos corrupisset, Innocentius Papa in Urbe nullum subsidium habens, cum Cardinalibus in duabus * Galeis transivit in Galliam, & à Rege Francorum honorificè susceptus, postquam in Claromonte & Rhemis celebrasset Concilia, in reditu, pacificatis Januensibus & Pisanis, attendens ipsorum, quæ sibi & Ecclesiæ magna fecerant servitia, Januensem Episcopum, qui sub Mediolano fuit, fecit Archiepiscopum, & Pisanum Primatem totius Sardiniæ. Hic coronato Laterani Lothario in Imperatorem, ambo simul intraverunt Apuliam, & fugato Rogerio Siculo, qui Domino Papæ rebellis erat, Lotharius Christianissimus rediit in Teutoniam, & Papa Romam, ubi solenni celebrato Concilio, sepultus est in concha Porphyrica, miro opere sculpta.

* Triremibus.

COELESTINUS II. CLXXIV.

1144. COELESTINUS II. sedit mensibus quinque, diebus tredecim. Hic natione Tuscus, de Castro Felicitatis, Sepultus est in Laterano.

LUCIUS II. CLXXV.

1145. LUCIUS II. natione Bononiensis, ex Patre Alberto, sedit mensibus undecim, diebus quatuor, sepultus est in Lateranensi Ecclesia. Hic antea Presbyter Cardinalis S. Crucis, totam illam Ecclesiam & claustrum renovavit.

EVGENIUS CLXXVI.

1146. EUGENIUS natione Pisanus, sedit annis octo, mensibus quatuor, diebus viginti, & cessavit diebus duobus. Hic obiit Tibure, & per medium Urbis ferè cum totius Cleri & Populi turba, cum maximo luctu ad Ecclesiam S. Petri deductus, circa altare sepultus est. Hic cum esset Abbas S. Anastasij, ex inspecto ad Ecclesiam S. Cæsarij à Cardinalibus est electus, & propter metum Senatorum qui contra voluntatem prædecessoris sui fuerant electi, à Populo, ad Farfense Monasterium se transtulit, ibique vocatis Cardinalibus & Prælatis, munus benedictionis accepit. Hunc, cum simplex fuerit ante, Deus mirabili gratia perfudit

Anno Domini.

traditione, magnam stragem suorum militum passus est. Hic etiam post coronationem zelo Dei & Ecclesiæ accensus, tanquam verè Catholicus, & Ecclesiæ advocatus, vires Imperij denuò excitavit: & contra Rogerium Comitem, qui se contra Papam erexerat, & regnum Siciliæ occupaverat, unà cum Papa Innocentio Apuliam potenter intravit; ac fugato Comite Rogerio, in Sicilia constituerunt Ducem Apuliæ, Comitem Rainonem. Huic victoriæ Pisani navigio summo Pontifici quàm plurimùm astiterunt. Eo etiam tempore Romani contra voluntatem Innocentij Papæ, Senatum renovare conati sunt.

CONRADUS II. XCIX.

CONRADUS II. imperavit annis quindecim. Hujus tempore, quidam Magister Arnoldus nomine, prædicavit in urbe Roma, reprehendens divitias & superfluitates: per cujus dicta multi magnates Ramanorum sequebantur eum. Qui postea captus, ad odium Clericorum est suspensus. Hujus tempore Ascolona capta est à Christianis. Hujus tempore Anno Domini Millesimo trigesimo nono, Joannes de Temporibus, qui annis trecentis & sexaginta uno vixerat à tempore Caruli Magni, cujus Armiger fuerat, defunctus est. Hic Conradus Rex in Franchenvord, à S. Bernardo, cum cunctis penè Principibus crucis charactere est insignitus; & illis temporibus socij peregrinationis super numerum multiplicantur. Nam de Lotharingia, Flandria & Anglia, cum ducentis ferè navibus proficiscuntur. Conradus itaque Imperator, cum innumerabili multitudine peregrinationem aggressus, Iconium pervenit. Cui Lodovicus Rex Francorum cum multa militia per Ungariam descendens, ibidem advenit, sed ibi propter dolum Græcorum, qui calcem farinæ miscuerant, multum detrimentum in † omnibus passi sunt. Tandem ad terram sanctam pervenientes, multa bella gloriosè gesserunt. Conradus verò Rex postquam rediit de ultra mare * moritur. Qui licet annis quindecim regnaverit, benedictionem Imperialem non habuit. Floruit hoc tempore * Hugo de S. Victore. Hoc tempore translatus est liber Joannis Damasceni in Latinum.

1138.

† † hominibus.
* de partibus Ultramarinus.
* Eodem paulò ante. forsan Richardus de S. Victore.

FRIDERICUS I. C.

FRIDERICUS I. imperavit annis triginta septem. Coronatus est in Ecclesia S. Petri. Hoc tempore veniens ad Tiburtinum, præcepit ut Tiburtina civitas reædificaretur. Et rediens primo anno Spoletum destruxit. Iste autem largus, strenuus, facundus

1152.

perfudit & eloquentia. Huic redeunti ad Urbem Clerus, & Populus Romanus cum magna lætitia occurrit, cantans: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hic à Rege Lodoico in Franciam vocatus, cum ipsum transmarina cruce signasset, & Concilium Rhemis celebrasset, rediit ad Urbem, ibiq; in Basilica S. Petri, circa majus Altare, est sepultus. Eodem tempore fuit in Alemania Hildegardis Monialis * formosa, quæ in Pinguia super Rhenum requievit.

* Famosa.

ANASTASIUS III. CLXXVII.

1154. ANASTASIUS III. natione Romanus, ex Patre Benedicto, sedit anno uno, mensibus quatuor, diebus viginti quatuor, & cessavit diebus viginti. Hic fecit apud S. Mariam rotundam novum Palatium. Hic dedit Ecclesiæ Lateranensi calicem pulchri operis, pensantem viginti marcas, & plura alia, & ibidem in tumba Porphyrica tumulatus est.

HADRIANUS II. CLXXIIX.

1155. HADRIANUS II. natione Anglicus, sedit annis quatuor, mensibus novem, diebus viginti octo, & cessavit diebus viginti. Sepultus est in Vaticano in Basilica S. Petri, juxta sepulchrum Eugenij Papæ, Hic primum Episcopus Albanensis, in Legatione in Noroegiam, missus est pro verbi Dei prædicatione: Ipse verò gentem illam barbaram, in lege divina diligenter instruxit. Post reditum, defuncto Anastasio, in Papam est electus. Hic Papa propter vulnerationem unius Cardinalis, totam urbem ad condignam satisfactionem posuit sub interdicto. Hic Guilielmum Regem Siciliæ, tanquam sibi adversum, excommunicavit: qui post absolutus homagium Domino Papæ fecit, terram ab ipso suscipiens. Hic primus Papa dicitur fuisse, qui in Urbe veteri cum curia moram traxit. Hic fecit gyronem in Radico * Phano, & Turribus munivit. Hic castrum, & multas possessiones circa lacum S. Christinæ à Comitibus comparavit.

* Phano.

ALEXANDER III. CLXXIX.

1160. ALEXANDER III. natione Tuscus, Patria Senensis, ex Patre Ranucio, sedit annis viginti & uno, mensibus undecim, diebus novem. Hic vicit quatuor Schismaticos, Octavianum, Guidonem Cremensem, Joannem * Tremensem, & Landonem. Primus fecit se vocari Victorem. Secundus Paschalem. Tertius Calixtum. Quartus Innocentium. Quorum tres sunt Presbyteri Cardinales, qui per Papam excommunicati, mala morte perierunt. Istius tempore maximum schisma fuit, & ejectus fuit Conventus S. Anastasij, & Abbas S. Pauli eundem locum sibi per Regem schismaticum vendicavit, qui locus per eundem Alexandrum est restitutus. Hic Fredericum Imperatorem ad concordiam revocavit, qui tunc illos schismaticos, qui ejusdem Papæ invasores fuerant, manu tenebat. Hic duo concilia ordinavit, unum Turonis, aliud Romæ celebravit. Fredericum Romanorum Imperatorem & Hemmanuelem Constantinopolitanum, & Gulielmum Siculum, atque Lombardos ad concordiam revocavit, per quindecim annos. Sub ejus temporibus terræ motus fuerunt per loca, ita quod civitas Antiochena cum Tripoli cecidit, atq; Damascus cum multis aliis civitatibus. Tunc quoque * Catherresis civitas penitus eversa est, & plus quam viginti millia hominum mortui sunt, & mare retrogradum versum, & quinque millia in Sicilia submersi mortui sunt. Hujus tempore Mediolanum cum Cremona & Placentia contra Papiensem civitatem unam construxerunt: quàm ut * formosior fieret, ab Alexandro Papa Alexandriam vocaverunt, & post ad petitionem Lombardorum constituit eis Episcopum, Papiensem verò Episcopum crucis & pallij dignitate privavit, eo quod Frederico Impe-

* Strumensem.

* Catonitensium civitas.

* Famosior.

*cundus atque nobilis fuit: Et in omnibus gloriosus. Eo tempore Rex Alapiæ cepit Edissam civitatem, quæ in Genesi dicitur Arath, Francosque ibi captos, morte aut servitute damnavit. Archiepiscopum verò civitatis quasi Ducem gregis, cum omni Clero, quia Christum noluerunt abnegare, in media urbe coram se decollari præcepit. Sic igitur Edissa civitas, quæ ab agaro Rege ipsius Orthodoxo, cui Christus ante suam passionem, sicut legitur in Ecclesiastica Historia, scripsit Epistolam. Et deinde per Apostolum Thomam fuerat prædicata & Christo dedicata, tunc primum à gentibus prophanatur, & possidetur, purpurata novorum sanguine martyrum. His temporibus Sol obscuratus est parum ante horam nonam, & diu post nonam in eodem statu permansit. Hoc anno fames valida fuit, in qua rubulum grani vendebatur pro viginti * Provenicnsibus solidis. Eodem anno captum est sepulchrum Domini, & ejus crux à Saladino. Hic cum pro coronatione sua Romam venisset, & pacificè & cum magno gaudio ab Adriano Papa coronatus fuisset; cum peractis omnibus ante Romam ad stationem suam, quæ erat in prato Neronis exivisset, Romani armata manu familiam sequentem in porta S. Angeli crudeliter invaserunt, usque ad tentorium Imperatoris persequendo. Sed invalescente clamore, Teutonici adunati crudeliter Romanos repulerunt, adeò quod prostratis multis & captis, cum magnis precibus Papæ, vix capti fuerint restituti. Hic post mortem Adriani Papæ pessimè cum Alexandro Papa stetit, in præjudicium ipsius quatuor Schismaticos successive * adhærens Regem Francorum, ad quem Papa Alexander confugerat, congregata magna multitudine, præcipuè duorum Regum, videlicet Boëmiæ & Daciæ fultus auxilio, nitebatur, in Burgundiam veniens, exstirpare. Sed Rege Anglorum, Regi Franciæ ferente auxilium, nihil profecit. Hic post multas persecutiones per multa tempora Papæ Alexandro factas, timens ne à Domino suo caderet, propter Lombardorum contra ipsum rebellionem, & Papæ Alexandri prosperitatem, missis solemnibus Nuncijs, ut reconciliaretur Papæ, laboravit. Et postquam Venetiis reconciliatus fuit, pro emenda, assumpto Crucis charactere, per terram, non per mare, cum magna multitudine ad liberationem terræ sanctæ procedens, cum esset in Armenia, in parvo flumine submergitur. Filius autem ejus quem secum duxerat, corpus ipsius detulit usque ad Tyrum, ibique sepulto, cum Ptolomaidem obsedisset, obiit. Obierunt quoque penè omnes Nobiles, qui eodem tempore cum Rege Philippo Franciæ, & Richardo Rege Angliæ cum maxima multitudine transfretaverant. Eodem tempore fuit Abbas Joachim in Calabria, qui plures libros super Hieremiam & Apocalypsim, & de * oneribus Prophetarum conscripsit. Hic prædictis Regibus requirentibus ab ipso, de peregrinatione in terram sanctam, prædixit, quod parum proficerent: quia nondum tempus advenisset.*

* Pariensibus.

* *Lectio vitiosa, forsan sic rectius legas:* in præjudiciũ ipsius contra Schismaticos successivè sibi adhærentes excitavit Regem Francorum, &c.

* *forte* omnibus prophetiis.

*Tempore Friderici Imperatoris, Radulpus * Archiepiscopus Coloniensis, trium Magorum corpora, de Perside olim Constantinopolim ab Imperatore translata, & inde à Sergio Mediolani miraculosè transvecta, Mediolano ab eodem Friderico destructa, transportavit Coloniam. Sub hoc Imperatore S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis in Ecclesia sua Metropolitana occiditur, & tandem miraculis corruscantibus, per Alexandrum Papam canonisatur. Tempore etiam prædicti Friderici Imperatoris floruit Petrus dictus Comestor in Francia: qui utriusque Testamenti Historiam, quæ dicitur scholastica, composuit. Eodem tempore Henricus Rex Anglorum propter necem S. Thomæ misit nuncios solemnes ad Papam Alexandrum; qui jurantes pro ipso in animam suam, ipsum excusaverunt de prædicto facto. Sed Dominus Alexander Papa, in Tusculana civitate receptis & auditis nuncijs, misit duos Cardinales ad Galliæ partes, ut innocentiam Regis investigarent. Coram quibus Rex juravit, quod nunquam de consilio suo, vel jussu fuerat interfectus: sed quod occasione turba-*

* Reinoldus.

Mediolanum verò à dicto Friderico destruitur mense Martij, Anno Domini Millesimo, Centesimo, sexagesimo secundo. Siquidem muri ejus altissimi, funditus suffossi sunt, cætera ad cinerem redacta. Albanum à Romanis, concrematum est sexto Idus Aprilis.

Imperatori tunc, & ab antiquo Regibus perſequutoribus Eccleſiæ adhæſiſſet. Hic cum omne patrimonium B. Petri, præter civitatem Urbem Vetanam, & Tarracenam Anagiam, ab Aquapendente uſque Copatium per Imperium & Schiſmaticos occupatum fuiſſet, in Franciam tranſivit, ibique celebrato Turonis ſolenni Concilio, per mare ad Urbem rediens, cum Meſſanæ applicuiſſet, Rex Wilhelmus non ſolum quia Papa, ſed & ipſum Dominum â quo tenebat regnum recognoſcens, cum debito honore proſequutus eſt.

LUCIUS III. CLXXX.

1181. LUCIUS tertius, Natione Tuſcus, ſedit annis quatuor, menſibus duobus, diebus octodecim, & ceſſavit diebus tredecim.

URBANUS III. CLXXXI.

1184. URBANUS III. natione Lombardus, ſedit anno uno, menſibus decem, diebus viginti quinque. Hujus tempore capta eſt Jeruſalem à Saracenis: qui cum de tranſmarinis partibus tam flebilem rem audiſſet, præ nimio dolore obiit, ſepultus eſt in Ferraria.

GREGORIUS VIII. CLXXXII.

1187. GREGORIUS octavus, natione Beneventanus ſedit menſe uno, diebus viginti ſeptem, & ceſſavit diebus viginti. Hic zelando pro terra ſancta ad diverſas Provincias litteras mittit. Et facta pace inter Januam & Piſas, Piſis mortuus ſepelitur.

CLEMENS III. CLXXXIII.

1189. CLEMENS natione Romanus, ſedit annis tribus, diebus ſexdecim. Hic ex Patre Joanne Scholari, Clauſtrum apud S. Laurentium foras murum ordinavit, & Laterani Palatium fecit altius. Et puteum ante æreum equum fecit fieri.

COELESTINUS CLXXXIV.

1192. COELESTINUS natione Romanus, ex Patre Petro Bubonis, conſecratus die Reſurrectionis, ſedit annis ſex, menſibus octo, diebus undecim. Hic ſecundo die Pontificatus ſui coronavit Henricum Imperatorem & fecit Palatium apud S. Petrum.

INNOCENTIUS III. CLXXXV.

1198. INNOCENTIUS III. natione Campanus, ex Patre Transmundo, & conſecratus in feſto Cathedræ S. Petri, ſedit annis octodecim, menſibus quatuor, diebus viginti tribus. Hic quantum fuerit glorioſus, opera ejus perhibent teſtimonium veritati: Fecit enim inter cætera opera hoſpitale S. Spiritus, & renovavit Eccleſiam S. Sixti, compoſuit decretales, ſermones, & librum de miſera conditione humani generis, & multa alia glorioſa. Item dedit univerſis Eccleſiis in Roma unam libram argenti pro ſingulis Calicibus, earum, non habentium calices argenteos, tali pacto, quod vendere eos non poſſent. Hic etiam coronavit Ottonem & depoſuit, quia non ſervavit fidelitatem. Hujus tempore à Francis capta eſt Conſtantinopolis. Similiter * Macominus Saracenorum veniens

* *Miramolinum dux.*

turbationis, quam erga ipsum habuerant, occisus fuerat. Pro illo mox obtulit ducentos milites ultra mare, per annum ibidem moraturos: seipsum cruce signans, infra triennium transfretaturus. Anno Domini.

HENRICUS VI. XCI.

HENRICUS VI. imperavit annis octo. Coronatus fuit mense Aprili, feria secunda post Pascha, die decimaquinta. Eodem mense intravit in Apuliam, cum exercitu suo. Et eodem mense traditum est regnum Tusculanum Romanis ab Imperatore, & destructum est ab ijs. Et in eodem anno Sol obscuratus est nono Kalend. Julij ferè à tertia usque ad nonam. Hic sub Cœlestino & Innocentio imperavit annis septem, mensibus quatuor. Hic etiam anno primo * coronæ suæ Siciliæ Regnum intravit, & cœpit † usq; Neapolim, & obsedit Neapolim per tres menses. Ibi ejus exercitum tanta infirmitas invasit, quod omnes ferè mortui sunt. Ita quod Imperator cùm paucis languens reverteretur. Hic accepit Constantiam filiam Regis Siciliæ. Anno verò quarto Imperij, totum regnum Apuliæ sibi subjugavit: & plurimos rebelles diversis pœnis flagellavit. Tancretum, Filium Tancreti Regis Siculorum, cum matre sua Margaretha & Regem Epirotarum secum in Alemanniam duxit captivos. Quo Panormi mortuo, orta est dissensio inter Principes Alemanniæ. Una pars elegit Ottonem: altera Philippum. Sed Otto coronatus est ex mandato Domini Papæ. Et tandem obtinente Philippo sub pace formata inter eos ab * Altigravo, Philippus est interfectus: & sic electionem citò obtinuit. Fuerat enim Innocentius Papa, qui eodem anno Cœlestino in Papatu successerat, Philippo adversarius, propter fratrem ipsius Henricum Imperatorem, qui contra Christianam Religionem in regno Siciliæ Archiepiscopos & Episcopos trucidaverat, & contra Romanam Ecclesiam semper tyrannidem exercuerat. Propter quod ipsum & omnes fautores suos excommunicavit. Ottoni verò Duci Saxoniæ viriliter adhæsit, & ipsum Aquisgrani in Regem Alemanniæ coronari fecit. Philippus autem Dux * Suaviæ magnam partem Alemanniæ pro se habuerat. Anno Domini Millesimo ducentesimo capta Constantinopoli à Francis & Venetis, Balduinum comitem Flandriæ in Imperatorem constituunt. Anno Domini Millesimo ducentesimo secundo, sicut à pleriſq; traditur, Tartarorum dominium initium habuit: Hi enim sub montibus Indiæ in Regione dicta Tartaria constituti, Dominum suum Regem Indiæ, David nomine Filium * Presbyteri occidentes, ad depopulationem aliarum terrarum processerunt. Anno Domini

1190.

* coronationis.
† terram.

* Landgravio.

* Sueviæ.

* defs Joannis.

veniens cum innumerabili multitudine contra Hiſpanos, confuſus ad Patriam ſuam rediit. Hujus tempore Liuonia pro parte converſa eſt ad fidem. Anno vero pontificatus ſui XVII. menſe Novembri, in Baſilica Lateranenſi, quæ Conſtantiana vocatur, celebratum eſt Concilium generale pro ſubſidio terræ ſanctæ: & pro ſtatu univerſalis Eccleſiæ, multa utilia ſtatuta ſunt ibi promulgata, in quo fuit cum Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis Summa prælatorum MCCXV. Tempore hujus Concilii conſecravit Eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim. Demum cùm propter ſubventionem terræ ſanctæ, inter Piſanos & Januenſes & Lombardos pacem facere intenderet, in itinere adhuc conſtitutus, apud Perusium eſt defunctus, ibique in Eccleſia S. Laurentii tumulatus: Et ceſſauit papatus per unum diem.

HONORIUS III. CLXXXVI.

1216. HONORIUS III. Natione Romanus, apud Perusium electus, ſedit annis decem, menſibus octo, Hic apud S. Laurentium foris murum Petrum Alti ſiodorenſem Comitem in Imperatorem Conſtantinopolitanum coronauit. Hic & Eccleſiam S. Laurentii, & Baſilicam, quæ dicitur Sancta Sanctorum, renouauit, Decretales compilauit. Hic in Baſilica S. Petri Fridericum Regem Siciliæ Imperatorem Romanorum coronauit. Hujus tempore Chriſtiani Damiatam cæperunt, Sed Saraceni fortuito caſu contingente eam poſtea recuperarunt. Hic Honorius Papa Fridericum ſibi rebellem, & Romanæ Eccleſiæ adverſarium comperiens, anathematiſauit, atque Barones ab ejus fidelitate abſoluit. Honorius Papa moritur & Romæ in Eccleſia B. Mariæ majoris ſepelitur. Et Dominus Hugolinus Hoſtienſis Epiſcopus, in Papam electus, Gregorius eſt vocatus. Honorius primo anno ſui Pontificatus Ordinem Prædicatorum confirmauit.

GREGO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mini Milleſimo ducenteſimo ſeptimo ab Innocentio Papa cum Legato, duodecim Abbates Ciſtertienſis Ordinis in terra Albigenenſium ad prædicandum fidem Hæreticis mittuntur. Quibus de Hiſpania Didacus Oxonienſis Epiſcopus, habens ſecum fratrem Dominicum in comitatu, pro Hæreticis convertendis adjungitur. Qui Dominicus primus Ordinem Prædicatorum incœpit.

OTTO IV. CII.

OTTO IV. de gente Saxonum à Domino Innocentio III. fuit coronatus in Baſilica S. Petri, ſed non fuerunt ſibi propter maleficium ſuum anni tributi. Hic accepta corona ſtatim pugnam habuit cum Romanis, & contra voluntatem Domini Papæ, intravit regnum Apuliæ, auferens illud Friderico Regi Siciliæ. Unde Papa excommunicavit illum. Quarto autem anno Imperij ſui, Fridericum in Imperatorem Principes elegerunt. Qui veniens navigio uſq; Romam, à Domino Papa, & à populo Romano honorificè eſt receptus. Qui in Alemanniam veniens contra Ottonem, ibi mirificè triumphavit. 1207.

FRIDERICUS CIII.

FRIDERICUS coronatus fuit à Domino Honorio in Baſilica S. Petri, & regnavit annis triginta tribus. Hic ab infantia per Eccleſiam, tanquam per matrem educatus, & ad Imperij faſtigium, Ottone damnato promotus; Eccleſiam DEI non fovit tanquam Matrem, ſed tanquam Novercam, quantum potuit, laniavit: propter quod Honorius Papa, qui ipſum coronaverat, ſibi rebellem & Eccleſiæ Romanæ Adverſarium comperiens, ipſum anathematizavit, & omnes Barones ab ejus fidelitate abſolvit. Ipſius etiam tempore Anno Milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo ſexto, Idibus Febr. F. Jordanus Ordinis Prædicatorum Magiſter, vita & doctrina commendabilis, ultra mare, ubi ad prædicandum Saracenis iverat, in portu maris obiit. Hoc quoque tempore olim diſcordia inter Imperatorem & Honorium papam orta, à Gregorio cum anathemate renovatur. Duo quoq; Cardinales Jacobus Palæſtinus, & Otto pro ſubſidio Eccleſiæ contra Fridericum legati, ultra montes miſſi, cum redirent ad curiam, cum pluribus Legatis, per naves Piſanorum capiuntur. Hic Fridericus proprium Filium, Henricum nomine, Regem tunc Alemanniæ, accuſatum ſibi de rebellione, captum in Apuliam deducens, carceris ſqualore ſuffocavit. Hic Imperator dudum cruce ſignatus, durante ſententia excommunicationis, mare tranſivit, majorem deſolationem, quam conſolationem, terræ ſanctæ relinquens. Poſtquam autem ab Innocentio Papa depoſitus eſſet ab Imperio, Principes elegerunt contra ipſum Landgravium Turingiæ. Quo poſt parvum tempus mortuo, Wilhelmus Comes Hollandiæ denuo contra ipſum à Principibus eligitur: Sed poſt parvum tempus à Friſonibus occiditur. Et ſic uterque electus caruit benedictione Imperiali. Hujus tempore Anno M. CC. XLVIII. Lodovicus Rex Franciæ transfretavit 1211.

GREGORIVS IX. CLXXXVII.

1226. GREGORIUS IX. natione Campanus, menſis Martii die nona poſt feſtum S. Gregorii apud Septiſolium electus fuit, & ſedit annis quatuordecim. Hic S Eliſabeth filiam Regis Ungariæ relictam Landgravii Thuringiæ canoniſavit. Hic ſententiam, quam Honorius prædeceſſor ſuus contra Fridericum fulminaverat, roboravit. Hic cum Concilium celebrare nititur, & ab Imperatore viæ per terram, & per mare arctantur, duo Cardinales & multi Prælati, Abbates & Clerici maximè per mare ad Concilium venientes, per Imperatoris furores capiuntur. Hic Papa per F. Raymundum Ordinis Prædicatorum Pœnitentiarium & Capellanum ex pluribus voluminibus compilavit Decretalium volumen unum, mandans ubique Doctoribus illo uti. Hic Gregorius, cum ab Imperatore, qui tunc ex magna parte patrimonium Eccleſiæ occupaverat, in urbe obſideretur, videns etiam pene omnes Romanos per pecuniam corruptos eſſe, accipiens capita Apoſtolorum; & Proceſſionem à Laterano uſque ad S. Petrum faciens, animos Romanorum ſic revocavit, ut penè omnes contra Imperatorem cruce ſignarentur, quod Imperator, qui jam credebat ſe intraturum in Urbem, audiens, timens longè ab Urbe retroceſſit. Denique Gregorius Papa tantis tribulationibus concuſſus, Romæ anno decimo quarto menſe Auguſto migravit ad Chriſtum.

COELESTINVS IV. CLXXXVIII.

1239. COELESTINUS IV. natione mediolanenſis, ſedit diebus ſeptendecim, & vacavit viginti menſibus & diebus XIV. Hic Epiſcopus Sabinenſis, vitâ & ſcientiâ laudabilis ſenex & infirmus electus, citò moritur, & in Eccleſia S. Petri ſepelitur.

INNOCENTIVS IV. CLXXXIX.

1241. INNOCENTIUS IV. natione Januenſis de Comitibus Lavaniæ, ſedit annis undecim, menſibus ſex. Hic ſedes Cardinalium à multo tempore vacuas de perſonis ex diverſis partibus mundi electis reſtauravit. Hic poſt magnum tractatum de pace cum Imperatore habitum, de ipſius adverſus Eccleſiam contumaciam perpendiſſet, clam, Januenſium auxilio, devenit in Galliam, & celebrans Concilium in Lugduno, ipſum velut hoſtem Eccleſiæ condemnavit, Imperio privando, procuravitque Landgraviam Thuringiæ eligi in Regem Alemanniæ, & mortuo ipſo Comitem Hollandiæ. Hic Lugduni canoniſavit S. Aymundum Confeſſorem Cantuarienſem Archiepiſcopum. Ipſe etiam canoniſavit Peruſii B. Petrum Ordinis Prædicatorum, Veronenſem natione, quem Hæretici propter ipſius, contra ipſos prædicationem inter Cumas & Mediolanum occiderunt. Canoniſavit etiam S. Stanislaum Aſſilii, Cracovienſem Epiſcopum, qui ab iniquo Principe fuerat interfectus. Innocentius verò Papa, mortuo Frederico Imperatore, & Conrado Filio, Apuliam cum magno exercitu ingreditur, ſed poſt paululum Neapoli moritur & ſepelitur.

ALEXANDER IV. CXC.

1254. ALEXANDER IV. natione Campanus ſedit annis ſeptem, & ceſſavit menſibus tribus, diebus quatuor. Hic moritur Viterbii, & in Eccleſia S. Laurentii tumulatur. Hujus tempore Manfredus filius naturalis quondam Frederici Imperatoris, gerens ſe pro Pædagogo Conradini, Nepotis prædicti Friderici, ipſo Conradino mendaciter publicato mortuo, ſibi ipſi coronam aſſumpſit, quod factum, quia in præjudicium Domini Papæ fuit, primò excommunicatur, poſt contra ipſum magnus exercitus, ſed in nullo proficiens, mittitur.

Hic

Anno Domini.

*ultra mare, habuitq; lætum principium, sed triſtem exitum. Intrando enim terram tranſmarinam, cœpit Damiatam, ſed paulo poſt omnibus ſuis amiſſis, captus fuit, licet Deo volente reſtitutus. Hic Fridericus poſt ſuam de Imperio deſtitutionem, cum inter cæteras civitates Lombardiæ, Parmam, tanquam magis exoſam ſibi, forti manu obſideret, à Legato Domini Papæ, & à Parmenſibus turpiter eſt devictus. Et amiſſis theſauris, & aliis rebus ſuis in Apuliam rediens, ibi gravi infirmitate correptus, ſine Sacramentis & pœnitentia in Anathematis vinculo eſt defunctus. Quem infirmantem, Manfredus filius ipſius naturalis, ambiens regni Siciliæ Dominium, & theſauros, uno Secretario Imperatoris conſcio, timens ne convaleſceret, * cuſſino ſuper faciem poſito, ſuffocavit, & tandem per neſas regnum obtinuit: quousq; Dominus Carulus, Frater regis Franciæ, tunc Comes Provinciæ, per Urbanum IV. Papam vocatus, ſub Clemente IV. veniens, ipſum Manfredum, & vita & regno privavit. Hic Fridericus ab Auguſto primo Nonageſimus quintus fuit Imperator. Ejusdem Friderici Imperatoris temporibus Anno Domini M CC XXX. Gens Tartarorum occupatis Orientalibus partibus, & crudeliter ſubactis, in duo agmina ſe dividentes, Ungariam & Poloniam intraverunt: ubi campeſtri bello, cum ipſis habito, Frater Regis Ungariæ Dux Colomannus in Pannonia, & in Polonia nobilis Dux Sleziæ Henricus occiduntur. Reliquum vero vulgus, tam in viris quam in mulieribus, quos invenire potuerunt in ore gladij exterminantes, ſic terras illas, maximè Ungariam redegerunt in ſolitudinem, ut præfame valida, matres puerorum ſuorum carnibus veſcerentur, & plerique pulvere cujusdam montis pro farina uterentur.*

* pulvinari.

Finis Chronologiæ Romanorum Imperatorum Martini Poloni Summi Pontificis Pœnitentiarii.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hic canonisavit Anagniæ S. Claram, quæ fuit Ordinis S. Damiani; Hujus temporibus Principes Alemanniæ Electores in duo se dividentes, quidam Regem Castellæ, & quidam Richardum Comitem Cornubiæ ad Imperium elegerunt, quod schisma duravit multis annis.

VRBANVS IV. CXCI.

1261. URBANUS IV. natione Gallicus ex Civitate Trecensi, sedit annis tribus mense uno, diebus quatuor, & cessavit diebus quinque. Hic duas ordinationes fecit. Exercitum Saracenorum, quem Manfredus in Patrimonium Ecclesiæ miserat, per Cruces signatos fugavit. Comiti Provinciæ, Carulo fratri Regis Franciæ Regnum Siciliæ, ut à Manfredo detentore ipsius recuperaret, contulit. Moritur Perusii, in Ecclesia S. Laurentii sepelitur.

CLEMENS IV. CXCII.

1265. CLEMENS IV. natione Provincialis è Villa S. Ægidii, sedit annis tribus, mensibus decem, diebus viginti uno: & cessavit ---------- Mortuus est Viterbii, & sepultus est in Ecclesia Prædicatorum. Hic uxorem & liberos habens, primò fuit famosus Advocatus, Regisque Franciæ consiliarius. Demum mortua uxore propter scientiam & vitam laudabilem, primo Podiensis Episcopus, & post Narbonensis Archiepiscopus, tandem Sabinensis efficitur. Sed cum post in Angliam propter pacis reformationem à Papa Urbano IV. Legatus missus fuisset, absens à Cardinalibus Perusii, in Papam electus, sic jejuniis, vigiliis & orationibus ac aliis bonis operibus intentus fuit, quòd multas, quas tunc Ecclesia sustinebat tribulationes, Deus suis meritis creditur extinxisse. Hujus primo anno Dominus Carulus frater Regis Franciæ, Comes Provinciæ & Andegaviæ, qui olim pro Regni Siciliæ recuperatione à Manfredo detentore per Urbanum vocatus fuerat, navigio Romam venit. Demum in Apuliam intrans, bello campestri prædictum Manfredum & regno & vita privavit. Quarto verò eiusdem Clementis Papæ anno, Conradinus Nepos Friderici Imperatoris, suorum Patrum sequens vestigium, parvipendens Domini Papæ excommunicationem contra Ecclesiam, & contra Dominum Carulum tunc Regem Siciliæ, insurgens, ad Teutonicos, quos habuit, quam plurimis Lombardis & Tuscis adjunctis, pervenit usque Romam, ibi cum Imperiali more solemniter receptus fuisset, adjuncto sibi Senatore Urbis Henrico Fratre Regis Castellæ, & quàm plurimis Romanis, Regem Carulum debellaturus, Apuliam intravit. Sed post durum campestre bellum, & multorum casum, Conradinus, & quidam, qui dicebatur Dux Austriæ, & multi Comites, ac nobiles in fuga capti, per Regem Carulum decollantur.

Finis Chronologiæ Summorum Pontificum Martini Poloni.

ANDREÆ
PRESBYTERI RATISBONENSIS
CHRONICON.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In nomine Domini incipiunt

CHRONICA DE PRINCIPIBVS TERRÆ BAVARORVM.

MAgnifico & Excellenti Domino, LVDOVICO Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, & Comiti in Mortain, cariſſimo domino ſuo; frater Andreas, Presbyter monaſterii ſancti Magni confeſſoris, in pede pontis Ratisponenſis orationes ſuas cum ardore ſinceriſſimæ caritatis. Sereniſſime princeps & domine, dudum Deo donante Chronicis Romanorum Pontificum & Regum ad utilitatem præſentium & futurorum exflorando collectis, ad laudem & memoriam recentiorem virorum glorioſorum in generatione principum Bavariæ, utpote Karoli Magni, Heinrici ſancti Romanorum Auguſtorum, & cæterorum; quoddam etiam opuſculum de Chronicis principum Bavariæ colligere cogitavi. Ex quo verò Serenitas veſtra poſt datam vobis tunc figuram de genealogia principum Bavariæ, quæ ab Ottone avo Ludovici quarti Romanorum Imperatoris incipit hoc à me puſillo modò exigit, quod dudum facere deſideravi: liceat mihi parvulo cum ingenuitate veſtra modo familiari more epiſtolaris officii paucis verbulis quaſi quibusdam ſuſurris confabulari. Cum acta prædeceſſorum ideò ſcripturis commendentur, ut poſteri ipſa ruminando pertractantes ad eorum laudabilia acta ferventius excitentur. Forma felicitatis humanæ, quam felicitatem alii opes, alii honores, alii potentiam, alii gloriam ſive nobilitatem, alii voluptates opinantur, quomodo iſta felicitas à vera felicitate & ſummo bono diſtare videatur, attentis priſcorum hiſtoriis pulcriùs elucesſcit. Et quoniam mentibus hominum veri boni naturaliter inſerta eſt cupiditas, dignetur Serenitas veſtra reminiſci Boetii Romani exconſulis, philoſophi Chriſtianiſſimi, verum bonum deſcribentis & dicentis: *Id eſt bonum, quo quis adepto nihil ulterius deſiderare queat. Quod quidem bonum eſt omnium ſummum bonorum, cunctaque intra ſe bona continens: cui ſi quid abſoret, ſummum eſſe non poſſet, quoniam relinqueretur extrinſecus, quod poſſet optari. Liquet ergo beatitudinem eſſe ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum.* hæc ille. His præmiſſis caritas Serenitatis veſtræ domino bonorum omnium distributore largiente dulciter ocupata, Chronicorum vocabulum unde habeat originem, placuit prælibare. Chronos græcè, latinè Tempus interpretatur. Inde ſecundum Iſidorum Hiſpalenſem epiſcopum, Chronica, chronicæ, feminini generis: ſecundum Huguuitionem verò Ferrarienſem epiſcopum, Chronicorum, neutri generis, id eſt, tempora vel temporum ſeries vel ordo, vel ubi deſcripta tempora continentur, vel facta diverſorum temporum. Igitur in nomine Domini, opuſculum Chronicorum Principum Bavariæ pro modulo ingenioli mei aggrediens, omnibus hoc idem piè viſuris & audituris emendandum & corrigendum humiliter recommendo. Non enim ita amator ſum mei, ut quod ſemel effuderim meliori ſententiæ anteferre contendam. Poſſum enim & præſertim ex præferendorum vel referendorum omiſſione ex facili reprehendi.

Quod si ex illo cuncta sunt bona, qui solus est bonus, illud potius bonum credendum est, quod illa incommutabilis bonitas atque omnium bonorum causa perscribit. Personam & acumen ingenii Serenitatis vestræ hic, qui non dormit neque dormitat, dignetur gratiosius inhabitare. Scriptum Martino Papa quinto præsidente, Sigismundo Romanorum, Ungariæ, Bohemiæ, Croatiæ & Dalmatiæ &c. Rege regnante, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto, feria sexta in die exaltationis sanctæ Crucis.

DE DUCIBUS A QUIBUS TERRA BAVARORUM, QUÆ ET NORICUM DICITUR, NOMEN primum accepit.

NOtandum est, quod Bavari traduntur ab Armenia oriundi. Qui cum magna multitudine de finibus suis egressi, hanc terram sunt ingressi; expulsis Aboriginibus pro eis habitaverunt, & de nomine ducis sui Bavari terram Bavariam nominarunt. Hanc post multos dies Norix filius Herculis expugnans, Noricum *ex suo nomine vocavit: in qua civitatem, quæ nunc Ratispona dicitur, ædificavit.

*G. Nortgauu.

DE PRINCIPIBUS BAVARIÆ TEMPORE NATIVITATIS CHRISTI.

ANno à creatione Mundi, sive ab Adam, quinto millesimo ducentesimo minus uno anno, secundum metrum,

Ante Jesum duo C. minus uno, millia quinque, ab Urbe Roma condita septingentesimo quinquagesimo secundo, Indictione tertia, anno quadragesimo secundo, regni Octaviani Augusti, anno regni Herodis tricesimo, universo orbe pacato, nocte dominicæ diei Jesus Christus ex Maria virgine in Bethlehem Judæ nascitur. Hunc Octavianum Augustum immediatè processit Julius Cæsar, primus monarcha Romanorum. Horum temporibus, Boamundus & Ingrammus frater ejus ex Armenia, (prout in quibusdam Chronicis invenitur) venientes, primi Ducatum tenuerunt in Bajoaria sive terra Noricorum. Quibus successit Adelgerus, & post hunc dux Theodo. Qui quando decesserint, vel quid gesserint, vel quis eis immediatè successerit, huc usque in scriptis non potui invenire.

BOAMUNDUS, INGRAMUS.

ADELGERUS *Rex.* THEODO *Dux.*

DE CONDITIONE CIVITATIS RATISPONÆ.

LIcet supra dictum sit, quod Norix filius Herculis civitatem Bavariæ, quæ Ratispona dicitur, ædificaverit: in scriptis tamen Ratisponæ reperitur (quæ satis sunt erronea) quod anno effusionis sanguinis Christi pro salute generis humani ipsa Ratispona metropolis Bavariæ à Tiberio Cæsare sit condita, & Tiberina *ab ipso nuncupata. Cujus etiam septem nomina reperiuntur, scilicet Tiberina Quadrata, Ratispona, Hyatospolis, Germansheim, Reginopolis, & Imbripolis, vulgariter Regenspurg.

**al. Tiburnia.*

DE CONVERSIONE BAVARIÆ AD FIDEM CHRISTI.

CIrca annum Domini CLXXXII. præsidente Eleutherio duodecimo à beato Petro, Commodo Romanorum Imperatore regnante, Lucius Rex Britanniæ, nudus & expeditus peregrinatione suscepta, partes Bavarorum & totam Rhætiam inter Alpes sitam, miraculis & prædicationibus ad fidem Christi creditur convertisse.

DE

DE PRIMO REGE BAVARORUM.

Circa annum Domini DLXXXI. Pelagio ſecundo, à beato Petro LXIII. præſidente, Tiberio ſecundo Romanorum Imperatore regnante, Garibaldus regnum tenuit Bavavorum. Hujus filia fuit Theodelinda regina Longobardorum, de qua pulcherrimæ exſtant hiſtoriæ, quas hic, utpote ratas, de noſtratibus Chronicis inſerere curavi.

Circa annum Domini DXCI. præſidente beato Gregorio hujus nominis primo, à beato Petro LXIIII. Mauritio Romanorum Imperatore regnante, Anthari Rex Longobardorum legatos ſuos miſit ad Garibaldum Regem Bavarorum, petens filiam ſuam nomine Theodelindam uxorem. Qui bene legatos ſuſcepit, & filiam ſuam ei promiſit. Quod dum miſſi renunciarent Anthari, ille cupiens videre ſponſam ſuam, elegit ſecum paucos juvenes fortiſſimos, & unum fideliſſimum quaſi pro Domino, & cum ſumma feſtinatione perrexit in Bavariam. Cumque ſtarent in conſpectu Garibaldi regis, & ille qui quaſi ſenior videbatur, dicta ſua compleſſet, dixit Anthari ad Regem: *Dominus meus Anthari pro iſta cauſa me miſit, ut viderem filiam veſtram, dominam noſtram, ut qualis ſit forma ejus, poſſim domino meo verè nunciare.* Qui ſtatim fecit eam venire. Quæ cum placuiſſet Anthari, dixit ad Regem: *Si placet veſtræ poteſtati, de ſua manu det nobis bibere, ſicut & poſt hæc debebit facere.* Quod cum fieri Rex juſſiſſet, illa tollens calicem plenum cum mero, dedit primum illi qui ſenior videbatur, deinde porrigebat Anthari, neſciens quis eſſet. Ipſe verò poſtquam bibit, & calicem reddidit, nemine vidente digito eam tetigit, & manum ſuam per faciem ejus duxit. Quæ verecundans cum hoc nutrici ſuæ indicaret, nutrix reſpondit; *Si Rex & ſponſus tuus non eſſet, te nullo modo tangere præſumſiſſet. Sed taceamus, ne audiat pater tuus. Iſte qui talem habet perſonam * dignus eſt & imperium habere, & te uxorem ducere.* Erat enim Anthari juvenis pulcherrimus, & boni ſtatus. Poſt hæc commeatum petentes à Rege, perrexerunt in patriam ſuam. Anthari verò cum veniſſet prope fines Italiæ, comitantibus aliquibus Bavaris, appropinquabat arboriquæ ſtabat juxta viam, & erexit ſe ſuper caballum quantum potuit, & ſecurim quam habebat in manu, in ipſam arborem impegit, ibique dimiſit, dicens: *Taliter ferire ſolet Anthari.* Quo dicto intellexerunt Bavari, quod ipſe eſſet Anthari. Poſt aliquantum tempus conturbatus eſt Rex Garibaldus de adventu Francorum, & Teodelinda filia ejus cum fratre ſuo, nomine Gundoaldo, fugit ad Italiam, & mandavit ſponſo ſuo Anthari, ut veniret obviam eis. Qui gaviſus eſt, & faciens magnam proparationem perrexit in campum qui dicitur Sardis ſuper Veronam, & ſuſcepit eam cum gaudio. Erat autem & ibi inter alios Longobardos Agilolphus Dux de civitate Taurinenſi. Huic unus de pueris ſuis, neſcitur quo ſpiritu informatus, ait ſecretè: *Illa mulier quam modò Rex tulit uxorem, poſt non multum tua conjux erit.* Qui iratus ait: *ſi alia vice hoc dixeris, abſcindam caput tuum.* Cui ille reſpondit: *Verum eſt quod caput meum abſcindere poteris: ſed & hoc verum eſt, quod iſta femina ad hoc venit in iſtam patriam, ut uxor tua ſit.* Quod & poſtea factum eſt. Anthari igitur poſtquam regnaſſet annis ſex, apud Ticinum veneno (ut dicitur) mortuus eſt. Regina verò Theodelinda, quod placebat Longobardis, dimiſerunt eam regnare, dicentes ei; *ut quemcunque amaret virum, tolleret maritum, talem tamen qui dignus eſſet regere regnum.* Quæ habito conſilio cum ſapientibus, elegit ſibi maritum ducem Agilolphum, qui erat vir ſapiens & bellator, & per omnia aptus ad regnandum. Cui ſtatim mandavit, ut veniret ad eam, ipſaque ad Caſtellum, quod Laomellum vocatur perrexit ei obviam. Qui cum inter ſe haberent colloquium, juſſit Regina afferri vinum, bibensque ipſa prior dedit Agilolpho. Qui cum acciperet, honorabiliter manum ejus oſculatus eſt. Quæ ſubridens ait: *Non debes manum meam oſculari, quod Rex & maritus meus eris*: Et ſic eum amplexa eſt, & manifeſtavit ei omnia, quæ per conſilia ſapientum de gubernatione Regni, & nu-

GARIBALDUS. THEODELINDA.

*al. Spẽſam

AGILOLPHUS R. Longobard.

ptiis ſuis ordinata eſſent. Inter hæc fiunt nuptiæ cum lætitia magna, & Agilolphus qui erat cognatus Anthari, cœpit regnare, congregatisque Longobardis apud Mediolianum in regno confirmatur. His diebus beatus Gregorius Papa Dialogum ſcripſit, eumque Theodelindæ reginæ pro munere miſit, quod ſciebat eam eſſe Chriſtianiſſimam, & timentem Deum. Per ipſam quippe multa bona in Eccleſia Dei facta ſunt. Nam Longobardi cum adhuc gentilitatis tenerentur errore, propè omnes ſubſtantias Eccleſiarum abſtulerunt. Sed iſta ſupplicando & ipſum Regem ad Catholicam fidem adduxit, & multas poſſeſſiones Eccleſiis contulit. Epiſcopos quoque qui antea nullum honorem habebant, ad propriam dignitatem reſtituit.

TASSILO rex Bavarorum.

Hoc tempore ordinatus eſt rex Taſſilo in Bavaria, ab Hildeberto Rege Francorum, ſtatimque ivit cum exercitu in provinciam Sclavorum, & victoriam habens cum magna præda ad terram ſuam eſt reverſus.

Igitur dominantibus per omnem Italiam Longobardis dum Agilolfus Rex Longobardorum (qui & Agio dictus eſt) Padum fluvium tranſiſſet, & ſummopere ad obſidionem Romanæ Urbis feſtinaret; beatus Gregorius in tantum territus eſt, ut ab expoſitione Ezechielis (ſicut ipſe ibidem in principio Homiliæ primæ ſecundæ partis teſtatur) ceſſaret. Cœpit autem beatus Gregorius frequenter per epiſtolas ſuas Theodelindam Reginam monere, ut hortaretur Agilolfum maritum ſuum pacem cum Romanis habere, Quod & factum eſt. Nam in die ſanctorum Gervaſii & Protaſii facta eſt pax inter Romanos & Longobardos. Et ideo Gregorius in eodem die cantari inſtituit in officio Miſſæ: *Loquetur Dominus pacem.* In nativitate quoque Johannis Baptiſtæ prædictorum pax & converſio amplius confirmata fuit. Theodelinda igitur meritis beati Johannis Baptiſtæ, in quem ſpecialem devotionem habebat, gentis ſuæ converſionem adſcribens, apud Modeciam, in diœceſi Mediolanenſi, in honorem ipſius Eccleſiam fabricavit, quam multis ornatibus auri & argenti decoravit.

DE S. RUPERTO EPISCOPO, QVANDO VENERIT IN BAVARIAM.

THEODO DUX. Cujus filius. THEODEBERTUS.

CIrca annum Domini DCXII. Heraclio LV. ab Auguſto Romanorum Imperatore regnante, tempore Hildeberti Regis Francorum, ſanctus Rupertus Wormatienſis Epiſcopus venit in Bavariam, ubi Theodonem gentis ejuſdem Ducem in civitate Ratiſpona baptiſavit, & poſtea ſedem Saltzburgenſem fundavit. Hic Theodo dum terminum vitæ ſibi appropinquare ſentiret, vocavit ad ſe Theodebertum filium ſuum, & Ducem Noricorum illum conſtituit præcipiens ei obedire ſancto Ruperto, & ad opus divinum illum diligenter adjuvare. Cumque hujuſmodi mandatis & omnibus quibus voluerat, filium inſtruxiſſet, ultimum diem clauſit, migrans ad Dominum.

SORDIDA, SED TAMEN PULCHRA HISTORIA.

AVares (id eſt Ungari) his temporibus Forum Julii, quod tunc Longobardi tenebant, ad proditionem Admildæ uxoris Giſulphi Ducis, capiunt: quam Rex Avarum promiſit accipere in matrimonium. Sed Longobardis capris & peremtis, Rex una nocte habuit eam in matrimonio, alia nocte tradidit eam duodecim Avaribus, qui ſibi invicem ſuccedentes eam libidine ſatiarent. Noviſſimè juſſit eam ligari ad palum, inquiens; *Talem eam eſt dignum habere maritum, quæ potius libidini, quam civium & conſanguineorum proſpicere voluit ſaluti.* Hujus Duciſſæ duæ filiæ, ne ab Avaribus contaminarentur, carnes pullorum crudorum mamillis faſciis alligaverunt, ut putrefactæ fœterent. Cum ergo Avares eas contingerent, putantes eas natura-

naturaliter fœtere, dicebant omnes Longobardas fœtidas esse, & sic virgines illæ castitatem servaverunt illæsam. Postea una nupsit Regi Alemannorum, alia principi Bavarorum.

DE S. EMMERANO EPISCOPO, QUANDO VENERIT IN BAVARIAM.

CONstantino tertio, ab Augusto LVII. regnante, beatus Emmeranus Pictaviensis Episcopus, in civitatis Ratispona virtutibus & signis claruit. Cum autem ibidem Oyta filia Theodonis Ducis Bavarorum propriæ libidini succumbens, à cujusdam Judicis filio nomine Sigibaldo devicta concepisset, Landebertus frater ejusdem puellæ ob hoc sanctum Emmeranum persequens, in villa Helffendorff an. Domini DCLII. Martino primo, à beato Petro LXXIIII. Apostolicæ sedi præsidente, Dei martyrem fecit.

THEODO dux eius filius.

LANDEBERTUS.

OYTA filia.

DE ORIGINE PRINCIPUM BAVARIÆ.

ANno Domini DCLXX. Constantino quarto, ab Octaviano Augusto LVIII. regnante, fuit in Gallia homo præpotens & Deo dilectus, nomine Arnulfus. Qui renuntians seculo factus est Metensium episopus. Cujus filius Angisus (qui de nomine Anchisæ Trojani creditur appellatus) sub nomine Majoris domus principatum in regno Francorum postea tenuit. Et quod ab isto Angiso Karolus Magnus Romanorum Imperator legitur descendisse (à quo quidem Karolo principes nostri temporis, scilicet cum numeratur millesimus quadringentesimus vicesimus quintus, prout ex Chronicis quibusdam habetur, descenderunt) placuit hic per quandam anticipationem Genealogiam ab ipso Arnulfo usque ad Karolum Magnum Romanorum Imp. figurare cum Principibus & nobilibus viris tertiæ Bavariæ ipsis contemporaneis, & deinde Historiis ipsorum immorari.

S. Arnulfus

Angisus Maior domus.

1425.

Huc Tab. ponenda sub lit. A.

DE GENEALOGIA KAROLI MAGNI, ET HISTORIIS PROGENITORUM SUORUM.

PIppinus dictus Grossus, filius Angisi, in regno Franciæ primus fuit post Regem, & dicebatur Major Domus, scilicet ubi nunc est palatium Trevirense à quo palatio modò dicuntur Comites Palatini, qui olim Majores Domus dicebantur. Hujus Pippini principale domicilium erat in Colonia Agrippina, in loco ubi nunc est monasterium quod dicitur S. Mariæ in Capitolio. Hoc siquidem Plectrudis, dicti Pippini Grossi conjux, fundavit in honorem Dei Genetricis, ibique conventum monialium congregavit, & illum locum multis divitiis & ornatu regio sublimavit, in quo & post mortem voluit sepeliri. Tandem præfatus Pippinus conjugem suam Plectrudem ad tempus deseruit, & Alphaydi meretrici adhæsit. Super quo dum beatus Lambertus Trajectensis episcopus ipsum argueret, Dodo præfatæ Alphaydis frater ipsum occidit. Considerans verò Pippinus, quod propter suum peccatum Dei sacerdos maryrium subiisset, rubore & verecundia confusus reversus est Coloniam ad Plectrudem conjugem suam legitimam, Alphayde gravida derelicta. Cum autem Alphaydis peperisset, nuncius venit ad Regem, ut sibi nova nunciaret. Sed inveniens Regem inter nobiles & cum conjuge sedentem, dixit: *Vivat Rex, quod Karolus est.* cum hoc tegumento verborum innuens, quod Alphaydis pulcrum filium genuisset. Est igitur Karolus lingua Germanica vel Teutonica, homo robustus, pulchra habens membra. Respondit Rex, *Bonum nomen est Karolus.* Iste Karolus dictus Martellus vel fortis, expulsis filiis legitimis patris sui, Drogone & Germoldo, * in administratione regni patri successit. Erat autem tyrannus, multas clero & Ecclesiis injurias & damna inferens. Propter quod accidit, ut dum ipse moreretur, Papæ somniavit in

Pippinus Maior domus.

Karolus Martellus.

**al. Grimoaldo.*

Urbe,

Urbe, quod Karolus Martellus Rex Francorum corpore & anima duceretur ad infernum. Misit ergo Papa nuncios ad Aurelianum, qui aperto monumento serpentem miræ magnitudinis invenerunt, corpore non comperto.

Anno igitur primo Costantini quinti, qui est Dominicæ incarnationis DCCXLII. Karolus Martellus Pippini filius, major domus in regno Francorum (quem quidam vocant Regem) obiit relinquens filios tres, Pippinum, Karlomannum & Griphonem. Quorum Gripho, qui erat minor natu, matrem Suanahilden habebat, neptem Otilonis Bavarorum Ducis. Hic Gripho fratribus suis subjectus esse nolens, quamvis sub eis honorificè viveret, multa bella adversus fratres movit; sed parum profecit. Tandem Bavariam petiit, ipsumque Ducatum in suam redegit potestatem. Tassilonem cum Hiltrude in deditionem accepit. Hæc audiens Pippinus, cum maximo exercitu venit in Bavariam, fratremque suum Griphonem cum omnibus suis cepit, Tassilonem in Ducatum restituit, domumque reversus Griphoni more Ducum duodecim Comitatus dedit. Sed ille tali beneficio contentus non fuit; qui postea anno quinto Pippino nunciatur occisus. Pippinus autem & Karlomannus regnum, quod communiter habuerunt, inter se diviserunt. Karlomannus Austriam, & Alemanniam, atque Thuringiam sortitur: Pippinus verò Burgundiam, Neustriam, atque Provinciam. Iste Karlomannus anno sexto sui principatus, divino succensus amore, Romam tendens Zachariæ Papæ se obtulit, & abeo clericus factus, habituque mutato monachicum capiens indumentum, in monte Soracte sive Syrapti constructo monasterio, apud Ecclesiam beati Sylvestri, cum fratribus secum ad hoc venientibus, per aliquot annos optata quiete fruebatur. Sed cum ex Francia multi nobilium ob vota solvenda Romam commearent, & eum velut dominum quondam suum, præterire nollent; ocium quo maximè delectabatur, crebra salutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam cum hujusmodi frequentiam proposito suo vidisset officere, relicto monte in Samnium provinciam ad monasterium S. Benedicti, situm in monte Cassino, se contulit, & ibi quod reliquum fuit, vitæ tempus complevit. Pippinus verò anno Domini DCCLI. sanctum Burchardum Wirzburgensem episcopum & Folradum archicappellanum (quem quidam abbàtem, quidam presbyterum scribunt) ad Zachariam Romanum pontificem misit, ut consulerent eum super Regibus, qui in illo tempore fuerunt in Francia, nomen tantum Regis, sed nullam potestatem regiam habentes.

Gripho.

Karlomannus.

Pippinus.

Ubi advertendum (ut colligitur ex historia Francorum, & antiquis Chronicis) quod anno Domini CCCCXXI. Faramundus primus Rex Francorum moritur, Cui successit Clodius Rex secundus. Post quem regnavit Meroveus filius Clodii, à quo Reges Francorum Merovingi nominati sunt. Aliquibus regibus intermediis, Clodoveus suscepit regnum Francorum, anno Domini CCCCLXXIIII. Hic traditur primus rex Christianus Francorum fuisse, & per S. Remigium Remorum Episcopum cum omni gente sua baptisatus. Ab hoc Clodoveo per succedentia tempora imperatoribus egregiis Respublica Francorum gubernata fuisse dignoscitur, usque ad propinqua tempora Pippinorum & Karolorum, qui Majores domus in regno Francorum ab historiographis appellantur, eo quod regni administrationem, & omnia quæ vel domi vel foris agenda erant ac dispensanda, per eos procurabantur. Quorum originis descriptio incipit (secundum Chronographos) ab Arnulpho viro Deo dilecto, qui floruit (prout supra est memoratum) anno Domini DCLXX. tempore Constantini quarti Imp. Horum temporibus per levitatem regum respublica aliquantulum dilapsa, per hos egregios, de quibus nunc est sermo, ad dignitatem pristinam magnificentius est reducta.

Reges Francorum Merovingi.

Istis præhabitis est sciendum, quod Franci ex antiqua regum stirpe reges habere solebant, qui à Meroveo Clodii secundi regis filio Merovingi dicebantur, quemadmodum prænarratum est. Quorum genealogia usque ad Childericum tunc temporis Regem permanebat, in quo etiam deficiebat. Sed licet in illo finita posset videri, jamdudum tamen nullius nec quidquam clarum in se præter inane Regis vocabulum

cabulum præferebat. Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat, tenebantur: nec aliud cuidquam Regi permittebatur, quàm ut Regio nomine tantùm contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ doctus erat, aut jussus, ex sua velut potestate daret: cum præter inutile Regis nomen & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud possideret, quam unam & hanc perparvi reditus villam, in qua domum, & ex qua famulos sibi ministrantes atque exequium exhibentes, paucæ numerositatis haberet. Quocunque eundum erat, carpento ibat: quod junctis bubus, & bubulco more rustico agente, trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum conventum, qui Kalendis Maji ob regni utilitatem annuatim celebrabatur, ire solebat, & coram tota gente præsidens, omnesque salutans, & ab eis salutatus, debitisque obsequiis honoratus, sic domum redibat, sicque secum ad alium Majum residebat, ac regni administrationem & omnia, quæ vel domi vel foris agenda erant ac dispensanda, Præfectus aulæ procurabat. Quo officio tunc, cum prædicti legati scilicet Burchardus & Folradus Romam mittebantur, Pippinus Karoli filius, idemque Karoli Magni pater jam velut hereditario jure fungebatur. Zacharias verò Papa super hujusmodi negotio consultus, scilicet an ille deberet esse Rex, qui ocio deditus solo nomine regebat, vel ille qui omninò pondus regni sustentabat, remandavit, *Illum debere Regem vocari, qui utilius regni gubernacula regeret.* Qua responsione Franci animati Childericum cum uxore sua in monasterio recluserunt, & Pipinum sibi regem constituerunt. Quem S. Bonifacius Moguntinensis archiepiscopus jussu Papæ in Regem unxit in Suessionum civitate. Hic Pipinus an. DCCLXVIII. Parisiis obiit, ibique sepelitur, anno ætatis LIIII. Pro quo filii ejus diviso regno, Karolus Magnus annos XLVI. & Karolomannus IV. annos regnavit.

Hic Karolus Magnus anno Domini DCCCI. in die nativitatis Domini, dum ad Missarum solemnia ab oratione surgeret, Leo Papa tertius nihil minus speranti coronam Imperialem superposuit, & Imperatorem pronunciavit, & à cuncto populo Romano acclamatum est; *Karolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Post quas laudes unctus ab Apostolico, & antiquorum more Principum ab eo adoratus, ablato Patricii nomine Imperator & Augustus appellatur. Nam antea ejus titulus talis erat: *Karolus Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum, & patricius Romanorum.* Tandem febre & pleuresi pulsatus, V. Kalend. Februar. decessit, anno ætatis suæ LXXII. regni XLVI. imperii XIIII. sepultus Aquisgrani in Basilica, quam ipse construxerat. Huic in Imperio successit filius suus Ludovicus, de quo vide postea.

KAROLVS M. *Imp. & Rex Fr. & Long.*

DE HISTORIIS SUPRASCRIPTORUM NOBILIUM TERRÆ BAVARIÆ SCILICET ALBERTI OTKARII, LANDFRID, WALRAM ET ELILAND.

Item his temporibus, in partibus Noricorum (id est Bavariæ) erant duo fratres, Albertus & Otkarius, ex patre Burgundi, & ex matre Bavari, divitiis præpollentes, Deumque timentes, consanguinitatis affinitate proximi Pippino Regi, patri Karoli Magni. Horum primus, scilicet Albertus, novem Comitatus possedit in Bavaria. Alter verò, videlicet Otkarius; qui & ætate provectior, ducatum tenuit in Burgundia. Hic habuit filium tenerum in aula Pippini Regis: qui dum morum nobilitate filium Pippini Regis præcelleret, ipsa nobilitas morum sibi materia fuit odiorum. Difficile est enim quemquam in prosperis invidia carere. Cum enim in ludo schachorum doctior filio Pippini Regis assiduè inveniretur, & filius Regis multoties victus haberetur, animatus forte potentia patris, rixam agebat; & filium ducis graviter super tempora percutiens occidit. Qua causa Rex cognita solito tristior effi-

ALBERTUS *comes.* OTKARIUS *dux, ejus filius.*

citur,& res multiplici ſtudio adeò occultatur, ne rumores mentes parentum inficerent. Timebat enim potentiam memoratorum Principum, quod principia bonorum ſæpe contingunt difficilia eſſe. Nam ipſe Pippinus eisdem diebus auctoritate Zachariæ Papæ regnandi poteſtatem in Gallia,& in Burgundia, in Alſatia, in Thuringia, & in Saxonia,in Alemannia,& in Bavaria, & in omni Germania noviter adeptus fuerat. Sedente igitur in cauſis Pippino, requiſivit in ſententia à duce Otkario: *Quid faciendum ſit in cauſa,quæ nullo emendationis cultu poterit emendari.* At ille neſciens hujus ſententiæ ſpiculum in ſe retorqueri,reſpondit: *Res quæ nulla ratione reformanda conſtat,æquanimiter ferenda eſt.* Quæ ſententia dum præcipuis Principibus placeret, aſſenſu celebri firma ſtetit. Rex verò fluctuabat animo diligenter animadvertens, quomodo cauſam competenter componeret, medius inter ſpem & timorem. Timor enim diligentiam docet,& admonet futura proſpicere: inconſulta autem temeritas neſcit conſilium expectare. Conſultius itaque eo agente, caſum pueri notificat primitùs patruo,deinde cum patruo patri. His auditis pater ſupra modum contriſtabatur, & ex inſperato malo per longas moras conticuit. Multis igitur fidelibus Regis ipſum interim conſolantibus & exhortantibus, quatenus ſententiam,quam ipſe tenore recti edixerat, factis comprobaret, habitis longis ſuſpiriis, tandem illuſtrium virorum precibus mitigatus, memor conditionis humanæ, colligere ſeſe animo cœpit, taleque reſponſum Regi dedit: *In humanis rebus nihil firmum, nihil perpetuum ſubſiſtit: ſed dies hominis velocius umbra aut vento declinant. Quod cum multis clarum ſit experimentis,& præſentis rei caſus ſuum nobis exinde præbeat documentum, conſultum eſt, teneriori nos affectu ſuperſtites amplecti, de morte verò filii ultra quàm credi poteſt, conturbatus quidquid in ejus morte mihi gaudii abſumptum eſt, bonus ſtatus honoris veſtri mihi cariſſimus & vita fratris mei Comitis Alberti recompenſat, & in utriuſq; veſtri ſoſpitate infiniti doloris remedium ſumitur, & tantæ deſtitutionis jactura decenter emendatur. Sed & hunc dare qui potuit,auferre valebat eundem.* Hæc dicta maximam virtutis gloriam pepererunt, & uberem apud Regem gratiam. Nam & ipſum & plurimos aulicos ad lachrymandum ſuis lachrymis inflexerat. Inter Regem igitur & Ducem perfecta amicitia ſolidata, Otkarius hereditatis ſolatio deſtitutus cum fratre ſuo Alberto, (qui ei naturæ debito ſedulò compatiebatur) ad propria revertſus, præmeditantes caducis rebus fidem adhiberi non debere,terrenis cœleſtia comparantes, Chriſtum rerum ſuarum heredem fecerunt, & juxta lacum Tegernſee monaſterium Monachorum continuò fundare cœperunt.

Tegernſee.

Exinde acceptis literarum teſtimoniis à beato Bonifacio Moguntinenſi Archiepiſcopo, Romam cauſa orandi,nec non pro reliquiis Sanctorum profecti ſunt. Quos Zacharias Papa honorificè ſuſcipiens lætatus eſt,& omnis civitas de adventu ipſorum. Unde ſummus Pontifex cum non modico mœrore expoſuit conquerendo eis, quomodo Pagani nudius tertius majorem partem civitatis devaſtaverint, & theſaurum Eccleſiarum diripuerint; Romani quoque ad ſe defendendum concordes non eſſent. Et exhortatus eſt eos, ut Romanis in concordiam revocatis, ipſi quoque in vindictam malorum eſſent cum illis parati, eo quod excellens eſſet in armis vis Teutonicorum,ſicut teſtarentur experti robur eorum. Finitis querimoniis Principes Noricorum improbantes improbitatem deſidiæ Romanorum dixerunt: *Nimis deſes redet inimicos domi expectans. Deſolationem civitatis, contritionem gentis, multarum tumultum injuriarum prætenditis. Sera eſt iſta deliberatio. Priùs certandum erat, ne amitteretur libertas, quam ut amiſſa repoſceretur.* Et quod conferendi ſermonis dabatur eis locus, converſi ad Senatores & cœtum Romanorum, conhortati ſunt eos ad bellandum dicentes: *Viri Romani Principes Urbis, meminiſſe vos nominis & generis veſtri decet,quorum manus nemo adhuc effugit. Animadvertite dolorem veſtrum,reparate animos, & de illatis vobis injuriis non ſolùm conſolationem, ſed etiam (quod amplius eſt) vindictam præſumite. Pericula rerum veſtrarum faciant vos fortiores,non timidiores.* Et confeſtim coëuntes in concordiam, unum corpus ad perſequendum paganos ſeſe fecêre. Accepta igitur, ab Apoſtolico benedictione, Noricus

Roma infeſtata.

ricus ensis Romanas aquilas regens valida manu versus maritima properat, ubi hostes cum magno tripudio, ac multo fragore prædam dividebant. Solent enim ante ruinam corda superborum exaltari: unde superbè stultos agere nemo debet mirari. Qui verò adhuc potest subjici, non debet dicere, *Vici*. Finis enim, non pugna coronat. Habita autem deliberatione, quid, aut quomodo agendum esset, quibusdam Romanis melius visum est congressionem belli nocte aggredi, dicentes: Hostes subito incursu attonitos, & caligine noctis oppressos, & facilè posse devinci. Ad hæc Norici non sine indignatione responderunt: *Hic mos, quem suggeritis, non est honestatis, sed improbitatis, & eorum maximè, quorum summa spes votorum est dolus nocere, & latenti fallere fraude. Absit ergo, ut gloria nostra dolo militet: sed ut nihil obsit, quod fuligine labis valeat obscurare candorem famæ, aggredimur hostes de luce, ut victoria, quam nos gladiis molimur, aut sit nulla, aut sit honesta. Reparate vos quiete, ut fortiores sitis ad opus crastinum.* Et constitutis vigiliis, fixis tentoriis castra metantur. Altero die illucescente, præfati Principes nihil de armis, nihil de propriis virtutibus præsumentes, sed solùm de Dei misericordia confidentes, potenti victoria de hostibus triumphantes Romam revertuntur. Unde Pontifex Romanus, & tota Ecclesia, cum gaudio exultantes, gratias debitas de tanta victoria Deo egerunt. Datur igitur arbitrium principbus Noricorum vendicandi sibi partes, quas vellent, de cunctis spoliorum facultatibus. Qui terrena contemnentes, causâ orationis & reliquiarum se patriam deseruisse dixerunt. Impetratur igitur ab eis præ cæteris reliquiis à summo Pontifice difficulter, sed & occultè, corpus S. Quirini, quod tunc crebris clarebat miraculis, de quo gloriatur monasterium dictum Tegernsee ab ipsis fundatum. Fuit autem Quirinus iste filius Philippi primi Imperatoris Christiani, qui fuit Dominus ante imperium Pannoniæ inferioris & superioris: & de uxore sua Severa (quæ mutato nomine dicta est Genoverra) habuit liberos duos, Philippum videlicet qui cum eo regnavit, & Quirinum, cujus nunc est mentio: qui sub Claudio capite plexus in Tiberim projicitur, postea tamen Romæ in cœmiterio Pontiani honorificè sepelitur.

Erexerunt quoque prælibati viri Albertus & Otkarius, & sororius eorum nomine Otho, alios titulos & Ecclesias per plurima loca in proprio fundo, quas reliquiis nec non suis prædiis sufficienter dotaverunt. Unde reliquiis S. Hippolyti ecclesia in partibus Austriæ, quæ adhuc ejusdem martyris nomine intitulatur, honorificata est. Nuscia monasterium Dei ancillarum, adjacens littoribus Rheni, scypho beati Quirini nobilitatur. Ilminense Cœnobium confessoris Christi Arsacii gaudet patrociniis, nec non sæpedicti martyris Quirini gaudet reliquiis. Neuß.

Fuerunt etiam his temporibus tres viri clarissimi, Landfrid, Walram, Eliland, consobrini Karoli patris Pippini & Karlomanni. Qui dum aliquando pro consuetudine venationibus exercerentur, inter frondosæ umbracula silvæ, ad sempiterna Paradisi vireta suspirabant; jusseruntque statim exstirpatis frutetis, prope rivum Kalomonbach, habitationem sibi adjuncta Basilica construi. Quemque locum sibi Dominus non elegit, signorum indicio declaravit. Cæsoribus nanque repentina incisione vulneratis, columbæ advolantes cruentata ligni præsegmina raptim asportaverunt, & loco, in quo nunc venerandum altare monasterii in Büren consistit, sparsim inferentes, quasi ex rationabili industria cruciculos composuerunt. Animadvertentes igitur servi Domini cœlestis auspicii omen, quæ ibi cogitaverunt, hic perficiunt; & cœnobium incomparablile structuris & picturis construxerunt. Deinde & alia tria grandi manu diligentiæ monasteria instituunt, primum Chochalense, secundum Schlechdorffense, tertium Schafelense. Landfrid. Walram. Eliland.

DE OTILONE REGE BAVARORUM, ET THASSILONE DUCE, FILIO EIUS.

OTilo primùm Rex, postea verò Bavaria in provinciam redacta, Dux, fundavit monasterium inferioris Altaich, & ex Hiltrude, quæ fuit soror Pippini Regis, qui fuit pater Karoli Magni, genuit Tassilonem. Contra hunc Tassilonem Gripho frater Pippini Bavariam petiit, ipsumque Ducatum sibi subjiciens Tassilonem in deditio- OTILO Dux Bava. TASSILO ejus F.

ditionem accepit. Quod audiens Pippinus cum maximo exercitu venit in Bavariam, fratremque ſuum Griphonem cum omnibus ſuis cepit, & Taſſilonem in Ducatum reſtituit. De quo etiam vide ſupra. Deinde Taſſilo cum primoribus gentis ſuæ venit ad Pippinum in Compendio villa, ubi tunc populi ſui generalem conventum habuit promittens tam ipſi Regi Pippino, quam filiis ejus Karolo & Karlomanno fidelitatem jurejurando ſupra corpus S. Dionyſii. Cum autem Pippinus Aquitaniam cum expeditione intraret, Taſſilo Dux Bavariæ poſtponens ſacramenta quæ juraverat, & oblitus omnia bona, quæ ſibi avunculus ſuus Pippinus Rex fecerat, ſimulata infirmitate ab hac expeditione per dolum ſe ſubduxit, & in Bavariam, rediit, & ad conſpectum Regis ſe ulterius venturum abjuravit. Mortuo autem Pippino Karolus Magnus filius ipſius, ei in regno ſucceſſit. Qui ad preces Adriani Papæ, Deſiderium ultimum Regem Longobardorum debellans, ipſum vinctum cum uxore ſua in Franciam duxit: qui Aquisgrani obiit. Taſſilo autem Dux Bavariæ cum eſſet conſanguineus Karoli & Luitpurgem filiam Deſiderii regis Longobardorum haberet uxorem, ab ipſo Karolo Magno in regem Lombardorum proficitur. Qui hortatu uxoris ſuæ Luitpurgis, quæ ſe exilium patris per maritum ulciſci putabat, juncto fœdere cum Hunnis (qui Bavaris ab Oriente ſunt contermini) non ſolùm imperata non facere, ſed & Regem bello provocare tentabat. Inter hæc Karolus venit Romam, & ab Adriano Papa honorificè ſuſcipitur. Miſit itaque Adrianus Papa Formoſum & Damaſum Epiſcopos cum legatis Regis Richolfo Diacono, & Eberhardo pincernarum magiſtro, ad Taſſilonem ducem, ut commonerent eum de juramento, quod Pippino & filiis ejus olim juraverat. Qui venientes cor ejus emollierunt, ut cum eis Wormaciam veniret, datisque duobus obſidibus Regi fidelitatem juraret. Sed ubi domum rediit, non diu in fide permanſit. Karolo autem adhuc Romæ exiſtente venerunt ad Papam legati Taſſilonis, Epiſcopus Iuvavenſis & Henricus abbas, rogantes ut pacem faceret, litemque terminaret inter Karolum Regem & Taſſilonem. Quod cum ille obnoxiè faceret, & Rex ſe id velle diceret, interrogati miſſi, quo pacto pacem firmare vellent; reſponderunt ſibi ſuper hæc nihil imperatum fuiſſe, & ſe non audere pro ſeniore diffinitivam proferre ſententiam, neque ſe ad hoc deſtinatos eſſe. Videns autem Papa eos quaſi fallaces ac fraudulentos, anathematiſavit prædictum Taſſilonem, & omnes illi favventes, niſi fidelitatem, quam Regi Pippino & filio ejus Karolo promiſerat, per omnia obſervaret. Et ſi ipſe Dux nullatenus obedire vellet, tunc Karolus & exercitus ejus abſoluti eſſent à Deo & à S. Petro, ut quidquid in Ducatu ejus perpetratum eſſet incendiis & homicidiis, & qualicunque malitia, totum hoc ſuper Taſſilonem & ſocios ejus verteretur, & Rex & Franci eſſent innoxii. His verbis Papa legatos Taſſilonis ad ipſum remiſit. Rex verò recepta ab Apoſtolico benedictione rediit in Franciam; deinde venit in Wormaciam, ubi filios ſuos & filias cum uxore ſuâ Faſtrada invenit. Ibi ergo habito generali conventu coram Optimatibus ſuis, omnia quæ facta ſunt in itinere ſuo narravit, eorumque conſilio legatos miſit ad Taſſilonem, qui monerent eum, utrum Apoſtolicis juſſis obedire, ſibique fidem ſervare diſponeret. Qui cum nollet obedire, Rex cum tripertito exercitu Bajoariam petiturus, prope civitatem Auguſtam ad Lycum amnem venit (qui Bavaros ab Alemannis dividit) Pippino filio ſuo cum Italicis copiis in Tridentinam vallem confluente; Saxonum verò atque Orientalium Francorum exercitu ſuper Danubium in loco, qui Peringa * dicitur, convenienre. Videns autem Taſſilo ſe undique circumcluſum, eo quod Bavari magis eſſent fideles Karolo quàm ſibi, ad Regem ſupplex venit, veniamque de antegeſtis ſibi dari rogavit. Rex autem, ut ſemper mitis erat, deprecanti pepercit, acceptoque ab eo filio ejus ejus Theodone cum aliis duobus * obſidibus, in Franciam rediit. Sicque bello, quod quaſi maximum videbatur futurum, celerrimus eſt finis impoſitus.

* *al. Fering.*

* *al. duodecim.*

Deinde anno proximo ſequenti Karolo apud Ingelnheim Paſcha celebrante, & generale Concilium habente, Taſſilo Dux, ſicut & cæteri Principes advenit. Sed à Bavaris accuſatus, quod poſt datos proximè obſides fidem non ſervaverit, ſed ſuadente uxore ſua Luitpurga Deſiderii Longobardorum Regis filia, Avares (id eſt, Ungaros) in diſſi-

in dissipationem regni vocaverit, multaque hostiliter & dixisse & fecisse: cum hoc negare nequiret, majestatis reus judicatus est; & dum omnium ore capitali damnaretur sententia, Rex Karolus adhuc patricius Romanorum, ob amorem Dei, & quod consanguineus ejus erat, liberare eum cupiens, interrogavit quidnam agere vellet? Ille autem rogans licentiam sibi dari pro peccatis pœnitendi, tonsuratur, & in monasterium quod ipse construxerat, * missus est. Similiter & filius ejus Theodo. Cæteri verò hujus perfidiæ consortes per diversa exilia damnati sunt. Ulterius autem provincia quam tenuerat Tassilo, non Duci, sed Comitibus commissa est. Post hæc Karolus ad Ratisponam venit, ibique marchas & fines disposuit. * Lauriſhaim.

Alibi legitur, quod Tassilo à Karolo in prælio publicè devictus, cum suis vinculis mancipatur, & per duarum pelvium ignitarum inspectionem excæcatur. Qui potentia ductus ad petitionem Principum absolvitur, & liberè quocunque vellet ire permittitur. Ipse igitur ob spem futurorum prospera mundi cuncta despiciens, Lauriſſam * devenit, ibique sub specie pauperis habituque religioso, & ab omnibus ignotus usque ad extremum vitæ suæ terminum permansit. Post multorum vero annorum curricula jam dictus Karolus Magnus ad Ecclesiam Lauriſſensem pervenit ibiq; solito more una noctium orationi vacans, Tassilonem lumine carentem per manus Angeli de ara ad aram cum summa reverentia deduci prospexit. Summo igitur diluculo Karolus Imp. consurgens patrem Ecclesiæ advocat, diligenterque scisitatur, quisnam sit, cui tanta beneficia ab Angelo impensa fuissent. Qui se ignorare respondit. Sequenti igitur nocte Abbas cum Imperatore hæc eadem beneficia jam prælibato Tassiloni ab Angelo impensa videre meruit. Post hæc Tassilo febre corripitur, & acceptis ecclesiasticis sacramentis ex instantia virorum religiosorum vitæ suæ originem graviter per singula suspirando illis enarrans, feliciter migravit ad Dominum. Ad cujus tumbam Dominus, quamplurima beneficia auxilium ejus imploratibus impertiri non dedignatur. Hic est Tassilo Dux, qui in servitio & officio divino devotissimus existens, inter cætera monasteria celebria Pollingen Canonicorum regularium construxit. Item Wespebrunne, * sic dictum à quodam suo venatore dicto Wesso, qui fontem ibidem è terra bullientem à se repertum ostendit. Vidit quoque Tassilo, dum ex venatione aprorum quadam vice pernoctasset ibidem, scalam ad cœlos porrectam, & Angelos Dei ascendentes & descendentes per illam: Sanctum Petrum autem Apostolorum Principem innixum scalæ, & canentem ea quæ in officio dedicationis solent decantari. Idem fundavit monasterium S. Nicolai Pataviæ. Item monasterio inferioris Altaich plura prædia dedit. Item Pataviam civitatem Bavariæ instaurans & renovans, episcopatus sedem quæ apud Lauriacum, * (priusquam ab Hunnis everteretur) erat, inibi constituit. Denique in choro monasterii in Waltenburg versus subscripti habentur: * al. Welzelsbrunn. * Lorch.

Tassilo Dux Bavariæ, fundator hujus Ecclesiæ.
Sex struxit in Bavaria Tassilo dux monasteria.
Weltenburch, Chremsmünster, Lorch, Welzesbrunn, Pfaffenmünster.
Tassilo Dux primum, postea Rex, sed monachus ad imum.

DE NAAMAN * DUCE BAVARORUM.

* al. NAINO.

LEgitur in Speculo Historiali libro XXV. quod Karolus Magnus debellaturus Hispaniam, inter alios principes famosos exercitus sui habuit Naaman ducem Bavarorum. Ubi animadvertendum, sicut partim ibidem, partim verò ex quodam libro vulgari collegi, quòd Marsirius Rex Hispaniæ conspiciens, quòd potentiæ Imperatoris resistere non valeret, consilio cujusdam senis, qui vocatus fuit Planschandies, Imperatori misit munera & obsides, nunciatque verba pacifica in dolo petens, ut ab Hispania recedat, cùm ipse paratus sit sibi obedire, & ad fidem Christianam converti: Quod dum Imperator consilio Principum (quorum præcipui memorantur fuisse Turpinus Archiepiscopus Remensis, Rolandus Comes Cenomanensis, Olvierus Comes Bebenensis, & Naaman Dux Bavarorum) tanquam suspectum negotium haberent, *Marsirius K. Hispan.* *Planschandeer.*

Ganalon. berent, Dux Ganalonus vitricus Rolandi Comitis ſuper memorati in contrarium fuit. Inſtantibus igitur nunciis Regis Hiſpaniarum, Karolus Imperator de aſſenſu Principum & præſertim Rolandi Comitis, Ducem Ganalonum præfatum mittit ad Regem Hiſpaniæ, ut hujusmodi negotii puritatem inquirat. Hic Ganalonus non exiſtens voluntarius ad militandum, ut invidiam, quam in Rolandum habebat, opere adimpleret, acceptis muneribus factione * quadam pacem nuncians, legationis ſuæ ſeriem Imperatori aperit per Naaman Ducem Bavarorum, veluti fidiſſimo defenſore præcedente, domum revertitur, committens Hiſpaniam defendendam atque regendam duodecim patribus, * quorum principalior de conſilio Ganaloni Ducis fuit Rolandus Comes Cenomanenſis. Abſente itaque Imperatore, Saraceni promiſſam pacem violantes Catholicos bello aggrediuntur: & licet Chriſtiani ſtrenuiſſimè contra ipſos pugnarent, fortiſſima tamen bellica arma corruunt, & Chriſtiani à Saracenis vincuntur. Interea dolus Ganaloni Ducis deprehenditur. Quod ægerrimè ferens Naaman Dux Bavarorum, ipſum Ganalonum trucidare nitebatur. Sed Imperator eum liberans, judicio Principum ipſum volens reſervare, cuſtodiæ mancipat. Ex hinc Imperator iterum ducens exercitum in Hiſpaniam, dum de occiſis Chriſtianis nimium doleret, & ex labore quamplurimùm fatigatus eſſet, cerneretque multitudinem paganorum venientem ad prælium, Dux Naaman ipſum conſolatur: Rolandus etiam graviſſimè vulneratus tuba ſua inſonuit, cujus vox ad aures Karoli ad octo miliaria à Rolando diſtantis angelico ductu pervenit. Ex ſono iſto Karolus intelligens Rolandum cecidiſſe, aciem contra inimicos dirigit, & inter cæteros fortiſſimos Principes, qui exercitus ducebant, Naaman Ducem Bavavorum ob fidelitatem ſuam laudans, Bavaris præfecit; & orans ad Dominum ab Angelo confortatur, pugnaturque in Runcia valle, donec Karolus de hoſtibus triumphavit. Poſt hæc Imperator inquirens, & inveniens verum eſſe Ganalonum Ducem traditionem feciſſe; ipſum caudis quatuor equorum, ſecundum quatuor plagas terræ juſſit alligari. Qui ſic ab equis diſtractus, miſerrimè vitam finivit. Corpora verò Principum occiſorum, & ſignanter Naaman Ducis Bavarorum, cum multitudine aliorum, qui in iſto prælio corruerunt, (ut habetur in Speculo Hiſtoriali libro ſupra memorato cap. XXI.) ex ordinatione Karoli Imperatoris apud Arelatem ſunt tumulata.

Rolandi tuba.

** al. fictione.*

** ſparibus.*

huc tab. ſub lit. B.

DE LUDOVICO IMPERATORE EIUSQUE FILIIS.

LUDOVICUS Pius Imp. ANno Domini DCCCXV. Ludovicus cognomento Pius, Karoli Magni filius, regnare cœpit, regnavitque annis XXV. Hic habuit duos fratres, ſcilicet Karolum & Pippinum, quorum unus tenuit Teutoniam, alius Hiſpaniam regebat; & ambos ſuperavit. Qui etiam ultimò malum finem habuerunt. Hic Ludovicus Imp. ex Mergarde uxore ſua prima tres filios habuit, Lotharium, Pippinum, & Ludovicum: Ex ſecunda autem uxore ſua nomine Judith genuit Karolum. Primum, ſcilicet, Lotharium, Cæſarem fecit, cui etiam Italiam regendam commiſit. Secundum, ſcilicet Pippinum, Aquitaniæ Regem fecit. Tertium verò, id eſt, Ludovicum, Bavariæ & Germaniæ Regem conſtituit. Hic Ludovicus Rex Germaniæ quatuordecim Duces Bohemorum cum ſuis ſequacibus baptizari fecit, & in fide Chriſtiana diligenter inſtruxit. Quartus verò, ſcilicet Karolus, regnum tenuit Francorum. Item prædictum Ludovicum Imperatorem filii ſui capientes aliquandiu incluſerunt; ſed eodem anno pœnitentes, veniam poſtulantes ipſum reſtituerunt.

LOTHARIUS Imp. Anno Domini DCCCXL. defuncto Ludovico Imperatore in Eccleſia Metenſi tumulato, Lotharius filius ſuus regnare cœpit, regnavitque annos decem. Hic Lotharius ſolus ſibi uſurpat imperium: de quo alii fratres, ſcilicet Pippinus, Karolus, & Ludovicus, dolentes bellum contra ipſum parant, & in pago Antiſiodorenſi convenientes tam grave prælium commiſerunt, quod nulla ætas meminit tantam ſtragem hominum in regno Francorum. Tandem * pacto inito Karolus regnat in Francia, Ludovicus in Germania, & Lotharius ſibi remanente Imperio & parte Franciæ, quæ ab ipſo Lotharingia nuncupatur.

** al. Demde pace facta Lotharium obtinuit Imperium, & partem Franciæ quæ ab ipſo Lotharingia nominatur.*

DE

DE LUDOVICO REGE BAVARORUM ET EIUS FILIIS.

LUdovicus Rex Bavarorum genuit Karolum tertium Romanorum Imperatorem, Ludovicum Oſtrofranciæ,& Karlomannum Regem Bavarorum ultimum. Karlomannus Rex Bavarorum ultimus, ſepultus eſt in Oeting, relinquens filium; genuit Arnolfum Romanorum Imperatorem, qui cœpit regnare anno Domini DCCCLXXXVIII. & regnavit annos duodecim. LUDOVICUS DUX.

DE ARNOLFO IMPERATORE ET EIUS FILIIS.

ARnolfus Imperator Romanorum filius Karlomanni ultimi regis Bavarorum, qui in Oeting eſt tumulatus,patri in regno Bavarorum, non ſucceſſit. Ludovicus Oſtrofranciæ (id eſt, Orientalis Franciæ) Rex audita morte fratris ſui Karlomanni,Bajoriam adiit,eamque ſibi ſubjecit,& Arnolfo præfato Ducatum Karinthiæ cum caſtro,quod dicitur Moſebur,donavit. Eodem anno dum Nortmanni regnum Ludovici invaderent,ipſe Ludovicus apud Franckenfurt obiit, & in monaſterio Laucacenſi eſt ſepultus. ARNOLFUS Imp.

Cum autem Karolus tertius Rom. Imp. corpore & animo in tantum ægrotaret, ut ab hominibus inutilis haberetur, Arnolfus ſupra memoratus anno Domini DCCCLXXXVIII.ad Imperium ab omnibus eſt electus. Karolus autem ad tantam penuriam devenit,ut etiam pane carens ab Arnolfo paucos reditus ad vitæ ſolatium gratanter acciperet. Arnolfus igitur Regum Europæ famoſiſſimus, caſtrum Scheyrn in terra Bavariæ conſtruens, Comitatus Palatinos ibidem inſtituit. Hic Arnolfus Agnetem filiam Regis Græcorum duxit uxorem: ex qua genuit filios duos, Arnoldum ſcilicet, & Wernherum: qui quomodo terras diviſerint, poſtea dicetur. Agnetedefuncta,de alia uxore genuit Ludovicum, qui poſt eum regnavit, & deceſſit ſine liberis. *Genuit etiam, ſecundum quosdam, Conradum patrem Conradi, qui poſt Ludovicum jam dictum regnum Romanorum ſuscepit, & deceſſit ſine liberis.* Habuit etiam filium Cendebaldum nomine, ſed ſpurium, cui donavit Lotharingiam. Ubi dum multa mala committeret,Ludovicus frater ejus,ſed legitimus, à principibus ad regnum invitatur. Ipſe autem Cendebaldus tandem à Comitibus Stephano, Gerardo & Manfridio * in bello occiditur. Carolus Craſſus Imp. A. 888. *Hæc deſunt in poſteriori compilationis exemplari.* * al. Magnfride.

Hic Arnolfus Imperator,cum Nortmanni peſſimi pagani Epiſcopia & monaſteria Sanctorum devaſtarent, & Epiſcopos unà cum Canonicis, monachis & ſanctimonialibus indifferenter necarent,conducto exercitu in fines Occidentalium Francorum, ubi hoſtes conſederant devenit. Tunc cæteris omnibus præ multitudine nimia paganorum, & ob pedeſtre bellum Francis eatenus inſolitum deſperantibus, Rex ſolus in Rege Regum ſpem ſuam ponens,& exhortationibus validis ad ulciſcendum Chriſtianorum ſanguinem incitans milites, ipſe vexillum anteferens præliari cœpit,& mox ſubveniente gratia Dei victoria ceſſit ad Chriſtianos, ita ut amnis alueus cui inſederant,& antea illis pro muro fuerat, tunc cadaveribus interceptus univerſis ſtupentibus ſiccus appareret. In eo prælio cæſi ſunt duo Reges Nortmannorum & Danorum,Sigefridus & Godefridus,nec non regia ſigna ſedecim ablata,& in Bavariam Ratiſponam pro teſtimonio ſunt transmiſſa. Tunc quoque Rex cum omni exercitu ad Letanias procedens, laudes magnificas Deo celebrare præcepit, qui talem ſuis tribuit triumphum,ut uno de parte Chriſtianorum occiſo, mille de parte paganorum perirent uſque ad unum.

Hic præ cæteris regni ſui locis Ratisponam metropolim Bavariæ dilexit. Unde etiam ob honorem precioſi Dei martyris Emmerani muros ejus amplificavit & auxit: monaſteriumque dicti martyris Emmerani plurimùm adornavit. Hic triumphò de Gal-

de Gallia à cæde Nortmannorum in Bavariam rediens, ossa S. Dionysii Areopagitæ secum tulit, quæ, quamdiu incolumis vixit, secum retinuit. Tandem sentiens sibi mortem imminere, S. Dionysii ossa dicto monasterio S. Emmerani perpetuò servanda tradidit, & beatis reliquiis potiri gaudens, apud illas ipse voluit sepeliri.

DE ARNOLDO DUCE BAVARIÆ, ET WERNHERO EIUS FRATRE, ET DESCENDENTIBUS AB ILLIS.

REstat modò de Arnoldo & Wernhero filiis Arnolphi Imperatoris in speciali dicendum. Arnoldus & Wernherus fratres, filii Arnolfi Imp. duas sorores Agnetem & Beatricem filias Regis Ungarorum, baptisatas in castro Scheyrn acceperunt uxores. Diviserunt que iidem fratres simul. Arnoldus accepit Ducatum Noricorum, Wernherus Comitatum in Scheyrn, & Comitatum Palatinum Rheni. Arnoldus filiam suam Adelheidem copulavit Ottoni Duci Saxoniæ, faciens filium filiæ suæ Heinricum, quem de Ottone genuit, heredem Ducatus Bavariæ: fratre suo Wernhero de Scheyrn renitente. Hic Heinricus in quibusdam Chronicis legitur fuisse Sanctus Heinricus Imperator, in Babenperg tumulatus. Sed hic antiquitas creavit errorem. Videtur autem historiæ convenire quod legitur. Otto Dux Saxoniæ genuit Heinricum Humilem dictum Romanorum Regem, & Babam sororem ejus, *Babenperg.* à qua & mons Babenperg nominatur. Qui Heinricus habuit uxorem nomine Mathildam, sanctæ conversationis feminam, ex qua genuit Otthonem Magnum, & Heinricum ducem Bavariæ. Otto iste dictus Magnus, Romanorum Imp. genuit Ottonem secundum, Otto secundus, genuit Ottonem tertium. Versus:

Otto post Otto, regnavit tertius Otto.

Heinricus autem Dux Bavariæ genuit Heinricum dictum Hetzil, qui ad S. Emmeranum Ratisponæ est tumulatus, hoc habens epitaphium:

Hic Romæ Regis pater & defensio legis:
Bavariæ cultus, prius est hic Duxque sepultus.

Iste Heinricus Hetzil, etiam pius dictus, genuit sanctum Heinricum Romanorum Imperatorem in Babenperg sepultum.

huc. Tab. sub lit. C. Conradus R. Rom. Igitur ad Arnoldum Ducem Bavariæ supra memoratum redeundo, Arnoldus Dux Bavariæ inter cæteros potentes Conradum Regem Romanorum fortiter impugnabat. Unde ipse ab eo nimio terrore coactus cum uxore & filiis fugit in Ungariam, ibique usque ad mortem Conradi permansit. Rege autem Conrado defuncto, cum uxore & filiis ab Ungaria rediens, honorificè à Bajoariis suscipitur: nec solùm suscipitur, sed etiam ut Rex fiat, vehementer ab eis exoratur *. Rex autem Heinricus cum inter omnes regni principes sibi obtemperantes Arnoldum solum resistere cerneret, collecto exercitu prævalido Bavariam tetendit, eumque (juxta quosdam) in præsidio urbis Ratisponæ obsedit. Quod ille videns, seque Regi resistere non sufficere perpendens, portis apertis egressus est ad Regem, tradens semetipsum cum omni regno suo: & honorificè susceptus est ab eo, atque amicus Regis appellatus. Quidam verò scribunt, quod non passus sit Arnoldus adventum Regis in Bavaria, sed collectis quibus potuit copiis, obviam ei processerunt ad pugnam. Cumque in eo essent, ut bellum inire deberent, Rex Heinricus (ut vir sapiens & timens Deum) cogitans ex utraque parte damnum irreparabile posse accidere, Arnoldo ut solus cum solo loquatur, denunciat. Heinricus igitur prudenti sermone alloquens Arnoldum, increpat eum, cur Dei ordinationi resistere velit, cum se ab omni populo electum sciret: quod nisi Deo disponente non fieret: affirmans, quod si populus æquè communiter eum eligeret, ut se, ipse primus in ejus electione acclamaret. His verbis demulsus Arnoldus ad suos rediit, indicans eis Heinrici sermones. Qui consilio filio eorum electioni ipsius Heinrici consensit, ea tamen conditione, sicut ex consilio habuerat,

* *al. exhortatur.*

habuerat, si sibi hoc (quod decessores ejus non habuerant) concederet, scilicet, *ut totius Bavariæ Pontifices suæ potestati subjacerent, unoque defuncto, alterum ordinare liceret.* Arnoldus igitur miles Heinrici efficitur, & ab eo (ut dictum est) concessis sibi totius Bavariæ Pontificibus honoratur. Hic est Arnoldus ille, super cujus denotatione S. Udalrico Augustensi Episcopo (ut in libro gestorum ejus legitur) ostensus est gladius sine capulo. Qui Rex fieri frustra cupiens, invasor regni extitit, & pro hujus adquisitione Ecclesias monasteriaque destruens, res earum distribuit in beneficia laicorum. Hic Arnoldus à S. Udalrico legitur de Baptismo levatus; cujus tamen monitionibus aquiescere noluit. Unde ipse Ratisponæ moritur, & à Diabolo in harundinetum secus Scheyrn projicitur. Habet hoc antiquorum relatio, quod dum ipse Arnoldus sæpius à sancto Pontifice admoneretur, nec ipse curaret; tandem certum tempus, in quo pœnitentiam ageret, quod sibi à Deo impetravit, præfixit. Dum autem ultima die nihil infirmitatis in se sentiret, pro nihilo duxit verba Pontificis: sicque fit, ut ipsa die in monasterio S. Emmerani Ratisponæ existens, subitò coram suis à Diabolo est interemptus. Dum autem primùm extra ecclesiasticam sepulturam esset tumulatus, effossus in præfata Ecclesia S. Emmerani Ratisponæ est sepultus. Diabolus autem non ferens ejus ecclesiasticam sepulturam, ejulatu magno jussit sibi dari corpus ejus, cujus animam possideret. Sicque ipsum è sepulchro (quod hodie in præfato monasterio monstratur) ablatum, in lacum prope Schyram projecit.

DE ILLUSTRIBUS COMITIBUS PALATINIS SCHYRENSIBUS IN TERRA BAVARIÆ.

WErnherus Comes in Schyra, frater Arnoldi ducis Bavariæ genuit Ottonem & Ekhardum; * qui simul divisérunt. Otto accepit Comitatum Palatinum Rheni, & constructit castrum Wittelsbach. Ekhardus verò remansit in Scheyrn, & genuit filios tres, Arnoldum, Ottonem, & Conradum: qui simul divisérunt. Arnoldus possedit Tachauu, Conradus Valay, Otto mansit in Scheyrn. Ex his omnibus tot descenderunt Comites & Domini, quod in quadam curia per Welfonem Ducem ejusdem parentelæ in * Turego convocata, triginta quatuor interessent torneamento. Propter multitudinem igitur partium, Comitum de Scheyrn se scribentium, sed ibi non residentium, ædificia castri collabebantur, donec ex eis surrexit vir magnanimus & potens, nomine Otto: qui singulorum, qui aliquid juris in eodem castro habere videbantur, accedente assensu, anno Domini MCXXIV. in honorem S. Mariæ monasterium simul ædificaverunt. Quidam autem ex eis partem suam dare noluit, sed projiciens chirothecam in aëra dixit: **Set hin herr Teufel/ deß mein solt jhr alles geweltig seyn.** Et sic chirotheca accepta à Diabolo, nusquam ultra comparuit. Hic est Otto iste postea factus Dux Bavariæ, avus Ludovici quarti Romanorum Imperatoris, à quo Principes Bavariæ secundum figuram * Serenitati vestræ à me Ratisponæ traditam descenderunt. Sed plura hic respectu sequentium per quandam anticipationem sunt scripta. Nam ea quæ simul fiunt, simul dici vel scribi non possunt. Quomodo autem Wernherus, cujus superius fit mentio, & Ekhardus Comites de Schyra repetierint Ducatum Bavariæ, postea in hoc opusculo dicetur.

* al. Eberhardum.

* al. Zürch.

* infra traditam.

Historiale notabile.

INterea notandum, quod defuncto Ludovico, in medio Chori monasterii S. Emmerani Ratisponæ tumulato, Arnolfi Imp. filio, schisma magnum fuit in regno Romanorum. Nam Conradus supra memoratus, qui jam dicto Ludovico successit in regno, & post eum Heinricus Dux Saxoniæ & Bavariæ, qui dictus est Humilis vel Auceps, eò, quòd sollicitè intentus esset aucupiis, pater Ottonis Magni, in Teutonia

Heinricus Auceps Imp.

tantùm & non in Italia regnabant. Nam Italici tunc de se præsumentes, suos Reges erigebant, qui nostros non curabant. Inde factum est, quod prædicti duo Reges Conradus & Heinricus, primi horum nominum, quandoque in numero regum Romanorum non computantur. Sicut etiam apud quosdam, & præsertim Germanos, hi qui tunc temporis in Italia regnaverunt, non numerantur. Ex eo trahit originem, quod Heinricus ille sanctus primùm Dux Bavariæ, & postea Romanorum Augustus, in Babenperg sepultus, quandoque dicitur primus hujus nominis, eò quòd Imperator factus in Italia & Germania regnavit; & quandoque vocatur Heinricus secundus, eò quòd alius Heinricus qui tantùm in Alemannia regnavit, eum præcessit. Similiter dicitur de Conrado, qui post eum regnavit, & sic deinceps. Fuerunt enim plures horum nominum.

Reges Italici.

DE OTTONE PRIMO ET UT COMITES SCHYRENSES RECUPERAVERINT *DUCATUM BAVARIÆ.

**al. repetierint.*

Otho Imp. Anno 937.

ANno Domini DCCCCXXXVII. Otto Heinrici Rom. Regis, & Saxoniæ atque Bavariæ Ducis filius, patri nobilis heres succedens in Alemannia regnare cœpit. Hujus temporibus Ungarorum gens cum innumera multitudine erupit, totamque terram more locustarum operiens ad Lycum usque ad Augustam, cui tunc Deo dignus Ulricus Episcopus præfuit, devenerat. Quibus Rex fide magis quàm armis hortatu Pontificis occurrit, & suos alloquens ac monens, ut modò in patria non cederent, qui sæpius in terra aliena victores extiterunt, illos bello aggressus devicit. Ubi Dux Conradus fortiter pugnans, fraterque S. Udalrici Diepoldus occisi sunt. Reges autem Ungariæ Lælius & Asyt, Principibus id fieri adjudicantibus, suspensi sunt Ratisponæ in patibulis * *Qui in quibusdam Chronicis tres fuisse leguntur: In legenda autem S. Vdalrici Principes appellantur.* Hujus concussionis autor dicitur quidam Comes de Schyra in Bavaria extitisse: quem Ungari tanquam cum qui eos incautè eductos morti exposuisset, occiderunt. In Chronicis de Schyra legitur, quod Comes iste fuerit Wernherus frater Arnoldi Ducis Bavariæ. Causa etiam quæ ipsum ad hoc movit, ibidem exprimitur; quod dum tanquam verus heres Ducatum Bavariæ repeteret, & obtinere non posset, Ungaros (ut supra dictum est) in Bavariam cum exercitu duxit. Iste Wernherus moritur, & lis ista in filium suum Comitem Ekhardum transmittitur. De repetitione itaque hujusmodi Ducatus Bavariæ per Comites de Schyra adhuc postea dicetur.

**deest in al.*

Interea Berengarius quartus, ultimus Imperator Italicus, non sicut Imperator, sed velut tyrannus Italiam gubernabat, & cum crudelitatibus ipsam opprimebat, & etiam Saraceni in multis locis Italiam usurpabant. Tunc Papa Johannnes XII. à beato Petro CXXXI. & Romani & Italici solemnes legatos ad Ottonem Regem Alemannorum destinarunt, & coram Ottone de iniquitatibus ac malè gestis Berengarii & filii sui conqueruntur, Ottonem humiliter supplicantes, quod Imperii gubernacula suscipiat, & quod Italia à Saracenis per eum & Berengarii manibus defendatur. Otto igitur Italiam intrans pro Imperii corona, Berengarium obtinens in conflictu, & ipsum captum, in Bavariam cum conjuge sua in Babenperg misit, ubi & præsentem vitam clausit. Postea Otto Romam pergens honorificè susceptus est, & à Johanne Papa XII. & Romanis triumphabiliter coronatus. Sic itaque tunc Romanum Imperium ab Italicis ad Teutonicos est translatum.

Hic Otto vocatus Magnus, dum in Paschali solemnitate Principibus convivium præparasset, antequam sederent, cujusdam Principis filius more pueri ferculum de mensa accepit: quem Dapifer fuste prostravit. Quod cernens pædagogus pueri, ipsum Dapiferum mox interemit. Quem cum sine audientia Cæsar condemnare vellet, ille Cæsarem ad terram dejecit, & suffocare cœpit. Qui cum de ejus manibus vix erutus fuisset, ipsum conservare jussit, se culpabilem clamans, eò quòd festum non honorasset. Unde ipsum liberum abire permisit.

Hujus

Hujus Ottonis temporibus ſanctus Wenceslaus Dux Bohemiæ invidiâ fratris ſui occiditur. Propter quod ipſe Otto Bohemiam quatuordecim annis impugnans totam devaſtat.

Hic Otto cum multitudinem paganorum ad fidem Chriſti convertiſſet, feliciter eſt defunctus, & in Magdeburg in Eccleſia S. Mauricii, quam ipſe fabricaverat, & maximis poſſeſſionibus ampliaverat, eſt ſepultus.

DE OTTONE SECUNDO.

OTto ſecundus, Ottonis Magni filius, vocatus Ruſus, dum Italici ſæpius pacem violarent, Romam venit, & omnibus proceribus, magnatibus & pontificibus apud gradum Eccleſiæ convivium grande fecit. Deinde de violata pace querimoniam movens, jubet in ſcriptis culpabiles recitari, quos ſtatim decollari ibidem fecit: alios verò gaudenter epulari præcepit. Qui omnes timore coacti lætitiam ſimulabant. Hic Otto Romæ languens moritur, & apud S. Petrum honorificè ſepelitur. *Otto II. Imp.*

DE OTTONE TERTIO.

OTto tertius, Ottonis ſecundi filius, patri in regno Romanorum ſucceſſit. Hujus Ottonis uxor cuidam Comiti ſe proſtituere voluit: ſed cum ille nollet tantum facinus perpetrare, illa indignata Comitem apud Imperatorem adeò infamavit, quod eum Imperator ſine audientia decollari fecerit. Qui antequam decollaretur, rogavit uxorem ſuam, ut judicio candentis ferri poſt mortem eum comprobaret innocentem. Adeſt dies, in quo Cæſar pupillis & viduis ſe aſſerit judicium facturum. Adeſt & vidua, mariti caput ſecum in ſinu ulnis ſuis portans. Tunc quæſivit ab Imperatore. *Qua morte dignus eſſet, qui injuſtè aliquem occidiſſet?* Qui cum privatione capitis eum dignum aſſereret, illa intulit dicens: *Tu es vir ille, qui maritum meum ad ſuggeſtionem uxoris tuæ innocenter occidi mandaſti. Et ut veram me dicere comprobes, hoc candentis ferri judicio comprobabo.* Quod Cæſar videns, obſtupuit, & in manus feminæ ſe dedit puniendum. Interventu tamen Pontificum & procerum inducias decem dierum, deinde octo, tertio, ſeptem, quarto, ſex à vidua accepit. Tunc Imperator cauſa examinata & veritate cognita, uxorem vivam concremavit, & ob redemtionem ſui quatuor caſtra viduæ dedit: quæ caſtra ſunt in Epiſcopatu Lunenſi, & vocantur ab induciis dierum, Decimum, Octavum, Septimum & Sextum. Hi duo poſteriores Ottones tam feroces, tamque mirabiles fuerunt, ut unus, *Pallida mors Saracenorum*, ſeu *Sanguinarius*, alter *Mirabilia Mundi*, dicerentur & eſſent. *Ottho III. Imp.*

Horum temporibus floruit S. Wolfgangus Ratisponenſis Epiſcopus.

DE PRINCIPIO ELECTORUM ROMANI IMPERII.

POſt tres Ottones ſupra memoratos, qui per ſucceſſionem generis regnum Romanorum tenuerunt, Romani unà cum Papa propter perſecutiones ab Ottone ipſis illatas, inſtituerunt, quod non per ſucceſſionem, ſed per electionem Imperii gubernacula eligerentur, & præſertim per Imperii Officiales. Qui ſunt Archiepiſcopi Moguntinenſis, Colonienſis, & Treuerenſis, ſacri Romani Imperii per Germaniam, Italiam, Galliam, & regnum Arelatenſe, archicancellarii; Comes Palatinus Rheni archidapifer, Dux Saxoniæ Archimarſcalcus, Marchio Brandenburgenſis archicamerarius, & Rex Bohemiæ archipincerna. Quod autem de Rege Bohemiæ hic dicitur, per quandam anticipationem reſpectu ſequentium eſt dictum. Habuit enim Bohemia tunc Ducem non Regem. Poſtea namque per longa tempora, Friderico primo regnante, primum Regem cœpit habere. *lib. VI. de ſentent. & re judic. cap. ad Apoſtolicæ. §. illi autem in gl. Johann. Andr. dicit: Dicunt quidam, quod Rex Bohemiæ in electione Regis*

Romanorum de necessitate vocandus non est, nisi cum alii discordant. Nec istud jus habuit ab antiquo, sed hodie de facto tenet, & hoc per Host. de elect. c. Venerabilem. Hæc ille. Legitur in quodam vulgari Chronico, quod Carolus magnus, dum de voluntate & assensu principum Electores Imperii ordinaret, Dux Bavarorum septimus Electorum ab ipso fuerit constitutus.

DE HEINRICO SANCTO, PRIMVM BAVARIÆ DEINDE ROMAN. IMPERATORE.

S. Heinricus Imp. ANno Domini MI. Ottone tertio sine filiis defuncto Heinricus filius Hezilonis, natione Noricus, & Dux Noricorum (id est, Bajoariorum) primus ab Officialibus Imperii seu Principibus Alemanniæ in Regem Romanorum est electus. Hic est Heinricus ille, cujus mentio in prologo opusculi hujus est facta: Qui multis bellis prosperè gestis in Germania, Bohemia, Italia, & Apulia, postremò data sibi à Domino requie, cum esset Christianissimus, Episcopatum nobilissimum Babenpergensem fundavit & locupletavit. Regi quoque Ungarorum Stephano, adhuc gentili, sororem suam Gisilam in uxorem dedit, & tam ipsum Regem quàm totam suam gentem ad fidem Christi convertit. Hunc Stephanum omnes Ungari ut sanctum venerantur, pro eo quod per eum initium fidei acceperunt. Prædicta Gisila legitur fuisse avia S. Elisabeth, Landgraviæ Thuringiæ. Hujus Heinrici uxor fuit S. Kunegundis, & ambo virgines permanserunt, & in Babenpergensi Ecclesia, quam ædificaverunt, requiescunt miraculis coruscando.

S. Stephanus R. Vngar.

S. Kunegundis.

Hic Heinricus cognita sanctitate beatissimi Godohardi inferioris Altaich monachi, & postea Hildesheimensis Episcopi, ejusdemque discipuli Guntheri (quorum secretis consiliis fruebatur) monasterium inferioris Altaich larga munificentia ditavit.

Altach inferius.

Incidens Historiale.

Willigisus.* PRædicti Heinrici Imp. temporibus in Moguntia fuit Archiepiscopus Willikinus, *cujus pater bigas & currus facere solebat. Igitur ad parietes oratorii sui rotas suspendit, ubi causa humilitatis ita scripsit: *Willekis, Willekis,* **gedencke wanne du komen bist. Clavem hujus Cameræ solus Episcopus servabat, unde thesaurum ibi repositum putabatur habere: donec Imperator semel intromissus fuit. Ideoque adhuc in vexillo Moguntino rota aratri est depicta.

DE ERNESTO DVCE ET EIVS FILIO.

ERNESTVS Dux Bavaria. EST historia latinè conscripta, splendore Rhetoricæ eloquentiæ quamplurimùm diffusa, in qua habetur; Quod Ernestus quondam Dux Bavariæ de Adelhayde nobilissima conjuge sua filium æquivoci nominis generavit; Quem quidem filium defuncto patre occiso ab Ungaris apud fluvium Iagst, mater ipsa in Latina & Græca lingua instrui procuravit. Eodem tempore uxor Ottonis primi, qui Romanum regebat Imperium, vita fungitur, & prædicta relicta Ernesti Ducis, eidem Imperatori legitimè sociatur: filius quoque ejus Ernestus, quem de Ernesto genuit, ab Imperatoriæ majestatis gratia loco filii habetur. Cujus prosperitati invidens Heinricus Comes Palatinus, Imperatoris consanguineus, ipsum apud Imp. accusavit, asserens, quod ipsius vitæ mortem, & à regni solio depositionem, omnimodè machinaretur, eo ut ipse regni solio sine regni consorte potiretur. Ernestus hujusmodi delationibus compertis, Heinricum Comitem persequitur; & tandem dum Imperator Spiræ Imperialem curiam celebraret, & cum Heinrico Comite consiliorum mysteria tractaret, ipse Ernestus assumpto Comite Wezelone consanguineo suo, valvas caminatæ improviso camerario temerè reserat, & irruentes evaginatis mucronibus in Comitem Heinricum, ipsum summa aviditate jugularunt. Imperator verò fuga potitus evasit. Ex hinc Imperator

Heinricus Com. Palatin.

Ernestum

Ernestum quamplurimùm impugnat. Quod videns Ernestus, cum quamplurimis militibus & militaribus viris, genere, forma & moribus præclaris, cruce signatur, & ad videndum loca nostræ salvationis, scilicet humanationis, passionis, resurrectionis, & ascensionis Christi est profectus. Exortis autem tempestatibus Ernestus naufragium passus cum paucis evasit, & mirabilibus militaribus actibus in variis terrarum & marium spaciis (ut in prædicta historia habetur) per eum gestis, cum Comie Wezelone, ferens secum monstrosos homines, domum revertitur, & ejus innocentia comprobata Imperatori reconciliatur, dominatorque totius ejus curiæ ordinatur.

DE ERNESTO DUCE, QUI A MÆOTIDIS PALUDIBUS VENIT IN BAVARIAM

LEgitur in Chronicis monasterii in Castello Eystetensis diœcesis, quod tempore Ottonis II. Romanorum Imp. (qui dictus est Rufus) Dux quidam nomine Ernestus à Mæotidis paludibus propter pericula aquarum recedens, ab ipso Ottone Imperatore partem sylvæ in terra Noricorum, ubi nunc est dictum monasterium Castellum fundatum, receperit; Ubi eradicatis arboribus, terram habitabilem fecit. A quo quidem Ernesto plures notabiles Comites in terra Noricorum descenderunt: & præsertim Comites dicti de Castel, de Sulzpach. *Castel.*

DE QUIBUSDAM ROMANORUM IMPERATORIBUS, ET BAVARIÆ PRINCIPIBUS CONTEMPORANEIS. Item, quomodo Comes de Schira repetierit Bavariæ Principatum & terram sanctam recuperaverit.

ANno Domini MXXV. Heinrico Sancto Rom. Imperatore & Duce Bavariæ vita functo, qui sine liberis decessit, Conradus Dux, natione Francus, * consilio ipsius Heinrici, (cujus tamen, dum viveret, gratiam non habebat) ab omnibus in Romanorum Regem est electus. Iste ex matre Adelhayde (prout in Chronicis Godefridi Viterbiensis legitur) de primis Francorum Regibus, qui à Troja venerant, & à S. Remigio fuerant baptizati, originem traxit, & prædecessoris sui Heinrici Imperatoris ducis Bavariæ neptem, quam nolente Imperatore acceperat, uxorem habebat, nomine Gisilam, de genere Karolorum. Quæ Gisila primùm Arnolfo Duci Suevorum nupta fuit, & ex eo geminos peperit, Ernestum & Hermannum, quo mortuo, accepit istum Conradum, cujus nunc est mentio. Ab isto Conrado descenderunt Heinricus tertius, Heinricus quartus, & Heinricus quintus, qui sibi invicem in Romanorum Imperio successerunt; & omnes sepulti sunt Spiræ, secundum versiculum: *al. Suevus.*

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet isthic. *huc Tab. lit. D.*

Horum autem nomina, (ut ad seriem narrationis quam intendo, perveniam) non immeritò hic figuravi. Nam etsi gradus lineæ consanguinitatis eorum, & principum Bavariæ, à quibus Principes nostri temporis descenderunt, non possit haberi, sufficit utrosque de collaterali Karulorum semine descendisse. Stipes enim genealogiæ Karoli magni in Ludovico filio Arnolfi Imperatoris secundum quosdam defecit, de quo supra memoratus Godefridus metricè sic ait:

Vltimus est iste Karulorum sanguine natus:
Attamen à latere germina Karlus habet.

A Tempore autem, quo supra memoratus Conradus cœpit regnare, usque ad Lotharium tertium, qui genere fuit Saxo, & immediatè successit Heintico quinto, fluxerunt anni centum, quibus regnum Romanorum apud Orientales Francos mansit. Quorum temporibus, sicut & sæpius aliis regnantibus, certam successionem Principum in Ducatu Bavariæ habere huc usque non potui, propter quod

varia conscribentes condemnare nolo, sicut nec debeo, imitatus Isidorum Etymol. lib. XV. cap. 1. in his verbis: *Si in Romanæ Vrbis conditione certa ratio non apparet, non mirum, si in aliorum opinionibus dubitatur. Vnde nec historicos, nec commentatores varia dicentes imperiti condemnare debemus, quia antiquitas ipsa creavit errores* Hæc Isidorus Prædictorum igitur Romanorum Imperatorum historias causâ brevitatis hîc pertranseo: nam ad historias Principum Bavariæ hîc intendo.

Igitur post Heinricum Sanctum Romanorum Imperatorem, & Bavariæ Ducem in Babenperg sepultum, quidam Heinricus Ducatum tenuit in Bavaria. Hic fundator exstitit ecclesiæ in Osterhofen Pataviensis diœcesis.

HEINRICVS Dux Bavariæ.

Item, Chuno Dux Noricorum dum fœderatis sibi Ungaris graviter rebellaret, Heinricus tertius Romanorum imperator, anno Domini MLV. ipsum pro perfidiæ suæ culpa expulit. Qui in Pannonia exulans diem clausit extremum.

CHVNO Dux Bavar.

Item anno Domini MLVIII. Agnes Imperatrix mater Heinrici IV. Romanorum Imperatoris, Ducatum Bavariæ suscepit. Hæc divinitùs compuncta, regni gubernacula contemnens, & Bavariæ Ducatum disponens, mirè inserviens humilitati, præsentem vitam in Domino finivit.

Item anno Domini MLXXI. Otto Dux Bavariæ Ducatum amisit. Hic Otto Saxo fuit genere, vir amplissimæ nobilitatis, prudentia rebusque bellicis perpaucis erat comparabilis. Hunc quidam, quem ipse nunquam noverat, nomine Egio, de mediocri loco natus, rebus tenuis, audacia verò & nequitia satis diffamatus, apud Imperatorem accusavit, dicens, quod secum de Regis morte tractasset: Et ob hoc semetipsum (ut moris est) potestati Regiæ obtulit, quousque duello cum Duce confligens, ea quæ dixerat vera comprobaret. Verùm multis placitis & regalibus colloquiis hinc inde habitis, dum Otto cum Egione, utpote Dux cum latrone, primas cum ignobili, congredi contemneret, sua tamen innocentia vel Egionis improbitas minime latuit. Sic Ducatum Bavariæ Otto ut reus majestatis amisit: quem Welfo quidam illustris, ut acer atque bellicosus, natu Suevus accepit. Ex quo præliorum, seditionum, præ-darum, incendiorum, schismatum etiam & hæresium atque motionum lamentabiles miseriæ succreverunt. Hic jam dictus Welfo postea perdens Ducatum Bavariæ, iterum ad Imperatoris gratiam rediit, & denuo factus Dux Bavarorum, uni è duobus filiis suis, ut post se sibi committeretur Ducatus Bavariæ, impetravit.

OTTHO Dux Bavaria.

Egio calumniator.

Welfo Suevus Dux Bavaria.

Legitur in Chronicis de Schyra (quæ huc usque in vulgari ad manus meas pervenerunt) quod Ekhardus Comes de Scheyrn, repetierit Ducatum Bavariæ, & ob hoc Ungaros ter duxerit super regnum Romanorum. Tandem placitis initis Ducatus ei fuit restitutus, sic ut ipse Ekhardus cum potentia suorum in subsidium passagii ad recuperationem sepulchri Dominici deberet proficisci. Dum autem exercitus in Constantinopolim venisset, consultum fuit, ut ordine pedestri in Terram sanctam venirent. Contigit tunc quod prædictus Ekhardus peronatus (id est culponeis, tali genere calceamentorum, quod vulgares vocant ligatum calceum, cum rubeis corrigiis) incederet, & ob hoc exercitui multum notus fuit. Et ubicunque nocte castra metabantur, in signum calceus figebatur, ad quod signum exercitus plurimùm confluebat. Ex quo factum est, ut calceus in vexillo signaretur, sepulchrumque Domini sub hoc signo recuperaretur. Exinde accepit nomen, ut modo vulgari *Hertzog Puntschuch* vocaretur. Et sic ob futuram rei memoriam, quod Jerusalem ordine pedestri fuit recuperata, factum est, ut ipse & posteri sui hoc genus calceamenti in armis ferre deberent. Ego puto hanc recuperationem Terræ sanctæ fuisse factam sub Heinrico quarto, præsidente Urbano Papa, hujus nominis secundo, quando Godefridus Dux Lotharingiæ cepit Jerusalem: de quo habentur Versus:

Ekhardus Comes.

Rundschuch

Anno milleno centeno, sed minus uno,
Virginis à partu, peperit quæ gaudia mundi,
Vrbem tunc Franci capiunt virtute potenti.

VVelfo Dux Bavariæ.

Tunc temporis etiam Welfo Dux Bavariæ Hierosolymitanum iter arripiens, in Cypro de hac vita decessit. Cujus ossa deinde sublata ad Altorfense monasterium translata,

translata, ibidem repoſita ſunt: Socii verò peregrinationis & laboris ejus vel interfecti, vel vivi machinante perfidiſſimo Imperatore Græcorum Alexio, Saracenis traditi ſunt. Inter quos Tiemo Saltzburgenſis epiſcopus, qui primùm fuit inferioris Altaich monachus, comprehenſus exquiſitis ſuppliciis martyrio eſt coronatus. Hic Welfo fundator exſtitit locorum Steyngaden, Altorf (quod nunc Wyngatten vocatur) Altemynſter, & Reytenbuch.

Fuit his ferè temporibus quidam Dux Bavariæ in caſtro Amertal reſidens, nomine Otto in Caſtello ſepultus. Hic Otto inter alias filias quas habuit Sophiam deſponſavit Comiti in Andechs, de quo genuit Perchtoldum Comitem, qui fuit pater ſancti Ottonis Babenpergenſis Epiſcopi & Fridericum, qui in Amertal ſedit, & multa beneficia monaſterio in Caſtellano faciens, ibidem eſt ſepultus. *OTTO Dux.*

DE BAVARIÆ DUCIBUS SUB LOTHARII IMP. TEMPORE.

ANno Domini MCXXVII. Lotharius Dux Saxoniæ immediatè in regno Romanorum ſucceſſit Heinrico quinto. Hujus Lotharii gener fuit Heinricus Dux Bavariæ, cognomento Superbus, qui habuit fratrem nomine Welfonem. Idem Dux Heinricus habuit etiam filium æquivoci nominis, dictum Heinricum. De quorum Ducum hiſtoriis ſtatim pòſt patebit in geſtis Conradi Romanorum Regis, & fratrum ſuorum. *HEINRICVS & WELFO Ducci.*

DE GENEALOGIA CONRADI REGIS ROMANORUM, ET FRATRUM SUORUM DUCUM BAVARIÆ.

huc Tab. lit. E.

FRidericus Comes ex nobiliſſimis Sueviæ Comitibus originem trahens in caſtro Stauphe reſidens (ſicut in Chronicis Ottonis Epiſcopi Friſingenſis legitur) ab Imp. Heinrico in ordine Imperatorum tertio, Regum verò quarto, Dux Saxoniæ remoto Bertolfo de novo creatus, de Agnete filia ejusdem Heinrici reliquit filios duos, Conradum duodecim annorum, poſtea Regem Romanorum, & Fridericum XV. annorum. Hic Fridericus, quod natu major erat, patri in Ducatum ſucceſſit. Poſtea prædicta Agnes à fratre ſuo Heinrico Imp. prædicti Heinrici Imp. filio, Leopoldo Orientali Marchioni data eſt in uxorem: de quo genuit filios duos, ſcilicet Leopoldum & Heinricum Duces Bavariæ, prout in ſequentibus planius patebit.

Hic Fridericus dux Suevorum, Frater Conradi Regis Romanorum natus ex clariſſimo genere Karolorum, ſororem Heinrici & Welfonis Ducum Bavariæ duxit uxorem, ex qua genuit Fridericum primum hujus nominis, qui poſt Conradum ſupra dictum apud Franckenfurt electus ſuſcepit Romanorum Imperium. Fridericus ipſe Imperator genuit Heinricum ſextum & Philippum, qui Philippus defuncto Heinrico in diſſenſione principum cum Ottone quarto de Brunſvvic in Romanorum Regem eſt electus. De hoc habetur *ext. de elect. venerabilem.* Henricus ſextus genuit Fridericum ſecundum, Romanorum Imperatorem, qui ſine gladio Jeruſalem recuperavit: genuitque filios duos, ſcilicet Heinricum & Conradum: Heinricum fecit Regem Romanorum, quem poſtea in carcere mori fecit. Quo defuncto Conradus ejus frater in Regem eligitur: qui Eliſabetham Ottonis Ducis Bavariæ filiam duxit uxorem, quam vocabant Reginam Hieruſalem. Hic Conradus genuit Conradinum, de quo habetur, *lib. 6. de elect. fundamenta.* In quo genus hoc Karulorum defecit.

DE

DE PRIMA ELECTIONE CONRADI REGIS ROMANORUM.

IGitur redeundo ad hiſtorias Conradi Regis Romanorum, de quo hic principalis eſt intentio, quas etiam clarius ſcribere delectat, eò quòd monaſterio noſtro plurimum beneſecit, eſt ſciendum, quod defuncto Heinrico quinto, quatuor regni optimates à principibus ad regnum denominantur, ſcilicet, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum, Luipoldus Marchio Orientalis ſive Auſtriæ, & Karolus Dux Flandriæ. Tandem Lotharius Dux Saxonum renitens valdè & reclamans ad regnum trahitur, ſub præſentia Legati Apoſtolicæ ſedis. Porrò Conradus frater Friderici Ducis Suevorum ab ipſo Friderico Duce Suevorum ac aliis quibusdam Rex creatus, à Mediolanenſibus honorificè ſuscipitur, & ab eorum Archiepiſcopo Anſhelmo Modoyci, * ſede Italici regni, in Regem ungitur: pro quo idem Archiepiſcopus à Papa deponitur, & alius ei ſubrogatur. Conradus autem qui Mediolani Rex conſtitutus fuerat, penè omnibus ſuis amiſſis periculosè jam repatriaverat; & ecce Lotharius Rex plus mente quàm milite confidentiam gerens, ad Vrbem uſque progreditur, vocatus ab Innocentio ſecundo. Hic itaque ab eodem Pontifice cum nomine Imperatoris & Auguſti in Eccleſia Conſtantiana coronatur. Eccleſiam enim B. Petri, ubi mos erat Imperatoribus coronari, Petrus Petrileonis Anacletus vocatus occupaverat. Hunc enim Rogerius Siculus violentia amicorum ſuorum, qui fortiſſimi in Vrbe erant, ſedi Apoſtolicæ intruſerat. Imperator autem ab Vrbe rediens in Germania curiam generalem in Babenperg celebrans, Conradum & Fridericum Duces, interventu Bernhardi Clarevallenſis abbatis, in gratiam recepit. De hoc habetur *de elect. venerabilem.*

* *Mutetia.*

DE SECVNDA ELECTIONE CONRADI REGIS ROMAN. ET REBELLIONE HEINRICI DUCIS ROMANORUM.

DEfuncto igitur Lothario Imp. quidam Principes timentes, ne fortè in generali curia Heinricus Dux Bavariæ, qui tunc præcipui nominis & dignitatis erat, per potentiam prævaleret, habito conſilio apud Confluentiam oppidum conventum celebrant & præſente Theodevvino Portuenſi epiſcopo Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato, ac totius Romani populi urbiumque Italiæ aſſenſum promittente, Conradum Heinrici V. Rom. Imp. conſobrinum eligentes, Regem creant. Qui ſtatim Aquiſgrani in ſede Karoli à Principibus conſtitutus, ab eodem legato eſt coronatus. Saxones tamen & Heinricus Dux Bavariæ, qui electioni non interfuerant, tunc in eum non conſenſerunt. Aſſerebant enim eum non Regem legitimum, ſed per ſubreptionem creatum. Rex igitur eis omnibus in Pentecoſte curiam generalem præfigit in Babenperg: ad quam venientes ſimul cum Imperatore vidua Lotharii, in gratiam & pacem Regis ſunt recepti. Heinricus verò Dux Bajoariorum, qui cognominabatur Superbus, ſolus ex principibus aberat, apud quem inſignia regalia contumaciter adhuc detinebantur. Erat enim gener defuncti Imperatoris Lotharii, & ex hoc tenens regalia, ad regnum, quantum poterat, adſpirabat. Huic ad hæc reddenda in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli dies Ratisponæ præfigitur; quo veniens regalia, id eſt, crucem, lauream, & coronam reddidit, gratiam autem Regis non impetravit.

De eo quod propter occupationem Apuliæ princeps Capuanus adiit Conradum Regem Romanorum. Interea Reynoldus, quem Lotharius Imp. in Apulia & Sicilia Ducem fecerat, moritur. Videns hoc Rogerius, qui terras easdem antè occupaverat, quod fic duce orbatæ erant, nec rebellabant, easdem iterum occupat & Regem Apuliæ & Siciliæ ſe præcipit appellari. Princeps autem Rubertus Capuanus cum omnibus Comitibus expulſus ad Regem Conradum ſeceſſit. Rex benignè omnes ſuſcepit, & longo

longo tempore in Alemannia secum detinuit. Sed in Apuliam transire non potuit, quod gravis eum Imperii necessitas impedivit.

Verùm hic sub silentio non prætereundum, quod in dando Ducatum Apuliæ & Siciliæ Reynoldo præfato inter Lotharium Imperatorem & Papam controversia orta fuit, utroque Ducatum Apuliæ sui juris fore affirmante. Quæ lis tandem hoc modo decisa dicitur, ut in dando Duci vexillum uterque manum adhiberet. *Siciliæ regni controversium.*

Igitur Innocentius Papa secundus, vir magnanimus, cum populo Romano contra Rogerium collecto exercitu Apuliam ingreditur, ubi incautè conductus in loco qui vocatur Gallazii, à Rogerio capitur: eoque cum reverentia coacto, Rogerius nomen & auctoritatem Regiam cum Apostolica benedictione tam in Sicilia quàm in Apulia, sicut voluit, plenè impetravit, nullum præter Conradum Regem habens obstaculum. Papa autem Conrado se opponens, ne ad Imperium ascenderet, néve manu potenti regnum Siciliæ recuperaret, stipendiavit Heinricum Superbum generum Lotharii Cæsaris, & fratrem suum Welfonem Duces Bavariæ, ut vexarent fortiter Conradum Regem in Alemannia, ne se posset ad partes Italiæ vel Siciliæ aptare. Misit ergo Papa & Rogerius invasor Siciliæ magnum exercitum Italicorum, Gallorum & Siculorum ad pugnandum contra Conradum Regem. Welfo igitur Dux ad bellandum se præparat. Heinricus enim frater ejus propter senectutem bellare non potuit. At Fridericus Dux Sueviæ è contra ex parte Conradi: & habito prælio juxta Cœnobium Nernsheim ordinis S. Benedicti, diœceseos Angustensis, in provincia Rhetiæ, Fridericus interfectis multis de exercitu Welfonis gloriosam obtinuit victoriam. Welfo autem cum paucis vix effugit. Qui secundariò se contra Fridericum ad præliandum prope Winsperg, juxta villam Herbipolensis diœceseos, quæ vocatur Elnhofen, præparavit, ubi Welfo interfectus fuit & cum eo multi de exercitu, paucis per fugam evadentibus. Clamor verò exhortationis ad resistendum & fortiter pugnandum, in exercitu Welfonis fuit talis: *Hye VVelff.* Unde Fridericus ad confusionem Welfonis præcepit clamari in exercitu suo, *Hye Giebelingen.* Est autem Gibeling villa Augustensis diœceseos, sita in montibus dictis *Auff dem Hertfeld*, infra castrum dictum Hochburg, & oppidum Neresheim; In qua villa nutrix ipsum Fridericum infantulum lactaverat; quasi per hoc volens significare, quòd non regali potentia, vel per Ducatum Sueviæ Welfonem vellet debellare, sed lacte nutricis suæ, id est, auxilio & potentia rusticali, sicut & fecit. Italici autem, Gallici, Lombardi, & Siculi non intelligentes quid esset *Hye VVelff*, & quid, *Hye Gibelingen*, quæsiverunt sibi exponi. Quibus declaratum fuit, quod Papales significarentur per Welff, & Imperiales per Giebelingen. Unde usque adhuc per orbem totum ab illo eventu Papæ adhærentes vocantur Guelfi, & Imperio adhærentes vocantur Gibelini. *Elnhofen.* *Guelfi, Gibelini*

HEINRICUS DUX BAVARIÆ PROSCRIBITUR, ET DUCATUS IPSIUS LEUPOLDO MARCHIONI ORIENTALI CONFERTUR.

DUm Heinricus Dux Bavariæ multis modis homo primùm animosus & elatus, sed nutu Dei humiliatus misericordiam peteret nec impetraret; tandem judicio Principum apud Herbipolin proscribitur; & Conradus Rex ablato ei Ducatu, Leopoldo Marchioni Austriæ, fratri suo ex parte matris, eundem contulit Ducatum: Ex tunc multis malis provincia nostra subjacuit. Leopoldus igitur Marchio suscepto Ducatu Noricorum cum omnibus penè Baronibus ad eum pertinentibus, tam terrore quam amore sibi junctis, totam Bavariam pertransiens, juxta Lycum fluvium contra Augustam per triduum negotia terræ pertractans, strenui judicis officium exercuit. Heinricum quoque, uxorem ejus, & liberos auxilio Regis fugavit & depauperavit, quæ peditando in Saxoniam venerunt ad filium Lotharii Ducem Saxoniæ: qui ipsis necessaria victus ministravit. Ibique Heinricus ipse, relinquens, *LEUPOLDUS Marchio & Dux.*

filium nomine Heinricum, moritur, & juxta socerum suum Lotharium sepelitur. Iste Leopoldus Dux Bavariæ apud Ratisponam infirmatus in territorio Patavienſi obiit, & in monasterium S. Crucis deportatus, quod pater suus Leupoldus Marchio fundaverat, plurimumque ditaverat, sepultus est ibidem.

DUCATUS BAVARIÆ HEINRICO MARCHIONI A CONRADO REGE CONFERTUR.

DEfuncto Leopoldo Duce Bavariæ, Conradus Rex Saxoniam ingreſſus, viduam Ducis Heinrici, Lotharii Imperatoris filiam fratri ſuo Heinrico Marchioni in uxorem dedit, & pacem cum Saxonibus fecit. Eidemque Marchioni Noricum Ducatum conceſſit. Hic Heinricus primus Dux Auſtriæ (ut poſtea dicetur) in Metenſi monaſterio Ratisponenſis dioeceſis monachos inſtituit, & clericos, qui ibi erant, in Munſter locavit.

INTER SEDEM APOSTOLICAM, ET CONRADUM REGEM, PER S. BERNHARDUM PAX REFORMATUR.

EO tempore Turci Jeruſalem, & totam terram ſanctam obtinuerunt: unde Papa timore compulſus Bernhardum Abbatem Clarevallenſem pro reformanda pace inter Sedem Apoſtolicam, & Regem Conradum miſit in Alemanniam. Quæ reconciliatio facta eſt in Spira, & in Franckenfurt Sigillis Principum roborata.

HEINRICUS CONRADI REGIS FILIUS IN ROMANORUM REGEM CREATUR.

IN generali Curia, quam Rex Conradus tunc Franckenfurdiæ celebravit, ipſum filium ſuum nomine Heinricum adhuc puerum per electionem Principum Regem conſtituit, jubens eum eſſe regni participem; Qui non diu ſupervixit. Hunc Heinricum Conradus genuit de Getrude uxore ſua, filia Comitis Perngeri de Sultzbach, qui fundator exſtitit monaſteriorum in Caſtello & Perchtesgadem. Et ipſa Gertrudis in Caſtello eſt ſepulta.

HEINRICUS HEINRICI FILIUS REPETIT DUCATUM NORICORUM.

AD prædictam Curiam Franckfordiæ celebratam Heinricus Heinrici Superbi (de quo ſupra dictum eſt) Noricorum quondam Ducis filius, qui jam adoleverat, venit, Ducatum Noricum, quem patri ſuo non juſtè abjudicatum aſſerebat, jure hereditario repoſcens. Quem Rex ingeniosè ad ſuum reditum de Hieroſolymitano paſſagio ſuſpendit.

CONRADUS REX A S. BERNHARDO CRUCE SIGNATUR.

Paſſagium. CONradus igitur Rex à S. Bernhardo apud Franckenfurt cum multis Principibus Cruce ſignatis, de Lotharingia, Flandria, & Anglia, fortiſſimis pugnatoribus adunatis Iconium venit, ubi Ludovicus Rex Franciæ per Ungariam venit ad eum. Sed Græci calcem farinæ miſcentes magnum fecerunt exercitui detrimentum. Tandem ad terram ſanctam pervenientes, multa bella glorioſe geſſerunt, & recuperantes Jeruſalem, ordinato ibidem Rege Baldevino, in patriam ſuam proſperè ſunt reverſi.

Refert

Refert Otto Frisingensis Episcopus frater uterinus Conradi Regis (cujus hic est mentio) in Chronica * sua, quod Conradus Rex Romanorum cum ingenti honore tunc susceptus in Jerusalem, cum Rege illius terræ & patriarcha, & militibus templi & aliis disposuit ad expugnationem Damasci exercitum ducere. Sed quem proventum hæc Damascena expeditio fuerit sortita, scribere ibidem omittit. Subinfert tamen, quod de hac Damascena expeditione nonnulli ex pusillis Ecclesiæ fratribus scandalizati mirabantur, & mirando scandalizabantur, de labore tantæ expeditionis, quod tam bono & arduo inchoata principio, utpote per sanctum illum Bernhardum abbatem spiritu DEI ad excitandos populos afflatum, tam humilem & non bonum exitum acceperit. Quibus idem Otto cum descriptione & distinctione Boni ibidem pulcherrime respondet. Hic Conradus Rex licet XV annis regnaverit, tamen Imperialem benedictionem non habuit. Hic rogatus à Papa, ut Romam veniat, cum se ad hoc disponeret, infirmitate captus obiit, & in Bamberg est sepultus.

* lib. 1. c. 60.

DUX HEINRICUS REMOVETUR A DUCATU BAVARIÆ, ET FIT PRIMUS DUX AUSTRIÆ DUCATUS AUTEM BAVARIÆ HEINRICO DUCI SAXONIÆ A FRIDERICO IMP. CONFERTUR.

COnrado igitur Rege vita functo Fridericus, Friderici Ducis Suevorum fratris ipsius Conradi Regis filius, regnare cœpit. Hic Fridericus Imp. Heinrico Duci Saxoniæ, filio illius Henrici Ducis Bavariæ à Conrado antecessore suo (ut ex prædictis habetur) ejecti à Bavaria, consilio & rogatu Principum, Ducatum paternum restituit Noricorum, & Heinricum patruum suum Marchionem Austriæ tunc Ducem Bavariæ ab eodem Ducatu removit. Et quod ejusdem Marchionis magna nobilitas, & multa exigebat honestas, ut nomen Ducis non perderet, & ut Duces Bavariæ minus deinceps contra Imperium superbire valerent; Imperator de voluntate & consensu Principum anno Domini MCLVI. in curia Ratisponæ in nativitate S. Mariæ habita, Marchionatum Austriæ à jurisdictione Ducis Bavariæ exemit; & quosdam ei Comitatus de Bavaria adjungens, convertit in Ducatum: judiciariam potestatem, principi Austriæ ab Anaso usque ad silvam prope Pataviam quæ dicitur Rotensal * protendendo. Sic igitur ille Heinricus factus est primus Dux Austriæ. Huc usque namque quatuor Marchiones, Austriæ, Stiriæ, Istriæ, & Chambensis (qui dicebatur de Vohburg) evocati ad celebrationem curiæ Ducis Bavariæ veniebant; sicut hodie Comites & nobiles ipsius terræ facere tenentur.

* al. Rosenthal.

COPIA LITTERARUM FRIDERICI IMP. QUOD MARCHIONATUM AUSTRIÆ CONVERTIT IN DUCATUM DUX AUSTRIÆ HEINRICUS BAVARORUM FIT PRIMUS.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fridericus divina favente clementia, Romanorum Imperator, Augustus. Quanquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere, vel ea quæ legaliter geruntur, nulla valeant refragatione convelli; ne qua tamen possit esse gestæ rei dubietas, nostra debet Imperatoria auctoritas præcavere. Noverit igitur omnium Christi imperiique nostri fidelium præsens ætas, & succedura posteritas, qualiter nos ejus cooperante gratia, à quo cœlitus in terram pax est missa hominibus, in curia generali Ratisponæ in nativitate S. Mariæ celebrata, in præsentia multorum religiosorum & catholicorum Principum, litem & controversiam, quæ inter dilectissimum patruum nostrum Heinricum Ducem Austriæ, & carissimum nepotem nostrum Heinricum Ducem Saxoniæ diu agitata fuit de Ducatu Bavariæ, hoc modo terminavimus, quod Dux Austriæ

nobis resignavit Ducatum Bavariæ, quem statim in beneficium concessimus Duci Saxoniæ. Dux autem Bavariæ resignavit nobis Marchiam Austriæ cum omni jure suo,& cum omnibus beneficiis, quæ quondam Marchio Leupoldus habebat à Ducatu Bavariæ. Ne autem in hoc facto minui videatur honor & gloria dilectissimi patrui nostri, de consilio & judicio Principum, Vladislao illustri Duce Bohemiæ sententiam promulgante, & omnibus Principibus approbantibus, Marchiam Austriæ in Ducarum commutavimus, & eundem Ducatum cum omni jure præfato patruo nostro Heinrico,& præ nobilissimæ uxori suæ Theodoræ, in beneficium concessimus, perpetuali jure sancientes, ut ipsi & liberi eorum post eos, indifferenter filii & filiæ, eundem Ducatum Austriæ hæreditario jure à Regno teneant & possideant. Si autem prædictus Dux Austriæ patruus noster,& uxor ejus absque liberis decesserint; libertatem habeant eundem Ducatum offerendi cuicunque voluerint. Statuimus quoque,ut nulla magna vel parva persona in ejusdem Ducatus regimine,sine Ducum consensu vel permissione, aliquam justitiam præsumat exercere. Dux vero Austriæ de Ducatu suo aliud servitium non debet Imperio,nisi quod ad Curias,quas Imperator præfixerit in Bavaria,evocatus veniat: nullam quoque expeditionem debeat, nisi forte quam Imperator in regna vel provincias Austriæ vicinas ordinaverit. Cæterum ut hæc nostra Imperialis institutio omni ævo rata & inconvulsa permaneat,præsentem inde paginam conscribi,& sigilli nostri impressione insigniri jussimus, adhibitis testibus idoneis,quorum nomina sunt hæc: Pilgrinus Aquilegiensis Patriarcha, Eberhardus Archiepiscopus Saltzburgensis, Otto Episcopus Frisingensis, Cunradus Episcopus Pataviensis, Eberhardus Episcopus Babenpergensis, Hartmannus Episcopus Brixinensis,Hartwicus Ratisponensis & Tritendiensis, Dominus Welffo Dux, Conradus frater Imperatoris Friderici filius Regis Conradi, Hermannus Dux Carinthiæ, Marchio Engelbertus de Istria, Marchio Albertus de Padera, Diepoldus,Heinricus Comes Palatinus Rheni,Otto Comes Palatinus,& frater ejus Fridericus,& alij quam plures. Signum Domini Friderici Romani Imperatoris. Ego Arnoldus vice Arnoldi Maguntinensis Archiepiscopi & archicancellarii recognovi. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore in Christo. Datum Ratisponæ XV. Kal. Octo-
1156. bris, Indictione quarta,anno Domini incarnationis MCLVI. Anno regni ejus quinto, Imperii secundo. Amen.

1176. Anno Domini MCLXXVI. Ducatus Bohemiæ mutatur in regnum per Fridericum Imp. & Ladislaus Dux Bohemorum Rex constituitur.

1178. Anno Domini MCLXXVIII. Vilsa fluvius in Ensdorff,III Kal. Februarij siccum iter præbuit.

DE PURCKHAUSEN ET DACHAW.

1164. ANnô Domini MCLXIV. Gebhardus de Purkhausen obiit. Ex tunc Duces Bavariæ castrum Purckhausen possederunt. Tunc temporis Conradus Croatiæ atque Dalmatiæ Dux, natione Noricus de Castro Dachaw oriundus, apud Pergamum finem vivendi fecit,ejusque corpus in terram suam deportatum in monasterio Schyren est sepultum. Cujus liberalitas,& in multis probata periculis animi magnitudo meruit,ut subtractus ex hac luce, memoria illius longo tempore apud posteros non deleatur.

DE HEINRICO, QUI A DUCATU BAVARIÆ ET SAXONIÆ EST DEPOSITUS.

HEinricus Dux Bavariæ & Saxoniæ à primis cunabulis pâtre & matre orbatus,ubi primum adolevit,pollens viribus,decora facie, multo maximè ingenio validus, non se luxui neque inertiæ dedit corrumpendum: sed cum omnes gloriâ anteiret, omni-

omnibusque charus esset, quo minus appetebat gloriam, eo magis illam assequebatur: in omnibus gloriosis plurimum facere, & minimum ipse de se loqui solebat. Recepto autem ab Imperatore (ut supra dictum est) Ducatu Bavariæ, ubi naturam & mores hominum cognovit, multa cura multoque consilio, in tantam claritudinem brevi pervenerat tempore, ut treuga per totam Bavariam firmata, bonis vehementer carus, malis maximo terrori esset, adeo ut absentem velut præsentem timendo, leges pacis * quas fanxerat nemo sine pœna capitis infringere auderet. Hic cum primum tantus esset, in fine tamen variatis rebus, indignationem Imperatoris incurrit, ut ad generalem curiam citatus, dum non compareret, proscriberetur; annoque Domini MCLXXX. ab eodem Imperatore, Friderico hujus nominis primo, ab utroque principatu Saxoniæ & Bavariæ removeretur; Causam tanti facti non legi, nisi quam in quodam vulgari Chronico scriptam reperi, scilicet; Heinricus Dux Saxoniæ & Bavariæ magnam multitudinem militaris exercitus ad auxilium Friderici Imperatoris in Italiam duxit. Imperator autem Heinrico Duci obviam veniens petit ab eo, ut modo pacatis rebus ipse cum suis domum revertatur. Quem dum Heinricus Dux in hoc non audiret; ipse Imperator flexis genibus, ut ab hac expeditione quiesceret, petivit. Quod videns unus de officialibus Ducis, dixit ad eum: *Ecce Domine, coronam Imperij prope pedes habetis, sollicitus ergò sitis, ut eâdem caput à modo coronetis.* Hujus verbi notam Dux Heinricus, quam diu vixit, nunquam potuit apud Imperatorem postmodum abrogare.

* Land. fried.

1180.

AD COMITES DE SCHIRA REDIIT BAVARIÆ PRINCIPATUS.

FRiderico I. Romanorum Imperatore regnante, Otto Comes de Schira de genere Karulorum (prout ex præcedentibus habetur) anno Domini MCLXXX. Dux Bavariæ constituitur, frater autem ejus nomine Bernhardus (sicut in Chronicis de Schira habetur) Dux Saxoniæ ordinatur. Hic est Otto vir magnanimus, à quo principes Bavariæ nostri temporis scilicet cum numeratur MCCCCXXVIII. descenderunt. Qui quidem Otto cum Agnete conjunge sua principals auctor exstitit, ut castrum Schyren nuncupatum, in monasterium mutaretur. In quo cum fratre suo Bernhardo prænominato sepultus requiescit, relinquens filium nomine Ludovicum.

Schyren fit monasteriũ.

DE FUNDATIONE QUORUNDAM OPPIDORUM, ET LUDOVICO DUCE BAVARIÆ A SICARIO OCCISO.

huc Tab. lit. F.

ANno Domini MCCIV. Landshuta constructur MCCVIII. Straubinga nova construitur. MCCX. Castrum Abbach Dux Ludovicus ædificat. Item ab eodem castrum in Lantzhut construitur. MCCXXIV. Landavv construitur. Item Ludovicus filius Ottonis Ducis Bavariæ, Comitis Palatini de Schira Ludmillam filiam Regis Poloniæ, relictam Alberti Comitis de Pogen duxit uxorem, de qua Ottonem Ducem inclytum Bavariæ generavit. Hæc Ludmilla de viro suo primo Alberto Comite in Pogen genuit filios duos, Bertoldum & Albertum, qui cum vicinis suis omnibus, Episcopis, Comitibus & Liberis discordabant, & prædis & incendiis terram quamplurimum vastabant. Hæc Ludmilla fundatrix monasterii in Seldenthal exstitit; in quo sepulta corporaliter requiescit.

Landshut. Straubingẽ. Abach. Landavv.

Seldenthal.

Item cum sub Honorio III. Friderico I. Romanorum Imperatore regnante multi in subsidium terræ sanctæ cruce signarentur, Ludovicus Dux Bavariæ, & Leupoldus Dux Austriæ etiam mare transierunt.

Item Anno Domini MCCXXXI. idem Ludovicus Dux Bavariæ de sero in Chelhaym à quodam ignoto sicario, præsente sua familia occiditur; quem in Chro-

1231.

nicis de Schira Fridericus Imperator legitur disposuisse. Hic Ludovicus in Schiren sepelitur,& ejus exequiæ diu dilatæ, tandem solennissimè peraguntur, præsentibus pluribus Pontificibus,Prælatis Principibus Comitibus,& populi multitudine copiosa. Eodem die Otto filius ejus eidem monasterio Schiren magnificos reditus est largitus.

1241. MCCXLI. Albertus Comes ultimus in Pogen est defunctus.
Pogen Com.

DE OTTONE COMITE PALATINO RHENI ET DUCE BAVARIÆ, ET FILIUS EIUS, QUI DIVIDUNT TERRAS.

OTto filius Ludovici Ducis Bavariæ supra memorati filiam Heinrici Comitis Palatini Rheni duxit uxorem,& principatum ejus obtinens,Haydelberg & omnia ipsius hereditariè possedit.

His temporibus Fridericus secundus Romanorum Imp.filiam Regis Arragoniæ duxit uxorem, & non longè pòst etiam terram sanctam sibi subjecit, faciens filium suum nomine Conradum Regem Jerusalem. Hic Conradus Elizabeth filiam Ottonis Ducis Bavariæ (cujus hìc est mentio) duxit uxorem, & vocabatur Regina Jerusalem. Otto iste Dux Bavariæ,Palatinus Rheni,in principio regiminis sui, Judex severus, & Princeps mansuetus: postea propter favorem quem impendere videbatur Friderico quondam Imperatori & Conrado filio ejus, ab Innocentio IV. & Episcopis jam diu & sæpe excommunicatus,persequi cœpit clerum; & malis mala addens in vigilia S.An-
1255. dreæ Apostoli, anno Domini MCCLV. cum in sero cum uxore & familiaribus suis valde jucundus fuisset,præsentem vitam subitaneâ morte finivit.

Eodem anno Ludovicus & Heinricus filij jam dicti Ottonis, tunc mortui dividunt terras: Ludovico qui fuit natu major, cessit in partem Bavaria superior cum Comitatu Palatino Rheni,& civitate Monaco; Heinrico verò Bavaria inferior, cum civitate Lantzhut.

DE LUDOVICO COMITE PALATINO RHENI, FILIO OTTONIS DUCIS BAVARIÆ.

LUdovicus Comes Palatinus Rheni, filius Ottonis Ducis Bavariæ duxit uxorem Mariam Ducissam Brabantiæ, quam in Werde Suevico decapitari jussit. Miserat enim ipsa binas literas, unas Duci, qui tunc in partibus Rheni erat; alteras Heinrico Comiti Hirsuto,quæ etiam ex errore marito præsentatæ fuerant. Qua sine liberis defuncta, Ludovicus Dux alteram uxorem Annam filiam Ducis Poloniæ, ex qua genuit filiam Agnetem,& Ludovicum egregiæ indolis virum. Mortua domina Anna, glorioſissimus Rex Romanorum Rudolfus filiam suam Mechtildem sibi tradidit in uxorem, ex qua genuit Rudolphum & Ludovicum Ducem juniorem,qui postea regnum Romanorum est adeptus. Hic Ludovicus, cujus hìc principalis est mentio,
Fridberg. prope Augustam castrum Fridburg ædificavit. Item pro emenda occisæ uxoris, ab-
Furstenfeld batiam in Furstenfeld fundavit, ubi sepultus corporaliter requiescit. Idem Ludovicus montem oppositum monti Ratisponæ,qui Geyersperg dicitur,invitis civibus
Landskron. incastellavit,ac ipsum castrum Landesskron appellavit.

Anno Domini MCCLXXXII.dominus Albertus de Hallis,sua virtute & strenuitate meruit à Rudolfo Romanorum Rege, honore & nomine Comitis insigniti.

LUDOVICUS DUX INTERIT HASTILUDIO.

1289. ANno Domini MCCLXXXIX. Ludovicus bonæ indolis filius Ludovici Ducis Bavariæ, cum hastiludio Nurnbergæ intenderet, lancea cujusdam Baronis de Hohenloch tactus gutture occubuit.

HEINRI-

HEINRICUS DUX BAVARIÆ FILIAM FRATRIS S. ELIZABETH DUXIT IN UXOREM.

HEinricus Dux Bavariæ, filius Ottonis Comitis Palatini Rheni, & Ducis Bavariæ, duxit in uxorem Elizabeth filiam Belæ Regis Ungariæ, qui fuit frater S. Elizabeth.

Idem Heinricus anno Domini MCCXC. bono fine apud Purchauſen obiit, relinquens filios tres: Ottonem poſtea Regem Ungariæ, Ludovicum & Stephanum. 1620.

Item eisdem temporibus Comes de Mosburg moritur, & Comitatus ad Duces Bavariæ devolvitur. *Mosburg Comitatus.*

Anno Domini MCCXCIV. Ludovicus Dux Bavariæ eſt defunctus, & in Furſtenfeld ſepultus: Relinquens duos filios, ſcilicet Rudolphum, qui ei ſucceſſit in regimen principatus, & Ludovicum poſtea Romanorum Imperatorem. Hujus autem temporibus ruſtici & vulgares audientes Sacramentum corporis Dominici per Judæos Chriſtianorum inimicos circa partes Franconiæ Orientalis in ſuis latibulis profanari, uno animo & eadem inſpiratione moti per ſe, nulloi nducente aut compellente, undiq; conveniunt, & primo in parvis oppidis, deinde Herbipoli, Nurenberg, Rotenburgk, & uſque in Amberg civitatem Bavariæ, ipſos Judæos, in caſtris & ædificiis munitiſſimis cæde & incendio interire cogunt. Rex autem Albertus corona recepta necem Judæorum in pauperes ruſticos atque cives fortiter ac duriter vindicavit, eos humiliando, & res ac bona eorum diripiendo. Et Judæos alios collocans in civitates, de quibus exterminati fuerant priores.

OTTO DUX BAVARIÆ IN REGEM UNGARIÆ VOCATUR.

ANno Domini MCCCIX. * mortuo Rege Ungariæ ſine heredibus, Otto Dux Bavariæ filius Heinrici, vir ſtrenuus & bellicoſus, nepos ex matre Belæ Regis Ungariæ, à Baronibus Ungarorum in Ungariam eſt vocatus, ut tanquam vicinior ipſius regni heres, in Regem coronatus Ungariam poſſideret. Cum igitur cum forti & nobili Bavarorum militia metas Ungariæ attigiſſet, occurrentes Ungari gloriosè eum exceperunt, conſulentes ei, ut Bavarica militia ad propria remiſſa, ſecurè eorum ſe fidei commendaret. Quo facto, Budam metropolitanam civitatem ab Ungaris eſt deductus, & ibidem gloriosè coronatus, multipliciter eſt honoratus. Cum autem citeriores Ungariæ partes disponeret perluſtrare, quidam Ladislaus Wayvoda de præpotentibus Ungariæ eum captivavit, & diu in cuſtodia tentum dimittere noiuit, niſi filiam ſuam reciperet in uxorem. Quo renuente tandem cujusdam miniſtri auxilio de captivitate clam evaſit, & remotioribus partibus ſive terris, videlicet Ruſſia & Pruſſia, more garcionis ſive luſoris transcurſis, venit Uratislaviam: Ubi cognitus & proditus rurſum eſt à Duce Poloniæ captivatus. Cujus filia * in uxorem recepta honorificè in Bavariam eſt reverſus. *al. v. 1309. *Agnete.*

OTTO REX UNGARORUM MORITUR, ET IN VILLA GAMELSDORF, PER LUDOVICUM DUCEM BAVARIÆ GLORIOSE IN PRÆLIO TRIUMPHATUR.

ANno Domini MCCCXII. obiit Otto Rex Ungariæ & Dux Bavariæ inferioris; relinquens filium ferè tredecim dierum dictum Heinricum: qui poſtea à caſtro, in quo nutritus fuerat, vocabatur princeps de Naternberg. Dum autem prædictus Otto conſideraret ſe in proprio moriturum, commiſit filium ſuum Heinricum prædictum, & fratris ſui Stephani defuncti pueros, Heinricum & Ottonem (quorum primus erat 1312.

mus erat circa octo annos, secundus circa quatuor vel quinque) civibus seu civitatibus Lantzhut & Straubing, contestans eos juramento publico & fideli, ut prædictos pueros & principatum eorum nulli alii committerent, quàm patruo suo Ludovico, tunc Principi in superiori Bavaria, & post ROMANORUM IMPERATORI: Quod & fecerunt, non tamen sine maxima discordia & disturbio principatus: Nam ferè omnes ministeriales, milites & castellati, nitebantur prædictos pueros unà cum Principatu Ducibus Austriæ commendare. Hac igitur de causa per totum principatum non potuit pacificus angulus reperiri, donec Barones, nec non omnes nobiles inferioris Bavariæ cum auxilio Ducum Austriæ, collecto copioso exercitu, tanquam à se dominum Ludovicum essent excussuri.

Anno Domini MCCCXIII. in die S. Theodori publicum & forte bellum prope villam Gamelstorf commiserunt, ubi pluribus occisis Dux Ludovicus victoriam obtinens, nobiliores omnes captivavit, & suo Dominio subjugavit.

LUDOVICUS DUX BAVARIÆ IN REGEM ROMANORUM ELECTUS, DE FRIDERICO DUCE AUSTRIÆ IN PRATO die Vechwiß/BELLO GLORIOSUS TRIUMPHAVIT.

1315. ANno Dom. MCCCXV. defuncto Heinrico Romanorum Imperatore Comite de Lutzelburg, Electores in die S. Lucæ in duo se diviserunt: una pars elegit Ludovicum de Bavaria, altera elegit Fridericum de Austria. Propter hoc facta est inter
1322. eos dissensio magna, quæ non potuit sedari: quousq; anno Domini MCCCXXII. in vigilia S. Michaëlis inter Muldorf & Otting in prato, quod vulgo dicitur die Vechwiß, forti bello commisso, Ludovicus Fridericum memoratum Ducem Austriæ captivavit, & glorioſissimè triumphavit.

In alio exemplari hæc res copiosius descripta exstat, in hunc modum:

ANno Domini MCCCXXII. Fridericus Dux Austriæ fratrem suum Heinricum secum habens cum copioso exercitu venit in Bavariam, potenter eam incendio cæde & rapinis opprimere volens. Cui Ludovicus Dux Bavariæ cum paucis virilitet inter Muldorff & Otting occurrit: & ibidem prope villam Amphing in prato, quod vulgò die Vechwiß dicitur, in vigilia S. Michaëlis forti bello commisso Ludovicus de Friderico gloriosè triumphavit. Nam pluribus Australibus interfectis, & maximè de Ungaris & Paganis, ipse Fridericus & frater ejus Heinricus cum aliis de exercitu suo circiter MCCC. est captus, & in castrum, cui Dravvnits nomen, ductus est. Ubi advertendum, quod Ludovicus Imp. quendam vicedominum habuit, Weigel vulgò nuncupatum: qui quamvis non esset nobilis genere, ob virtutem tamen animi erectus, & in actibus militaribus nulli secundus est habitus. Fuit namque in rebus bellicis, prout eventuum se qualitas obtulit, vir valde strenuus & famosus. Hic ædificavit castrum, cui nomen Dravvnits imposuit, quod à civitate Napurg circiter unum milliare distat. Huic vicedomino Fridericus Dux tanquàm captivus commissus fuit: atque ab ipso Ludovico Romanorum Rege primùm in Ratisponam deductus in domum cujusdam civis Gumprecht an der Haidt dicti: eò quod idem Gumpertus ipsi Imperatori ex tunc ut se terramque suam defenderet, magnam pecuniarum summam muraverat. Deinde Dux Fridericus à dicto vicedomino eductus, cum ad castrum Dravvsnits appropinquaret, dixit: Quod nomen est hujus castri? Vicedominus respondit, Dravvsnits. Ad quod Dux: Es heist billich Draws nichts. Wann ich sein nicht entrawt hette / daß ich in solcher maß solt her gefürt werden. Dum igitur aliquandiu in hoc castro esset captivus, plurimas insidias hostis antiqui pertulit, qui eum de vinculis nitebatur liberare; agente hoc (ut dicebatur) uxore sua per incantationes. Propter quod ferè cruces in fenestris omnibus præfati castri (prout hodierna die apparent) sunt factæ.

Tandem

Tandem inter præfatos Principes concordia & pace firmata, Ludovicus ſine omni pecuniarum exactione more liberalis principis ipſum Fridericum priſtinæ reddidit libertati: nihil aliud quàm regni Romanorum ab eo & ſuis ſucceſſoribus Auſtriæ Ducibus, quotiescunque aliquis Ducum Bavariæ in electione regni Romanorum eſſet, ipſi Auſtriæ Duces de electione cedere deberent, recipiens ſuper hoc in literis abrenunciationem. Legitur, quod in ſignum & robur tantæ amicitiæ inter eos contractæ ſimul & corporis & ſanguinis Domini ſacramentum ſumſerunt.

Ipſe autem Fridericus in Auſtriam reverſus promiſſionis præfatæ immemor, ſe Regem Romanorum, ſicut antea fecerat, nominabat & ſcribebat. Unde etiam poſt aliquot annos à pediculis eſt devoratus.

Item eodem anno, quo electus eſt Ludovicus IV. Rom. Imp. tanta erat fames, ut ſcafa ſiliginis V. libris, & LV. denariis Ratisponenſibus ſolveretur. Verſus:

Ut lateat nullum tempus famis, ecce CVCVLLVM *

MCCCXV.

DISSENSIO INTER PRINCIPES INFERIORIS BAVARIÆ ORITVR, ET TERRA INTER EOS DIVIDITVR RATISPONÆ.

ANno Domini MCCCXXXI. facta eſt magna diſſenſio inter Principes Bavariæ inferioris, videlicet Heinricum ſeniorem, qui habebat uxorem filiam Regis Bohemiæ, ex una parte; & inter Ottonem fratrem ejus, & Heinricum juniorem patruum eorum, ex parte altera. Imperator igitur Ludovicus, cujus auxilium juniores Principes invocaverant, & Johannes Rex Bohemiæ ſocer ſenioris Heinrici Principis, venerunt cum multis Principibus & Comitibus Ratisponam, ut prædictos Principes ad concordiam reducerent atque pacem. Sed cum multis viis attentatis nihil viderent ſe proficere, duritia Principum contendentium obſiſtente, tandem ſecundum beneplacitum conſenſerunt, ut principatus inter eos divideretur: quod & factum eſt. In eadem autem diviſione, ceſſit Heinrico ſeniori Lantzhut, Straubing, Scharding, Pfarkirchen, & plura his adjacentia; fratri autem Ottoni ceſſit Puckhauſen, Otting, Trauſtain, Hall, & plurima adjacentia uſque in Saltzburg & ad montana. Porro Heinrico juniori patruo prædictorum ceſſit Dingelfing, Landavv, Vilshofen, Teckendorff, Cham, Pogen, Kelham, & plura adjacentia. Facta eſt autem hæc terræ diviſio anno præſcripto circa Feſtum Bartholomæi Apoſtoli. 1331.

ITERUM INTER PRINCIPES INFERIORIS BAVARIÆ LIS ORITVR, ET STRAVBING AB IMPERATORE OBSIDETVR.

ANno Domini MCCCXXXII. in die Cinerum cœpit Heinricus ſenior Dux Bavariæ fratrem ſuum Ottonem, & patruum Heinricum, cottidianis præliis, incendiis, & rapinis impugnare: qui ſe defendendo ſeu vindicando totam ex utraque parte terram, à die Cinerum uſque ad Feſtum Johannis Baptiſtæ, nulla inter eos pace habita miſerabiliter devaſtaverunt. Juniores igitur videntes ſe non poſſe reſiſtere ſeniori, Imperatoris Ludovici tam fortiter auxilium implorabant, quod cum forti exercitu Bavariam intravit, & Straubingam civitatem ſenioris Heinrici potenter circumdedit & obſedit. Quanta autem tunc mala Eccleſias & pauperes opprimebant, ſcribere nemo poteſt: cum non ſolùm exercitus Imperatoris, ſed etiam ipſarum partium civitates & urbes ſibi invicem contiguæ, ſtudebant alterutrum rapinis & incendiis ſe vaſtare. Quamvis autem Imperator nullam civitati vim inferre potuerit, manſit tamen in obſidione perſonaliter circa octo ſeptimanas, nemine eum impugnante. & diutius permanſiſſet, & ſevetius laboraſſet, ſi Rex Bohemiæ Johannes non veniſſet, & tam Imperatorem cum Principe Heinrico, quàm Principes inter ſe non concordaſſet amicabiliter & ſapienter. 1332.

OBITUS DUCUM BAVARIÆ INFERIORIS.

1333. ANno Dom. MCCCXXXIII. obiit Dux Heinricus junior. MCCCXXXV. obiit
1335. Dux Otto. MCCCXXXIX. obiit Dux Heinricus senior, qui dictus est Probus.
1339. Reliquit autem filium nomine Johannem, qui filiam Ludovici habens desponsatam parvo post mortem patris tempore vixit; quo mortuo, Imperator prædictus ejus possedit principatum.

RUDOLPHUS COMES PALATINUS RHENI ET DUX BAVARIÆ IN EXILIO MORITVR; ET INTER FILIOS EIVS ET LVDOICVM IMP. FIT DIVISIO TERRARVM.

RUdolphus Comes Palatinus Rheni, Electorque Romani Imperii, dum frater suus Ludovicus Dux Bavariæ in Romanorum Regem eligeretur, ipse elegit Ducem Austriæ, cujus superius in hoc opusculo mentio est facta. Accidit igitur, ut ipse Luovicus factus Romanorum Imperator, contra eundem Rudolphum fratrem suum tantum invalesceret quod eum de omnibus bonis suis, scilicet Comitatu Rheni & Ducatu Bavariæ, manu forti depelleret; sicut fertur, quod ipse Rudolphus exul in partibus Moraviæ apud socerum suum moreretur. Iste Rudolphus ex Mechtilde filia Adolphi Regis Romanorum reliquit filios tres, Rudolphum, Rupertum, & Adolphum. Rudolphus unicam filiam habuit, quæ Regi Bohemorum data est in uxorem. Rupertus verò, vulgò Rufus vocatus, eo quod rufam barbam haberet, decessit sine liberis. Adolphus autem genuit Rupertum. Iste Rupertus (vulgò Adolphus nuncupatus) ex filia Regis Siciliæ genuit Rupertum vulgò Chlem nuncupatum postea Romanorum Regem. Igitur Ludovicus Romanorum Imperator videns elegantiam puerorum fratris sui Rudolfi in exilio defuncti, fertur dixisse: *Pater istorum puerorum peccavit in me, & non filij. Nunquid filij portabunt iniquitatem patris? Absit.* Divisitque terras, Rhenum, Bavariam, Sueviam & Austriam, dans optionem pueris fratris sui defuncti, ut acciperent partem quam vellent. Qui acceperunt Rhenum, cum aliquibus Comitatibus Bavariæ, scilicet Amberg, Napurg, & cæteris. Et hæc divisio facta est Paviæ anno Domini MCCCXXIX. feria VI. ante festum S. Oswaldi. In hac divisione (prout in literis desuper confectis habetur) signanter est adjectum; *Quod primam electionem Romanorum Regis debent habere prædicti Principes à Rudolpho descendentes, alteram verò Principes à Ludovico Imperatore manantes: & hæc alternatio inter ipsos & eorum heredes debet perpetuis temporibus durare. Quicunque vero in hoc jure alterum præsumpserit impedire, perpetuo se noverit jus electionis unà cum suis hæredibus perdidisse.*

Pactum de electione.

huc Tab. lit. G. & H.

QUOMODO ACCIDERIT, QUOD LUDOVICUS IMP. INDIGNATIONEM APOSTOLICI INCVRRERIT.

CAusa discordiæ inter Johannem Papam XXII. & Ludovicum Imperatorem in quadam Chronica legitur hoc modo accidisse. Domino Ludovico in Regem Romanorum confirmato, nihil ei defuit in omnibus quæ ad virum sapientem & regni gubernatorem pertinebat, nisi quod linguam Latinam minimè intellexit: ex quo inter alia quæ ei evenerunt, indignationem Papæ incurrit, quæ sumsit initium hoc modo. Habuit enim quendam Cancellarium, qui vocabatur Magister Ulricus Hangenor de Augusta, cui sigillum suum & omnia scribenda & expedienda commendavit. Hic de quodam crimine enormi & infami apud Regem est accusatus à quibusdam præpotentibus, quibus ipse Rex justitiæ complementum non potuit commodè

Virieus Hagenor Cancellar. Imp.

modè denegare. Quapropter Rex partibus se interposuit, & per quendam placita ad hoc perduxit, quod prædictus Magister Ulricus deberet se cum quinquaginta prælatis expurgare de objectis. Quod dum factum in Nurnberg fuisset, idem Ulricus officio Cancellariæ est restitutus. Eodem tempore Ludovicus Rex Romanorum festinabat pro gratia sedis Apostolicæ impetranda solennes ad curiam mittere nuncios, unà cum literis voluntariam obedientiam & omnem subjectionem continentibus; ex quo prædictus Cancellarius occasione malignandi inventa, ut supra scriptam suam infamiam facilè vindicaret, literas Apostolico dirigendas vitiavit falsa pro veris scribendo, dominum Papam *Bestiam à mari ascendentem* vocitando, & plura similia ad similitudinem illius, qui quondam Petrus de Vineis vocabatur, ponendo. Quo Papa provocatus, vel potiùs deceptus, contra ipsum Regem excommunicationis sententias promulgavit, & contra eum Reges & Principes instigat. Tantarum autem discordiarum seminator tam occultè & dolosè & tam diu semen suarum malitiarum inter mundi capita seminavit, quousque Rege à Roma (ubi nomen Imperatoriæ dignitatis, à Papa, quem ipse erexerat, obtinuit) in Teutonicam reverso, malitiam suam, Dei gratia ordinante, in mortis articulo Imperatori personaliter est confessus; & quod fecerit & procuraverit in vindictam, pro eo quod criminatores suos (quorum superius mentio est facta) non statim occidit, sed eos ad judicium venire permisit, in suæ confusionis augmentum. Quantum autem Imperator gemuerit, fleverit ac doluerit super his, scribere nemo potest. Veruntamen cognito à medicis, quod in quinque vel tribus diebus esset sine dubio moriturus, dixit: *Quamvis ipse nequam omnis esset genere tormentorum puniendus; ejus tamen, qui eum percussit, judicio vel misericordiæ eum volumus relinquere judicandum.*

LUDOVICUS IMPERATOR OB DEFECTUM SUMPTUUM ROMÆ CONSTERNATUS, CONSOLATUS CONSILIO PROMITTIT SE IN TERRA SUA COENOBIUM FUNDATURUM.

LUdovicus Imperator anno Dom. MCCCXXVII. Romæ accepta Imperiali benedictione, dum post splendidos ac magnos sumptus fiscus Imperialis deficeret, suis etiam magnatibus ratione sumptuum in obsides datis, dum quadam die nimium anxiaretur, & solus in Ecclesia existens tractaret, quomodo ad propriam terram Bavariam posset reverti; quidam Monachus canicie venerandus sibi astitit, dicens; *Ludovice, si assentiri velles consilio meo, ego tibi darem consilium, mediante quo finem tuis curis imponeres.* Qui respondit dicens: *Quod ejus consilio libenter acquiesceret, dum modo Deum per hoc graviter non offenderet.* Ad quod Monachus; *Per hoc Deus, & mater ejus Maria plurimùm honoratur.* Et Imperator; *Quomodo?* Respondit Monachus: *habes in terra tua locum dictum Ampherang, in quo ad honorem Dei & gloriosæ virginis Mariæ monasterium ædificabis.* Ad quod Imperator: *Locum hunc ignoro, & nunquam ejus nomen audivi.* Ad quod Monachus dixit Imperatori: *Quidam Dominus Italicus ad te veniet, petens à te libertatem sui, & suæ terræ, qui tibi tantam dabit pecuniam, quantam postulabis, qua habita, domum poteris reverti.* Hoc audito Imperator seriosiùs promittit monasterium hoc se esse fundaturum. Tunc Monachus dedit Imperatori imaginem virginis Mariæ factam de alabastro, & continuò disparuit, & nusquam ultra potuit reperiri. Accidit, ut quidam dominus (sicut dixerat Monachus) veniret, & libertatem postularet. Imperator autem secundum consilium magnatum suorum, centum millia florenorum postulabat. Quæ Dominus iste libenter dabat, insuper Imperatrici L. millia florenorum propinavit, & ad Cancellarium duo millia florenorum. Ex hinc dicitur ortum proverbium: *Quod centum millia florenorum maxima sit summa, quam sciat Bavarus, sive Teutonicus postulare.* Imperatore igitur ad terram suam reverso, locus Ampherang in quadam densa sylva, ubi à vespillonibus plurima homicidia fiebant, à venatore monstratur, & monasterium ordinis S. Benedicti (prout Imperator voverat) fundatur,

1372.

Amferang.

Proverbium.

fundatur, & nomen Etal Cœnobio imponitur. In quo adhuc imago virginis gloriosæ (cujus superius mentio est facta) monstratur.

DE OBITU LUDOVICI ROMANORUM IMPERATORIS.

1348. ANno Domini MCCCXLVII. in die S. Gereonis Ludovicus Imperator obiit, sepultus in Ecclesia S. Mariæ quæ est in Monaco. Dicitur quod dum ipse Ludovicus Imperator esset in venatione, quædam Ducissa Austriæ, soror dominæ in Athesi (quæ vulgò propter deformitatem *Maultasch* vocabatur, & etiam quod se contemni videbat, id fieri procuravit) sibi potum in flascone porrexit, & dum ille bibere resperet, illa prior bibit. Quod videns Imperator, & ignorans quod calliditate quadam geminus potus in eodem flascone sibi offeretur, confidenter bibens, lethale virus suscepit: & mox corruens de equo, in gremio cujusdam rustici in sylva prope Furstenfeld est defunctus. Ipsa verò Ducissa ab Imperatore, statim ut bibit, præmonita fugiens evasit.

Margareta Maultasch

Furstenfeld

FILII LUDOVICI IMP. DIVIDUNT TERRAS.

1349. DEfuncto Ludovico Imperatore, filii sui faciunt divisionem terrarum anno Dom. MCCCXLIX. Dominica infra nativitatem S. Mariæ in Landsberg, hoc modo: Ludovicus Marchio Brandeburgensis natu senior, Ludovicus dictus Romanus, (eò quod Romæ sit natus) & Dux Otto junior possederunt superiorem Bavariam cum omnibus attinentiis: Dux verò Stephanus, Wilhelmus, & Albertus possederunt inferiorem Bavariam. Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, & Frisconiam, cum suis attinentiis.

DUX DE DECK OCCIDITUR.

ANno Domini MCCCXLVIII. Conradus de Deckh in Domo sua, quæ est MONACI, per Schvveykerum de Gundolfing est occisus.

DIVISIO TERRARUM.

1353. ANnò Domini MCCCLIII. in die S. Osvvaldi Ratisponæ Ludovicus Marchio Brandeburgensis, Rupertus senior Comes Palatinus Rheni, & Johannes Burggravius Nurnbergensis, tanquam arbitratores faciunt divisionem terrarum Stephani, Alberti, & Wilhelmi filiorum Ludovici Imperatoris.

NATERNBERG OBSIDETUR.

1357. ANno Domini MCCCLVII. circa mediam Quadragesimam, Albertus Dux Bavariæ & Gubernator Holandiæ filius Ludovici Imperatoris quendam militem suum dictum Petrum de Eckh, qui sapienia sua eum adhuc puerulum in ejusdem terræ possessionem venire totis viribus procuravit, & quasi filium & dominum enutrivit, cum adjutorio fratris sui Ducis Stephani in castro Naternberg obsedit. Parentes igitur præfati militis Karolum Imperatorem Bohemiæque Regem adeuntes, ipsum precibus & muneribus vicerunt, sic quod cum exercitu Bohemorum venit in Stauf, & transiens ibidem per pontem Danubium, ad septem dies illic pausam fecit, donec plures milites & ministeriales Principum Bavariæ fuerunt muneribus corrupti: postea versus Naternberg, ad spatium medii miliaris juxta exercitum Bavarorum castra metatus est. Cum autem Bavarorum Princeps fortiorem haberet militiam, & se jam pugnaturum speraret, hi qui corrupti erant, partes suas interponere cœperunt: sic quod prædictus obsessus miles, castro Principi assignato, in persona & rebus securus esset; donec de objectis

Naternberg.

jectis & objiciendis coram Imperatore & aliis Principibus reſponderet. Quod tamen non eſt factum: quia miles prædictus tantam in obſidione paſſus fuerat penuriam, quod tempus modicum ſupervixit.

Poſtea idem Dux Albertus caſtrum Hilckersberg obſedit, & potenter obtinuit. *Hilkerberg.*

Item iisdem temporibus caſtrum in Straubing, ab eodem Duce Alberto conſtruitur.

DE DUCE MEINHARDO, ET QUOD MULDORF OBSIDETUR.

LUdovicus Dux ſenior, qui Marchio vocabatur, filius Ludovici Imperatoris, vir largus & bellicoſus, reliquit filium unum cui nomen Meinhardus erat. Hic Meinhardus fuit Comes Tirolis, & quia juvenis erat, quidam Barones, & milites, & Liberi de Abinsperg, & Liber quidam etiam dictus de Lapide miniſterialis, nec non alii de ſuperiori Bavaria, eundem Dominum Meinhardum, contra voluntatem patruorum ſuorum aliquo tempore gubernant & regunt, donec Dux Stephanus de Lantzhut & filius ſuus Stephanus, tanquam defenſuri caſtrum Werd (quod in opprobrium jam dicti Stephani Ducis prædictus Meinhardus cum adjutorio Ducis Friderici juvenis filii Stephani Ducis memorati, & prænominatorum Baronum & militum auxilio obſederat) cum exercitu prope Geyſenfeld venerunt. Quapropter Meinhardus & Fridericus Princeps in fugam uſque in Nurnberg trans pontem Danubium convertebantur. Epiſcopus autem Eiſtetenſis nomine Berchtoldus, volens clam prædictum Meinhardum educere, venit in Voburg: ſed à villanis ibidem detenti, in Ingolſtat ſunt deducti. Per placita igitur fuit deductum, quod idem Meinhardus de cætero Monaci morari deberet, & regi ſecundum conſilium patruorum ſuorum. Qui poſt breve tempus occultè receſſit ad montana, & Tirolis moriebatur ſine liberis. Uxor vero ipſius, ſoror Rudolphi Ducis Auſtriæ, unà cum matre ejusdem Meinhardi, præfatam terram prædicto Duci Auſtriæ ſubjugarunt; propter quod grandis inter Duces Bavar. & Auſtriæ lis & guerra eſt exorta. *Werd.* *Geiſenfeld.*

Anno igitur incarnationis Chriſti MCCCLXIV. eadem de cauſa Dux Stephanus cum duobus filiis ſuis præfatis, & cum exercitu fratris ſui Alberti, obſedit Muldorf, in opprobrium Epiſcopi Saltzburgenſis, qui Duci Auſtriæ adhærebat. Sed prædictus Rudolphus Dux Auſtriæ volens prædictum oppidum defendere, venit cum exercitu magno uſque in Ried. Principes igitur Bavariæ viriliter ſperantes ſe pugnaturos, occurrere illi feſtinabant. Interea Duces Auſtriæ cum unum caſtrum modicum expugnaſſent, & audirent Principes ab obſidione Muldorf receſſiſſe, dixerunt: *Sufficit nobis, quod uno caſtro expugnato, civitate ab obſidione liberata, noſtrum obtinuimus & perfecimus propoſitum & intentum.* Sicque Bavaris non expectatis in Auſtriam ſunt reverſi. Quo prædicti Principes audito, & ipſi ad propria redierunt, Muldorf amplius non impugnantes. 1364. *Ried.*

DE FUNDATIONE CLAUSTRI IN STRAUBING.

ANno Dom. MCCCLXVII. de aſſenſu Ducis Alberti filii Ludovici Imperatoris, Albertus Stainhauf civis & præpoſitus dominorum Auguſtenſis Eccleſiæ in Straubing in area ſua dictæ civitatis in Straubing cœpit fundare monaſterium fratrum Carmelitarum. 1367.

QUOMODO QUÆDAM OPPIDA IN TERRA BAVARIÆ IN MANUS REGIS BOHEMORUM PERVENERUNT, ET ITERUM AD PRINCIPES BAVARIÆ REDIERUNT.

TEmpore Karoli Regis Bohemorum, qui Ludovico IV. in regno Romanorum ſucceſſit, Rupertus (qui & Adolphus eſt vocatus) Dux Bavariæ, in Saxoniam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

duxit exercitum, ubi habito campestri bello bis una die triumphavit, tertia verò vice eadem die iterum cum hostibus congressus succubuit, captivatusque ipse Rupertus à Duce Saxoniæ ab ejus captivitate multo tempore non potuit liberari. Tandem verò memoratus Dux Bavariæ Regi Bohemiæ à duce Saxoniæ captivatus resignatur, pro cujus redemptione variis tractatibus habitis, tandem hoc modo liberatur. Rex Bohemiæ filiam Rudolfi, qui fuit frater Adolphi patris supra memorati Ruperti, duxit in uxorem, & ipse Rupertus libertate donatur, & tam pro dotalitio contractu matrimonii, quàm pro redemptione sæpè memorati Ruperti, civitates quædam in Bavaria secus sylvam Bohemorum sitæ, regno Bohemiæ adjiciuntur.

1373. Posthæc anno Domini MCCCLXXIII. Marchionatus Brandeburgensis à Ducibus Bavariæ prædicto Karolo Imperatori Regi Bohemiæ pro ducentis millibus florenorum venditur, ubi centum millia florenorum in promptu persolvuntur; pro altero verò centenario mille florenorum, quædam oppida sive castra quæ modo prius tacto subjecta erant Regi Bohemiæ, iterum Ducibus Bavariæ cum conditione redemtionis subjiciuntur, scilicet Lauf, Herspruck, Reicheneck, Sultzbach, Rosenberg, Hirschavv, & cætera. Quædam verò apud regnum Bohemiæ manserunt, ut Pernavv, & cætera. Quousque Rupertus, vulgò Hertzog Chlem nuncupatus, regnum Romanorum suscepit, qui contra Wenzeslaum Regem Bohemiæ, depositum à regno Romanorum, cum potentia Bohemiam intravit; & ibidem facto magno incendio, quicquid erat in terra Bavariæ secus sylvam, & ad dictum regnum pertinebat, iterum Principibus Bavariæ subjecit.

1375. Anno MCCCLXXV. in die S. Georgii obijt Leupoldus ultimus Comes de Hals,
Hals. com. in Osterhofen sepultus.

DE OTTONE FILIO LUDOVICI IMP.

ANno MCCCLXXIX. obijt Otto Marchio Brandeburgensis, filius Ludovici Imp. in Saldenthal sepultus. Hic Otto, sicut & duo è fratribus suis, scilicet Wilhelmus qui tenuit Holandiam, & fuit ex intoxicatione furibundus; & Ludovicus dictus Romanus, decessit sine liberis.

DE COMMUNI LITE PRINCIPUM ET IMPERIALIVM CIVITATVM.

1379. REgnante Wenceslao Romanorum & Bohemiæ Rege, cum respublica multis incommodis quam plurimùm turbaretur, Principes & civitates Romani Imperii per Alemanniam, necnon Pilgrinus Archiepiscopus Saltzburgensis & civitas Ratisponа de assensu Wenceslai Regis præfati, propter pacis inimicos (sicut quidam senex mihi retulit) alterutrum confœderantur. Dum autem invasores Reipublicæ per hujusmodi ligam sive confœderationem graviter arctarentur, succedentibus sibi invicem malis, Wenceslaus Rex civitates defendere seu juvare dissimulat, Pilgrinus Ar-
Raytenhaslach. chiepiscopus Saltzburgensis in monasterio Raytenhaslach in treugis captivatur, generalis guerra inter Principes & civitates Romani Imperii per Teutoniam concitatur. Rupertus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, qui & postea Rex Romanorum,
Stauff. in monte oppositio civitati Ratisponensi contra ipsam castra metatur. Deinde castrum
1388. Stauf, ab eodem Ruperto, & aliis Ducibus Bavariæ, anno Domini MCCCLXXXVIII. obsidetur, sed non expugnatur. Fitque eodem anno in die S. Bricci, à quibusdam de militibus Principum & Ratisponensibus, in campo ante portam S. Jacobi, prope montem dictum *Burgerperck* conflictus, ubi à Ratisponensibus triumphatur. Post hæc communis guerra per placita est sopita.

DE

DE ANNO JUBILÆO MONACI, ET DIVISIONE TERRARVM; ET FILIIS DVCIS STEPHANI FILII LVDOVICI IMPERATORIS.

BOnifacius Papa IX. inclinatus precibus dilectorum filiorum ſuorum, nobilium virorum, Stephani, Friderici, & Johannis fratrum, Ducum Bavariæ, more pii patris authoritate Apoſtolica indulſit, ut anno Domini MCCCXCII. gratia anni Jubilæi à Dominica tertia Quadrageſimæ, uſque ad octavam S. Jacobi Apoſtolici eſſet in oppido Monacenſi, diœceſis Friſingenſis. 1391.

Eodem anno MCCCXCII. feria tertia ante feſtum S. Catharinæ, Monaci facta eſt diviſio terrarum, inter Stephanum, Fridericum, & Johannem fratres, hoc modo: Johannes poſſedit in ſuperiori Bavaria Monacum cum ſuis attinentiis; Stephanus in ſuperiori Bavaria poſſedit Ingolſtat, Ratemberg, cum ſuis attinentiis; Fridericus verò terram in inferiori Bavaria, ſcilicet Lanzhut cum ſuis attinentiis poſſedit. Hìc animadvertendum, quod prædicti tres Principes ſcilicet Stephanus, Fridericus, & Johannes, fuerunt Filii Ducis Stephani, qui tenuit Lantzhut, Filii Ludovici Imperatoris: & duo ex eis, ſcilicet Stephanus & Fridericus, duxerunt in uxores duas ſorores, filias Domini Mediolanenſis, quem Wenceslaus Rex Romanorum creavit in Ducem. 1392.

Stephanus genuit Ludovicum poſſidentem principatum Ingolſtat, in Straubing verò curiam ſuam jam tenentem, ad cujus inſtantiam hæc fuit collecta Chronica; & dominam Elizabeth Karoli Regis Franciæ Reginam uxorem; Habuit etiam filium cui nomen Johannes, qui XXVI. annis Ratiſponenſis Eccleſiæ Epiſcopus fuit.

Fridericus verò genuit Heinricum, jam in Lantzhut principatum tenentem, & duas filias, ſcilicet Magdalenam & Elizabeth Fridericus Burggravius in Nurnberg duxit in uxorem, quem Sigismundus Romanorum Ungariæ, Bohemiæque Rex tempore Conſtantienſis Concilii (quod celebrari cœpit anno Domini MCCCCXIV. & tribus annis continuis duravit) in Marchionem Brandeburgenſem creavit.

Johannes autem frater prædictorum Principum Bavariæ duxit uxorem de Goricia, ex qua genuit Erneſtum & Wilhelmum jam tenentes principatum in Monaco & dominam Sophiam uxorem Wenceslai Romanorum & Bohemiæ Regis.

STRAUBING MEDIA A FULMINE ACCENSA EXVRITVR.

ANno Domini MCCCXCIII. in die S. Viti, media pars oppidi Straubing à fulmine accenſa periit. De quo verſus: 1393.

M. ter centeno, dabit I. ter, nonaque geno
Viti profeſto Straubing perit igne moleſto.

Tunc factum eſt miraculum ſub ſilentio non transeundum. Fuit in civitate eadem civis quidam ætate venerandus (& ego vidi) nomine Jordanus Ulrici. Hic in domum ſuam magnam prope turrim in medio civitatis verſus Auſtrum tegulis ligneis tectam, dum civitas incendio flagraret, poſuit imaginem S. Petri Apoſtoli, quem ſemper in magna reverentia habebat: commendansque domum ſuam Apoſtolorum principi, reliquit in ea imaginem, & ipſe abiit ad bibendum medonem & factum eſt, dum in illa tota media parte civitatis propter incendium nihil remaneret, hæc ſola domus in medio ignis illæſa permanſit.

DE

DE PASSAGIO CONTRA PAGANOS.

1394. ANnò Dom. MCCCXCIV. Johannes Dux Burgundiæ, maritus filiæ ſororis Alberti qui tunc tenuit Ducatum in Straubing, venit cum multitudine magna per Bavariam contra paganos: quem ſequebantur multi de noſtratibus, inter quos præcipuus erat Dux Rupertus, * filius Ruperti poſtea Regis Romanorum. Et cum veniſſent ultra Ungariam ad civitatem, quæ Nicopolis (vulgariter *Schiltorn*) nominatur; ex negligentia & discordia noſtrorum prædictus Dux Johannes captivatur, cæteri verò aut ſubmerguntur, aut occiduntur, aut fugantur. E quibus prædictus Dux Bavariæ Rupertus cum magna penuria revertitur, & ſtatim pòſt moritur, & Ambergæ ſepelitur in Eccleſia S. Martini. De captivis multi capitis detruncatione necantur. Dux verò reſervatur, & paulò pòſt à captivitate ſolutus in Burgundiam revertitur, & multis annis poſtea dominatur: poſtremo tamen à Delphino occiditur. Cauſam autem internecionis hujus magni exercitus Chriſtianorum, quidam dicebant, eſſe peccatum Francorum, propter lubricam & inordinatam ipſorum vitam, cum terras noſtras pretransirent. Alii dicebant, eſſe animoſitatem ipſorum, eoque in acie belli ſe Ungaris præferebant. Alii dicebant, eſſe ob fugam ipſorum Ungarorum, cum Sigismundo Rege ipſorum. Hic tamen fertur dixiſſe: Ungaros in acie belli conſtituite, quod ſi non feceritis, de juvamine ipſorum certos vos reddere non valeo. Quid autem horum interfuerit, novit ipſe quem latere nihil poteſt. Sed & hoc notum eſt, quod ſola cruce Chriſto duce unus fugat millia.

* *Pipan dictus.*

DE RUPERTO DUCE BAVARORUM, ELECTO IN REGEM ROMANORUM.

1400. ANno Domini MCCCC. Wenceslao Rege Bohemorum per quosdam electores depoſito à regno Romanorum, Rupertus vulgò Chlem nuncupatus, Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ in Regem eligitur Romanorum: licet Imperialem benedictionem non fuit adeptus. Fuit tamen in rebus bellicis ſtrenuus & in defenſione oppreſſorum ſollicitus. Hic cum exercitu magno intravit Italiam pro Imperiali benedictione Romæ accipienda: per Ducem Mediolanenſem cum magno detrimento ſuorum ad propria eſt reverſus. Hujus temporibus damnatis in Piſano concilio Gregorio XII. & Benedicto XIII. & electo Alexandro V. Rupertus Rex Romanorum ad diverſos Principes & loca ſcripſit, afferens concilium Piſanum non legitimè celebratum, & non pro concilio generali tenendum. Quapropter, ſicut hactenus ipſe fuerat, ſub obedientia Gregorii conſtanter vellet manere, donec de ipſo Gregorio legitimè ac canonicè ſit decretum.

1410. Hic Rupertus anno Domini MCCCCX. in propoſito ſuo contra concilium Piſanum, in obedientia Gregorii Papæ XII. in Oppenhaim moritur, & Haydelbergæ ad S. Spiritum ſepelitur.

Sequenti anno mortua eſt conthoralis ſua Elizabeth Regina, filii Burggravii de Nurnberg: ex qua plures habuit filios: è quibus duo, ſcilicet Rupertus dictus vulgò Pipan, & Fridericus moriendo eum præceſſerunt. Quapropter verò ſcilicet Ludovicus, Johannes, Stephanus, & Otto, ſuperſtites fuerunt. Habuit etiam tres filias, è quibus unam duxit in uxorem Fridericus Dux Auſtriæ, dictus de Atheſi, & obiit ſine liberis: Agnetem verò duxit Comes de Clef, quem Sigismundus Rex Romanorum in Ducem creavit: & Margaretam, quam Dux Lotharingiæ duxit in uxorem.

DE

DE ALBERTO FILIO LUDOVICI IMPERATORIS, ET AB EO DESCENDENTIBVS.

ANno Domini MCCCCV circa festum nativitatis Domini, Albertus filius Ludovici Imperatoris, Princeps pius & mansuetus, est defunctus, & in Holandia tumulatus. Hujus Alberti talis fuit titulus: *Albertus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Comes Hennegaviæ, Holandiæ, & Selandiæ: ac dominus dominii Frisoniæ.* Hic de uxore sua Margareta, filia Ludovici Ducis Poloniæ de Briga tres genuit filios, scilicet Wilhelmum, Albertum. & Johannem. Ex his fratribus Albertus tenuit Straubingam, terram inferioris Bavariæ, & primus obiit inter fratres sine liberis, uxorem enim non duxit, & fuit vir proceræ staturæ, & benignitate præferendus: sepultusque est in medio Chori monasterii Carmelitarum in Straubing.

Eidem Alberto in eodem Ducatu frater suus Johannes successit, & quod idem Johannes Leodiensis Ecclesiæ erat electus, ipse jam dictum Ducatum per vicedominum gubernavit. Habuit etiam præfatus Albertus, filius Ludovici Imperatoris, filias duas, quarum una fuit uxor Johannis Ducis Burgundiæ, cujus supra in passagio contra Turcos mentio est facta; alia verò nomine Johanna duxit in virum Albertum Ducem Austriæ, qui in obsidione oppidi in Snaym obiit, relinquens filium nomine Albertum: qui Albertus dominam Elizabeth, filiam Sigismundi Romanorum, Ungariæ & Bohemiæ Regis, duxit in uxorem. Reliquit & filiam Albertus Dux Austriæ, nomine Elizabeth, quem Heinricus Dux Bavariæ, filius Friderici Ducis Lantzhut, felicis recordationis, in uxorem accepit.

Prædicto autem Alberto, filio Ludovici Imperatoris vita functo, in Comitatibus Hennegoviæ, Holandiæ, Wilhelmus filius suus successit: qui Wilhelmus una filia nomine Jacoba superstite, anno Domini MCCCCIX. decessit. Jacoba primò 1409.
duxit Delphinum de Francia; quo defuncto, duxit Ducem de Brabantia, isto repudiato Adhumfrido Duci Gloceſtriæ fratri Heinrici Regis Angliæ adhæsit. Hæc igitur domina Jacoba, defuncto patre suo Duce Wilhelmo, tanquam filia volens bona patris sui hereditario jure possidere, scripsit se filiam prædictorum Comitatuum, scilicet Hennegoviæ, Holandiæ. Contra Dux Johannes electus Leodiensium jam dictarum terrarum filium se scripsit: cedensque electioni suæ in jam dicta Leodiensi Ecclesia, quam multis annis tenuit, spe prolis dominam Elizabeth, filiam Johannis Ducis Lusatiæ, felicis recordationis, qui fuit frater Sigismundi Regis Romanorum tunc regnantis, in uxorem duxit, & prædictas terras quodammodo per bellicos labores sibi subjecit. In eisdem bellicis laboribus Heinricus Nothaft, miles strenuus, inferioris Bavariæ vicedominus, principalis fuit capitaneus & adjutor.

DE PRÆLIO WILHELMI DUCIS BAVARIÆ CUM LEODIENSIBUS.

ANno Domini MCCCCVIII. Johannes electus Leodiensium, Dux inferioris 1408.
Bavariæ, à Leodiensibus in * Trajecto superiori obsidetur. In hac obsidione * *Mastrich.*
Leodienses tanta ferocitate fuerunt, ut mulieribus propter penuriam à civitate expulsis, vestes circa femora abscinderent, & mammillas impudicè amputarent. Wilhelmus igitur Dux Bavariæ, Comesque Holandiæ, frater ipsius Johannis electi, & Johannes Dux Burgundiæ, filius sororis eorundem, cum aliàs dictum electum contra Leodienses juvare recusarent; videntes tamen eum in mortis articulo constitutum, exercitum ferè decem millium virorum pugnatorum contra ipsos Leodienses moverunt, & eos, aliquantulum ab obsidione sejunctos bello aggrediuntur, omnesque occidunt, ita ut vix evaderent, qui factum posteris narrarent; ex parte altera circiter decem occumbentibus. Versus:

Anno milleno, C. quater, & semel octo,
Septembri mense, vicesima tertia die,
Leodii gentes lacrymosi nunc modo flentes,
Sunt gladio cæsi, corporibus undique læsi,
Per Hollandinos prostrati, Burgundiosque,
Triginta quinque millia (plus adde) virorum.

Prædicto bello commisso, pons in Leodio insolito aquarum impetu est eversus Quod, quia incredibile erat posse fieri, multi ex Leòdiensibus virtute propria confidentes antea dixerant; *Cum pons iste infima sua in suprema erexerit, Johannes electus nostris dominabitur.* Quod & factum est, quamvis impossibile videretur.

DE STEPHANO DUCE INGOLSTAT.

STephanus Dux Bavariæ Ingelstat, pater Ludovici Ducis & Elizabeth Reginæ Franciæ, parvæ sed procerissimæ fuit quantitatis. Hic cum omnibus esset liberalis, ab omnibus amabatur. Denique cùm Mediolani cum socero suo Galeatio moraretur, & more Principum utriusque conditio inter eos trutinaretur, ipse attenta potentia Principis, populique timore confidens, de amore suorum dixit: *Nos à nostris in terra nostra sic honoramur, ut de nostris nullum esse credamus, quin per noctem in ejus gremio securè quiescere audeamus.* Quod dictum Mediolanensis magni fecit. Hic circa annum Domini MCCCCXIV. obiit in monasterio sanctimonialium Schonfeld requiescens.

Item Elizabeth Regina Franciæ genuit Catharinam, quam Heinricus Rex Angliæ duxit in uxorem. Hic Heinricus defuncto Karolo Rege Franciæ, potenter Parisios possedit, invito Karolo filio dicti Karoli, qui ut Delphinus in regnum Franciæ Patri succedere debebat.

1411. Anno Domini MCCCCXI. obiit Leopoldus Dux Austriæ in die S. Erasmi.

Eodem anno Jodocus Marchio Moraviæ & Brandenburgensis electus à quibusdam in Regem Romanorum sine heredibus moritur, & Brandenburga ad Sigismundum Regem Ungariæ, Moravia vero ad Wenceslaum Regem, patruos ejusdem, devolvitur.

1417. Anno Domini MCCCCXVII. Wiennæ in monasterio Scolorum, & Nurnbergæ ad S. Ægidium Scoli ejiciuntur, & Alemanni instituuntur.

Eodem anno Ratisponenses cum Johanne Stauffer litigantes in ejus damnum castrum Ernfels in hebdomada Paschæ obsidenr, & idem die tertia viriliter expugnant & obtinent, patruumque prænominati Theodericum Stauffer militem captivum in Ratisponam ducunt: postea tamen facta pace castrum prædictum eis restituitur.

1418. Anno Domini MCCCCXVIII. per Martinum Papam quintum Concilium Constantiense XXII. die mensis Aprilis solvitur, & ipse in Italiam proficiscitur.

1419. Anno Domini MCCCCXIX. Wenceslaus Rex Bohemiæ, quondam Romanorum Rex sine hæredibus moritur: & regnum Bohemiæ & marchionatus Moraviæ ad Sigismundum Regem Romanorum fratrem ejus devolvitur. Post cujus Wenceslai obitum statim hæretici in regno Bohemiæ cœperunt ecclesias evertere, & lamentabiliter destruere, & fideles variis modis persequi.

1420. Anno Domini MCCCCXX. Praga civitas à Sigismundo Rege ad exstirpándum hæreticos obsidetur.

1421. Anno Domini MCCCCXXI. in die S. Gregorii Papæ vivi incensi sunt omnes Judæi, per omne dominium Alberti Ducis Austriæ, propter irreverentiam corpori dominico à quibusdam ex ipsis in Onaso illatam.

Eodem

Eodem anno civitas dicta Neuſtat prope Abensperg ſita, quæ erat ſub dominio Heinrici Ducis Bavariæ: Jure verò proprietatis ad Duces in Monaco pertinebat, à paucis ex inopinato, nec civibus cautè proviſis, in principio Quadrageſimæ obtinetur, bonis omnibus abductis: poſtremo in toto exuritur. Quo facto lis publica, cæteris principibus aliis etiam ex cauſis Heinricum Ducem juvantibus contra Ludovicum Ducem concitatur. Fiuntque per amborum dominia incendia infinita. Tuncque caſtrum Paybrum prope Monacum, & caſtrum Torring verſus Saltzburgam ſitum, per Heinricum Ducem ex toto rumpuntur. Similiter per Johannem Ducem Caſtrum Penzenſtein prope Herspruck ſitum totaliter rumpitur. Ipſeque Johannes Dux cum adjutorio Friderici Marchionis Brandenburgenſis, qui ſororius Heinrici Ducis prædicti erat, obtinet civitates VVeyden, Freinſtat, Stain, caſtraque Flozz, Pargſtain, & plura alia, civitatemque Lauffen. Hæc omnia uno anno evenerunt.

DE LITE PRINCIPUM BAVARIÆ RATISPONÆ PACIFICATA.

ANno Domini MCCCCXXII. guerra ſæviſſima Principum Bavariæ, & quorundam aliorum, quæ plus quam per alterum dimidium annum per crebertima incendia, rapinas, & obſidiones, caſtrorumque & urbium expugnationes continuè duraverat, per ſolicitudinem Sigismundi Regis Romanorum, & Brandæ Apoſtolicæ ſedis legati ad certos annos placata eſt Ratisponæ. 1422.

Eodem anno fit congregatio Principum Nurenbergæ. In hac congregatione feria ſexta in octava S. Auguſtini celebrata & cantata miſſa ſolemni de ſancta cruce per Hermannum præpoſitum in Nevvkirchen, ordinis S. Auguſtini Canonicorum regularium Branda Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legatus vexillum vivificæ crucis tradidit in Eccleſia S. Sebaldi Sigismundo Romanorum Auguſto, Ungariæ & Bohemiæ regi, ad Huſſitarum hæreticorum in regno ſuo Bohemiæ deletionem. Qui & ſtatim idem vexillum dedit Friderico Marchioni Brandenburgenſi, faciens ipſum capitaneum ad hoc negotium exequendum.

Hoc in tempore caſtrum Karlſtain in Bohemia ab Huſſitis, hæreticis fuit obſeſſum, ſed factis treugis non obtentum. Sed quid dignum memoria memoratus Fridericus Marchio per exercitum tunc temporis ductum, & in Bohemiam ducendum fecit, aliis ad ſcribendum committitur. *Expeditio in Huſſitas.*

Anno Domini MCCCCXXIV. tempore Quadrageſimæ, reliquiæ & inſignia Imperialia de caſtro Karlſtein in Bohemia per Sigismundum Regem ad Vicegradum, vulgariter Plintenberg in Ungariam, propter hæreticorum perfidiam deductæ, de Hungaria in Nurnbergam civitatem Imperialem ſunt portatæ.

DE JOHANNE DUCE INFERIORIS BAVARIÆ, QUI OBIIT SINE LIBERIS.

ANno Domini MCCCCXXV. in die Epiphaniæ dominus Johannes Dux Bavariæ inferioris, Comes Hennegoviæ, Holandiæ & Selandiæ, ac dominus dominii Friſoniæ, veneno (ut dicitur) à magiſtro curiæ ſuæ infectus obiit ſine liberis, in Holandia, in villa dicta Hag * tumulatus. Quo defuncto domina Jacoba, filia fratris ſui VVilhelmi, felicis recordationis, (cujus ſuperius eſt mentio facta) conabatur prædictas terras, ſcilicet Hennegoviam, Holandiam, iterum poſſidere. Sed prævalens Philippus Dux Burgundiæ Johannis (cujus ſupra in paſſagio contra Turcas eſt memoria tacta) filius, easdem terras jam tenet. Ducatus ver inferioris Bavariæ, cujus capitalis civitas eſt Straubing, à quatuor Principibus ſcilicet Ludovico de Ingelſtat, Erneſto & VVilhelmo de Monaco, & Heinrico de Lantzhut poſſidetur. 1425. *Haye.*

Anno Dom. MCCCCXXVI. congregatis principibus Nurenbergæ ad tractandum de electione Hussitarum in regno Bohemiæ, commissum est prælium à Misnensibus cum Hussitis in obsidione oppidi Avvsick nominati, dominica tertia post octavas Pentecostes, quæ fuit XVI. Kal. Julii. In quo Catholici, dum in fortitudine multitudinis suæ sperarent, aspiciente Domino, qui dum vult flagellat, dum vult miseretur, miserabiliter sunt prostrati. Fuerunt qui dicerent, *Plagam istam justo Dei judicio permissam.* Alioqui ex eo quod Fridericus Marchio Misnensis vir senex post obitum Alberti Ducis Saxoniæ Luneburg Electoris, qui decessit sine liberis, per favorem Sigismundi Romanorum Regis nobilem Ducatum Saxoniæ jam memoratum possidere cœpit. Quem Ericus, Bernhardus, & Otto fratres, Duces Saxoniæ Brunsvvick, hæreditario jure ad se pertinere dicebant.

DE LUDOVICO DUCE BAVARIÆ, COMITE MORTANIÆ.

LUdovicus Dux Bavariæ, & Comes Mortaniæ, frater Elizabeth Reginæ Franciæ, dominam Anna sororem dominæ Scharlato Reginæ Cypri duxit uxorem, de qua genuit filium æquivoci nominis, Ludovicum. Ipsa verò domina Anna defuncta Parisiis ad prædicatores requiescit. Hanc prædictam Scharlato memoratus Dux Ludovicus Parisiis enutrivit, & à viro ejus Rege Cypri, anno Domini MCCCCXXVII. 1427.
dum esset Ratisponæ, epistolam, quam hic pro Chronicis inserere curavi, accepit, cujus tenor sequitur.

COMITI PALATINO RHENI DUCI BAVARIÆ, ET MORTANIÆ COMITI, IANUS DEI GRATIA, IERUSALEM, CYPRI, ET ARMENIÆ REX.

ILlustrissime Princeps, frater noster amantissime. Ex literis vestris, quæ nuper ad nos delatæ sunt, certi fuimus, vos maximum recepisse dolorem ex eo, quod ad aures pervenerunt vestras, quo pacto infideles, & Christi æmuli nos maxima & regnum nostrum adstinxerunt persecutione, atque de infortunio quod accidit nobis & personæ nostræ. Quamobrem frater dilectissime, infinitas reddimus gratias; ex eo etiam, quod maximam suscepistis lætitiam certionatus, qualiter pactis & promissionibus factis à Babilonica captivitate in pristinam redierimus libertatem. Neq; enim aliter putare possumus, nisi vos & dolorum & gaudiorum nostrorum fore semper participes: cum & nos ipsi de vobis semper idem ageremus, ob singularem amorem, magnamque conjunctionem, quæ inter nos semper fuit, eritque in futurum, Deo duce. Spem tamen nostram in ipso Deo ponimus, quod postquam sua pietate media liberi in nostrum rediimus regnum, quod meliora indies sentietis de nobis, & nova, & talia, quod animus vestræ Excellentia lætitiam sucipiet singularem. Postremo quod in literis vestris scribitis de filia nostra, quam asseritis amare, ipsique afficere permaximè & optare, ut vestræ Magnificentiæ intercessione, aliquo illustri collocaretur loco; incredibiles vestræ fraternitati optimæ & ingentes agimus gratias, & tantas quantas alicui hodie viventi Principi, qui in tanta nostra desolatione & anxietate memoriam habere voluistis, de felicitate filiorum nostrorum, & consolatione nostra. Verum, quia in præsentiarum certis ex causis de hoc negotio vestræ celsitudini scribere non possumus; quando casus tale tractandi negotium nobis aderit, absque vestro optimo consilio, voluntate & intercessione nihil perficiemus, sperantes vos taliter in ea re effectu operaturos, ac si propria foret proles vestra: Summopere vos rogantes, ut nos ipsos, nostrosque filios, vestros semper habere & in memoria retinere velitis. Cum versa vice vos & vestros omnes habere carissimos & dilectissimos nostros intendamus. Quos divina Majestas ab omni malo & periculo custodire dignetur. Datum Nicosiæ, regni nostri Cypri XII. mense Augusto, anno Domini MCCCCXXVII.

EXPLI-

EXPLICIT HIC CHRONICON.

Nam ea quæ sequuntur, post primam compilationem sunt inserta.

AN. Dom. MCCCCXXVI. VII. Non. Mart. Catharina Ducissa Pomeranorum, uxor Johannis Ducis Bavariæ filii Ruperti Regis Romanorum in Newenmarck sepulta. Hæc est fundatrix monasterii Montis gratiæ * de ordine Salvatoris, qui & S. Brigidæ dicitur, non multum inde distantis. 1426. *Cuadenberg.

Item Dux Johannes eodem anno in die S. Martæ venit Ratisponam, emitque ab Heinrico Nothaft milite domum suam sitam apud portam S. Emmerani, pro nongentis florenis.

Anno sequenti MCCCCXXVII. feria quinta post Ægidii idem Dux Johannes venit in Reitenburg, ubi sita à Johanne Streiperger Episcopo Ratisponensi Beatrix relicta Comitis de Cilio legitimè datur in uxorem, præsentibus patre ejus Ernesto, patreque Alberto Ducibus Bavariæ. 1427.

Item anno eodem circa festum Pentecostes obiit Rupertus filius Ludovici Comitis Palatini citra vicesimum ætatis suæ annum.

Anno MCCCCXXVII. Fridericus Burggravius Nurnbergensis, qui à Sigismundo Rege factus fuerat Marchio Brandenburgensis, castrum suum Nurnbergense, quod situm fuit ibidem in monte juxta castrum Imperatoris, civibus Nurnbergensibus vendidit: quod ab ipsis statim est dirutum, & sic deletum, quod vestigia ejus amplius non appareant. *Burgum Nurnbergense.*

DE TERTIA EXPEDITIONE CONTRA BOHEMOS.

ITem eodem anno Comites, Barones, milites & militares viri Ducatus Franconiæ, de voluntate & assensu quorundam principum, Heraldos in universum miserunt, proclamantes & invitantes Catholicos pugiles ad tabulam militaris honoris, scilicet ut militaria exercitia, ludos, & solacia quæ hactenus in torneamentis & hastiludiis agere consueverant, in impugnationnm hæresium convertere conarentur. Hortatur ad hoc salubre propositum perficiendum Martinus Papa quoscunque fideles. Electores itaque Romani Imperii leges optimas de voluntate Sigismundi Romanorum Regis in scriptis faciunt pro expeditione forti & valida in Bohemiam fienda. Fiunt igitur hujus expeditionis summi Capitanei Otto Archiepiscopus Treverensis, & Fridericus Marchio Brandenburgensis, quibus ingressis Bohemiam Nasa oppidum obsidetur. Ex insperato verò eodem oppido non obtento exercitus versus Dachoviam progreditur. Ubi in campo ab Heinrico titulo S. Eusebij Presbytero Cardinali Angliæ vulgariter nuncupato, Apostolicæ sedis legato, die Lunæ IV. mensis Augusti vexillum imaginis Christi crucifixi ad pugnandum contra ejusdem crucis Christi hostes erigitur. Sed proh dolor, fuga facta in populo Dei, ita ut illud Esaiæ Prophetæ, *Cuncti Principes tui fugerunt*, impletum videretur.

Anno Domini MCCCCXXVIII. hussitæ hæretici de Bohemia, inter alia mala quæ non possunt enarrari, in die S. S. Primi & Feliciani Nittenavv in Bavaria exurebant, & dominum Johannem plebanum ibidem, nudum catena ferrea vinctum & ad currum ligatum, captivum in Taust ducentes, in vinculis afflictum mori coëgerunt. 1428. III. *Expeditio in Hussitas.*

Eodem tempore pauci ex eisdem hæreticis in Monasterium Walderbach ordinis S. Bernhardi venerunt, ubi quosdam vulnerabant, quosdam occidebant, januas rumpebant, Sanctorum imagines confringebant. Fridericum tunc ibidem bursarium, postea verò abbatem per manum & brachium sagitta vulnerabant. Hæc gesta audiens

audiens dominus Petrus de Mellico Patavienſis diœceſis ordinis S. Benedicti, cum eſſet Ratisponæ cum M. Conrado de Hildesheim me præſente, & ſubtilitatem acuminis ingenij ejusdem Petri ignorante, ipſe nobiscum pariter fabulabatur, & interim imaginando metra ſequentia compoſuit quæ me aſpiciente cum creta in menſa literis pulcherrimis retrogradè ſcripſit:

Perfidus Huſſita monachi, Bursnar cui nomen,
Invida mens cui ſtat adverſus relligioſos,
Durâ cum ſica manu dat vulnera dura.

Item Kal. Aprilis in die Cœnæ Johannes Streiperger Epiſcopus Ratisponenſis bonæ memoriæ moritur, in medio ſummi templi ſepelitur. Poſt quem Erhardus Satelpoger ex Canonicis eligitur, ſed exorta peſtifera diſcordia, prælatis Eccleſiæ, ſcilicet Præpoſito & Decano in curia Romana exiſtentibus; Domino Conrado de Suſato, D. Theologiæ, à Martino Papa V. ante quem ſolebat crucem deferre, de prædicto Epiſcopatu profitetur. Hinc prædictus Erhardus Satelpoger quibusdam placitis intermediis ceſſit, & ſic idem dominus Conradus eodem anno 1428. feria IV. in die S. Emmerani cum ſolennitate Ratisponam ingreſſus in Epiſcopum eſt acceptus.

Moſsbacens. Item Otto * filius Ruperti Regis Johannam filiam Heinrici Ducis Bavariæ duxit uxorem: ex qua genuit quatuor filios, ſcilicet Ottonem Rupertum Epiſcopum Ratisponenſem, Albertum & Johannem.

Item inter nobiles & milites oritur ſocietas, eorum qui deferunt Unicornem, & ab hoc vulgus ſocietatem illam Pocklar ſolebat appellare.

Pocklar ſocietas. Item aliquantulum poſtea ſocietas alia oritur illorum, qui deferunt Grifonem.

Structura varia intra 18. annos. Item notandum, quod computando ab eo anno, quo ingreſſus ſum monaſterium, ſcilicet, MCCCCX. uſque in annum Domini MCCCCXXVIII. ſucceſſivè multæ novæ factæ ſunt Structuræ, quarum aliquas breviter hîc, licet non ſub certis annis, annotavi.

Sarching. Item caſtrum Sarching in Territorio Tumſtauf, à Durſtet cive Ratisponenſe conſtruitur, quo defuncto, per quendam contractum domui S. Ægidij Ratisponæ ordinis Teutonicorum eſt appropriatum.

Item Ratisponæ à porta S. Petri uſque ad portam occidentalem foſſatum exterius in toto perficitur.

Item eadem civitas Ratispona à porta orientali, & etiam occidentali pavimentatur, quod multis antequam fieret impoſſibile videbatur.

Poſt hæc ſupra memorato an. MCCCCXXVIII. currente, circuitus murorum ejusdem Ratisponenſis civitatis lateribus tectus conſummatur.

Kunigſtein. Item in territorio Scharding ab Heinrico Nothaft Vicedomino in Straubing mons quidam prope Pataviam in die trium Regum incaſtellatur, & ob hoc Künigſtain appellatur.

Avvburg. Item in pago Danubiaco prope Ratisponam, à Friderico Avvar milite antiquo caſtrum Avvburg de novo ædificatur.

Item Ambergæ à Ludovico Comite Palatino caſtrum ſimiliter ædificatur.

Item in ambitibus Eccleſiarum ſubſcriptarum factæ ſunt teſtudines, majoris Eccleſiæ Ratisponenſis, veteris capellæ S. Auguſtini, fratrum Eremitarum, fratrum Minorum, S. Jacobi, S. Magni, prædicatorum & Pruel.

Ramſavv. monaſter. Item concedente Johanne Streiperger Ratisponenſi Epiſcopo territorio Hohenburg, ſuper Enum fluvium à Georgio Fravvenberger monaſterium Ramſavv ordinis B. Auguſtini, Eremitarum fundatur. Hoc monaſterium ſecundum teſtamentum Wilhelmi Fravvenberger in Kirchdorf Friſingenſis Diœceſis ſepulti militis inter omnes Bavaros famoſi, felicis recordationis, debebat fundatum fuiſſe in loco qui vocatu Alnchofen, ſecus Danubium, non multum à Ratispona diſtante, de ordine Carthuſienſium. Sed rebus variis difficultatem facientibus teſtamentum illud non eſt conſummatum. In refuſionem autem prædicti loci in Ramſavv memoratus Georgius Fravvenberger ſupra dictum caſtrum Hohenburg, quod

quod impignoratum pro certa ſumma pecuniarum ab Epiſcopatu Ratisponenſi poſſidebat, poſt mortem ſuam liberè, & ſine reſtitutione conceſſæ ſummæ ad Epiſcopatum redire voluit.

Anno Domini MCCCCXXIX. ante feſtum Epiphaniæ Domini, Eraſmus Satelpoger, qui duxerat filiam Petri Eckar in uxorem, à vaſallis Heinrici Nothaft', qui relictam ejusdem Petri habebat in uxorem prope Perbing ſecus Ratisponam captivatur, qui poſtea liber à captivitate Ratisponæ judicialiter declaratur. Impetitionem autem ſuam ipſe Satelpoger, quam propter Petrum Eckar memoratum in Meten ſepultum habebat, ipſemet ſeptimus ſuper corpus defuncti vulgariter vber molrigen mund) ſi vellet, deberet probare: quod & factum eſt. Iſte Petrus Eckar ultimus fuit hujus cognationis: ſunt tamen adhuc multi ejus cognominis, ſed tamen alterius ſunt ſtipitis. 1429. Per. Eckar.

Item VI. Idus Februarij feria III. poſt Eſto mihi, Eberhardus Storhenberger Achiepiſcopus Saltzburgenſis, anno ſecundo ſui pontificatus; poſt quem Johannes Reysperger Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ eſt electus, & à Martino Papa V. confirmatus.

Item in Vigilia Johannis Baptiſtæ facta eſt diviſio Ducatus in Bavaria, cujus capitalis civitas fuit Straubing. Ubi animadvertendum, quod communis opinio erat, quod illa terra dividenda eſſet in tres partes ſecundum tres perſonas, æqualiter in linea conſanguinitatis distantes: una deberet Ludovico Ingolſtat; altera Erneſto, & fratri ejus Wilhelmo Munchen, qui bona ſua paterna indiviſa tenebant; tertia Heinrico Lantzhut. At contra Ludovicus dicebat, quod ipſe tanquam ſenior ſolus deberet hanc terram poſſidere; eò quod Principatus non eſſet dividendus. Wilhelmus verò dicebat, quod ipſe eodem modo, ſicut & frater ſuus Erneſtus, ſimiliter & alij partem ſuam deberent & vellent habere. Manſueta tamen Princeps ille manſuetus loquitur Heinrico Duci inſtans, ut ſibi de parte ſua, ſcilicet quarta dignetur favere. At ille putans, quod Ludovicus qui totam terram volebat habere & ſine dubio tertiam partem, nequaquam in hoc aſſentiret, petitioni hujusmodi aſſenſit, ſi & in quantum Dux Ludovicus ei de parte quarta faveret. Hujus rei Dux Wilhelmus à Duce Heinrico literatoriè accepit teſtimonium. Ex hinc idem Dux Wilhelmus ſimili modo inſtat apud Ducem Ludovicum; qui ignorans quid factum fuerat, per Ducem Heinricum etiam aſſenſit; ſi & in quantum Dux Heinricus aſſentiret. Breviter negotium iſtud in Ungaria per Sigismundum Romanorum Regem judicialiter discutitur, & memorata terra tanquam pars Principatus ſive Ducatus Bavariæ Straubingæ in prætorio in quatuor partes eſt diviſa. In hac diviſione per ſortem ceſſit Wilhelmo Wildenſtain, Dietfurt, Kelhaim, Abach, Schonberg, Sigerſtain, Valckenſtain, Werd, Gaulberg, Lindel, Peylſtain, Aigen, Eſchelkam, Nevvkirchenfurt, Korzing, Teckendorf, & poteſtas redimendi oppidum Cham.

Item Erneſto fratri ejus ceſſit, Haydavv, Straubing, Mitterfels, Pogen, domus quæ eſt Ratisponæ, cum omni dominio & jure, ibidem pariter & monera, exceptis Judæis. Ludovico Scharding, Nevvhauſen, Tieffenſtain, tertia pars Dingelfing, Kirchperg, & Judæi Ratisponæ.

Item Heinrico Duci Landavv, Naternberg, Pladling, Winzer, Hilckersperg, Hoffkirchen, & Vilshoſen. Item ſumma redituum illius Ducatus fuit XXVIII. millia florenorum, & ſic cuilibet quatuor partium ceſſerunt VII. millia.

Item circa feſtum Michaëlis Huſſitæ de Bohemia prædam prope Campiam faciebant, exeuntes verò de Cambia civitate, & ignorantes latentes inſidias, ab Hæreticis ſunt miſerabiliter interfecti, multique in captivitatem ducti. Non multum poſtea ipſi Hæretici ad prædandum & incendia faciendum redierunt, & tunc (gratia Dei) Catholici prope Cambiam de Hæreticis glorioſius triumpharunt. In hoc prælio gens ruſticana viriliter ſtetit, & equeſtribus adjutorium forte fecit.

Item Johannes de Haydeck Epiſcopus Eyſtetenſis eſt defunctus, poſt quem Albertus de Rechperg eſt electus, & à Martino Papa V. confirmatus. Item Otto

Treve-

Treverensis Archiepiscopus moritur, post quem alius eligitur, qui à Papa non admittitur; sed ab eodem scilicet Martino V. Rabano Episcopo Spirensi de Trevirensi Ecclesia providetur. Ex hinc multa mala evenerunt.

Item circa festum S. Leonhardi VVilhelmus Dux Bavariæ personaliter cum exercitu contra Hæreticos in Bohemiam voluit expeditionem facere: sed prohibitus à militibus, exercitum illuc misit; qui magna incendia in Bohemia faciens, & nemini parcens, prosperè in Bavariam est reversus.

1430. Anno Dom. MCCCCXXX. Hussitæ hæretici de Bohemia cum potentia valida crudelitatem suam in fideles in Misnia, Franconia, & Bavaria exercebant; tantusque timor fuit Christicolis, ut etiam priusquam hostes viderentur, civitates fortes & castra deserta relinquerentur.

Eodem anno ante festum Pentecostes principes Nurnbergæ congregantur. Sigismundus Rex in Ungaria constitutus expectatur, & venturus nunciatur: sed ad congregationem hanc non venit. Fridericus Marchio Brandenburgensis Hussitis certam diætam prædixit, convocavitque catholicos doctores sub hac intentione, ut ibidem cum Hussitis de articulis eorum disputarent: & ob hoc etiam ad Martinum Papam misit petens, ut in hoc assentire dignaretur. Qui hujusmodi petitionem indigne tulit, mandavitque ut nequaquam cum hujusmodi hæreticis disputaretur. Sic itaque tunc temporis nihil actum est.

Eodem anno VII. Feb. quæ fuit feria tertia ante Septuagesimam sub Conrado de Susato Episcopo Ratisponensis civitatis magnam seu præstantiorem partem ædificiorum, fortium & excellentium hospitalis S. Catharinæ, & quarundam domorum in præurbio destruxerunt, & fossatum ibidem pro antemurali fecerunt.

Item mense Majo, & præcipuè dominica Cantate, quæ fuit XII. Kal. Junii, & feria II. sequenti, pruina omnes ferè vineas in Bavaria, cum essent uberrimè dispositæ, corrosit & comedit; similiter in multis locis arbores & bladum.

Anno autem sequenti (gratia Dei) tanta fuit abundantia vini, ut de ista omnes mirarentur, & grates Deo referrent.

Item Sabbatho post festum corporis Christi hoc est XV. Kal. Julii circa horam vesperarum subitò orta est tempestas aëris, & tonitrus tantus factus est, quod cunctos terruit, & nodum turris magnæ in pede pontis Ratisponensis dejecit, nodum verò turris de prope in suburbio, quod dicitur Judicis, accendit; & ab altera parte turris ejusdem vestigia concussionis reliquit, impleta Prophetia; *A voce tonitrus tui formidabunt.*

Item feria VI. post Bartholomæi Sigismundus Romanorum Augustus venit Straubingam, ibique fecit dispositionem ducendi exercitum in Bohemiam, contra Hussitas hæreticos: sed dispositio illa non habuit effectum. Exinde venit Nurnbergam, ubi Johannem Episcopum Zagrabiensem, & Ernestum Ducem Bavariæ misit in Litvaniam ad coronandum Ducem VVitoldum in Regem. Qui impediti per Ladislaum Regem Poloniæ patruum ejusdem Ducis VVitoldi (aliàs Alexandri nominati) qui noluit, ut Ducatus ille Litvaniæ mutaretur in regnum, vacui sunt reversi. Interea præfatus Dux Litvauiæ Alexander, qui in paganismo dictus fuerat VVitoldus, est defunctus.

Judæorum facinus. Item circa hæc tempora Sigismundus Rex civitates Imperiales Sueviæ visitavit, & inter alia quæ ibi gessit, hoc memoriale reliquit. In civitate Ravenspurg Judæi quendam scholarem Christianum ante paucos annos more suo, propter ejus sanguinem, occiderunt. Quem scholarem mirabili modo dum occultare non possent, cautius volentes agere eundem extra civitatem in carro duxerunt, & in loco nemoroso ibidem in abiete suspenderunt: & factum est ut per clamorem & volitationem avium corpus sic suspensum manifestaretur; & ex hinc, Episcopo Constantiense & presbyteris renitentibus & fieri prohibentibus, tanquam ad innocenter occisum confluxus populi fieret magnus. Sigismundus autem Rex ut huiusmodi concursum prohiberet,

hiberet, ædificium ibidem quasi Ecclesiam factam, in cujus medio abies illa in qua scholaris suspensus fuerat, stabat, combussit: & sic concursus ille cessavit.

Item Ingolstat Ecclesia Parochialis S. Mariæ ampliatur, in cujus medio à Duce Ludovico sepultura paratur, in qua ossa Ducis Stephani patris ejusdem Ludovici de Schonfelt allata tumulantur.

Item Dux de Montanis, * Elizabeth filiam Ernesti Ducis Bavariæ duxit in uxorem. * Von dē Berge.

Item Dominus de Wirtenberg filiam suam Alberto Duci Bavariæ in uxorem spopondit: sed quod eadem filia occultè alii matrimonium promiserat, ideo pro pœna certa summa pecuniarum est soluta. De hac summa inter alia DUX ALBERTUS teloneum salis Ratisponæ à Parcensal Zenger redemit.

Item parum ante hæc tempora ampliatus est chorus Ecclesiæ S. Jacobi Straubingæ.

Item ampliata est structura Capellæ S. Mariæ ibidem secus superiorem portam.

Item tempore juventutis meæ, dum scholas visitarem, fui in processione, dum primus lapis Capellæ apud portam, quæ dicitur Lapidea, ibidem in fundamento poneretur.

Item tunc temporis cœpit juxta alta structura ibidem chori in monastrerio Carmelitarum, & post hæc pluribus annis elapsis, ejusdem monasterii structura alta extra chorum, quæ quidem structura huc usque non alta erat.

Anno Domini MCCCCXXXI. XX. Febru. quæ fuit feria IIII. post invocavit, 1431.
obiit Martinus Papa V. Post quem Gabriel natione Venetus ex cœtu Cardinalium est electus & Eugenius IV. nominatus.

Item Nurnbergæ casus quidam accessorius, qui in Concilio Constantiensi dudum inter Ludovicum & Heinricum Duces Bavariæ emerserat, à Sigismundo Rege judicialiter declaratur; principali, scilicet de divisione terrarum à patribus ipsorum facta, indiscusso relicto. Hic sub silentio plura pertranseo, more Moysis, qui tacens crimen filiorum Jacob, refert quod Joseph fratres suos crimine pessimo apud patrem accusavit.

Item Sigismundo Romanorum Augusto, & Ungariæ ac Bohemiæ Rege Nurn- IV.
bergæ personaliter constituto, facta est expeditio quarta in Bohemiam, quæ secun- *Expeditio in Hussitas, infelix.*
dum suam ordinationem ad delendum Hussitas hæreticos fructuosissima sperabatur. Sed res (proh dolor) in contrarium vertebatur. Nam in vigilia assumptionis Mariæ virginis gloriosæ, subitò & ex insperato sub Friderico Marchione Brandenburgensi, qui & Burggravius Norimbergensis, facta est fuga, quam plurimis fugæ causam ignorantibus. Unde rerum & personarum tanta facta sunt dispendia, quod expedit plus tacere quàm loqui: alibi tamen de hoc latius scripsi.

In alio codice hæc paulo ampliora inveniuntur, in hunc modum.

CONGREGATIO FACTA NURNBERGÆ.

AN. Dom. MCCCCXXXI. in congregatione principum Nurnbergæ, casus quidam de violenta manuum injectione, qui in Concilio Constantiensi dudum inter Ludovicum & Heinricum Duces Bavariæ emerserat, à Sigismundo Rege Romanorum judicialiter terminatur; sic tamen, quod Dux Heinricus ad satisfactionem læso in locis certis fundare debeat missas, & militarem numerum eidem Ludovico stipendiare. Et hoc de accessorio. De principali verò, quod inter prædictos principes vertebatur, scilicet de divisione terrarum facta à patribus ipsorum, nihil est discussum.

Item eodem anno Sigismundus Romanorum Augustus & Ungariæ Bohemiæque Rex, propter negotia regni Nurnbergæ personaliter constitutus, dum præcipuè tractaret de extirpatione Hussitarum hæreticorum in Bohemia, venit Julianus tit. S. Angeli Diaconus Car-

dinalis, Apostolicæ sedis legatus missus ad hujusmodi negotium contra hæreticos promovendum. Interea Martinus Papa V. à quo missus erat, obiit. Cui Eugenius quartus succedit. De hoc, quemadmodum de Antiocho, falsus rumor exivit, quod circa festum Paschæ excitato contra eum tumultu vita excessisset, ac à Romanis esset interemtus.

Medio tempore venit Sigismundus Rex Egram oppidum, Ratisponensis diœceseos, & ibi inter alios, præsentibus Johanne Episcopo Herbipolensi, & Friderico Marchione Brandenburgensi, habens colloquium cum Hussitis, dum nihil exhortatione sua proficeret, sed ipsi magis in suis erroribus pertinaciter indurati manerent; ipse dicta sua regalia, quæ dederat pro expeditione in Bohemiam fienda, iterum serioſius literatoriè est prosecutus. Appropinquante igitur festo S. Johannis Baptistæ, fit fama, quod Dux Burgundiæ cum exercitu magno sit in via veniendi contra Hussitas. Hæc cum primùm sunt audita, quam plurimùm fuerunt gaudiosa: sed, proh dolor, statim facta sunt dolorosa. Nam idem exercitus, qui sperabatur contra hæreticos pugnaturus, cuidam Comiti ferens auxilium, Ducatum Lotharingiæ, quem soror Ludovici Comitis Palatini Rheni tenebat, invasit. At verò idem Comes Palatinus habens exercitum collectum, qui paratus erat venire contra hæreticos, eundem exercitum in auxilium sorori suæ misit. His itaque bello congresso Burgundiones victoriam obtinent, & Comites, milites, & militares viri alterius partis ferè omnes in prælio occiduntur. Auget præterea etiam dolorem rumor vulgaris, scilicet quod expeditio illa contra Bohemos propter treugas cum ipsis factas per regales litteras sit revocata Istis sic currentibus exercitus qui convenerat, principio mensis Augusti Bohemiam ingreditur, & prope Dachavv aliquot diebus castra metatur. In hoc exercitu præcipui fuere Jordanes Cardinalis Apostolicæ sedis legatus, Theodericus archiepiscopus Colonienſis, Fridericus Marchio Brandenburgensis, & Burggravius Nurnbergensis, summus capitaneus, Fridericus Dux Saxoniæ, qui & Marchio Misnensis, signifer Papæ, Johannes Dux Bavariæ signifer Regis Romanorum, Johannes Episcopus Herbipolensis signifer regni Bohemiæ, & filius Marchionis Brandenburgensis prædicti, signifer vexilli S. Georgii. Hæc fuit expeditio quarta generalis & magna in Bohemiam ad exterminium Hussitarum ordinata. De qua quid amplius scribam, quid dignum memoria referam? tristia sunt cuncta & dolore plena. Nam anno Domini prædicto in vigilia assumtionis Mariæ virginis, mane prope Tausk exercitu se movente, hi qui præerant, cæteros hortantur, ut montem ibidem vicinum ascendant, hostium adventum in eodem expectaturi. Quod dum fieret, Marchio Brandenburgensis capitaneus summus non ad montem illum, sed ad silvam exiturus Bohemiam festinabat. Hoc viso regimen deseritur, ordo confunditur, ratio turbatur, ultimi cum curribus mutuo invicem se percutiunt & occidunt. Alii relictis curribus fugæ præsidium quærunt, è quibus multi ab hostibus crudeliter occiduntur, quàm plures verò capiuntur. O quantum tunc splendidus ille nobilium exercitus nuper tam gloriosus decore, fuga, triumphalem quondam honoris titulum denigravit, tanta copia armorum, pixidum sive bombardarum, vasorum aureorum & argenteorum, preciosarum vestium, & aliorum bonorum ad manus tunc hostium pervenit. Albertus autem Dux Austriæ, qui in tertia expeditione in campum non venit, in hac quarta expeditione contra perfidissimos hæreticos in campo viriliter permansit, & quamplurima gloriosè peregit. Itaque Rex Sigismundus tunc temporis Nurnbergæ personaliter constitutus, principes per litteras suas ad festum Sancti Galli Francfordiam vocat; scribitque serioſius his qui prædictæ expeditioni in Bohemiam secundum advisata & concluſa non interfuerunt, ut ad quotidianam impugnationem hæreticorum sint parati. Interea Rex ipse ad Italiam proficiscitur, & de executione ordinationis suæ nihil auditur in effectu.

Quartum bellum cum Hussitis.

Item eodem Anno in diebus Quatuor Temporum post exaltationem S. Crucis, Hussitæ de Bohemia prope Orensvvang in Bavaria Erasmo Sattelpoger; domino illius castri domi non existente, magnum incendium in villis fecerunt. At Catholici eos insequentes, dum putarent eos velle fugere, illi se animosè ad prælium objecerunt, & factum est (divina protegente gratia) ut Catholici, dum multo pauciores essent, de ipsis Hussitis triumpharent. Hic non est sub silentio transeundum, quod ex parte HUSSITARUM præter equestres, centum erant sagittarii pedestres, qui omnes tela sua in cassum & in vanum in Catholicos duxerunt, & ab his omnibus nullus est læsus, præterquam unus.

Item

Item circa festum S. Lucæ Evangelistæ Bohemi manu valida Bavariam intraverunt, & incendium & prædam magnam in Schonsee, & locis vicinis fecerunt, & dicebatur quod essent de Teynez, cum his qui Landfridium faciebant, & inter Catholicos reputabantur. Cujus causa fuit, quod dum exercitus Catholicorum ante assumptionem Mariæ fuisset in Bohemia, incendio & præda plus læsit eos, qui inter Catholicos reputabantur, quàm Hussitas hæreticos, manifestos orthodoxæ fidei viros inimicos. Tunc temporis feria VI. post S. Lucæ Ernestus Dux Bavariæ Straubingæ constitutus exivit cum armatis, intentione Catholicis auxilium ferendo, sed auditis nunciis quod supra dicti desertores in Bohemiam reverterentur, ipse domi remansit. *Schonsee.*

Item pro defensione bonorum & jurium Monasterij ego una cum confratre meo domino Conrado Forchamar, dominum Ernestum Ducem Bavariæ Straubingæ constitutum accessi, & factum est Sabbato, post festum S. Lucæ Evangelistæ dum starem in stuba majori, quæ est in castro inter milites & nobiles, ipsis quærentibus, *quid in Chronicis scriberem de rebus gestis?* ipse Dux Ernestus retrò accedens, & à tergo brachiis suis super humerum meum positis, sicque me amplectens ajebat: *Quid est quod proximè in Chronicis vultis scribere?* Ar ego aliquantulum dissimulans, ut Principem plus excitarem dixi me nescire. Ad hæc Princeps: *Dicite quid boni proximè Chronicæ vultis scribere?* Ad hæc ego: *Princeps gratiose, est causa propter quam præsens sum: quam si gratiosè audieritis, hoc erit bonum, quod proximè pro Chronicis scribam.* Ad hæc Princeps; *De hoc non quæro.* At ego: *Ast mihi hoc potissimum bonum, ut in causa Monasterii à vobis gratiosè exauditus, bonarum rerum apud fratres meos, à quibus missus sum, bonus sim nuncius, & istud desiderantissimè scribam.* Dominis autem qui tunc astabant, & præsertim Johanne Sattelpoger, Geltelfing, mihi suffragantibus Princeps dixit; *Dicite, quid habetis tractare.* Ar ego: *Princeps gratiose, propter areas per quas ductum est fossatum in pede pontis Ratisponensis, ad Serenitatem vestram veni petens, ut tanquam advocatus jura monasterii dignemini manutenere.* Tunc gloriosus ille Princeps intulit: *Libenter istud faciam;* Petiitque sibi dari causam in scriptis, quod & feci. Et quia dixi, quod hanc causam essem scripturus, tanquam potissimum bonum; ideò eam hìc pro Chronicis scripsi, ut ad notitiam perveniat posterorum. *Ernesti Ducis humanitas.*

Item prima die mensis Octobris per Julianum tituli S. Angeli Diaconum Cardinalem, Apostolicæ sedis Legatum Concilium Basiliense provinciæ Bisuntinæ inchoatur. Sigismundus Rex pro Imperiali corona Italiam ingreditur, & ab eo Wilhelmus Dux Bavariæ protector ejusdem Basilienſis Concilii ordinatur. *Concilium Basilienſe.*

Item XXVI. Novembris Hussitæ, ut ad Concilium Basilienſe veniant, Literis optimis exhortantur.

Anno Domini MCCCCXXXII. circa festum Purificationis S. Mariæ obiit domina Elizabeth filia Barnabo Vicecomitis Mediolanensis, uxor Ernesti Ducis Bavariæ, Monaci sepulta. 1432.

Item XXV. Februarii feria III. Sexâgesimæ fons vivus cœpit in ambitu nostro erumpere, & aquæ in tantum excrescere quod in eodem per fenestras hinc & hinc fluitarent.

Item circa festum exaltationis S. Crucis ex ordinatione Johannis Ducis Bavariæ castrum Reichenstain situm in sylva Bohemorum, quod Hussitæ per traditamenta occupaverant, obsidetur, & fortiter impugnatum per placita tandem obtinetur. *Reichenſtain.*

Item in die S. Catharinæ in Mediolano in domicilio S. Ambrosii, Sigismundus regium diadema suscepit.

Item circa adventum Domini Hussitæ cum magna securitate, benevolentia, & libertate ipsis facta, conducente eos inter alios Conrado Episcopo Ratisponense in propria persona, ad Concilium Basilienſe proficiscuntur. *Hussitæ Basileam.*

Anno Domini MCCCCXXXIII. die dominica in Octava Innocentum, propter excrescentiam insolitam aquarum iterum fons aquæ viventis in ambitu nostro suavis ad potandum cœpit erumpere & largiter fluere, quousque aquæ nimium excrescentes illum suffocarent. 1433.

Item Wilhelmus Dux Bavariæ protector Concilii Basilenſis, Margaretham filiam

Adolphi Ducis de Clivis ætatis circiter XVIII. annorum duxit in uxorem. Quæ concepit, & anno ſequenti peperit filium nomine Adolfum.

Item feria VI. poſt dominicam Miſericordia, in die S. S. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, caſtrum Werd ab Epiſcopatu Ratisponenſi in poſſeſſionem eſt receptum. Ubi notandum, quod hoc caſtrum priſcis temporibus ab Epiſcopatu Ratisponenſi ducatui Straubing pro millibus florenorum fuit impigneratum. Dum igitur idem caſtrum in diviſione terrarum in manus Ducis Wilhelmi perveniſſet, & Heinricus Nothaft quondam Vicedominus ejusdem Ducatus idem caſtrum teneret; Dux Wilhelmus eidem Nothaft tertiam ſummam ſibi debitam perſolvit, & dictum caſtrum Werd epiſcopatui reddidit, dimiſitque in ſumma capital ad honorem Dei libera voluntate millia florenorum. Ob hoc ad perpetuam rei memoriam Epiſcopus Conradus in ſignum gratiarum actionis eidem Duci Wilhelmo Anniverſarium ſingulis annis in Eccleſia Cathedrali inſtituit peragendum.

Werd Caſtrum.

Item poſt feſtum Paſchæ Huſſitæ de Concilio Baſilienſi cum ſolenni ambaſiata ipſius Concilii ad Bohemiam redeunt. Qui habitis Pragæ variis tractatibus, & præſertim de pace, rebus variatis, coacti ſunt per aliam viam in regionem ſuam redire. Ex tunc ſtatim circa feſtum S. Margarethæ, Huſſitæ cum valido exercitu oppidum Pilsna, quod fortiter cum Catholicis ſtetit, obſederunt. Nec eſt prætereundum, quod iisdem temporibus Pragæ tanta fuit tempeſtas aëris, & grandinis immenſitas, ac aquarum excreſcentia, quæ non poterant enarrari. Ambaſiatoribus etiam Concilii Pragæ exiſtentibus, non erat domus, quin in ea eſſet mortuus aut infirmus, præterquam in domo ambaſiatorum, cunctis dicentibus, quod hæc fierent juſto judicio divinæ ultionis.

Pilſen.

Item die ultima menſis Maji in die ſancto Pentecoſtes Sigismundus Romanorum Auguſtus, & Ungariæ ac Bohemiæ Rex ab Eugenio Papa IV. Imperiali corona Romæ coronatur.

Item XVII. Junii, quæ fuit feria IV. infra octavam corporis Chriſti nobis veſperas cantantibus facta eſt eclipſis ſolis, & factæ ſunt tenebræ tam magnæ, ita ut in choro non eſſet lux ad legendum. Hujusmodi tamen tenebræ non diu duraverunt. Prognoſticavit autem quidam has fieri tam magnas, quantæ ab initio ſeculi non fuiſſent, præterquam in paſſione Chriſti.

Eclipſis Solis

Item in illo anno Ungari peregrinati ſunt ad Aquisgranum. Eodem anno venerunt ad terram noſtram quidam de populo Ciganorum, * qui dicebant ſe eſſe ex Ægypto.

**Zigeuner.*

Item in menſe Auguſto die XVII. nobiles de Auſtria cum totidem nobilibus de Suevia Straubingæ cum acutis lanceis haſtiludium fecerunt. Hos ego laudibus extuliſſem, ſi illi hujusmodi pompam in ſubſidium Catholicorum in Pilsna ab hæreticis obſeſſorum convertiſſent.

Item feria IV. die XVI. menſis Septembris Huſſitæ de obſidione oppidi Pilſen in Bohemia miſerunt partem exercitus, in numero duorum millium virorum in Bavariam, qui à feria IV. prædicta uſque in feriam II. ſequentis ſeptimanæ in qua erat feſtum S. Matthæi Evangeliſtæ, terram incendiis, ſpoliis, de pecuniationibus, & Catholicorum captivationibus crudeliſſimè perturbabant. Tunc temporis Johannes Dux Bavariæ, filius quondam Ruperti Regis Romanorum perſonaliter in Nurnberg erat conſtitutus, & is ſpiritu Dei contra filios præfidiæ accenſus perſonaliter cum filio ſuo Chriſtophoro cum eisdem Hæreticis paratus erat inire bellum. Sed prohibitus à militia cum videret tot mala, confiſus in Deo à quo eſt victoria, equeſtres paucos quos habuit, minus (ut dicebatur) ducentis, cum plebe ruſticana cupida & fervida ad pugnandum, contra illos peſſimos Hæreticos miſit. Et factum eſt (donante Domino bonorum omnium diſtributore, ut commiſſo prælio glorioſiſſima victoria de hoſtibus obtineretur, occiſis de Hæreticis MCCCC. viris (ut putatur) vel plus: de Catholicis autem (ut æſtimatur) quaſi decem numero interierunt. Hujus prælii Heinricus Pflug fuit capitaneus Wilhelmus Paulstorfer vexilliſer, graviter ſagitta vulneratus, & Johannes Zenger miles ſeptuagenarius, ſtrenuus præliator.

Johannes Palatinus.

Dum

Dum hæc agerentur, Archiepiſcopus Lugdunenſis ex parte Concilii fuit Ratisponæ, tractabatque de pace inter Ludovicum & Heinricum Duces Bavariæ: ſed dum rei finem habere non poſſet, ipſe idem Archiepiſcopus eosdem duos Principes ad Præfatum Concilium Baſilienſe citavit.

Fuit etiam tunc Ratisponæ Fridericus Marchio Brandeburgenſis cum filio ſuo. Venit etiam poſt prædictam victoriam de Huſſitis habitam, Johannes Dux Bavariæ ſupra memoratus cum filio ſuo Chriſtophoro: & factum fuit gaudium magnum in civitate, ita ut etiam feſtivæ in cathedrali Eccleſia gratiarum actiones Deo de hujusmodi victoria redderentur.

Item, ut præſentibus & futuris clariot fiat rerum ſtatus, quædam hiſtoriæ perceptiones præcedentium ſub brevitate ſunt hîc connectendæ. Poſt expeditionem quartam anno Domini MCCCCXXXI. in Bohemia ad extirpationem Hæreticorum factam, Sigismundo Romanorum Auguſto, & Ungariæ & Bohemiæ Rege ſine aſſenſu Electorum ingrediente Italiam pro Imperiali corona obtinenda, communis vox & fama fuit in populo, quod Papa illum Regem non vellet ad Imperium ſublimare, nec ſine promotione Electorum eſſet coronandus; præſertim quod Huſſitas hæreticos in regno ſuo Bohemiæ non deleret, nec extirparet. Vulgabatur etiam, quod nullus ſecundum Prophetiam Sibillæ deberet fieri Imperator, præterquam nomine Fridericus. Ventilabatur tunc temporis quædam prophetia fratris Johannis Monachi de Peruſio ordinis S. Bernhardi, de ſtatu Eccleſiæ & Imperii. Quæ quidem Prophetia (prout experientia docuit) non fuit vera.

Item anno Domini prædicto de voluntate & auctoritate Eugenii Papæ, anno Pontificatus ejus primo, Concilium Baſilienſe per Julianum tit. S. Angeli Diaconum Cardinalem, prima die menſis Octobris inchoatur. Poſt hæc ſtatim idem Eugenius certis ex cauſis, in literis ſuis expreſſis ac in univerſum miſſis, hoc ipſe Concilium diſſolvere, vel in alium locum transferre conatur: Propter quod ad Conclium citatur, pluresque termini ad veniendum, aut concilium confirmandum eidem præfiguntur. *Baſilienſe Concilium.*

Item ex ordinatione Sigismundi Romanorum Regis, idem Concilium Baſilienſe à Wilhelmo Duce Bavariæ Comite Palatino Rheni protegitur & manu tenetur.

Item ad id Concilium Bohemi literis optimis invitantur. Qui cum libertate & ſecuritate ipſis facta illuc venientes, pro parte regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ, quatuor articulos per ipſos ſæpius oblatos defendere nituntur.

Item anno Domini MCCCCXXXII in die S. Catharinæ Sigismundus Rex diadema Italici regni Mediolani in domicilio S. Ambroſii ſuſcipit. Quem Philippus Dux Mediolanenſis per ſubditos ſuos in omnibus honorat, & tamen perſonaliter ad aſpectum ejus nunquam pervenit. Talia ipſe Sigismundus tolerat, & eidem Duci Mediolanenſi privilegia dat & confirmat. Sicque accidit memorabilis caſus. Nam inter alia propter quæ Wenzeslaus Rex Bomemiæ, frater carnalis illius Sigismundi Regis, à regno Romanorum fuit depoſitus, hic fuit articulus principalis, *Quod ipſe dominum Galeacium Vicecomitem, patrem illius Philippi, fecit Ducem Mediolanenſem, & Comitem Papienſem.* Hac igitur etiam ratione Rupertus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, poſt depoſitionem prædicti Wenzeslai in Regem Romanorum per electionem ſublimatus, dum prædicto domino Galeacio nollet privilegia per præceſſorem ſuum Wenceslaum data confirmare; ipſe impeditus fuit ab eodem domino Mediolanenſi, quod ad imperialem benedictionem non pervenit. Hic autem Sigismundus memoratum Philippum Ducem Mediolanenſem benignè ſuscipit, atque ſuis obſequentibus Romam proficiſcitur, & primum à Vaſallis Papæ impugnatur. Papa autem cum natione eſſet Venetus, Veneti ei adhærebant. Iſto ſic ſtante per Concilium Baſilienſe contra ipſum Papam proceditur. Sigismundus Romam ingreditur, & anno Domini MCCCCXXXIII. in die ſancto Pentecoſtes anno regni Romanorum XXIII. ab ipſo Eugenio IIII, imperiali diademate coronatur. Impleto verbo, *Philippus Dux Mediolan.*

Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare.

Poſt imperialem coronationem Sigismundus circa menſem Novembris, quâ viâ omnibus ferè ignorantibus, ad Concilium Baſilienſe cum pauciſſimis venit, & pro defenſione Papæ ſerioſius interponit, inter alia patres Concilii hujuscemodi verbis alloquendo: *Non æſtimetis, quod ſic poſſitis facere ſchisma, ut vobis videtur. Ego ſum Imperator, & potius vellem mori, quàm pati fieri de novo ſchisma in Eccleſia Dei.* Dum hæc fierent, Eugenius Papa per literas ſuas ad Concilium miſſas, omnes actus Sigismundi Imperatoris pro eo factos vel fiendos revocat, & nullos eſſe declarat. Interea Gibelini audierant dulcia colloquia, & proſperos ſucceſſus Imperatoris viderant,

derant, Romæ in Guelfos tumultuantur. Videns hæc Papa timuit, & occultè Florentiam confœderatam Venetis venit. Interea Pilsna oppidum in Bohemia cinctum obsidione Hussitarum angustias patitur. Concilium Basilienſe à Papa confirmatur.

Item in Bavaria à Duce Johanne, filio Ruperti quondam Regis Romanorum anno suprà scripto 1433 in die S. Matthæi Evangelistæ cum Hussitis hæreticis pugnatur, & gloriosa victoria ab eodem obtinetur. Hæc huc usq; sub brevitate quadam continuata modo sufficiant. Sequitur igitur ordo historiarum, more solito, secundum annos Domini conscriptarum.

1434. Anno Domini MCCCCXXXIV. in die S. Georgii, hoc est Sabbato post dominicam Jubilate, & etiam ipsa dominica Cantate, omnia vineta frigus & ventus urens totaliter consumpsit, dum uberrimè dispositа fuissent.

Item feria IV. ante festum Pentecostes facta est processio solennis à clero Ratisponæ, ob gratiarum actionem reddendam Domino bonorum omnium distributori, pro eo quod civitas antiqua Pragensis per adjutorium Baronum regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ, Hussitas in nova civitate Pragensi trucidavit, aliis fugientibus, aliis in aquis se ipsos submergentibus, & hoc factum est in die Ascensionis Domini. Et tunc Hussitæ qui oppidum Pilnense quasi per annum obsidione vallaverant, dominica post ascensionem Domini ab obsidione, nemini eos impugnante, recesserunt. Dicebatur quod Hussitis novæ civitatis Pragensis, à quibus habebant victualia, intendebant venire adjutorium; sed gratia Dei assistente oppidum Pilnense ab obsidione est liberatum, & civitas nova Pragensis à Catholicis, priusquam de obsidione venirent, potenter obtenta. Ex hinc cum prædicti Hussitæ (qui singulari vocabulo Orphani vocabantur) civitati Pragensi appropinquassent, Barones regni, & multi ex his, qui non stabant cum unione Ecclesiæ, propter communionem sub utraque specie, bello ipsos Hæreticos aggrediuntur, cumque pulvis terræ visum partis postræ nimium turbaret facta imploratione & invocatione divini auxilii, pulveres à parte Catholicorum per pluviam sedantur, oculi verò Hussitarum vento concitato per pulveres obscurantur. Sicque anno suprà scripto, dominica infra octavas corporis Christi bellum committitur, & à parte Catholicorum gloriosus triumphus obtinetur Christicolis paucis vel quasi nullis occisis, à parte autem Hussitarum Hæreticorum quam plurimis millibus prostratis, paucis per fugam evadentibus. Dicebant quidam, quod tunc plus quàm decem millia Hussitarum essent occisa.

Hussitarum clades.

Orphani Hussitæ.

Item Dominus Ludovicus senior Dux Bavariæ, propter multiplicem excommunicationem & anathematizationem ex parte quorundam Monasteriorum, denunciatur incidisse pœnas constitutionis quæ dicitur Carolina, sive libertas Ecclesiastica. Propter hoc Sigismundus Imperator, dum esset Ulmæ, voluit ducere exercitus contra ipsum. Videns igitur ipse Dux Ludovicus Imperatoris potentiam, literas quas habuit, ab Imperio continentes impignerationem civitatis Imperialis Schvvëbisch Werd, in summa (ut dicebatur) II millia florenorum, ipsi Imperatori liberè resignavit.

Werd Suevicum.

Item circa festum S. Bartholomæi Ambasiatores sacri Basilienſis Concilii cum nunciis regni Bohemiæ in diæta Ratisponæ conveniunt, ubi coram Sigismundo Imperatore præfati nuncii regni Bohemiæ, omissis omnibus aliis erroribus Hussitarum, solum uni articulo, scilicet communicationi sub utraque specie inhæserunt, petentes, ut communio sub utraque specie per totum regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ introducererur, alioquin inter se non possent habere pacem; & quod hujusmodi concessionis ipsis daretur bulla Concilii, & inter alia cum tali clausula: *Quod communio sub utraque specie esset utilis & salubris.* Legati autem sacri Concilii responderunt, quod aliàs in Praga fuerant super hoc articulo de communione sub utraque specie, & aliis certa puncta concordata, & manuum stipulatione firmata ex consensu congregationis totius regni. Quæ quidem capitula petebant iidem Legati deduci ad executionem, sicut & ipsi Bohemi promiserunt. Fuerunt que hujusmodi capitula ibidem in præsentia domini Imperatoris lecta: persuasitque idem dominus Imperator ipsis Bohemis, ut hujusmodi capitula concordata servarent, & deducerent in effectum. Præterea iidem nuncii Bohemorum diversas instan-

Hussitarũ instantia, de utraq; specie.

instantias fecerunt apud fideles de eodem regno Bohemiæ, qui semper in obedientia Ecclesiæ permanserunt, sicut apud dominum de Rosis* qui personaliter missus ad- *Rosenberg
rat, & alios Barones secum existentes, ac apud illos de Pilsna, & cæteros, ut ipsi vellent cum ipsis in hujusmodi communione sub utraque specie convenire. Dum igitur ipsi nuncii Bohemorum, quod petebant, nequaquam possent obtinere, multasque difficultates facerent; suasit eis Imperator, ut saltem pacem inter se haberent. At illi responderunt: *Quod concordata cum difficultatibus suis habitis ad congregationem generalem regni in festo S. Galli celebrandam referre vellent, & deinde dare responsum super hoc in Egra in festo Sancti Martini* & sic discessum.

Item in prædicto colloquio cum Bohemis habito, accidit illud notabile me- *Io. Rochizanus.*
moriæ tradendum. Presbyter magister nomine Johannes Rokizana pro parte Bohemorum erat orator. Hic animosa verbositate quasdam produxit schedulas, quas pro pugnatione patriæ sic verbis suis defendebat, quod cedere noluit sed contenta in iisdem schedulis utique per legatos sacri Concilii sic fuisse dudum in Bohemia compactata & concluſa asserere & contentiosè defendere audebat, dicens inter alia expressa & tubali voce: *Vos Legati Concilii dicitis, quod non velimus stare in concordatis: sed nos volumus dicere & scribere in universum orbem, quod vos non vultis stare in concordatis.* Ex hac contentiosa impugnatione dominus Johannes Polomar Archidiaconus Barcinonensis natione Hispanus orator ambasiatorum sacri Concilii motus spiritu, ut eundem magistrum Johannem offensorem non defensorem, nec patriæ propugnatorem fortius convinceret testimonio partis contrariæ, scilicet dominorum Bohemorum, iteratis vicibus se submisit, talique submissione & modo prædictum magistrum Rokizanam tanquam oppugnatorem patriæ tacere totaliter coëgit. Huic negotio ego frater Andreas presbyter, canonicus monasterii S. Magni *Auctor Chronici.*
Confessoris in pede pontis Ratisponensis, interfui, & sicut vidi & audivi, ita hîc scripsi.

Item audivi simile de eodem domino Johanne Polomar, quod fecit in Concilio Basilienſi. Ipse enim dum coram Sigismundo Imperatore cum quodam de parte Hussitarum contenderet, ut adversarium significantius convinceret; probationi ignis se submisit, quod tamen adversarius ille facere recusavit.

Item dum prædictus tractarus cum Bohemis haberetur, monasterium Wald- *Waldsachiū*
sachsen Ratisponensis diœcesis in Libris, calicibus, privilegiis & aliis bonis à quibusdam de parte Hussitarum Bohemorum ex insperato deprædatur. Istud malum Sigismundo Imperatori Regique Bohemiæ notificatur, & quod tunc præsens eram, intentus fui valde, cupiens audire, quid ipsi nuncii Bohemorum responderent, quando eos Imperator de hac re tanquam de pace violata conveniret. Sed nulla fuit Bohemorum responsio, quod ipsis de re sic gesta, & pace non servata nulla fuit facta interrogatio. Item plura in prædicto colloquio cum Bohemis habito, hîc sub silentio pertranseo causa brevitatis.

Hoc tempore Bohemi sic cœperunt stare cum Ecclesia, quod Catholicos manifestè non impugnabant. Vulgabatur autem, quod se præpararent ad ducendum exercitum in subsidium Sigismundi Imperatoris in partes Rheni, qui Electores ibidem utique vellet humiliare.

Item illis temporibus in partibus Rheni magna erat turbatio, & præsertim propter contendentes pro archiepiscopatu Trevirensi, nam in multis locis interdictum servabatur.

Item circa festum S. Bartholomæi Sigismundo Romanorum Imperatore existente Ratisponæ, factum est torneamentum Nurnbergæ, cui interfuit Johannes Dux Bavariæ. In hoc torneamento milites facti Romæ à Sigismundo Imperatore non *Torneamenta.*
sunt admissi, quod ipsi Imperatori (ut dicebatur) multum displicuit.

Eodem anno feria III. in die S. Clementis Sigismundo Romanorum Augusto existente in Ungaria factum est torneamentum Ratisponæ, cui Johannes & filius ejus Christo-

Christophorus & Albertus Duces Bavariæ interfuerunt. In hoc torneâmento Princeps quidam Albertus prædictus, filius Ernesti virtutibus præclarus, ob amasiam Agnetem Pernauerin, propter quam (ut putabatur) differebat ducere uxorem legitimam, fuit impugnatus & percussus. Propter eandem postea 1432. circa Festum S. Michaëlis fuit Straubinga subversa, absente Alberto Duce per Ernestum patrem Alberti,

Eodem Anno infra octavas S. Martini nocte dominicæ diei, castrum Ering, quod est episcopatus Ratisponensis, situm in territorio Kirchperg, à quodam dicto Hohenfelser, qui fuerat præfectus prætor ibidem, & de annuatione sua, sive summa pecuniarum sibi solvenda non contentus, cum adjutorio Johannis Paulstorffer ex inspecto obtinetur. Ex hinc fiunt incendia & deprædationes multæ. Tandem res per placida sedatur & prædicto Hohenfelser ad summam prius sibi obligatam mille floreni persolvuntur.

1435. Anno Domini MCCCCXXXV. circa festum Purificationis S. Mariæ, Marquar-
Regenstauff dus Stor castrum Regenstauf à Duce Wilhelmo jure precario accepit in possessionem, sic inter cætera facto placito, ut jam dicto Stoer defuncto castellum situm juxta forum memorati castri (quod jure hereditario pertinebat ad eum) cum suis attinentiis ulterius debeat ad Principes & dictum castrum pertinere.

Eodem anno XI. Kal. Maij feria V. Paschæ in terra Bavariæ vineæ iterum, sicut anno præterito, quasi omnino perierunt. Eodem anno feria IV. post dominicam Jubilate Conradus episcopus Ratisponensis Synodum ordinariam celebravit.

Bambergensium cũ clero. Eodem anno cessavit guerra inter Ludovicum seniorem Ducem Bavariæ ex parte una, & episcopum & civitatem Pataviensem, parte ex altera. Qui quidem Ludovicus Dux de castris suis Scharding & Künigstain Patavienſibus multa incommoda & damna fecit: Econtra ipsi Patavienses in territorio Scharding magnum incendium porenter exercuerunt. Hæc guerra per placita fuit sedata taliter, ut ambæ partes determinationi juris Ratisponæ per cæteros à partibus deputandos fiendæ se submiserint. Quod & factum est tempore Quadragesimali & Paschali.

Item his temporibus tanta fuit controversia inter Clerum & populum Bambergensem, quod omnis Clerus compulsus exivit civitatem, soli fratres Minores manserunt. Hujus rei sive controversiæ inter alias causas una fuit, quod cives volebant facere fossatum & murum per circuitum civitatis, ad quod eos impulsaverat imminens persecutio, & valida manus Hussitarum. Et licet verum esset ab antiquo, quod civitas ipsa non deberet circumdari muro, eo quod S. Kunigundis eam serico filo pro muro circumdedisset, tamen clerus aliquantulum in hoc assensit, ut fieret murus; quamvis postea dissentiret, quemadmodum dicebatur. Ista causa currente, & aliis propter quasdam libertates res deducitur ad Basilienſe generale Concilium, & etiam Eugenium Papam IV. Concilium cives banno ligat, Papa absolvit. Sigismundus Imperator, tanquam arbiter (ut dicebatur) ab utraque parte electus, civibus dat auream Bullam, Clerus non contentatur. Propter quod Episcopus Antonius de Rotenhan, & Canonici Ecclesiæ Bambergensis circa festum Petri & Pauli exercitum in obsidionem ipsius civitatis ducunt. Res ipsa pacificatur, & per placita sedatur; & sic Clerus ad civitatem est reversus.

His temporibus Johanni de Ottenvvald Episcopo Herbipolensi omnis potestas administrandi fuit ablata, & tempore vitæ suæ certa summa pecuniarum cuncto dominio deputata. Hanc ordinationem factam per Archiepiscopum Moguntinensem & alios Principes (ut audivi) per modum compromissi, ipse memoratus Episcopus Herbipolensis non habuit ratam. Quapropter sæpius ducti sunt exercitus ex parte ipsius Episcopi, & similiter partis alterius, scilicet capituli & civium Herbipolensium. Hæc multa indigerent experientia, si quis vellet ea clarè scribere. Hoc sufficiat ad præsens, quod idem Johannes Episcopus nobiles & cives in suo principatu modis quibus potuit, potenter perdomuit & subjecit.

Item

Item eodem anno, feria III. Idus Septembris obijt inclytus Princeps Wilhelmus Dux Bavariæ, sepultus Monaci. Hic reliquit filium nomine Adolphum, & uxorem gravidam, quæ peperit filium nomine Wilhelmum, sed paucis diebus supervixit.

Item Ludovico Comiti Palatino Rheni filio Ruperti Regis Romanorum, dilectori cleri, & auctori cultus divini, per consiliarios suos, assentiente ejus uxore, ablata est administrandi bonorum facultas, propter ejus largitatem. Erat enim vir laude dignus, sed tamen claris oculis parum vel nihil videbat. Dixit mihi quidam se audivisse hujusmodi subscriptam historiam; Quadam die prædictus Princeps Ludovicus dum esset in Ecclesia, vocavit ad se coram populo filium suum adhuc puerum, & primum ei blandiens magnam dedit alapam. Cui filius, *O domine, dicite in quo ego vos læsi, quare me sic percutitis.* Ad hæc pater: *volo fili, ut per hanc alapam memor sis injuriarum, quæ mihi à matre tua inferuntur.* *Ludovicus Palat. Ruperti F. depositus.*

Item ante festum Nativitatis Domini, dum in castro inferiori Pataviæ minus cautè & improvidè ageretur cum pulveribus bombardarum, factum est incendium, & idem castrum exustum.

Anno Domini MCCCCXXXVI. Ambasiatoribus sacri Basilienſis Concilij, & Bohemis in oppido Ungariæ Weissenburg cum Sigismundo Imperatore existentibus, refertur facta esse concordia talis inter Ecclesiam Catholicam ex parte una, & Bohemos (qui non plus Hussitæ hæretici nominantur, sed Bohemi) parte ex altera. Et ob hoc in signum gratiarum actionis feria IV. in vigilia purificationis S. Mariæ solennis processio habita est Ratisponæ. 1436. *Pax Bohemorum cum Catholicis.*

Eodem anno circa carnis privium, Heinricus Dux Bavariæ Lantzhut, castrum Laber emptum in possessionem accepit. Tunc Nobiles isti dicti de Laber, castrum tituli sui possidere defierunt. *Laber castrum.*

Eodem anno in Quadragesima de turri antiqua, quæ est secus aulam episcopalem Ratisponæ, campanæ magnæ missæ sunt deorsum, & ad novam turrim pensæ, procurante hoc Domino Conrado Kônhoffer canonico majoris Ecclesiæ Ratisponensis, tunc temporis magistro fabricæ.

Item durante adhuc termino treugarum, quæ inter Ludovicum & Heinricum Duces Bavariæ, per Sigismundum Romanorum Imperatorem Ratisponæ fuerant factæ, inter eosdem Principes guerra est exorta, non propter principalem causam dissensionis, scilicet terrarum divisionem, & ex post oppidorum & castrorum expugnationem; sed per quædam accessoria, quæ modo subscripto emergere cœperunt. Quidam quasi propriis causis ipsos moventibus Ducatum Ducis Heinrici spoliis & incendiis turbabant, & hi à Duce Ludovico in ducatu suo non impediebantur; alij à simili Ducatum Ludovici devastabant, & illi à Duce Heinrico fovebantur. Fiunt ex hinc diffidationes à Satellitibus partis utriusque, & incendia ac deprædationes, manu potenti. Inter hæc ipsi duo memorati Principes, Ludovicus & Heinricus, interse nolebant diffidare; ne pacem per Sigismundum Imperatorem inter eos factam viderentur violare. Præterea tempore prædictæ guerræ alia guerra inter Heinricum Nothaft militem antiquum ex parte una, & cognominatos Hertenberger parte ex altera est exorta, cujus causa à tali fomite processit, unus ex Hertenbergeris nomine Georgius contra prædictum Nothaft in generali Concilio Basilienſi, in curia Romana, in curia Sigismundi Imperatoris nec non coram collatione, scilicet Episcopo Ratisponensi, castrum Haylsperg judicialiter obtinuit, & ille idem Georgius Hertenberger ob hoc etiam quondam decimam in Colbenpach, tanquam pertinentem ad idem castrum Haylsperg, nititur possidere: & contra memoratus Heinricus Nothaft eandem decimam dicit esse sui juris, unde & eam potenter colligit, & per viam juris defendit. Istis sic occurrentibus, duo alii ex cognominatis & consanguineis Hertenberger, & supra dictus Nothaft incipiunt prædas & incendia furiosius exercere: Georgius autem Hertenberger in via juris perseverat. Et licet Hertenberger essent minus potentes, habebant tamen plurimorum favorem; & ipsum Nothaft, quamvis po- *Hailsperg.*

tentem & se defendentem, incendiis, prædis, & pauperum captivitate quamplurimum perturbabant. Accidit præterea quidam casus, propter quem indignatus Dux Albertus filius Ducis Ernesti supra memorato Duci Ludovico confœderatur. Hoc in
Dingelsing. tempore septimana Paschali Dingelsing oppidum Ducis Ludovici ab exercitu Ducis Heinrici obsidetur, sed non obtinetur. Itaque prædictus HEINRICUS Nothaft Heinrico Duci jungitur, ejusque capitaneus ordinatur. Interea navis cum rebus Ducis Ludovici à Duce Alberto in territorio Vohenburg conducitur: sed vasallli Ducis HEINRICI, qui erant in oppido Neustat, Ducem Albertum & ejus conductum non curantes, bona in eadem navi diripiunt. Ex his & aliis Albertus Dux contra Heinricum Ducem commotus, eidem diffidationem facit; & prædictum oppidum Neustat, quod jure proprietatis erat Ducis Ernesti supra memorati, sub forma autem impignerationis Ducis Heinrici ab eodem Alberto obtinetur. Dominica igitur Jubilate Fridericus Marchio Brandenburgensis, & Johannes Dux Bavariæ, pro concordia fienda Ratisponæ conveniunt. Iisdem verò Principibus Ratisponæ existentibus, Dux Albertus supra nominatus, & Dux Ludovicus juvenis filius Ludovici
Abensperg. antiqui memorati, ab Johanne de Abensperg in Abensperg intromittuntur. Exinde procedens ipsorum exercitus, feria II. post prædictam dominicam Jubilate in offensam Heinrici Nothaft, Aufhausen, Mangolting, Stenhofen, & ceteras villas comburit. Ex tunc feria III. sequenti, in die S. S. Apostolorum Philippi & Jacobi, ipse Heinricus
Meyperg. Nothaft forum dictum Meyberg, in Ducatu Ducis Ernesti patris Alberti Ducis sæpius memorati, ex insperato (dum incolæ utpotè amici nihil timerent) spoliis, incendiis, & pauperum captivitatibus devastat. Istis malis sic factis, in prædicta diæta Ratisponæ inter Principes Heinricum & Albertum fiunt treugæ usque ad festum Pentecostes.

Item in diebus Rogationum Geilshening, quod pertinet ad territorium Kirchperg Ducis Ludovici, ubi Ecclesia & cæmiterium de novo erant incastellata, & exinde in hoc tempore litis fiebant pericula, incendia, & deprædationes, ab Heinrico Nothaft ex parte Ducis Heinrici potenter obtinetur.

Item circa festum Pentecostes ab Heinrico Duce Dingolfing secundo obsidetur, Heinrico Nothaft capitaneo obsidionis existente.

Item in diebus Pentecostes Fridericus Marchio Brandenburgensis, Ernestus, & filius Albertus, Johannes sororius ejusdem Alberti, & Heinricus Duces Bavariæ Ratisponæ conveniunt, fitque concordia inter Heinricum & Albertum Principes jam memoratos per modum compromissi, sic tamen, ut oppidum Neustat, quod ipso Dux Albertus obtinuerat, amodò debeat possidere.

Item Dominica Trinitatis in die S. Erasmi, Eychstadiæ Principes convenerunt, ubi propter personalem præsentiam Ducis Ludovici interdictum servabatur, & sine concordia est discessum.

Item feria V. in octava corporis Christi, Dingolfing oppidum supra memoratum ab Heinrico Duce obtinetur.

Item Leonhardus Episcopus & cives Patavienses cum Duce Heinrico habitis tractatulis Scharding oppidum, & castrum Kunigstain obsidione circumdederunt.

Item Johannis Bäptistæ, Kirchperg castrum à Duce Heinrico & ejus capitaneo Heinrico Nothaft obsidetur, & feria II. & post octavas ejusdem festi obtinetur.

Compositio inter Ludovicum & Heinricum Duces. Item Ernestus Dux Bavariæ attendens, quod dissensionem inter Ludovicum & Heinricum Duces Bavariæ non posset placare, tempestivè scilicet à tempore Quadragesimæ, antequam mala supra memorata sic invalescerent, diligentiam suam in Concilio Basilienſi fecit, reducens ad memoriam fidelitatem fratris sui Ducis Wilhelmi, protectoris quondam ipsius Concilii, rogansque ut ob bonum pacis sacrum Concilium Ambasiatores suos in Bavariam mittere dignaretur. Missi sunt igitur Johannes Episcopus Lubecensis, provinciæ Bremensis, & Magister Nicolaus de Cusa, Diaconus

conus postea Cardinalis tit. S. Petri ad vincula, Præpositus monasterii Meinfelt Trevirensis diœcesis, doctor Decretorum: ad quorum solicitudinem in diæta Ratisponæ habita, factæ sunt treugæ præter spem, à dominica post festum S. Jacobi tunc instantis, ad quatuor annos, ad instar treugarum prius per Sigismundum Romanorum Imperatorem Ratisponæ factarum, inter Ludovicum seniorem & Ludovicum juniorem filium ejus Comites Palatinos Rheni, & Duces Bavariæ, Comitesque Mortaniæ & Graispach parte ex vna; & Ducem Heinricum & cum eo in liga existentes, scilicet Fridericum Marchionem Brandeburgensem, tanquam capitanæum ligæ seu confæderationis, & Johannem Ducem Bavariæ, Ludovicum, Ulricum, & Wilhelmum Comites de Ottinga, & cives Civitatum Imperialium, scilicet Rotenburg super fluvium Tauber, Svvebischvverde, Nordling, Dinckelspühel, Weissenburg, & Popfingen, & specialiter dominum Leonhardum Episcopum Pataviensem, & cives ibidem, parte ex altera, cum cæteris clausulis, quarum aliquas ex literis vulgaribus desuper confectis extractas, & in Latinum translatas pro Chronicis hic inserere curavi.

Item castrum Künigstain prope Pataviam debet destrui, quod per cives Patavienses factum est, & non reædificari, nisi judicialiter fuerit obtentum.

Idem Scharding Dux Ludovicus debet possidere, sic tamen quod ex ordinatione ejus ita possideatur, ut nemo periculum aliquod exinde patiatur. Et si ipse Dux Ludovicus aliquid novi ibi voluerit ædificare, hoc debet facere de bonis propriis, & sine aliorum gravamine.

Item Ecclesiasticæ & seculares personæ, & eorum adjutores, uti debent antiquis suis libertatibus & juribus, & nullis novitatibus gravari: & in hoc à prædictis duabus partibus, similiter & Duce Ernesto, & ejus filio Duce Alberto, nec non patruo ipsorum Duce Adolpho, debent manu teneri & defendi sine dolo.

Item si aliqua partium in aliquo articulo vel pluribus gravaretur, tunc Episcopus Eistetensis, qui pro tempore fuerit, requisitus secundum modum & formam in supra memoratis literis expressam, judicium & justitiam Ratisponæ facere tenetur. * al. parte.

Interim litteris prædictis nondum totaliter sigillatis, monasterium Ebersperg in Ducatu Ludovici à vasallis Ducis Heinrici in bonis suis deprædatur.

Item secundum tenorem literarum castrum Künigstein à civibus Patavienſibus destruitur. Hoc castrum primò ab Heinrico Nothaft, dum esset vicedominus Bavariæ inferioris, in die trium regum in structura cœpit ordiri, & ideò Künigstain nominari. Hæc propter brevitatem hîc sufficiant. Ceterum propter hanc supra scriptam guerram seu guerras hoc pro memoriali ad posteros est transmittendum, quod plurimorum vox fuit; *Quod guerra supra scripta tenderet in dejectionem Heinrici Nothaft sæpius memorati.* Sed contigit contrarium, quemadmodum ex supra scriptis haberi potest.

Item eodem anno Dominica XVIII. in die S. Marci Papæ, factus est sermo ad populum in Ecclesia majori Ratisponensi propter spem & dispositionem reductionis Ecclesiæ Orientalis sive Græcorum ad Ecclesiam Occidentalem sive Romanam. Et auctoritate Concilii Basiliensis publicata est plenaria indulgentia peccatorum, semel in vita, & semel in mortis articulo, quæ dabatur his qui confessi & contriti contribuunt ad expensas, quæ dandæ erant pro Græcis ad Concilium Oecomenicum, id est, generale. *Græcorum reductio ad Ecclesiam.*

Item eodem anno circa festum S. Leonhardi Albertus filius Ernesti Ducis Bavariæ Annam filiam Dunis de Brunsvvick ducens uxorem, nuptias Monaci celebravit.

Anno Domini MCCCCXXXVII. IIII. Kal. Jan. obiit inclytus Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ Ludovicus filius Ruperti Regis Romanorum; relinquens filios tres, scilicet Ludovicum, qui ei successit in Comitatu, Rupertum & Fridericum. 1437.

Anno eodem in commemoratione omnium animarum, hora quarta ante ortum diei, quidam de secta Hussitarum valentiores, numero ferè quadringenti in unum congregati, oppidum Moraviæ Luttavv per scalas ingrediendo occupaverunt, præter unam turrim, ad quam quidam civium numero ferè decem confugerunt: Ex quibus unus emissus rem gestam per gyrum divulgavit. Insurgentes igitur primùm de oppido Nevvstat, quod per Albertum Ducem Austriæ ante fuerat destructum, & postea de Olmuuz cum cæteris convicinis prædictum oppidum Luttavv die præfata, hora quarta post meridiem viceversa obtinuerunt, adversariis aliis occisis, aliis suspensis, aliis captivis captivitati præfati Ducis Alberti Marchionis Moraviæ reservatis.

Luttavv Moraviæ.

Item eodem anno XIV. Kal. Octobris Eugenius Papa Bononiæ residens Concilium Basiliense sub gravibus pœnis solvit, & mandat ut intra certum terminum dierum ad Ferrariam se transferat. Econtra idem Concilium non assentit, & ideo per Decretum suum simili modo sub gravibus pœnis processum cassat & annullat. Mittiturque ab eodem Concilio Basiliensi dominus Gregorius Vicensis Episcopus Catelanus ad Sigismundum Romanorum Imperatorem, tunc Pragæ existentem, ut in re tam grandi ejus voluntas & consilium audiatur. Imperator autem priusquam illa legatio ad eum perveniret, gravi infirmitate tentus & laborans, propter quam etiam pedica sibi fuit abscissa, subito & ex insperato circa festum S. Martini cum uxore sua à Praga recessit, & in Znayma oppido Moraviæ V. Id. Decemb. in contritione & devotione magna obiit, ductusque in Ungariam, & in Ecclesia Bardinensi Strigonensis provinciæ tumulatus. In cujus memoriam facta sunt carmina sequentia pro Epitaphio sculpenda:

Basilienſis Concilii ſolutio.

Sigismundi Imp. obitus.

Cæsar & Imperium tuus en ego Roma sacratum
Rexi non ense, sed pietatis ope:
Pontificem summum feci spretis tribus unum,
Lustravi mundum, schisma necando malum.
Turcos oppressi, & barbaras gentes excussi:
Ampla dominia contulit manus mea.
Et sunt Ungaria mea regna Bohemia plura.
Pace Sigismundus hic requiesco pius.
Ac iter in Znayma mihi mors præclusit amara,
Cum grege Catholico transeo fine bono.
Anno milleno, quater centum, terdecem adde,
Ac septem, mensis Decembris, dieq; nono.

Hic Sigismundus postquam in Romano regno triginta septem annis regnavit, anno quarto post Imperialem coronationem sentiens sibi mortem vicinam, Imperatricem ne aliquid mali marchinaretur, custodiri jussit, & omnia regna sua ac alios Principatus ubicunque vnicæ filiæ suæ dominæ Elisabeth, ejusque marito Alberto Duci Austriæ ex testamento legavit, quamvis jus successionis suffeciisset. Ejus denique verba, quæ elevatis manibus & oculis lacrymosis coram omnibus astantibus ad ambasiatores in regnum Bohemiæ destinandos protulit, hujuscemodi fuisse memorantur: *Fideles dilecti, imminere mihi video mortis periculum, & quod omnipotens Deus vult laboribus meis, quos pro Ecclesia sancta & bona fidelium tantùm sustuli, dare finem. Ideò vobis committo, & strictissimè mando, ut, non obstante morte mea, legationem vestram omnino perficiatis, rogetis & requiratis universum regnum Bohemiæ, ut filiam meam & filium admittant & suscipiant ad gubernacula & dominium regni, attentis juribus hæreditatis & successionis juxta Bullam auream, quam Regnum desuper habuit; in qua expresse habetur; Quod feminæ succedunt sicut & filii. Et sic avus meus rex Johannes ad regnum pervenit Bohemiæ, & multi prædecessores sui. Similiter & ego per sidiam regiam, Ungariam obtinui. Attentis etiam inscriptionibus solennibus inter*

domos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

domos regni Bohemiæ & Austriæ, quas prædecessores nostri laudarunt & sigillarunt, & juramento præstito pro se & hæredibus & successoribus in perpetuum servare promiserunt: Quemadmodum & literas reversales omnium terrarum suarum in castro Karlstain una cum aurea Bulla reperietis, de quibus inscriptionibus benè tempore suo informabuntur per istos nuncios filij mei, quos vobis adjungo. Attento etiam meo ultimo testamento eos avisando, quod si hoc fecerint, claram justitiam fovebunt, regnum pacificabunt, nobis complacebunt, sibi & posteris suis benefacient, & erga totam Christianitatem honorem acquirent. Imò si omnes rationes meæ & desideria non essent, tamen attenta probitate, honestate, & vita ordinata illustris Ducissæ; & justitia, veritate & virtutibus, opibus, potentia ac vicinitate terrarum ipsius Ducis; & quod ego etiam regnum Ungariæ ipsis dedi, ubi per Dei gratiam acceptabuntur; & propter unire tot regna magna & dominia, ipsi deberent eos etiam de novo & libera voluntate eligere. Et sic eis omnino persuadeatis, quod ea fideliter dicimus, & consulimus. Deus novit, ad cujus gratiam jam vocamur. Quoniam si secus fecerint (quod absit) quacunque levi aut inde ab enata suggestione, memores sint mei testamenti: quod hoc fieret contra justitiam & honorem, Deum offenderent, nec hoc in longum quoquo modo durare posset, & redundaret in maximum periculum & regni confusionem, & offensiones incolarum, & maximum scandalum, de quo ego coram Deo innocens esse volo, quod fideliter apud eos feci. Hæc de testamento Imperatoris Sigismundi.

Item eodem anno feria quarta, XIX. die Decem. in Prusanio, Albertus Dux in regem Ungariæ est electus.

DE ALBERTO DUCE.

ANno Domini MCCCCXXXVIII. Albertus Dux Austriæ & electus Rex Ungariæ, in die Johannis Evangelistæ Pragæ in Regem Bohemiæ est electus.

Item eodem anno IX. Kal. Febr. Concilium Basilienſe in sessione publica in majori Ecclesia Basilienſi celebratum, Dominum Eugenium Papam quartum ab omni administratione Papatus in spiritualibus & temporalibus suspendit ac suspensum declaravit. O quàm dolendus casus? o quam gravissima inter Christianos tunc scissura per divisionem Ecclesiæ Latinæ in oculis Græcorum est aperta; quæ initium posuit, dum æstate præterita postquam Concilium Basilienſe, ad quod huc usque pertinebat nominatio loci, pro Concilio cum Græcis celebrando, galeas ac alia necessaria præparavit, & in Græciam misit pro conductione ipsorum Græcorum. Eugenius autem Papa alias galeas misit, & Græcos in Ferrariam, ad quam ipse Concilium convocavit, adduxit.

Eugenij PP. depositio.

Concilium Ferrar.

Anno eodem feria quintâ post oculi die XX. mensis Martii electores, scilicet Theodericus Moguntinenſis, Theodericus Colonienſis, Rabanus Treverenſis archiepiscopi, Otto Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, tutor Ludovici Comitis Palatini Rheni, Fridericus Marchio Brandenburgenſis, concorditer Albertum Ducem Austriæ, electum regem Ungariæ & Bohemiæ, in Franckfordia in regem Romanorum elegerunt.

Alberti us Imp.

Item eodem anno, feria tertia in octava Johannis Baptistæ, Ernestus inclytus Dux Bavariæ obiit, Monaci sepultus, relinquens filium Albertum.

Item eodem anno circa festum S. Augustini Anna uxor Alberti Ducis peperit filium secundum nomine Ernestum.

Anno Domini MCCCCXXXIX. Christophorus filius Ducis Johannis Bavariæ factus est Rex Daciæ, Norbegiæ, & Sueciæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hucusque frater Andreas presbyter Canonicus S. Magni Confessoris in pede pontis Ratisponensis.

Quæ sequuntur, addidit Leonhardus Pauholtz de Operchoven, presbyter diœcesis Ratisponensis. Primò præmittitur præfatiuncula.

PRÆFATIO.

Diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam & priusquam incipias, consulto; & ubi consulueris, maturè facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget. Virtuti enim omnia parent: non habita acquiruntur, habita verò conservantur. Namque facilè quid iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Sed in magna copia rerum, aliud alii natura iter ostendit. Pulchrum namque est bene facere Reipublicæ: etiam benedicere haud absurdum est. Vel bello, vel pace clarum fieri licet. Et qui fecere, & qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. At me quidem tametsi inculti sermonis haud gloria sequatur scriptorem, series tamen ne pereat rerum, ipsa deposcit.

Ludovicus Barbatus Dux Bavar.

Primò igitur prosequar historiam Ludovici de Ingolstat, dicti cum Barba, de quo supra habitum est. Idem Dux concepit odium contra filium suum Ludovicum, & (ut creditur) ex malis suggestionibus Alberti Marchionis, quibus filium incitavit contra patrem: ita quod pater eundem exheredare volebat, & alium illegitimum in locum substituere. Filius verò invocato auxilio Marchionis præfati, cujus etiam sororem habebat in uxorem, patrem obsedit in Nevenburg Danubiensi, & captum detinuit; & tempore brevi post è vita migravit. Quod postquam Marchio comperit, Ducem præfatum in suam cepit potestatem, & de Nevvburg abduxit in Anspach, donec tempus nactus oportunum, eundem pro triginta duobus millibus florenorum Duci Heinrico de Lantshut vendidit. Idem etiam Dux Heinricus possedit omnes civitates, oppida, castra & villas; imagines B. Virginis, archangeli Gabrielis, similiter & Apostolorum, præfati Ducis Ludovici. Ipsum verò captivum duxit in Purckhausen, ubi mansit usque ad diem mortis suæ, & mortuus sepultus fuit Rotenhaslach. Idem Dux Ludovicus in Francia tredecim campestria peregit bella. Tempore etiam senectutis adeò fortis brachiis fuit, ut si quem comprehenderet, nisi aliorum viribus, propriis excutere se non valeret de manibus suis.

1448. *Philippus Pal. nat.*

Anno Domini MCCCCXLVIII. in die S. Remigij Ludovico Palatino Rheni & Bavariæ Duci natus est filius, cui nomen apratum est Philippus.

Fridericus tutor Philippi.

Deinde anno sequenti Ludovicus præfatus sentiens appropinquare terminum vitæ, designavit tutores puero Archiepiscopum Moguntinum, & Udalricum Comitem de Wirtenberg. Fridericus verò frater Ludovici defuncti, jure propinquitatis onus tutelæ in se voluit transferri: quod & admissum fuit, eo pacto, *ne aliquando legitimum contraheret matrimonium*, juramento præstito firmitatis indici roborato. Ex tunc pueri curam assumpsit, & affectu paterno omni decentia usque ad annos pubertatis educavit Haydelberg cum suis attinentiis in possessionem cepit. Civitates autem Bavariæ, quarum principalior fuit Amberg, puero homagium fecerunt, procurante patre ejus, dum adhuc in humanis ageret. Requisiti igitur à Friderico sibi eadem præstare, denegarunt, ea de causa, *Ne perjurii incurrerent reatum.* Et ne temeritate quadam hoc facere viderentur,

Ambergenses & alij Friderico rebelles.

rentur, vólebant se offerre declaratione Episcopi Ratisponensis (tunc enim præsidebatur Fridericus de Planckenfels) tanquam eorum curati, vel universitatis Wiennensis, tanquam in hac parte neutralis: quæ idem Palatinus Rheni acceptare renuit. Interim dum hæc agerentur, misit eis consiliarios suos: inter quos Doctor juris quidam certis atriculis* nitebatur asserere, *Eos nequaquam labe hujusmodi affici: sed hoc faciendum omnino expediret, illæsas etiam conservaturos conscientias.* Ad articulos verò eosdem mechanicus quidam respondit, nodos prudenter absolvit, ac rationes adductas penitus enervavit. Ita quod super his cum eo tempore studii causa essem Haydelbergæ, doctissimos admirari audivi. Hujusmodi igitur probationibus *postergatis, dicti Consiliarii quinque exierunt civitate, sollicitantes apud alias, quæ responderunt: *Quicquid Ambergenses tanquam principales facerent, idem & ipsi facere non abnuerent.* Et dum iterum atque iterum hæc geruntur, divisus est populus in diversa, atque ortus tumultus. Omnes consiliarios eosdem ceperunt, tanquam civitatis proditores in vincula conjicientes: Et nisi quidam de Consulatu interveniissent, omnes exitio finali addicti fuissent.

*f. argumentum.

*f. persuasionibus.

Deinde ANNO Domini MCCCCLIV. tempore Carnisprivii, Palatinus personaliter ingressus civitatem cum notabili multitudine: cui obviam venerunt Clerus cum reliquiis, Laici similiter abjectis armis. Rei verò seditionis per muros & aliàs, prout poterant, evaserunt. 1454.

Quidam tamen capti: quorum decem producti in publicum, ex his quinque precibus erepti, & quinque capitibus plexi. Deinde juramento fidelitatis ab eis sumpto, rediit Haydelbergam. Post hæc renovavit castrum, ac fossato firmavit, & portam egrediendi & ingrediendi civitatem per castrum fecit, quæ antea non fuit: de qua vehementer cives dolebant, ex eo qnia raro ibi habitat Princeps, aliquando etiam Locumtenens abest, & civitas absque custodia sufficienti relinqui potest. Ipse tamen Palatinus postea magno semper favore & gratia Ambergenses est prosecutus usqué in diem mortis suæ. Quæ fugientibus tempore sui ingressus abstulit, postea cuncta reddidit.

In ordinem coacti.

Anno Domini MCCCCLXII. ultima die mensis Junii, quæ est festum commemorationis S. Pauli, Episcopus Metensis Marchio de Baden, Comes de Wirtenberg hostiliter invaserunt terras Palatini Friderici, & tempore nocturno applicuerunt finibus Haydelbergensium. Quibus compertis Palatinus 1462.

Friderici Victoria III. Principum.

Cum primum aurora respergit lumine terras,
Ad bellum animos refecitque ad prælia suos,
Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber,
Tunc timido manat ex omni corpore sudor.

Eo conflictu sic durante, tres præfatos cepit, cum pluribus eorum, multis vulneratis; quos in civitatem ad civem Flurer dictum, Principes verò duxir in castrum suum. Qui postea libertate donati sunt, modo & forma quibus infra.

ANNO Domini MCCCCLXVIII. Am Sambstag nach Antonii/ ist der Bischoff von Metz ledig worden. Am ersten hat er gegeben funffzehentausend gulden. Item er sol in etlichen Jahren geben zwantzig tausent gulden. Auch hat er jhm an Land geben / das Frießland/ das mag er wider lösen umb zehen tausent gulden. Item darzu sol er allen vnwillen vnd vngnad gegen dem Bapst/ vnnd dem Kayser in der frist abtragen / oder darfür geben zehen tausent gülden. So ist der Bischoff mit allen seinen mitgefangenen verbündlich 1468.

lich worden/wider den Pfaltzgrafen nicht stehen / noch versprechen / noch schaffen/zu thun/weder heimlich noch öffentlich/ohn gefehrde.

Item Marggraf von Baden ist am Pfinstag nach Quasimodogeniti ledig worden: Anno/ ut supra. Am ersten hat er geben zwantzig tausend gulden. Besigkaim mit seiner zugehörung / mag er lösen für dreissig tausent gulden. Der Pfaltzgraf hat darauff zum baw vier tausent gulden/ sol er zahlen nach dem sie verbawet sind. Item Pehenhaim mit seiner zugehörung mag er lösen für zehen tausent gulden. Item / Sponhaim / die Grafschafft / und was zu Kreutznach gehöret/mag er lösen für zwantzig tausent gulden. Item Pfortzhaim mit seiner zugehörung sol der Marggraf vnnd seine Erben hinfür zu Manlehen empfahen von der Pfaltz/oder darfür geben funfftzig tausent gulden. Item er vnd seine mitgefangene seynd dem Pfaltzgrafen verbündlich/als der Bischoff. Auch alle gerechtigkeit ist ab / die der Marggraf vermeynet zu haben zu Haydenhaim vnd zu Epping.

Der von Wirtenberg Graf Vlrich ist ledig worden in der wochen vor Cantate / anno, quo supra. Er sol geben hundert tausent gulden/ dieselben bezahlen in zehen Jahren / oder sol nach der frist Güld darvon geben. Jetzund muß er geben viertzig tausent gulden/ darfür hat er jhm eingegeben zwo Stät/ Petternaw vnd Wellingen. Er sol auch Lebenstain vnd Neckenmül (die seine Fraw inne gehabt) wider geben. Er sol Mirpach mit siner zugehörung zu Manlehen empfahen: So er das sein nit mehr thun wil / sol er der Pfaltz geben funfftzig tausent gulden. Sein Ritterschafft ist auch verbündlich als die andern. Auch alle Klainoder / die sein Fraw hinweg hat/widergeben.

1471. *Comitia in Regensburg* Anno Domini MCCCCLXXI. Imperator Fridericus curiam magnam habuit Ratisponæ. Affuerunt Electores Imperii omnes, præter Regem Boëmiæ, & Palatinum. Idem Palatinus in dominio Alberti Marchionis fortissimum expugnavit castrum dictum Pochsberg cum civitate, quæ Georgii de Rosenberg erant: quod *Bockberg.* Marchio dictus ægerrimè tulit, vindictam tamen de eo sumere non præsumpsit, quamvis se virum gereret bellicosum: & quamvis Palatinus mediocris esset statura, agilis tamen fuit, & animosus, & quoniam audentes fortuna juvat, propterea Marchio fines ejus invadere minimè audebat. Fridericus Imperator regalia sibi conferre denegavit, nisi redderet præliorum vi acquisita; & cum nollet, Imperator eum à Comitatu Palatino Rheni & Ducatu Bavariæ Augustæ judicialiter deposuit. Judex deputatus Albertus Marchio: Assessores fuerunt Episcopus Eystetensis, & alii. Et cum Imperator Fridericus decimum exigeret denarium pro defensione Turcarum, ipse Palatinus voluit capere vigesimum denarium, & exterminare Turcam & cum hoc Imperatorem Romanorum. Et quamvis judicialiter depositus esset, nemo tamen cum possessionibus privavit. Sed avunculo * suo, cujus tutor fuit, Philippo cuncta dimisit. Ipse verò carnis debitum solvit anno Domini MCCCCLXXVI. in profesto S. Luciæ, Sepultus ad Minores fratres in Haydelberg. 1476.

* *Pronepoti ex frate.*

Anno

Anno Dom. MCCCCLXXVII. in die S. Clementis Papæ & martyris, mortuus est Ladislaus Rex Ungariæ & Bohemiæ & Dux Austriæ, filius Alberti Regis Romanorum, in Praga sepultus in monte S. Wenzeslai. Post mortem ejus cessit Austria Imperatori Friderico, & fratri ejus Alberto. Imperator volens possidere Wiennam, & omnem terram infra Onasum fluvium, & quod frater ejus possideret ea quæ supra fluvium prædictum sunt. Hoc ægrè ferens Dux ALBERTUS, videns inæqualem divisionem, ingressus litem manu armata contra fratrem, cui LUDOVICUS Dux Bavariæ quodammodo condolens declinare cœpit partes IMPERATORIS, cum familiaritate & consilio eidem esset astrictus, quibus renuncians Duci Alberto adhæsit. Perpendens Imperator, quia Dux Ludovicus potens erat, disposuit per medium Alberti Marchionis Brandenburgensis, qui suggessit Duci ut recuperaret Svvebischen Werd, quæ olim ablata fuit terræ Bavariæ, & adjecta civitatibus Imperialibus. Quod & Dux præfatus fecit, & statim eam obtinuit, & possedit paucis diebus. Nam Imperator nomine Imperii civitatem præfatam postulavit, & ut spolium reddat. Dux nolens eam spolii nomine possidere, tradidit eam in manus Johannis de Aich Episcopi Eystetensis, donec judicialiter decerneretur cui tradenda esset: Episcopus verò reddidit Imperio. Quo facto Dux Ludovicus obsedit civitatem Eychstet, quæ per placita se dedit: non enim sperabat se resistere posse. Marchio verò occasionem nactus, firmavit se multis sibi adhærentibus, fratre videlicet suo Friderico de Marchionatu Brandeburgensi, Wilhelmo Duce de Saxonia Episcopis, N. de Brumpach Herbipolensi, N. de Schaunberg Bambergensi, Episcopo Metense, Comite Ulrico de Wirtenberg, Marchione Karolo de Baden, Duce Ludovico Veldense. Dux verò Ludovicus Princeps staturæ proceræ, bene formatus, neminem à colloquio suo excludens, justitiæ amator præcipuus; postquam dolum intellexit Marchionis, firmavit se auxilio Georgii Regis Bohemorum, Friderici Palatini Rheni & Bavariæ Ducis, & Alberti Ducis Austriæ. Et habita civitate Aichstet, Anno MCCCCLXI. exercitu copioso ingressus Franconiam terram Marchionis vastavit, civitates cepit, castra fregit usque ad Weissenstat supra ripam Aisch. Et dum Dux præfatus castra metatus esset prope civitatem Rot; è regione Marchio castra locavit, habentes inter eos flumen medians dictum Roth, dum speraret episcopos Herbipolensem & Babenbergensem adventuros. Qui perpendentes, quoniam causa Marchionis ipsis esset contraria & multum odiosa; accesserunt cum suis castra Ducis, cujus causam & ipsi defendere nitebantur, nam & morbo eodem laborabant. Nam Marchio dictus habebat privilegium Imperiale, *quod omnes Alemanniam inhabitantes cum finitimis citare posset, & judicialiter de eis decernere*; quod omnes Principes ægrè tulerunt, nullus tamen violenter se opposuit præter Ducem Ludovicum. Episcopi Herbipolensis fuit & alia causa. Anno enim Domini MCCCCLIX. dum Papa pius II. Mantuæ esset, advocans Alemanniæ Principes contra Turcos, affuit Albertus Marchio, qui obtinuit ab Apostolico titulum, ut se scriberet *Ducem Franciæ Orientalis*, quod vergebat episcopatui Herbipolensi in detrimentum. Nam ipse eo titulo antea, & post insignitus fuit, & hodie se scribit *Ducem Franciæ Orientalis*. Saxones autem & de Marchionatu sibi adhæserunt, donec deficerent in victualibus hominum & equorum, inedia coacti recesserunt; exercitus autem Ducis abundabat: Nornbergenses & alii satis adduxerunt, & parata pecunia vendiderunt, præter ea quod Dux de propriis adduxit, & de spoliis.

1477. *Bellum pro Austria.* *Eichstet.* *Roth.* *Marchionis Brandeburg. privilegium.* *Ducatus Franciæ Orientalis.*

Item dum Dux civitatem Weissenstat oppugnasset, & murum ejus solo coæquasset, & nondum ea potiri festinaret, dixit miles quidam dictus Wolffgangus Pianzenavver Principi: *Quidnam ageret.* Cui Princeps: *Vado*, inquit, *spatiatum, quærens consobrinum meum*, Marchionem denotans. At miles: *Si jubes, intremus civitatem, occidamus infantes cum homine sene.* Respondit Dux: *Ego bellum gero Principis non homicidæ: Contra innocentes non est mihi pugna.* Post hæc brevi interjecta morula, equites civitatis salvum obtinentes conductum, civitatem ditioni

Principis de civium consensu tradiderunt. Et dum hæc ita fierent, capitanei Ducis in Nova civitate Kulmach, Perneck, Erendorf, omnia devastant usque ad Bonsidel. Qui videntes sibi resistentiam minimè habendam, obtulerunt se Bavaris, quam Bohemi detestabantur, sed spolia de eis captare maluerunt. Quapropter partes Ducis dissidentes, civitatem oppugnare nolentes recesserunt. Hæc omnia facta sunt antequam Dux castra metaretur prope Rot, & ex adverso Marchio. Dum aut Marchio sic (ut supra dictum) angustaretur, coactus est cedere privilegio Imperiali, & Ducatui Franciæ Orientalis, & è campo Ducem tribus diebus tanquam liti cedens præire. Cum hæc dictarentur, dixit Marchio; *eligibilius sibi esse amputari caput suum, quàm talem inire concordiam.*

1462. Anno Dom. MCCCCLXII. civitates Imperiales, Augusta, Ulma, Norling, Dinckelspüehel, & aliæ superiores quasi omnes, præter Nornbergam, qui sub alis Marchionis militare nolebant, de mandato Imperatoris Duci Ludovico diffedabant, eisdem Imperator Marchionem pro capitaneo assignavit. Qui collecto exercitu *Giengen.* castra sua posuit circa Giengen prope fluvium dictum Prensz (ut sibi videbatur) loco tuto. Ibi recollegit civitates Imperiales. Quod ubi Dux comperit, maturavit occurrere, & feria secunda ante festum Sancti Jacobi Apostoli majoris, qui erat XIX. dies mensis Julii, Anno eodem castra præfata potenter aggressus. Tunc *pulverulentus eques furit, omnes arma requirunt,* sed SUEVIS, FRANCIS, & Suitensibus, *Tunc gelidus toto manabat corpore sudor.*

Nam quosdam occidit, quosdam cum capitaneo eorum fugam inire compulit, quosdam præcipitio de petra in flumen Prentz, quod subterfluit, abegit, deinde spolia tulit, & cum non esset, qui resisteret, à præliis cessavit. Quosdam conductitios ultra conventa largè ad sua remisit. Quosdam Palatino Rheni æque muneratos in auxilium misit.

Item Capitaneus ejus fuit quidam dictus Holup, vexillifer Fridericus Pinzenavver.

Fundatio Academiæ Ingolstadtensis.

Universis & singulis Ecclesiasticis, secularibus, Prælatis, & quarumcunque facultatum Doctoribus Licentiatis, Magistris, Baccalauribus, Studentibus, ceterisque, quacunque dignitate, statu aut eminentia fulgeant, ad quorum notitiam præsentes literæ nostræ devenerint, Ludovicus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, inferioris ac superioris Bavariæ Dux, amicitiam nostram, salutem & gratiam. Reverendissimi, reverendi in Christo patres, illustres Principes, venerabiles, egregii, honorabiles viri, nobis in Christo devoti, ac sinceri & fideles dilecti. Jam dudum considerantes ac animo volventes per homines literis eruditos altius & rectius divinam majestatem coli & rimari, Orthodoxæque fidei veritatem diffusius illustrari & roborari, morum decore augmentari, & humanæ conditioni optimè & salubriter provideri ac subveniri. Quam ob causam ut in Principatu & dominio nostro viri consilio maturi, virtute redimiti, maturitate conspicui, & diversarum facultatum dogmatibus clari & eruditi instituerentur à summo Pontifice sanctissimo domino nostro Papa impetravimus, quod in oppido nostro INGOLSTAT, Eystetensis diœcesis, in qua optima aëris viget temperies, ac rerum humanæ necessariarum vitæ & victus abundantia reperitur, de cætero sit universitas & studium generale futuris pervetuis duratura temporibus. Quodque Doctores & Magistri, tam in Theologia, Jure pontificali aut legali, in Medicinis & Artibus, quam in alia quacunque facultate ibidem legentes, & studentes privilegiis & immunitatibus, exemptionibus ac honoribus gaudeant & potiantur, quibus Doctores & Studentes olim in universitate Athenienſi, & modo Bononiensi, & VViennensi gaudent & utuntur. Ut autem hæc omnia efficaciorem sortiantur effectum, ac universitas hujusmodi magis ac magis Doctoribus, Magistris, & Studentibus accrescat & augeatur, perpetuo perseveret; nostram etiam in hoc auctoritatem adjecimus. Ipsam vniversitatem privilegiis, prærogativis, immunitatibus & honoribus specialibus pro nobis & successoribus nostris in Ingolstat, unà cum consulibus ibidem (quatenus tum nos, tum ipsos respicit) decoravimus; reditibus, proventibus, & emolumentis competentibus donavimus; nec non de Doctoribus clarissimis, & Magistris proba-

probatissimis, qui secunda feria post Dominicam Oculi, proximè futuram ibi legere incipient, providimus. De aliis quoque ad hæc opportunis provideri fecimus. Hæc ad vestram & cujuslibet vestrum notitiam voluimus deducere per præsentes, quatenus si quis ex vobis literarum studiis operam dare & impendere intenderet, de hoc certioratus esset, ut nos profectò curam dabimus, quod nisi id quod justum, rationabile, ac decens, & ipsis Studentibus utile fuerit à Doctoribus & Magistris præfectis, aut inibi præficiendis legatur; & Studentes cum omni diligentia erudiantur. Nos quoque ipsos Doctores, Magistros, & Studentes sic tractabimus, & per nostros officiales tractari procurabimus, ut cum omni decentia & mansuetudine universa fiant, & quæ nobis & ipsis nostris officialibus ad hujusmodi universitatis & ejusdem privilegiorum conservationem facere incumbunt, & eorum exigit necessitas. Ex castro nostro Ducali Landshut, sub secreto nostro impresso die secunda Januarii, anno Domini MCCCCLXXII.

Item adjecit terræ suæ civitatem Haydeck, quam emit cum attinentiis suis, & dictus est Dux Dives, sicut & pater Dux Heinricus.

Anno Domini MCCCCLXXIV. misit Heinricum de Absperg Episcopum Ratisponensem ad Casimirum Regem Poloniæ, ut peteret filiam Regis dari Georgio filio suo in conjugem: & dum Episcopus præfatus esset in via repedandi, scripsit epistolam subsequentem: 1474. *Legatio in Poloniam.*

Heinricus Dux Dei gratia Episcopus Ratisponensis venerabilibus nobis sincerè dilectis confratribus, dominis Heinrico Parsperger, Conrado Sinzenhover, Canonicis, Scholastico ac Vicario generali Ecclesiæ nostræ Ratisponensis, favorabili salutatione præmissa. Volentes vos aliquoties de statu nostri valetudine, ac aliis reddere certiores, quod ob defectum occurrentium obmittere cogebamur, quia nunquam in isto distanti loco, nec Principum nec mercatorum nuncij ad nos declinarunt, scriberemus libenter successum nostrum per omnia hæc tempora habitum, & exhibitum in hoc inclyto regno: sed videtur nobis durum, quia si res gestas rescietis, nulla nobis compassio à vobis exhibebitur, & non eritis nisi ridiculosi: nolumus tamen propter hoc obmittere, sed paucis vos ad risum reddere laxiores. Fecimus ex necessitate virtutem, quia quanquam substantialia Monachorum minime teneamur, tamen exactè per nos observata sunt. Fuimus enim per omne illud tempus sub bona obedientia. Nunquam lectus affuit, locus quietis non in privato, sed omnibus pro dormitorio stubæ pavimentum fuit, ubi stramen pro lectisterniis satis carè administratum: dormierunt etiam intus vituli juvenes, ne frigore premerentur, & sic mollis stratus fuit prohibitus, si non utebamur ciliceis, nec etiam lineos habuimus pannos: Potus denig, noster nunquam alius quàm cervisia, vinum rarissimè reperitur.

Item priusquam inter Reges institutæ & treugæ firmatæ, stetimus in uno loco cum maximo tædio octo septimanis & certis diebus: Ubi sine cessatione pestis quam plurimos absorbuit. Tamen omnipotens Deus ex sua misericordia, usque in hanc horam nos omnes sane vivendo feliciter conservavit.

Item institutis treugis Rex nobis audientiam dedit in civitate Radum, quæ distat à Ratispona centum & triginta milliaribus. Tamen ante audientiam, in privato omnia prius per regiam Celsitudinem & nos, quomodo ille contractus matrimonialis quod ad dotem, donationem propter nuptias, & sponsalitiam largitatem, & alia, concluſa erant. Audientia data erat in die S. Thomæ Cantuariensis, præsidente Rege, Regina, quatuor Regulis filiis eorum, Archiepiscopo, Episcopo, Baronibus, militibus, multo populo astante. Et statim post habitam audientiam, mox & in continenti Rex respondit nobis; Illustri Principi Duci Georgio filiam suam seniorem Hedvvigem dare se velle, & ex nunc in conthoralem sibi dare. Simili modo domina Regina coram omnibus respondit. Altera die requisivimus etiam assensum Domicellæ, quæ in præsentia Reginæ, Episcopi, & aliorum, omnia per serenissimum dominum Regem, dominum & patrem suum gratiosum ac serenissimam dominam ejus gratiosam Reginam & matrem facta affirmaret, & confirmaret, & pro conthorali suo eam habere vellet. Deinde citius literæ confectæ sunt. Tandem die Sabbathi absolvit & valedixit nos Rex pariter & Regina ad patriam, cum honestis & regalibus

*i. togam pelliceam.

præmiis, remittendo cuilibet oratori ſcubam unam Rex ipſe humaniſſimus eſt, multos nobis exhibuit honores. Sereniſſima domicella noſtra ſponſa eſt ſpecioſa & elegans. Valete feliciter. Datum Bosnaniæ feria tertia, poſt Erhardi.

1474. Nuptiæ Bavaricæ.

Anno Domini MCCCCLXXV. nuptiæ celebratæ ſunt in Landshut in profeſto S. Othmari confeſſoris. In nuptiis fuerunt Imperator Fridericus, Maximilianus filius ejus, Philippus Palatinus Rheni & Bavariæ Dux, Albertus Marchio Brandenburgenſis, Fridericus filius ejus, Sigismundus Dux Auſtriæ, Duces Monacenſes, Albertus, Chriſtophorus, Wolffgangus; Otto Dux Bavariæ, Johannes frater ejus Archiepiſcopus Saltzpurgenſis, Epiſcopus Auguſtenſis, Epiſcopus Patavienſis, Epiſcopus Eyſtetenſis, Epiſcopus Friſingenſis, Epiſcopus Babenbergenſis, Epiſcopus Chiemenſis, Comes Ulricus de Wirtenberg, Eberhardus filius ejus, Marchio Baduanus, Comes Otto de Henneberg, Ludouicus & Fridericus Comes de Lautenberg, & populi multitudo absque numero.

1479. Deinde anno Domini MCCCCLXXIX. obiit Dux Ludovicus præfatus, ſepultus in Seldenthal, ſuburbio Landshut, in die Priſcæ virginis & martyris.

1486. Anno Domini MCCCCLXXXVI. Dux Johannes præpoſitus & Canonicus Auguſtenſis, Frater Ducis Ottonis, cum viſitaſſet loca terræ Sanctæ, deſiderio æſtuans videre ſepulturam S. Ratharinæ virginis: duabus expletis diætis, adverſa valetudine laborans, Hieroſolymam retrocedere coactus, ubi paucis diebus, in die S. Franciſci confeſſoris, hoc eſt IV. Nonas Octobris diem ſuum clauſit extremum, ibique in Domino quieſcit.

Hæc quoque in eodem Codice ſequebantur.

ANno MCCCCLXXV. in civitate Tridentina, quæ verſus Aquilonem Italiam à Germania Lanislo * flumine interlabente diſterminat, ea in regione, quæ ab Atheſis ponte recedens verſus caſtellum à læva protenditur, tres Judæorum familiæ conſidebant, quorum capita fuere Angelus, Tobias, & Samuel, apud quem ſenex erat barbam habens prolixam Moyſes nomine, quem venturi Meſſiæ tempus & horam prophetico ſpiritu ſcire decantabant. Hi in ea hebdomade quam nos Chriſticolæ ſanctam appellamus, die Martis XII. Kal. Aprilis, in domo Samuelis, ubi Synagoga & eorum templum, ſpectandi gratia viventem vitulum, qui ad eos ea luce de Lenigi pago delatus erat. * Et dum inter ſe plurima vario ſermone conferrent, Angelus hanc rabido fudit de pectore vocem, *In iſta Paraſceve carnes & piſces abunde nobis ſunt, unum tantum deeſt.* Reſpondit Samuel: *Et quid tibi deficit.* Tunc conjectis oculis ad invicem, taciti omnes intellexerunt, quod de immolando Chriſtiano infante loquebatur, quem in contemptum Domini noſtri Jeſu Chriſti mactant atrociter, & exhauſto ſanguine veſcentes in azymis ſuis, fætore quo redolent, Chriſtiano ſe cruore præſervant, huncque ſuum appellant Joël, id eſt, jubilæum. Sed annuebant cautius eloquendum fore propter ſervos, qui ob inſtantem Paraſceven diverſis impediti miniſteriis, nunc hac nunc illac diſcurrebant. Poſtea autem cum omnes in ſynagoga conveniſſent, conſultabant quonam in loco poſſent illum aptius occidere. Tobias & Angelus in domibus ſuis ob earum anguſtiam fieri recuſabant, proptera quòd exiguo in loco difficile eſſet à pueris tam vaſtum facinus abſcondere, ſed propter rerum omnium commoditatem & amplitudinem loci, commodius apud Samuelem fore afferebant. Ac ubi ſic decreviſſent diſputant quo poſſent ingenio maſculum infantem arripere. Dumque inter ſe diverſa opinione contenderent, Samuel ad ſe Lazarum ſuum ſervum juſſit accedere, coram quo ſtatim cum aſtitiſſet, *Lazare*, inquit, *ſit tibi præſtò animus Chriſtianum puerum furari, & nobis illum tradere, aliàs centum Philippeis illico te donabimus.* Ad quem reſponſum paucis ita reddit ille: *Res hæc, patres, maximi diſcriminis eſt, eam ego penitus tentare recuſo.* Et conſeſtim

ſeſtim exiens de templo collectis ſarcinulis ſuis, ad alias terras commigravit. Die autem Jovis omnes in ſynagoga congregati ad Tobiam dixerunt: *Animadvertimus neminem magis votis noſtris poſſe ſatisfacere quàm tu: verſaris enim quotidie cum Chriſticolis & pene omnes tibi familiares ſunt, facile potes unum intercipere; quod nemo, cum civitatem obambulas, in te advertit. Dabimus operam profectò, ut tibi multa bona à nobis accedant.* Negat Tobias, & periculum in negotio multis aſſignat rationibus. At illi ſuis commonitionibus aſtringunt, & niſi pareat, eum perpetuò interdicent ſynagoga. Tobias ergo videns omnes in eum conſpiraſſe, & præmium ſibi jam propoſitum fore, auri cæca cupidine captus; *Aggrediar*, inquit, *patres, libenter provinciam hanc: verùm (ut noſtis) pauper ſum ego, & ad commodè videndum ars mea non ſufficit, ſunt & plures mihi filioli, eos & me vobis vnicè commendo.* Reſponderunt omnes; *Affer puerum huc, nulla unquam erga te nos arguet ingratitudo.* Tunc ad Samuelem converſus proditor, inquit; *Nulla clave fores tuæ claudantur, ut ſi mihi quiſquam oportunè contigerit, intrò poſsim illum leniter impellere.* Et transactis veſperis egreſſus, cœpit totam viciniam ſolus obambulare; transiensque per viam, quam Foſſatum * vulgus appellat, ſeſe uſque ad plateam celeriter transtulit. At ubi commodè reperit neminem, flexit iter properè ſimul, & veſtigia retrò obſervare legit. Poſteaquam locum illum attigit, quem Foſſatum vocitant incolæ, inſignem puerum ante fores patris ſuper ligno ſedentem inſpexit, nomine Simonem, qui nondum viginti novem menſes natus, adeò formoſus erat in cunctis, ut in eo non comprehenderetur, quod jure reprehendi poſſet; & accedens intuetur neminem in puerum advertere, porrigit digitum Tobias blandus infanti. Specioſus puer, benignus ut erat & facilis, candida manu capit molliter indicem, procedit, ſequiturque puer non paſſibus æquis. Cumque genitoris ſedem pertranſiſſet, proditor rabida dextra, pulcherrimam manum penſat infantis, & nunc illum trahit, nunc mollia terga pulſans genibus impetit. Tunc reſpiciens puer, cœpit cum lacrymis pios extollere vagitus, & dulce matris nomen invocare. Examinatus illico proditor, denarium extrahit argenteum, & porrigens infanti, illum blando ſermone compeſcuit. Poſtquam ad extremum viæ pervenit, carnifex omnia ritè colluſtrans à dextris reſpicit conſuentem. Ibi examinatus illico greſſum continuit, donec in adverſa artifex tandem lumina flecteret, tunc occaſionem nactus, celeri gradu viam pertransiens in domum Samuelis intruſit infantem. Hic Samuel veluti tygris expectans ad ſanguinem, corripiens puerum ocyus ſuum in thalamum ſuſtulit. Prætereo hîc quanta tunc dracones illi ſint affecti lætitia, ululabant ſiccis faucibus ſuper Chriſtianum ſanguinem; & ne puer peregrino loco deterritus clamores effunderet, alii porrigebant uvas, alii poma, alii res alias, quibus ut plurimum infantes delectantur, donec ſilente puero dies cum nocte ſe conjungeret. Interea genitrix ejus Maria puerum ut vidit abeſſe, nec ſolito more apud vicinos illum aſſore, unà cum conjuge Andrea totam per civitatem explorabant infantem. Pueri autem omnes, è quorum labiis ſæpe Spiritus Sanctus eloquitur, *illum apud Judæos inquirendum fore* aſſerebant, futurum enim ut eum rapuiſſent Judæi, & in Chriſtianæ fidei contemptum in cruce ſuſpenderint. Et niſi de medio nox repente diem abſcidiſſet, ad Judæos vertiſſent iter: unde collapſis tenebris impulſi flentes amarè domum ſe receperunt. Tempus erat quo prima quies humana reficit pectora, atque quiescebant voces hominumque canumque. Tunc barbatus Moyſes una cum reliquis atrociſſimis Judæis, benignum illum deportantes infantem ingreſſi ſunt veſtibulum, quod cum ſynagoga conjungitur, idque ſuper banco juxta caminum conſidens puerum ſuis ſuper genibus ſtatuit, & circumfuſi omnes tunicam ſibi ad umbilicum & cubitos uſque verſo ordine detraxerunt: ut brachiis impeditus movere ſe facilè non poſſet: colligentesque funem & pallium ſuccinxerunt lateri, i ta ut à femore uſque ad talos detractis caligis nudaretur: & apprehendens ſudarium Samuel, quod ſibi pendebat à baltheo colloque circumvolvens, comprimebat puerum ne vagitus effunderet: alij verò manus pedesque continebant. Tunc evaginato Moyſes

* Statgrabē

Crudele sacrificium Judæorum.

gladio summum virgæ perforavit infantis, porrectaque forcipe cœpit maxillam dextram juxtamentum dilaniare, & particulam carnis abscissam parata ibi in cratere reposuit. Colligebant circumstantes sacrum sanguinem, & alterno ordine forcipe porrecta quilibet sibi frustulum vivæ carnis exscindebat. Sic fecerunt omnes primi, donec vulnus ovi rotunditatem multum excederet. Et si quando cedente laqueo puer gutture perstrepebat, admotis crebrò manibus ad os illum crudeliter suffocabant. Hoc Moyses ita peracto, dextram tibiam confestim elevavit infantis, eamque suis super genibus excipiens, aggreditur exteriorem partem, quæ inter canulam & cruris musculum interjacet, similiter eodem ferro convellere, & capta forcipe vicissim vivam carnem vivo cum sanguine lacerabant. Postmodum sævissimus ille senex, tanti sceleris caput, semimortuum erigens infantem, petiit Samuelem à dextris pueri considere, & uterque sanctissima illius brachia, instar crucifixi violenter extendentes hortabantur alios, ut corpus illud sacrum duris acubus confoderent. Collecti ergo omnes circum, incipientes à vertice, usque ad plantas, illum densis ictibus perforabant, dicentes, *Tolle Jeschuah mina ella parachief elle passussen reginalen*, Quod est: *sicut Jesum Deum Christianorum (qui nihil est) trucidemus istum; sic inimici nostri confundantur in æternum.* Jam plus quàm per horam miserandus puer terribili duraverat in supplicio, & intercluso spiritu collapsis viribus deficiebat: attollensque graves oculos in cœlum, superos advocare videbatur in testes, & inclinato capite sanctum Domino reddidit spiritum,

Blasphemia Judaica.

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens.

Et relinquentes illic corpus exanime, servis præceperunt, ut sub cadis vinariis illud occultarent. Timebant enim proclamationes Antistitis, & crebescentem in eos magis atque magis famam, ne furore populi capti & cæsi ad torturam subitò traherentur. Altera die, quæ passionem Domini cunctis in Christo credentibus ad memoriam revocat, restrictis labentibus in urbem fluviis, parentes infantis unà cum cohorte prætoria ubicunque quærentes non invenerunt eum. Die autem Sabbathi convenientes ad solenne festum in synagoga omnes cadaver cunctis cernentibus super almamor extenderunt. Est autem almamor mensa quædam ante eorum altare, ubi psalmos, hymnos, antiphonasque decantant: perfectisque orationibus suis rursus eodem in loco reposuerunt corpus. Tertia verò die quæ sanctum Pascha Christi fidelibus attulerat, ut persenserunt Judæi, omnium penè mentes in eos fore suspensas, inito consilio, libratisque multorum opinionibus dixerunt: *Projiciamus corpus istud vestitum in flumen, quod nostram domum subterfluit, & euntes ad Pontificem dicamus; Quomodo illud in domum nostram aqua deduxit, & rete ferreo detentum non potuit una cum flumine dilabi. Talibus enim usi, credet nemo Judæos puerum extinxisse.* Placuit omnibus sententia. Et ascendens ad antistitem Tobias proditor, rerum seriem, & quo fuerat institutus ordine pandit. Tunc Pontifex* gavisus valdè, Johannem de Salis Prætorem, & Jacobum de Spauro capitaneum suæ Tridentinæ civitatis, illuc ubi quiescebat corpus suum jussit accedere. Et descendens statim invenerunt cadaver in aqua pannis involutum: quo protinus extracto, ejusque vulneribus diligenter annotatis, illud in Basilica S. Petri collocaverunt, ubi maxima languentium confluente frequentia multis maximisque miraculis in dies fulget, gloriosus Simon, virgo & martyr. Natus est gloriosus Simon die Veneris, VI. Kalend. Decemb. anno Domini 1472. ex Maria & Andrea, parentibus pauperrimis. Ob quam rem Judæi omnes, à majore usque ad minorem, in carceribus catenisque conclusi omnem rem gestam confessi sunt: & propter demerita sua patibulis suspensi, & principales rotis compressi.

Almamor.

** Episcopus.*

Anno

Anno MCCCCLXXVI. Ex confessatis Judæorum in Tridento compertis noxii fuerunt etiam Ratisponenses, quorum eo anno decem & octo carceribus mancipati, alii fuga se tuentibus evaserunt. Quæ dum ad Imperatorem Fridericum delata essent, totis viribus pro liberatione eorum conabatur. Nullum enim populum sub imperio adeò defendit, quemadmodum Hæbreum. Quantum in eo fuit, non sinebat occidi Judæos quacunque ex causa. Idcirco omnes Judæos in nervis & ferro vitam agentes, rebus & corporibus sibi mitti postulavit. Quod fieri minimè potuit. Nam ab Imperio Ducibus de Landshut loco pignoris tributarii fuerunt, & hodie sunt. Civibus denique Ratisponensibus, sæpe missis legationibus cum causis pro ejus informatione, supra modum infensus eos nequaquam advertit. Cum quidam civium, dictus Johannes Notscherf, fortiter contra Judæos factum attentaret, Imperator adeo indignatus, quod eundem nec audire nec videre volebat. Sed misso fiscali suo iterum eos postulavit: & cum cives parere recusarent, abstulit eis omnem jurisdictionem, & signanter maleficiorum. Per hoc cives coacti, cruce dignissimos dimiserunt habitis cautionibus abire impunes, in crastina nativitatis beatæ Mariæ, anno Domini MCCCCLXXX. ante ortum Solis. Et antequam iterum obtinerent tribunalium jurium executionem ablatam, cives magna mulctati sunt pecunia. Sed Patavienses mandata Imperatoris non advertentes, duodecim igni tradiderunt, qui sacramentum Dominicum nequiter tractaverunt.

Fridericus Imp. Judæis favens.

Anno MCCCCLXXII. Quidam Electorum Imperii, Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis, Noribergæ ad petitionem Imperatoris, ubi convocati fuerunt Principes & civitates Imperii, pro auxilo Imperatori contra Matthiam Ungariæ Regem præbendo, misit etiam illuc Rex jam dictus ambasiatam * suam, quibus denegatus fuit salvus conductus, & sic absque audientia abierunt. Electores taxas fecerunt Principum secularium & spiritualium & cum hoc civitatum Imperialium. Principes Bavariæ nihil dederunt, neque miserunt: asserentes non esse bellum Imperii, sed Ducatus Austriæ. Episcopus Ratisponensis Heinricus de Absperg non misit armigeros: taxavit clerum suum, & Imperatorem sitibundum in mille refecit aureis. Cognita igitur munificentia Episcopi sperans alios mille, iterum cum armigeris cum vocavit: & cum non occurreret, amplius eum sollicitare cessavit.

* *Legationem.*

Rex Ungariæ ægrè ferens denegatam sibi audientiam, scripsit Principibus spiritualibus & secularibus his verbis: *Matthias Dei gratia Rex Ungariæ & Bohemiæ, Reverendissimo in Christo patri, domino Heinrico, Episcopo Ratisponensi, amico nobis dilecto salutem. Reverendissime in CHRISTO pater, amice nobis dilecte, Questi sumus non semel, sed pluries amicitiæ vestræ, & aliis sacri Rom. Imp. Principibus, de injuriis, quas nobis & regno nostro Imperialis Majestatis jam dudum irrogare non cessavit. Nec dubitamus, ipsum Cæsarem plurima contra nos excogitata, apud amicitiam vestram, & alios fratres & amicos nostros in Imperio protulisse, & more solito de multis non insimulasse, de quibus, si justa ratione decerneretur, facilè appareret, uter nostrûm insimulandus foret. Id enim firmiter credimus, quod si negotia illa quæ inter nos & illum aguntur, suo modo & ordine, & utirei veritas continet, amicitiæ vestræ, & aliis Principibus transacto anno fuissent exposita, vel saltem nostri Oratores, qui ad declarandum super omnibus veritatem missi ad diætam in Nurnberg fuerunt, liberum accessum atque audientiam debitam habuissent, præsidia illa quæ contra nos Cæsari collata fuerunt, minimè collata extitissent. Sed ut omne malum, quod in nos & in regnum nostrum, vel potius in totam Christianitatem Cæsar ipse ab initio conceperat, tandem aliquando patefaceret; egit & per se, & cum Venetis, ut Turcorum Cæsarem perpetuum Christiani nominis hostem contra nos excitaret, id palàm affirmans (quod non nunc primùm, sed longè antea cognovimus) nisi deletis & exterminatis Hungaris non posseres Christianas prosperari. Ex ejus igitur & Venetorum suggestione & impulsu, Turcos ipsos cum maximo & ingenti apparatu contra nos venire certificati sumus, atque illos in nostrum & Christianitatis exitium suasu*

Matthiæ Vngariæ R. Epistola.

ſuaſu Chriſtiani Cæſaris conſpiraſſe. Quibus occurrere volentes, atque cum adjutorio Dei partes noſtras, vel potius Chriſtianas, contra infidelium rabiem defendere cupientes, amicitiam veſtram requirimus & hortamur, ut ſi Cæſari contra nos agenti veſtra præſidia non negaſtis, nobis pro fide Chriſtiana decertantibus, ad cujus tutelam longè magis obligati eſtis, transmittere, & nobis adſiſtere velitis: ut communi omnium collato præſidio, partes noſtræ contra Turcos defendantur. Ne ſi quid nobis & regno noſtro (quod Deus avertat) contingeret, vos & tota Chriſtianitas proximum periculum ſentiatis. Nos quidem fatemur, non ſemel, ſed multiplicatis vicibus ab ipſis Turcis fuiſſe petitos; multis etiam & maximis pollicitationibus oblatis oratos, ut eis liberum paſſum per terras noſtras ad dominia Cæſaris & alios Chriſtianos concederemus. Sed nos maluimus perpetuum cum hoſte communi bellum gerere, & etiam vitam noſtram omni periculo exponere, antequam id concederemus. Itaque pro ſua prudentia, & pro affectu in Remp. Chriſtianam, quam non ambigimus in vobis eſſe præcipuam, ſecum reputet amicitia veſtra, utrum magis juſtum magisque neceſſarium ſit, nobis contra Turcos, non tam pro noſtra quàm pro omnium ſalute agentibus, in tanta opportunitate præſidium ferre; quàm Imperatori contra nos. Quæ ſi noſtrum periculum non reputat, habeat ſaltem communis, & toti Chriſtianitati impendentis periculi rationem. Nam ſi nos ab aliis Chriſtianis non juvabimur; fortaſſe & nobis neceſſitate compulſis aliquid facere opus erit, quod non in noſtram modo ſed in aliorum calamitatem redundabit. Valere optamus amicitiam veſtram. Datum Budæ XI Aprilis anno Domini MCCCCLXXXIII. Regnorum noſtrorum, Hungariæ anno XXVI. Bohemiæ verò XIV.

De his hactenus dicta ſufficiant. Ad cauſam, de qua principaliter intendimus, accedamus. Cum Noribergæ (ut dictum eſt) impoſitio mittendorum fuiſſet concluſa, Ratisponenſes taxati fuerunt ad viginti quatuor armigeros expenſis propriis mittendos: duodecim duntaxat miſerunt, non tanquam ex debito, ſed ex mera benevolentia ab Imperio apud eos gratioſè recognoſcenda. Quo cognito Imp. cives præfatos iterum tanquam transgreſſores impetivit, poſtulans pro rebellione florenorum magnam ſummam. Quibus renitentibus, velut prius exhauſtis, & ad hæc minimè obligatis, petentes etiam hujusmodi obligationem in curia judicialiter decerni * Sed Imperator hæc ipſis denegavit, & in vim compulſionis iterum eis omnem judiciariæ poteſtatis executionem abſtulit, quæ vulgo dicitur *der Ban*. Quam iterum magnis eorum laboribus, & gravibus expenſis recuperaverunt. Hæc gravamina cum prioribus taxata fuerunt ultra quadraginta millia florenorum Rhenenſium. Per quæ compulſi imponere ſteuram * decimi denarii de omnibus bonis eorum ultra conſuetam perſolvendam, ad feſtum S. Michaëlis anni MCCCCLXXXV. Poſt cujus publicationem factus eſt concurſus maximus mechanicorum & aliorum, quorum primatum tenebant fullones, ſive lanarii: Et in craſtino aſſumptionis Virginis glorioſæ præpotenter vallaverunt prætorium armis muniti, obſerantes etiam portas civitatis. Et niſi conſulatus * eorum paruiſſet voluntati, nullus vivus evaſiſſet. Similiter infra octavam ſteterunt armati, diebus & noctibus munientes civitatis portas cuſtodiis, nec fuit hora quin multis ſuſpecta eſſet periculis, occiſione civium, evacuatione domorum, ſpoliis clericorum & Eccleſiarum, neq; ſperabant evaſionem Judæi.

Octavo verò die concordaverunt ad certos articulos, prout in literis deſuper confectis continetur.

* *Locus corruptus.*

* *Bannum regulæ.*

* *Collectam.*

* *Senatus.*

SE-

SEQUUNTUR CERTÆ HISTORIÆ FUNDATIONUM NONNULLORUM INSIGNIUM MONASTERIORUM PER PARTES BAIOARIÆ.

Et primò de Monaſterio Sancti Emerani Ratiſponæ.

BEatus Emeranus in Civitate Ratisponenſi virtutibus claret & ſignis. Cujus Epitaphium ibidem in Monaſterio ſui nominis ante altare S. Georgii martyris hoc eſt: *Emeranus Pictavienſis Epiſcopus prædicando verbum Dei venit in Bavariam, & ibidem in Hellendorff pro Chriſto paſſus eſt, Anno Domini DCLII. & hic primo tumulatus eſt.* Ubi 652.
diligenter advertendum, (& ſunt verba magiſtri Conradi de monte puellarum in Chronicâ ſuâ) quod olim temporibus paganismi & infidelium in illo colle ubi nunc monaſterium B. Emerani eſt ſituatum, tunc extra muros civitatis fuit lucus arborum ſylveſtrium, ubi diverſorum ſimulachra idolorum ab infidelibus colebantur. Quâ ſuperſtitiosâ ſtultitiâ hominum tandem divinâ volente gratia evaneſcente, & fide Catholicâ parumper ſtillante, ibidem luco depoſito viles caſæ pauperum hominum ſuburbanorum civitatis conſtructæ fuerant, & intra easdem caſas humile oratoriolum, in quo conſecrata fuit ara per Chriſti fideles tunc tenuiter clarentes in honore B. Georii martyris. Quæ Capella tugurii more ibi ſteterat, & ara hæc in dicto monaſterio in honorem prædicti Martyris hodie cernitur ad latus auſtrale verſus ambitum monaſterii præfati. Ante quam aram etiam publicè videtur hodiè S. Martyris Emerani Epitaphium & ſepulchrum: nimirum antequam B. martyr in eâdem capella domino jubente quieſcere voluit, & extremi ſententiam examinis præſtolari. Quia quàmprimum docendi gratiâ populum in fide orthodoxâ in *Emeranus.*
Ratisponam ſe transtuliſſet, poſt crebros frequenter labores circa gregem domino noſtro Jeſu Chriſto lucrandum in prædicta capellâ tumultui hominum alienâ, ipſe feliciſſimus præſul ſolus ſoli Deo vigiliis & orationibus conſueverat angelicâ meditatione vacare. Sed quis ſuis temporibus ſedi præſederit Ratisponenſi Epiſcopus, non invenio, nec ibidem ipſe electus ſeu præfectus canonicè præfuerat, ſed caſualis & adventitius pater paſtor tantùm: cui clerus civitatis in exequiis ſuis (ut in legenda ejus ſcribitur) reverentiam exhibuit magnam. Utrum autem clerus ille tunc habuerit Epicopum vel non, penitus ſubticetur.

De eodem. Anno Domini DCXCVII. Leo (qui & Leontius) depulſo Juſti- 697.
niano regnare cœpit. Hujus imperii anno primo Apollonius primus Abbas mo- *Apollonius.*
naſterii S. Emerani Ratisponæ præficitur.

Anno Domini DCCLII. Simpertus Ratisponenſi Eccleſiæ præficitur Epiſco- 752.
pus. Hic anno regiminis ſui XXXII. vel XXXIII. monaſterium S. Emerani Ratiſponenſis magnificè fundavit, juſſu & ſumptu Karoli Magni, eo tempore quo Karolus Magnus patricius Romanorum adhuc fuit, id eſt pater & tutor viduarum & pupillorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

888. *Arnolfus Imp.* Anno Domini DCCCLXXXVIII. Arnolfus regnare cœpit, regnavitque annis XII. Hic Arnolfus anno VII. regni sui à Formoso Papa coronatus, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Hic præ cæteris regni sui locis Ratisponam Bavariæ metropolin dilexit. Unde etiam ob honorem precioſi Martyris Emerani muros ejus ampliavit & auxit, monasteriumque dicti martyris plurimum adornavit, ac largis possessionibus locupletavit. Hic cum triumpho de Gallia à cæde Nortmannorum in Bavariam rediens, ossa S. Dionysii Areopagitæ secum tulit, quæ quamdiu incolumis vixit, secum retinuit. Tandem mortem sibi imminere sentiens, S. Dionysii ossa dicto monasterio perpetuò servanda tradidit, una cum Evangeliorum libro, id est plenario, qui sic auro ab extra ornatus est gemmisque pretiosis, intus vero litteris aureis scriptus per singulos margines omnium foliorum singulas habens mirandas picturas, quòd vix similis sibi reperiri possit. Idem verò Arnolphus paralysi dissolutus, nullâ arte medicinali poterat adjuvari, quin à despectis inimicis * qui eum invaserant, consumeretur; & nonnulli veneficii & maleficii criminati puniti sunt. Hic sepultus est in choro dicti monasterii S. Emerani: cujus anniversarius ibidem agitur V. Kal. Decemb. Concluditurque officium pro defunctis cum antiphonia subscriptâ. *Fidelis Cæsar, beatis reliquiis potiri gaudens, apud illas ipse sepeliri prælegit. Dionysii sese sperans subsidio & tutelâ fulciri, unde & desiderium est impletum hujus viri. Hic est ille Arnolphus qui ad Macarii serbuit cultum; quem & dilexit multùm. Hic est enim ille Arnolfus, qui ei quem vivens coluit, tandem abesse mortuus noluit martyri Christi glorioso, quem in cælis coronatum novit lapide pretioso.*

*Pediculis.

904. Anno Domini DCCCCIV. Christophorus de Papatu ejectus factus est monachus, & Ratisponæ in medio Chori monasterii S. Emerani sepelitur.

S. WOLFFGANGVS.

972. *Wolffgangus.* ANno Domini DCCCCLXXII. quo Otto primus obiit, S. Wolffgangus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic nomen suum (sicut in legenda ejus legitur) per se interpretatus est. Nam in quodam armario, quod ipse construi præcepit, inter reliqua, sicut erat peritissimus poëmatis compositor, ita scripsit:

Struxerat ædiculam mandrita Lupambulus istam.

Hic Ratisponæ fundavit monasterium S. Pauli, instituens ibi sanctimoniales ordinis S. Benedicti. Hic S. Wolffgangus altaræ Primæ fundationis Monasterii in Mallendorff, quod Heinricus & Ernestus ejus filius Comites de Kirchperg fundaverunt, procurante Burchardo primo ejusdem loci Abbate in honore S. Johannis dedicat. Hic etiam montem prope Weltenburg incastellavit, & Ecclesiam S. Mariæ virginis ibidem dedicavit. Hic in Bohemia provinciâ, quæ tunc sub Ratisponensis Ecclesiæ parochiâ extitit, & noviter Christianâ fide imbuta sacrilega idola abjecerat, rogatu Ottonis Cæsaris, Episcopatum ibidem, per modum concambii fieri concessit, super quo & ipse privilegium composuit. Dum autem primates sui sibi consulerent ne ipse in hoc consentiret, dixit: *Pretiosam margaritam sub prædictæ provinciæ terrâ latentem conspicimus, quam nisi venditarum comparatione rerum non acquirimus.*

Mallendorff

Weltenburg

DE LITE, QUAM HABUIT CIVITAS RATISPONENSIS, ET REGNUM FRANCORUM PROPTER DIONYSIUM.

LEo Papa nonus circa annum Domini MXLIX. genere fuit Alemannus de Lotharingiæ regno. Romani ex prava consuetudine postquam petiissent ab Imperatore Heinrico Pontificem dari; Imperator quum nullum Teutonicorum ad hoc, ut reciperet Papatum, inducere posset, Episcopum Tullensem Brunonem nomine virum simpli-

ſimplicem ad hoc inclinavit. Qui ad Urbem veniens,& hoc conſcientiam habens, omninò dignitatem papalem reſignavit, & denuo ab omnibus electus, & Leo vocatus, poſt laudabilem vitam XIII. Kal. Maij deceſſit, & in Eccleſiâ S. Petri tumulatur, manifeſtis clarens miraculis. Hic anno Domini MLII. Pontificatus ſui anno quarto, per inſtantiam Imperatoris Heinrici ad partes Germaniæ, & præcipuè ad urbem Ratisponam & venerabile corpus B. Wolffgangi ejusdem ſedis Epiſcopi tranferendum eſt vocatus. Quo eâ quâ decuit reverentiâ Nonas Octobris translato, in craſtinum hoc eſt, VIII. Idus prædicti menſis ad preces Imperatoris & aliorum fidelium, nec non ſanctitate & meritis B. Erhardi Ardinatenſis Epiſcopi corpus transtulit in monaſterio inferiori. Sicque S. Papa Leo plurima urbis Ratisponæ loca perluſtrans, tandem à fidelibus rogatus Baſilicam ſuper teſtudine in honorem ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ perſonaliter conſecravit. Cujus anniverſarius dies dedicationis dominicâ proximâ poſt prædictorum Apoſtolorum feſtum annis ſingulis celebratur. Hic etiam rogantibus Pariſiorum legatis, litem quæ inter civitatem Ratisponam & regnum Francorum diu erat pro reliquiis S. Dionyſii Areopagitæ, quæ illuc translatæ fuerant ab Arnolpho Imperatore, determinavit,& eas apud S. Emmeranum haberi decrevit & approbavit. De quo inter cetera ſic ſcribit:

Vos dilectiſſimi in Domino fili, Rex Francorum; tuique fideles, quamvis invidendi Teutoniæ gaudio videamini juſtam quidem habere materiam, ita ut meritò putatis de Alemannorum vobis lætitiâ ſit dolendum: Conſiderantes tamen, & Dei omnipotentis & invicti martyris ſui, quem ablatum plangitis, conſolationis tandem admittite placamentum, penſantes attentius quòd nec totus vobis ablatus eſt. Quippe qui rariſſimos prædicationis ſuæ & paſſionis conſortes, Ruſticum & Eleutherum in dilectionis adhuc & tutelæ pignus & certitudinem dereliquit, nec dolete, ſi Germanos viſitare dignatus eſt vel defunctus, qui vobis adhuc vivens prædicavit.

Denique ipſe Leo Papa Wormaciam venit, ubi Imperatore præſente, in die Natalis Domini miſſam celebravit: & Luitpoldum Moguntinenſem Archiepiſcopum, ut ipſe die ſequenti miſſam cantaret, utpote præcipuum in ſua diœceſi ſubrogavit. Dum autem peracta proceſſione quidam ex Diaconis ſuis Humbertus nomine (ſicut multi ob illius feſti venerationem ſolent) Evangelium decantaret, quidam de Romanis propè aſſiſtentibus vituperantes, eò quòd modo Romano non ageretur, Papæ perſuaſerunt, ut ad eundem Diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod quum factum eſſet, & ille admonitus mandatum Papæ contemneret, & lectionem ut pote juvenum more, eâdem vocis ſonoritate usque ad finem decenter perduceret, Papa finitâ Evangelii lectione illum ad ſe vocavit, atque propter inobedientiæ contumatiam degradavit. Ad quem Archiepiſcopus miſit, ut ſibi ſuum miniſtrum redderet: Quod ubi Papa abnuit, Pontifex tamen licet ægrè patienter interim tacendo ſuſtinuit. Decantato autem offertorio, ubi ſancti ſacrificii tempus advenit, Pontifex in ſede ſuâ reſedit, verè conteſtans nec ſe alium quenquam completurum illud officium niſi reciperet proceſſionis ſuæ miniſtrum. Quod ubi Apoſtolicus intellexit, Pontifici ceſſit, reindutum que miniſtrum continuò remiſit. Quâ in re & Pontificis auctoritas & Apoſtolici conſideranda eſt humilitas, dum & ille officii ſui dignitatem defendere contendebat, & ille licet majoris auctoritatis, Metropolitano tamen in ſua diœceſi cedendum perpendebat. Hic Moguntiæ cum Heinrico Imperatore & XLII. Epiſcopis Concilium celebravit, ſtatuens, *ne Clerici canes vel aves in venatione ſequerentur. Item ut negotia ſecularia & lucra turpia non exerceant: Item, ut nullus fiat monachus niſi in legitima ætate, vel ſpontaneâ. Item, Quatuor tempora cum jejunio obſerventur; & tunc ab Epiſcopo jejunio conſecrentur denno Clerici infra miſſam.* Hic etiam Leo dedit pallium Epiſcopo Bambergenſi, quo ter in anno uti poſſet, S. Paſchæ feſto, S Petri, & Dionyſii.

DE INSTITUTIONE MONASTERII ALTHAHENSIS INFERIORIS, EX VITA S. GODEHARDI, ET EX CHRONICO AC PRIVILEGIIS ECCLESIÆ.

MOnasterium illud ex consilio S. Priminii Metensis Episcopi, ab Utilone Duce in honorem S. Mauritii sub Monachicâ professione construitur, Anno ab in carna-
741. tione Domini DCCXLI. Pontificatus Domini Zachariæ Papæ anno sexto, ultimo autem anno Leonis Imperatoris, qui in Chronico ob sui malitiam Impius appellatur, Karolo primo majore domus in regno Francorum existente. Cujus filium Pipinum, patrem Karoli Magni, post hoc anno nono S. Bonifacius Archiepiscopus ex decreto Zachariæ Papæ unxit in regem, Hilderico rege in Monasterium misso. Quem etiam Pipinum post hæc Stephanus Papa anno Domini DCCLXXIV. patricium constituit Romanorum, & cum eo duos filios ejus Karolum, & Karlomannum, cum matre eorum Berthradâ, sacrâ unctione in regiæ dignitatis honore confirmavit: ante distributionem Episcoporum in Bavariâ, quæ decimo anno post dictam constructionem per S. Bonifacium Archiepiscopum ex decreto Zachariæ Papæ & consensu Pipini Regis ac Utilonis Ducis facta est; ubi Johanni Saltzburg, Baibaldo Ratispona, Willibaldo Eystet, Ermberto Freysinge commendatur. Nam tunc nullus in totâ provincia pastoralem Cathedram possidebat, præter Uvulonem Archiepiscopum Lauriacensem; quem prædictus Utilo infestationem Avarorum cum Clericis suis & monachis fugientem Pataviæ recepit, & Episcopavit ibidem. Defuncto dehinc Rege Pipino patricio Romanorum, quum ad Karolum filium ejus & Francos sive Teutonicos imperium (quod à tempore Constantini Magni Helenæ filii, hucusque Constantinopoli manserat apud Græcos) per Dominum Leonem Papam, & consensum senatus & populi Romani anno ab incarnatione Domini DCCCI. esset translatum; ipse Karolus Seren. Augustus, à Deo coronatus, magnus, pacificus Imp. Rom. gubernans Imperium, qui est per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, structuram istam largis prædiis & possessionibus ampliavit. Nam terram Avarorum sive Hunnorum per bellum continuum octo annorum capiens, Avaris expulsis, ipsam Avariam sive superiorem Pannoniam (quæ nunc nomen tenet Austriæ) totam inter Ecclesias Bavariæ, Pontifices & Abbates, Comites dividit & Barones; ubi Orulfo Abbati & Ecclesiæ isti non parvam tradidit portionem. Tassilo etiam Dux, Utilonis Ducis & Hiltrudæ sororis Pipini Regis supra dicti filius, & sui Barones plura prædia huic structuræ illis temporibus contulerunt. Ludovico post hoc Imperatore filio Karoli Magni, in Romanorum Imperium sublimato, quatuor filiis ejus Lothario, Pipino, Karolo, & Ludovico sibi continuè rebellantibus, ac deinde post mortem patris fratribus inter se pro divisione regni concertantibus, in tam longâ & detestabili dissensione plures Ecclesiæ despoliabantur prædiis & facultatibus suis. Inter quas Ecclesia ista magnam partem perdidit prædiorum, licet hanc Ludovicus ille ultimus fratrum, cui postmodum diviso regno Orientalis Francia (à Rheno videlicet usque ad fines Illyrici & Pannoniæ, ac terminos Danorum) in partem cesserat, defensione suâ & prædiorum larga munificentiâ elevare curasset, expostcentibus hoc apud eum Botzpaldo & Otgario Abbatibus & Episcopis, qui temporibus regni ipsius Ecclesiam hanc regebant. Gente dehinc Ungarorum sub Ludovico rege filio Arnolfi Imp. exeunte, & in necem Christiani templi, ac maximè in gentem Teutonicam, viciniorem que sibi Bavariam graviter sæviente, surrexit quidam tyrannus
Arnolfus Dux Bavar. Arnolfus videlicet Dux Bavariæ, qui Rex fieri frustra cupiens Ungaris se conjunxit, invasor regni extitit, & pro hac ambitione destructis Ecclesiis, earum reditus militibus & fautoribus suis concessit: inter quæ & Altahensis Ecclesiæ proprietas ferè totâ in Bavariâ & in Austriâ diripitur, & huic sceleri militantibus juxta debacchantium voluntatem beneficii (immò maleficii) causâ dividitur & confertur. Quæ Ecclesia tunc in Bavariâ existens tot impetus tam pernitiosæ gentis ac paganæ sine magno discrimine sufferre potuit? Contra quas etiam advocatus earum & Princeps patriæ Arnolfus cum gente pagani-

paganicâ conſpiravit. Iſtis & præcedentibus neceſſitatibus norma monachica hic defecit ſub regulatu Canonicorum, usque in tempora Ottonis III. Imperatoris, & Heinrici Ducis patris Sancti Heinrici Imperatoris. Iterum quaſi per centum annos perſtitit locus iſte. Prædicto namque Ludovico, & Cunrado primo, ac Heinrico primo Regibus præfato Arnolfo & Ungaris viriliter reſiſtentibus, tandem mortuo eo ab Ottone Magno anno regni ſui XIX. qui eſt annus Dominicæ in carnationis DCCCCLV. apud Auguſtam civitatem in campo qui dicitur Lechfelt, exercitus Ungarorum immenſâ cæde necatur, virtus eorum quaſi tota extinguitur, tres Principes ipſorum (ſicut in geſtis S. Udalrici legitur) Ratisponæ in patibulis ſuſpenduntur, & toti Bavariæ pâx à Domino redonatur. Elevato poſt hoc in Romanum Imperium Ottone tertio, qui more avito in omni Eccleſiaſticæ dignitatis promotione creſcere cœpit, cujus quidem laudabilis induſtriæ initiale fuit indicium, quòd ſeptimo ordinationis ſuæ anno, qui eſt annus Dominicæ incarnationis DCCCCXC. ſæpe dictum illud monaſterium Epiſcoporum conſilio, videlicet Wolfgangi Ratiſponenſis, & Pilgrani Patavienſis, auxiliante demum duce præfato, in priſtinum monachicæ religionis reformare cœpit ſtatum. Quidam igitur venerabilis vir, Erchambertus nomine, huic abbas præponitur: per quem auxiliante Domino divinum miniſterium juxta regulam S. Benedicti religioſè disponitur Ad cujus ſtatim ſalubertimam admonitionem S. Godehardus monachus eſt effectus: qui ex familia iſtius Eccleſiæ natus, hìcque nutritus, & ſacrarum literarum ſtudiis fideliter eſt imbutus. Iſte S. Godehardus antea in ordine Canonicorum hujus Eccleſiæ præpoſitus exiſtens, poſtea monachus factus, Erchamberto Abbati ſuccedit anno ab incarnatione DOMINI DCCCCXCVII. ſancto Heinrico tunc Duce Bavariæ, ipſum abbatem & locum devotè ac fideliter promovente. Idem namque Heinricus, quum Ottone III. absque filiis defuncto in regiam ſedem anno ab incarnatione Domini MI. à cunctis eſſet Principibus ſublimatus, cum conſorte regni ſancta virgine Kûnigundâ (quam non ut uxorem, ſed ut ſororem dilexit) Dominum bonorum omnium datorum habere elegit hæredem: & ſexto anno regni ſui Epiſcopatum Bambergenſem conſtruxit, aliisque ſanctorum locis per regni latitudinem non minus, prout opus erat, ſuæ impertivit munificentiæ largitatem. Quædam enim loca jam dilapſa in melius reſtituit, quibusdam quæ minus ſuppetebant, adjecit, inter quæ & Eccleſiam iſtam jam ab ipſo dudum reſtructam cortinis & veſtibus ſacris & (quod maximum fuit ſeculi hujus donum) pacis tranquillitate dotavit, & largâ ditavit munificentia prædiorum Invitabat ipſum & alios Imperatores ad hujus ſtructuræ promotionem dulce patrocinium iſtius Eccleſiæ videlicet legionis ſacratiſſimæ Thebæorum, ſicut cernere datur in privilegiis ab ipſorum gratiâ donatis eidem, ubi S. Mauricium glorioſum martyrem Chriſti & totius regni, ſummum patronum appellant, quomodo ab altari ſuo Romæ in Eccleſiâ S. Petri ſito ab Apoſtolicis manibus imperii recipiunt diadema. Inſtigabant inſuper ipſos ad hoc grata obſequia, quæ eis cum exercitibus contra Ungaros euntibus hìc fiebant. Hunc autem Heinricum ad benefaciendum huic monaſterio ſpecialiter induxit cognita ſanctitas Beatiſſimi patris Godehardi & discipuli ſui Guntherii Eremitæ, quos familiares tenuit quam diu vixit, ac eorum ſecretis conſiliis fruebatur. Et quum per ipſius Imperatoris induſtriam Eccleſia iſta ſe gaudeat reformatam, unum tamen eſt quo ſe ab eo piâ querimoniâ deflet læſam, videlicet quòd ſanctum patrem ejus Godehardum Abbatem, ſpeculum totius Bavariæ, anno regiminis ſui XXVI. Hildensheimenſi Eccleſiæ præfecit epiſcopum, ex quo jacturam ſumſit, quòd ex eâ promotione ſancto ſuo corpore careat integrali. Poſt Henricus Pius XXXIX. Rex Imperator XXIX. qui gentem Ungarorum cum Petro Rege ipſorum, Romano Imperio bellando ſubiecit, cum ſuâ conthorali Agnete Imperatrice monaſterium iſtud prædiis ſuis ditat, Ratmundo Abbate S. Godehardi hoc apud ſuam magnificentiam expoſcente. Sub quo etiam Abbate Eccleſia iſta anno Dom. MIII. IV. Nonas Martii cum cæteris ædificiis igne conſumitur, quam idem Ratmundus Abbas à fundo reædificare cœpit, ac quinto poſt hoc anno XI. Kal. Octob. â tribus Epiſcopis, Perngero ſcilicet Paravienſi, & Heriberto Eiſteteuſi, & Engelmaro Parentino dedicari procuravit, coo-

Erchambertus.

S. Godhardus.

Henricus II. Imp.

Kûnigunda.

perantibus sibi S. Godehardo Hildensheimensi Episcopo, & Richerio Leonensi Abbate, qui primitus monachus Althahensis, postmodum per Conradum Imp. Abbas exstitit Cassinensis, Heinrico post hoc IV. patri in regni solio succedente, diversisque dum cibus Ducatum Bavariæ procurantibus, illo abjecto, alio subrogato, pax à tempore primi Ottonis per successiones sex Imp. hucusque vigens, tunc tepescere cœpit: dissensiones oriuntur in regno, Ecclesiæ perturbatio, monasteriorum destructio, clericatus despectio, totius justitiæ ac religionis conculcatio, & alia plura incommoda tunc sunt orta. Scinditur tunc regnum & sacerdotium, Imperator & sui fautores ab Alex. XX. & Gregorio VII. Urbano II. & Paschali II. Pontificibus Romanis anathemate feriuntur Heinricus V. patre superstite regnum invadit, Episcopi à propriis sedibus expelluntur. Inter quos S. Thiemo monachus Althahensis, sed tunc Archiepiscopus Saltzburgensis à sede sua propellitur, qui postmodum in visitatione sepulchri Dominici à Saracenis cum aliis captus apud Corrozaim crudeli martyrio vitam finit. Dehinc regnat impius Heinricus V. Hic Paschalem papam Romæ captivavit, sed ab eodem ac postmodum plenius à Calixto Papa in communionem Ecclesiæ est idem Imperator omnium Ecclesiarum ad regnum pertinentium in vestituram per annulum & baculum cum privilegiis resignavit. Exinde guerris quiescentibus pax, in regno qualiscunque pro tempore reformatur. Post hoc Lothario II. Conrado III. Friderico I. Heinrico VI. regni sceptra gubernantibus, anno Dom. Friderici Regis Rom. primo, qui est annus dominicæ incarnationis MCLIII. quum jam repressa omninò contumacia Ungarorum, Imp. in partibus Bavar. negotia quasi nulla tractare habuit, idem Fridericus jura regalia istius Ecclesiæ propter defensionem tradidit Bambergensi Ecclesiæ, quæ tunc in Bavariâ potens erat, Eberhargo secundo Episcopo existente, & Abbate hujus monasterii Boleslaò. Incendium iterum patitur hæc structura V. Kal. Augusti anno Domini MCLXXX. sed per Dietmardum Abbatem iterum reformatur, ac quinto post hoc anno ab Ottone Frisingensi præsule consecratur. Imperantibus demum prædicto Heinrico VI. Philippo, Ottone IV. & Friderico II. ipsisque intentionem potentiæ suæ ad regna Italica extendentibus surrexerunt duo fratres Bertholdus & Albertus filii Alberti Comitis de Pogen; qui non solùm inter se, sed etiam cum vicinis suis omnibus, Episcopis, Comitibus, & liberis discordabant. Isti ex unâ parte occasione advocatiæ milites & colonos hujus Ecclesiæ rapinis & spoliis ac captivitatibus crudeliter afflixerunt: ex alterâ parte per Rapotonem & Heinricum Comites de Ortenberch, & alios inimicos eorum, prædia Ecclesiæ præliis & incendiis vastabantur. In expeditionem autem transmarinam euntes Bertholdus Comes, apud Damiatam moritur bono fine, anno Domini MCCXVIII. XI. Idus Augusti. Reversus Albertus Comes, usque ad finem vitæ suæ licet secundò transfretaverit, in tali persequutionis sævitiâ perduravit. Quo defuncto, glorioſus Princeps Otto Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ ex inclito Duce Bavariæ Ludovico & Ludmilâ matre prædictorum Comitum natus, fit hujus Ecclesiæ advocatus, vir utique bonus, anno MCCXLII. Quis autem primus Episcopus, ad honorem Dei consecraverit locum istum, per nulla scripta patet. Attamen tempore Canonicorum, per Fridericum Episcopum Saltzburgensem Ecclesia ista legitur consecrata, quæ postea tempore Ratmundi Abbatis per incendium destructa reconsecratur, & à Pergero Patavensi Episcopo, cooperantibus sibi Heriberto Eistetensi Episcopo, & Engelmaro Parentino Episcopo (ut superius est præscriptum) deinde tempore Dietmari Abbatis illius nominis secundi, cùm iterum per incendium esset devastata, consecrari procuratur ab Ottone Frisingensis Ecclesiæ Episcopo, tempore quo superius est expressum. Postremo verò testudinato choro & novis altaribus erectis ad consecrationem dictæ Ecclesiæ invitatur dominus Petrus reverendus Patavien sis Ecclesiæ Episcopus, qui rogatu domini Hermanni Abbatis in die S. Matthæi Apostoli principale altare in honore antiquorum patronorum nostrorum. Mauritii videlicet & sociorum ejus; & etiam secundum altare, in honorem B. Mariæ Virginis ac præsæpis Domini pariter consecravit, recondens in eis priores reliquias, & etiam multo plures, Anno Domini MCCLXXI.

Heinricus IIII. Imp.

Heinricus V. Imp.

Boleslaus abb.

Com. de Pogen.

Ortenberg.

TE-

TEGERNSEE MONASTERIUM QUALITER EST FUNDATUM.

CIrca annos Domini DCLXX. in partibus Noricorum, id est Bavarorum, erant duo fratres Albertus & Otkarius, ex patre Burgundi, ex matre Bavari, divitiis præpollentes, Deumque timentes, consanguinitatis affinitate proximi Pippino Regi, patri Karoli Magni. Horum primus scilicet Albertus novem Comitatus possedit in Bavaria. Alter verò scilicet Otkarius, qui & ætate perfectior, Ducatum tenuit in Burgundiâ. Hic habuit filium tenerum in aula Pipini regis: qui dum morum nobilitate filium Pipini Regis præcelleret, ipsa nobilitas morum odiorum materia fuit. Difficile est enim quemquam in prosperis invidia carere. Quum enim in ludo schacorum Pipini filio assiduè doctior inveniretur, & filius Regis sæpius &c. * 670. *Albertus Otgarius.*

Hæc supra extant in Chronico Bavariæ iisdem verbis, quibus hic repetita Codex noster habebat.

WESELPRUN MONASTERIUM.

CIrca annos Domini DCCLXXXIII. Wesselprun sic dictum à quodam venatore Wesso dicto, qui, fontem ibidem è terra bullientem à se repertum ostendit. Vidit quoque Tassilo, dum ex venatione aprorum quadam vice pernoctasset, ibidem, scalam ad cœlos porrectam, & Angelos Dei ascendentes & descendentes per illam. Sanctum autem Apostolorum Principem innixum scalæ, & canentem ea quæ in officio dedicationis cantari solent. 783. *Wesso Venator.*

Item Tassilo fundavit monasterium S. Nicolai Pataviæ. *Tassilonis ducis fundationes.*

Item monasterio inferioris Altach plura prædia dedit.

Item Pataviam civitatem Bavariæ instaurans & renovans Episcopatus sedem, quæ apud Lautiacum priusquam ab Hunnis everteretur, inibi constituit. Denique in Choro monasterii in Weltenburg subscripti versus habentur:

Tassilo Dux Bavariæ, fundator hujus Ecclesiæ,
Sex struxit in Bavariâ Tassilo monasteria,
Weltenburg, Chremsmunster, Lorch, Wesselprun, Pfaffenmunster.
Tassilo Rex primùm, post dux, Monachus sed ad imum.

CATHEDRALIS ECCLESIA FIT MONASTERIUM S. EMERANI.

ANno Domini DCCLXXVIII. Adelwinus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic juxta decreta Canonum, & cum auctoritate Leonis Papæ III. in præsentia Karoli Magni Imperatoris, recta ratione in Synodali congregatione, cum judicio Episcoporum, Clericorum, nec non nobilium Laicorum, de loco in quo nunc est monasterium S. Emerani, cathedram pontificalem mutavit, & canonicâ auctoritate in civitatem, in Ecclesiam S. Stephani Protomartyris statuit, & suæ successorumque proprietati ac potestati deinceps alienavit. 778.

METEN

METEN MONASTERIUM.

801. ANno Domini DCCCI. Karolus Magnus fundavit monasterium in Meten, quod exordium habuit in hunc modum. Quum enim ipse Karolus provinciam Bavariæ obtineret, accidit quod transitum in venatione faceret per locum in quo dictum monasterium pro nunc est situm, tunc silvaticum existens, viditque ibidem hominem in habitu & dispositione heremeticâ, qui in fabricâ cujusdam cellulæ existit occupatus, & bipennem, cum qua ligna excidebat ad radios solares suspendentem.

Quo miraculo viso prædictus Rex Eremitam Uttonem nomine admonuit, ut aliquid ab eo ad suum profectum peteret, quod præsto esset, se daturum. Qui petiit, ut cultus Dei in structione cujusdam monasterii amplificaretur. Quod Rex statim annuit, & monasterium ibidem fieri jussit, & muneribus magnificis regaliter sublimando dotavit. Hic etiam quatuor Episcopatus, videlicet Treverensem, Colonien sem, Moguntinensem, & Saltzburgensem divitiis & honoribus ampliavit. Hic etiam Karolus terram Avarorum sive Hunorum per bellum continuum octo annorum capiens, Avaribus expulsis, ipsam terram Avariam sive superiorem Pannoniam (quæ nunc Austria dicitur) totam inter Ecclesias Bavariæ, Pontifices, & abbates, Comites dividit & Barones. Unde Ecclesiæ inferioris Altach non parvam dedit portionem. Hic Karolus, quum jam morbo & senectute premeretur, Ludovicum filium suum Regem Aquitaniæ, cunctorum consilio, consortem sibi totius regni, & imperialis nominis heredem constituit: impositoque capiti ejus diademate imperiali Cæsarem & Augustum jussit appellari. Tandem febre & pleuresi correptus V. Kal. Februa. decessit, anno ætatis suæ LXXII. Regni XLVI. Imperii XIV. sepultus Aquisgrani in Basilica B. Mariæ virginis, quam ipse construxerat, hoc habens Epitaphium: *sub conditorio hoc situm est corpus Karoli magni, atque orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos XLVI. feliciter rexit.*

Karoli M. fundationes.

DE MONASTERIO OBERMUNSTER, IN RATISPONA.

814. ANno Domini DCCCXIV. Baturicus Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Item à Baturico Ratisponensi Episcopo Hemma Regina mater Karoli Imperatoris, monasterium S. Mariæ in civitate Ratisponâ, quod Obermunster dicitur, legitimo concambio recepit pro monasterio in Mansee, quod Regina eadem Ecclesiæ Ratisponensi dedit in recompensam. Utrum autem Karolus iste, cujus hic fit mentio, fuerit secundus vel tertius hujus nominis Imperator, certum habere non potui.

DE MONASTERIO DIESENSEE.

802. *Diesend-see* ANno Domini DCCCII. Embricho Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Iisdem temporibus Rathardus presbyter apud Diesensee, quod per sonitum aquæ ibi decurrentis nomen accepit, monasterium S. Georii Martyris construxit; ibique Canonicos regulares ordinis B. Augustini coadunavit. Hoc postea per Arnolphum Ducem Bavariæ & Comitem Palatinum, perditionis filium, penitus est destructum, & ab inhabitatione hominum per multa temporum curricula desolatum mansit: donec per alios Christo fideles exstitit restauratum.

EBERS-

DE COLLEGIO CANONICORUM.

ANno Domini MLXXXII. Notpertus Episcopus Curicensis fundavit collegium Canonicorum secularium de octo Canonicis in propria Ecclesiâ sua Haybach: quod longis postea temporibus per nobiles de Sevelt desolatur. Sed per Ludovicum Imperatorem acceptâ advocatiâ, quam claustro Etal dedit, reformatur. Circa hæc tempora Monasterium DYETRAMSZELL fundatur, sic vocatum à quodam venerando sacerdote Dyetramo. 1082. *Dyetramszell.*

Item in Anglia floruit Anshelmus, primò Abbas, pòst Cantuariensis Episcopus, vitâ & scientiâ mirabilis.

DE MONASTERIO PRUFING.

ANno Domini MCVII. Heinricus IV. vel V. Heinrici Imperatoris III. filius regnare cœpit, regnavitque annis XX. Hic Imperium adeptus patrem suum cepit, & in vinculis usque ad mortem tenuit, ideo Deus ipsum sine herede mori permisit. Qui Spiræ unà cum aliis Regibus sepultus est, hunc versum in Epitaphio habens: 1107.

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet isthic.

Hic Heinricus ob regni negotia procuranda, curiam in urbe Ratispona celebravit. Ad quam venerabilis Otto Bambergensis Episcopus, utpote primus inter primos Principes vocatus venit. Hic colloquio imperatoris quod in urbe gerebatur, intererat: Tentorium verò sibi suisque in loco opaco & amœno, in quo erant arbores, nuces portantes, extra urbis mœnia causa commoditatis collocari præcepit. Ubi dum quiescit, vidit in somnis scalam, cujus summitas cœlos tangebat, & Angelos Dei descendentes & ascendentes per eam. Qui evigilans à somno, ex visione cœlitus sibi facta animatus; Monasterium Prufing (sic vocatum ut dicitur, daß man prüfen sol) ibidem fundavit, jubens fieri altare in honorem Dei & omnium Sanctorum, principaliter autem in honorem bellatorum Christi fortissimi Georii martyris. Dum autem locus in quo fundatum erat dictum monasterium, ad Canonicos de veteri Capella in urbe Ratispona pertineret, qui (sicut hodie perspicuum est) sub tutela & dominio Episcopi Bambergensis degunt; ipse diligenter apud eosdem Canonicos egit, ut sibi hoc prædium & fundum præfati monasterii in commutationem alterius prædii darent, quod & factum est. His ita peractis, venerabilis Episcopus Erinmoldum virum venerabilem, de monasterio quod Hirsaugia dicitur, à Brunone ejusdem monasterii abbate petiit & impetravit; eumque suo monasterio Prufing præfecit. Hujus Erinmoldi virtus cæteris obmissis specialiter refulget in duobus. Primò, quia cùm ipse cum confratribus suis nihil de adjacentis terræ bonis præter solum monasterium in quo habitabant possideret, Abbas sancti Emmerani nomine Reginhardus ad cujus monasterium pertinebant ferè omnia quæ in circuitu erant, graviter cum fratribus suis tulit dictum monasterium, Prufing inter medium suorum bonorum situm. Unde iracundia exardescens operarios mercede conduxit qui omne monasterium vallo circumdarent & undique locum ipsum coangustarent. Quum igitur opus jam usq; ad finem perveniisset, Abbas Erinmoldus nihil commotus ex his quæ gerebantur, alacriter suis præcepit, ut magnam ciborum abundantiam præpararent, quos vocatis ipsis operariis apponit, dicens: *Multum laborastis, corpora vestra quiete reficite, audenter comedite, quoniam libens vobis dono.* Comederunt igitur & biberunt, & beati viri patientiam admirantes, statim ut egressi sunt, vallem omnem repleverunt, liberum intrantibus & exeuntibus iter facientes, & sic ad sua reversi sunt. His auditis Abbas S. Emmerani & fratres ejus mitiores effecti sunt. *Erminoldus abb. Hirsaugiæ.*

Secundò virtus ipsius Erinmoldi in eo refulget, quod dum Heinricus illius nominis

Historiæ conveniant, quod legitur Macrianus cum sociis, & Otto Ratisponensis Episcopus, fuisse tempore Karoli Magni, Chronicorum scriptores videant.

De hoc tamen quoddam privilegium in quodam libro reperi, cujus tenorem huic operi inserui, quod lege si placet.

Heinici III. Imp. diploma.

In nomine S. & individuæ Trinitatis, Heinricus divinâ favente clementiâ III. Romanorum Imperator Augustus, omnibus Christi fidelibus, tam futuris quàm præsentibus notificamus ac manenti memoriæ committimus, qualiter tempore Ottonis Ratisponensis civitatis Episcopi quidam Scotigenæ pro cruciando corpore, salvandaque animâ, patriâ suâ exularunt, ac diu orationum loca visitantes Ratisponam tandem venerunt. Qui dum licentiâ prædicti Episcopi assensuque dominæ abbatissæ VVillæ, quæ tunc apud Weitzhen. *S. Mariam in monasterio superiori præerat, Ecclesiam VVitzhen S. Petri dictam, ad idem monasterium superius ad titulatam, ministerio ordinis susceperent providendam: Mox officinas claustri adjutorio bonorum hominum ædificant, monachicamque vitam inibi celebrant, & ab eleemosynis quotidianis tantum victitant. Tandem pro Dei misericordiâ concessum est eis aliquantulum justitiæ & utilitatis ad eandem Ecclesiam pertinentis. Deinde ad me Heinricum Dei gratiâ Romanorum Imperatorem III. veniunt, & mundiburdium defensionis meæ expetunt. Ego verò petitionibus eorum adquiescens, in mundium defensionis eos suscepi, & talem libertatem à prædicto Episcopo Ottone & Abbatissâ Hazegâ, quæ tunc locum S. Mariæ in superiori monasterio regebat, eis adquisivi, ut nulla persona major vel minor, in eos vel in bona eorum qualiacunq; dominationem habeant, præter me & successores meos Reges vel Imperatores, sed secum maneant, absque omni ejectione vel turbatione, orantes pro se & pro salute totius Ecclesiæ. Locus tamen subjectus sit superiori monasterio, cui attitulatus ad defefensionem potius, quàm ad destructionem est. Datum Kalend. Februarii anno Dominicæ incarnationis, MLXXXVIII. Indictione XII. Anno verò ordinationis Domini Heinrici, XXXI. Imperii verò anno V. Actum Ratisponæ.*

SCHEYREN MONASTERIUM QUALITER FUNDATUR.

1077. **Haziga.*

ANno Domini MLXXVII. Haizka * Comitissâ filia Regis Arragoniæ, & primitus nupta Hermanno Comiti de Castel, sed non ab eo cognita; quo decedente sine liberis, copulata est Ottoni Comiti de Scheyren, per quem tres filios egregiæ indolis concepit. Mortuo verò Ottone relata Haitzka, in quodam prædio, quod primitus ipsi in dotem donatum, erat structuram novam incepit, ibidem congregans duodecim personas monasticæ religionis. Postmodùm quia locus nimis arctus erat, monasterium in Vischpachavv construxit, & prædictos monachos illuc collocavit, & inibi feliciter obiit. Anno Domini MCVII. Perchtoldus nobilis, Comes de Burgeck, & Otto junior Comes de Scheyrn, commune castrum habuerunt, dictum quandoque Glaneck, nunc verò Ussenhofen, vel mons S. Petri, cui castro renunciantes Monasterium inibi in honore S. Petri, construxerunt, & fratres de Vischpachavv ibidem collocaverunt, quod ibidem per XVII. annos permansit. Transeunte autem hoc tempore Anno Domini MCXXIV. Otto Dux Bavariæ & Agnes uxor ejus rogarunt & suaserunt omnibus, qui hereditariam partem in casto Scheyrn habuerunt scilicet

1124. *Consortes Castri Scheyrn.*

Duces de Dachavv, Comites de Scheyrn, Palatinos de Witelspach, aut Marchiones de Andex, ut B. Mariæ resignarent & offerrent prædictum castrum, quia negligentiâ omnium horum cœpit desolari & destitui. Qui omnes rogatu dicti Principis unanimiter obtulerunt S. Mariæ. Præterea idem Dux cum uxore suâ Agnete transmutationem fecerunt, & caput monasticæ religionis in Scheyren statuerunt, & ibidem Ecclesiam in honorem B. Mariæ ædificarunt; quam etiam prædiis copiosè dotaverunt: ita tamen, ut prædicta monasteria Vischpachavv, & Ussenhofen cum omnibus suis respectum haberent ad Ecclesiam Scheyrn. Et sic prædictum Castrum in monasterium mutatum est.

DE

DE COLLEGIO CANONICORUM.

ANno Domini MLXXXII. Notpertus Episcopus Curicensis fundavit collegium Canonicorum secularium de octo Canonicis in propria Ecclesiâ sua Haybach: quod longis postea temporibus per nobiles de Sevelt desolatur. Sed per Ludovicum Imperatorem acceptâ advocatiâ, quam claustro Etal dedit, reformatur. Circa hæc tempora Monasterium DYETRAMSZELL fundatur, sic vocatum à quodam venerando sacerdote Dyetramo. 1082. *Dyetramszell.*

Item in Anglia floruit Anshelmus, primò Abbas, pòst Cantuariensis Episcopus, vitâ & scientiâ mirabilis.

DE MONASTERIO PRUFING.

ANno Domini MCVII. Heinricus IV. vel V. Heinrici Imperatoris III. filius regnâre cœpit, regnavitque annis XX. Hic Imperium adeptus patrem suum cepit, & in vinculis usque ad mortem tenuit, ideo Deus ipsum sine herede mori permisit. Qui Spiræ unà cum aliis Regibus sepultus est, hunc versum in Epitaphio habens: 1107.

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet isthic.

Hic Heinricus ob regni negotia procuranda, curiam in urbe Ratispona celebravit. Ad quam venerabilis Otto Bambergensis Episcopus, utpote primus inter primos Principes vocatus venit. Hic colloquio imperatoris quod in urbe gerebatur, intererat: Tentorium verò sibi suisque in loco opaco & amœno, in quo erant arbores, nuces portantes, extra urbis mœnia causa commoditatis collocari præcepit. Ubi dum quiescit, vidit in somnis scalam, cujus summitas cœlos tangebat, & Angelos Dei descendentes & ascendentes per eam. Qui evigilans à somno, ex visione cœlitus sibi facta animatus; Monasterium Prufing (sic vocatum ut dicitur, **daß mans prüfen sol**) ibidem fundavit, jubens fieri altare in honorem Dei & omnium Sanctorum, principaliter autem in honorem bellatorum Christi fortissimi Georii martyris. Dum autem locus in quo fundatum erat dictum monasterium, ad Canonicos de veteri Capella in urbe Ratispona pertineret, qui (sicut hodie perspicuum est) sub tutela & dominio Episcopi Bambergensis degunt; ipse diligenter apud eosdem Canonicos egit, ut sibi hoc prædium & fundum præfati monasterii in commutationem alterius prædii darent, quod & factum est. His ita peractis, venerabilis Episcopus Erinmoldum virum venerabilem, de monasterio quod Hirsaugia dicitur, à Brunone ejusdem monasterii abbate petiit & impetravit; eumque suo monasterio Prufing præfecit. Hujus Erinmoldi virtus cæteris obmissis specialiter refulget in duobus. Primò, quia cùm ipse cum confratribus suis nihil de adjacentis terræ bonis præter solum monasterium in quo habitabant possideret, Abbas sancti Emmerani nomine Reginhardus ad cujus monasterium pertinebant ferè omnia quæ in circuitu erant, graviter cum fratribus suis tulit dictum monasterium, Prufing inter medium suorum bonorum situm. Unde iracundia exardescens operarios mercede conduxit qui omne monasterium vallo circumdarent & undique locum ipsum coangustarent. Quum igitur opus jam usq; ad finem perveniisset, Abbas Erinmoldus nihil commotus ex his quæ gerebantur, alacriter suis præcepit, ut magnam ciborum abundantiam præpararent, quos vocatis ipsis operariis apponit, dicens: *Multum laborastis, corpora vestra quiete reficite, audenter comedite, quoniam libens vobis dono.* Comederunt igitur & biberunt, & beati viri patientiam admirantes, statim ut egressi sunt, vallem omnem repleverunt, liberum intrantibus & exeuntibus iter facientes, & sic ad sua reversi sunt. His auditis Abbas S. Emmerani & fratres ejus mitiores effecti sunt. *Erminoldus abb. Hirsaugiæ.*

Secundò virtus ipsius Erinmoldi in eo refulget, quod dum Heinricus illius no-

minis IV. Imperator, Rex verò quintus, res illicitas ab anteceſſoribus ſuis uſurpatas ipſe nihilominus uſurpatet, ſcilicet inveſtituram Epiſcoporum & Prælatorum (ſicut in pagina pontificum lucidius patet) & frequentius ab Apoſtolico admonitus fuiſſet, & tamen ſalubri conſilio nullatenus acquieſcens ſententiam excommunicationis ab eo accepiſſet; in hac excommunicatione dum eſſet, venit ad monaſterium Prufingen. Cogitans igitur Erinmoldus quæ Dei ſunt, iratum Regem offendere non timet, ut Deum placatum haberet, & ſuis præcepit, ne quis eum ſuſciperet, vel aliqua proceſſio ei more regio fieret: ſed ipſe ſolus ei obviam proceſſit, non ut adulator, ſed ut veritatis amator. Imperator igitur iræ impetus temperans ipſum convenit, æſtimans ſe in aliquo eum prius læſiſſe. Ad quæ Abbas: *Non eſt*, inquit, *ut ſuſpicaris, ô Rex, non ſum læſus à te vel aliquo tuorum, ſed quod excommunicatus es, maculam offenſionis & crimen inobedientiæ veremur pro te incurrere. Hæc ergò eſt cauſa, cur honor congruus tibi à nobis non impenditur.* Epiſcopi qui tunc latus Imperatoris fortè ambiebant, nequaquam Imperatorem excommunicatum eſſe dicebant. Ille replicando intrepide; *Veraciter*, inquit, *vobis dico, quòd excommunicatus eſt, quòd præſens extiti, vidi & audivi, quando ſententia excommunicationis in eum lata eſt.* Per hoc itaque quod animoſitatem Regis non timuit, intelligi poteſt, quanta in eo virtus animi fuerit.

REICHENBACH MONASTERIUM.

1118. *Vohburg.* ANno Domini MCXVIII. Dyepoldus Marchio de Vorchburg * petitione matris ſuæ Leukardis & uxoris ſuæ Alhaidis, cœpit conſtruere monaſterium in Reichenbach in honorem B. Dei genitricis Mariæ & omnium ſanctorum. Et hæc fuit cauſa fundationis prædicti loci. Dicta Leukardis cum quadam vice infirmaretur, ei dormienti B. Virgo apparuit, ſignificans quod ſuæ eſſet voluntatis, ut ſibi à Marchione Dyepoldo mons in Reichenbach offerretur, & fundaretur ibidem in honorem ejus monaſterium ſervorum Dei, à quibus ibidem jugiter laudaretur; dans eidem Leukardi pro ſigno, quod poſtquam de ſomno evigilaſſet, in quo hæc viderat, ſtatim ſe ab infirmitate ſanatam ſentiret, quod & factum eſt. Ita enim reſtituta fuit, ac ſi nihil moleſtiæ antea pertuliſſet. Tandem precibus, quibus potuit, coram filio ſuo Marchione inſtitit, ut locus in Reichenbach Deo & B. Virgini & omnibus ſanctis manciparetur. Et quum jam vicibus duabus filii conſenſum impetraſſet, & fundamentum ponere cœpiſſet, cœpit ei reſiſtere Marchio, quod civitatem in prædicto loco, & caſtrum fundare volebat. Tunc ipſa Leukardis mittens ad fortia manum, judiciario ordine coram Heinrico Imperatore hujus nominis IV. obtinuit, quod ipſe Marchio filius ejus plenariè conſenſit, & cum diligentia, & devotione cœpit eſſe auctor fundationis monaſterii in Reichenbach. Inſtituitque ibidem monachos ordinis S. Benedicti; vocans de monaſterio in Caſtello, unde mater ſua Leukardis nata fuit, quosdam fratres: inter quos Wittigo primus Abbas ejusdem loci. Hujus Marchionis filia fuit domina Reiza Duciſſa Bohemiæ, quæ conſtruxit monaſterium in Cladurna. Hæc tranſitum faciens in Reichenbach, mortua eſt, ibidemque in capitulo cum liberis ſuis ſepulta.

WALDSACHSEN MONASTERIUM.

1133. ANno Domini MCXXXIII. prædictus Diepoldus Marchio dedit Monachis Cistertienſis ordinis Waldſachſen aream, in quâ conſtructum eſt monaſterium eorum, & de ſylvâ quantum ipſi fratres per unum diem poterant in circuitu perluſtrare. Unde & ipſe eſt fundator eorum.

Anno Domini MCXX. conſecratum eſt monaſterium S. Jacobi Ratisponæ à venerabili Hartvvico Epiſcopo Ratisponenſi.

Anno

Anno Domini MCXLIII. locus dictus Walderbach, incorporatus est ordini Cistercienſi amotis inde Canonicis regularibus, qui quondam ibidem habitaſſe feruntur. 1143. Walderbach.

Anno Domini MCC. Alexander de Villa DEI monachus ordinis S. Benedicti doctrinale quod incipit, *Scribere Clericum*, Pariſiis legitur compilaſſe.

DE MONASTERIO SUPERIORIS ALTACH.

Circa annum Domini MCXXIII. monaſterium ſuperioris Altach initiatur, & ſub Honorio Papa 2. libertati traditur à Friderico Ratisponenſis Eccleſiæ advocato, cum conſenſu conjugis ſuæ, & Adelberti Comitis de Windberg & uxoris ſuæ, filiorumque eorum, ſcilicet Bertholdi & Alberti admodum parvulis, ad quorum dicationem idem locus hæreditario jure pertinebat. 1123.

Item Anno Domini MCCXLI. Albertus ultimus Comes de Pogen obiit. Hic ad Terram Sanctam in obſequium Crucifixi transire volens Eccleſiæ ſuperioris Altach tertiam partem fori in Pogen cum omnibus attinentiis & jure forenſi dedit. 1241.

DE SUPERIORI ALTACH.

Anno Domini MCCCXLIV. Abbas & conventus monaſterii in ſuperiori Altach magnum & arduum opus, & multis inutile viſum inceperunt. Magnus enim ille fluvius Danubius, juxta quem Clauſtrum eorum ſitum eſt, per multa tempora fundo monaſterii ſic appropinquavit, quod ab eo diſtans ad unius ſagittæ ſpacium, crebrâ littoris ſulcatione minabatur ipſum cœnobium cum ſuis ſylvis, agris, pratis, & paſcui funditus ſubvertendum. Unde ipſius Danubii flumen ab antiquo ſuo alveo retractum, per novam quam in magnâ à loco ſuo diſtantiâ foderant, vallem à ſuo cœnobio abduxerunt. Hujusmodi laborem plus quàm per decem annos continuantes, expenſisque plus quàm mille librarum denariorum Ratisponenſium, propter quod multi reditus à dicto monaſterio alienati ſunt. 1344. *Danubii alveus mutatus.*

CÆSARIENSE MONASTERIUM.

Anno Domini MDXXX. anno ſcilicet XXXII. ab inſtitutione ordinis Cistercii, vivente adhuc B. Bernhardo, annis XVII. fundatum eſt monaſterium Cæſarienſe, vulgariter, Kayſerſhaim vocatum, ordinis Cistercienſis, per Heinricum Comitem de Lechsgemunde, & Luitgradim conjugem ſuam, & Volradum filium eorum. 1130.

DE PONTE RATISPONÆ SUPER DANUBIUM.

Pons fieri cæpit, dum annus Domini incepit
Millenus, Centenus, tria decem, ſemi quoque denus.

DE PRIORATU S. PETRI EXTRA MUROS CIVITATIS RATISPONENSIS.

Anno Domini MCCIV. Conradus Friſingenſis Eccleſiæ Præpoſitus, Ratisponenſi Eccleſiæ electione univerſorum præficitur Epiſcopus. Hic vir juſtus, & per omnia religioſus, caſtus. Et vendito patrimonio ſuo ſeptem millibus librarum, cum eſſet ex antiqua & nobili proſapia, filius Heinrici Comitis de Franckenhauſen, hoſpitium pauperum in ponte Danubii fecit, & poſſeſſionibus extulit. Caſtrum de Yspachvverd, Kunigsvverd, & alteram Pevvern Epiſcopatui adjecit: Eccleſiam S. Emerani in multis defenſavit, obiit an. Dom. MCCXXVI. Hic Conradus Epiſcopus peramicabilem compoſitionem determinavit ſuper electione ac inſtitutione Prioris S. Petri 1204.

S. Petri extra muros Ratisponenſes, inter Abbatiſſam & Conventum ſuperioris monaſterii ex unâ parte; & inter Abbatem & Conventum S. Jacobi ex parte altera. Forma autem Compoſitionis quæ habetur in privilegio deſuper confecto, talis eſt, *Quando Prioratus S. Petri vacabit Priore, Abbatiſſa ſuperioris monaſterii veniens ad Abbatem & Conventum S. Jacobi, & Deum præ oculis habens petat aliquem Scotum de ipſo Conventu vel fratribus Sancti Petri idoneum ſibi dari Priorem. Et ſi bonus & idoneus quem poſtulavit, dandus erit in Priorem Eccleſiæ prænominatæ. Si vero Abbas & Conventus S. Jacobi vel major & ſanior pars ejusdem bonâ fide ac ſanâ conſcientia ſecundum Deum & in ſalutem animarum ſuarum meliorem & utiliorem inter ſe poterunt Abbatiſſæ demonſtare, hunc ſibi, ſi præſens eſt, demonſtratum, vel abſentem nominatum, à primo recedens Abbatiſſa poſtulet; recepturum primo de manibus ejusdem temporalia tantùm, quæ ex beneficio ſuperioris monaſterii ad Prioratum S. Petri noſcuntur provenisſe, quibus receptis Abbas ipſum ſolenniter inveſtiat ſpecialibus & cura Prioratus, ut ex his ad ipſum Abbatem principaliter, ſalvo jure noſtro, reſpectus habeatur.*

Item hiſtoriam quandam his temporibus ab Abbatiſſis ſuperioris & inferioris Monaſteriorum actam vide in Privilegio, quod ſequitur.

Friderici II. Imp. diploma.

*In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Fridericus II. Dei gratia Imperator Romanorum ſemper Auguſtus. Quum ad ſummam inſtantiam precum dilecti principis noſtri, Cunradi Ratisponenſis Epiſcopi, cum ipſo Epiſcopo nomine Eccleſiæ ſuæ, quoddam concambium feciſſemus de duobus principatibus, ſcilicet de inferiori & ſuperiori monaſteriis in civitate Ratisponenſi conſtitutis, pro quibusdam aliis prædiis & poſſeſſionibus ad prænominatum Epiſcopum & Epiſcopatum ſuum pertinentibus. Accedens ad provinciam Regiæ excellentiæ in curia ſolenni Herbipoli domina Tuta * inferioris monaſterii Abbatiſſa perſonaliter, nec non domina Gertrudis ſuperioris monaſterii Abbatiſſa, per ſuum procuratorem, cum aliqua honeſta utriusque capituli parte, coram Principibus & Baronibus atque totâ curiâ noſtrâ gravi querimoniâ propoſuit, ſe & Eccleſias ſuas indebite à nobis fuiſſe gravatas. Et ſuper hoc adjutorium & ſententias Principum poſtularunt, proponentes firmiter, nullum Principatum poſſe vel debere commutari vel alienari ab IMPERIO, vel ad alium Principem transferri, ſine voluntate præſidentis Principis illius Principatus, & de plano conſenſu ejusdem miniſterialium, ſuper quo factâ à nobis inquiſitione, per ſententiam PRINCIPUM, & obſequutionem tam nobilium quàm Baronum atque miniſterialium, & omnium qui aderant, judicatum eſt, nullum Principatum poſſe vel debere nomine concambii vel cujuscunque alienationis ad aliam perſonam transferri ab Imperio, niſi de merâ voluntate & aſſenſu Principis præſidentis, & miniſterialium ejusdem Principatus. Nos igitur juſtitiæ protectores, nullo conamine Juri reniti volentes, ſententiam ipſam duximus approbandam: & quod contra memoratas Eccleſias & earum Principes pro Epiſcopo & Eccleſia Ratisponenſi minus debitè feceramus omninò retractavimus in continenti præſente Epiſcopo præfato. Et ne de cetero ſimilia contingant, decernimus, & perpetuâ firmitudine obſervandum judicamus; Quod nulli liceat ulli ſucceſſorum noſtrorum, Romano Regi ſeu Imperatori Principatum aliquem (ut ſuperius ſententiatum eſt) ab Imperio aliquomodo alienare, ſed omnes Imperii Principatus à ſuo jure & honore illæſos obſervare. Ut itaque fidelis dilecta noſtra Gertrudis & ſucceſſores ejus Abbatiſſæ, nec non Regalis Eccleſia ſuperioris Monaſterii hac ſententia gaudeant, in antea, & glorientur in perpetuum, hoc ſcriptum indulſimus ſigillo Majeſtatis noſtræ roboratum. Acta ſunt hæc Anno Domini MCCXVI.*

* *ſ. Iuta.*

DE SACRAMENTO.

1255. ANno Domini MCCLV. quidam Presbyter in civitate Ratisponenſi corpus Chriſti pro quodam infirmo portans in lutum profundum cecidit in loco qui *Judenpurk.* Judenpurk dicebatur, hoſtiis ſalutaris ſacramenti diſperſis. Ubi ſtatim facta capella in honorem Corporis Chriſti, poſtea verò monaſterium Auguſtinenſium fratrum ibidem fundatur. Conrado Hiltprand, & Ulrico von der Prunſatt magiſtris ſtructuræ exiſtentibus.

DE

DE FR. BERTHOLDO MINORUM RATISPONENSI.

ANno Domini MCCLI. frater Bertholdus natione Ratisponensis ordinis fratrum Minorum prædicare cœpit. Ad cujus prædicationem dicuntur aliquando centum millia hominum confluxisse. Hic sepultus est Ratisponæ ad fratres Minores, hoc habens Epitaphium: MCCLXXII. XIX *Kal. Ianuarii obiit Frater Bertholdus, magnus prædicator, hic sepultus Luciæ virginis.* 1251.

DE MONASTERIO FURSTENFELD.

ANno Domini MCCLVI. Ludovicus Dux Bavariæ, Comes Palatinus dominam Mariam conjugem suam sororem Ducis Brabantiæ in Werd Suevico decapitari jussit. Miserat enim ipsa binas litteras, unas Duci qui tunc in partibus Rheni erat, alteras Heinrico Comiti Hirsuto* quæ etiam ex errore marito præsentatæ fuerant. Pro emenda verò conjugis ociosæ Abbatia in Furstenfeld à Ludovico prædicto fundatur. 1256. *Rhaugraff

CATEDRALIS ECCLESIA RATISPONÆ AB IGNE CONSUMITUR.

ANno Domini MCCLXXIII. Ecclesia Cathedralis S. Petri Ratisponæ voragine ignis penitus est destructa, & campanæ omnes liquefactæ, & consumptæ. XV. die Aprilis. Anno Domini MCCLXXVI. in festo S. Pauli Apostoli consecratus & repositus est primus lapis in nova structura præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Ratisponensis, à reverendo Leone ejusdem sedis tunc Episcopo.

DE OTTAKARO REGE BOHEMIÆ.

ANno Domini MCCLXI. Ottakarus Rex Bohemiæ Regem Ungariæ est aggressus Kelam nomine, in dicto campo Marchfeldt, & obtinuit victoriam auxiliante sibi Ulrico Duce Karinthiæ, & fratre suo Philippo electo Saltzburgensis Ecclesiæ. Et in signum victoriæ condita est civitas in eodem loco qui dicitur Marcheck, postea in jam dicto campo Marchfeld dictus Ottakarus rex pugnans cum Rudolfo rege Romanorum Bohemis terga vertentibus cum multis nobilibus est occisus. Hic Rudolphus Rex sapiens fuit. Ad quem accessit quidam in civitate Lavvbing dicens: *O Rex potentissime, peto aliquid mihi date.* Qui respondit: *Cur carissime, tibi quid dare debeam.* At ille: *Quia cognatus meus estis.* Cui Rex: *Unde dilecte.* Ille respondit: *De costis Adam.* Ad quem Rex: *Vade, & affer saccum grandem & amplum.* Ille lætus, putans quod sibi hunc replere vellet: quem quum portasset, & ad Regem rediisset, denarium unum in saccum sibi projecit, & dixit: *Modò vade, & unumquemq; qui tibi ex sanguinis propinquitate tantùm, ut ego, attinet, tot dare facias, & hunc saccum plenum habebis.*

DE HEINRICO EPISCOPO RATISPONENSI DE ROTENECK.

ANno Domini MCCLXXVII. Heinricus Comes de Roteneck Ratisponensis Ecclesiæ Canonicus, & Archidiaconus, Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Hic dictam Cathedralem Ecclesiam S. Petri incendio consumptam & destructam, & ab antecessore suo reædificari inceptam sumptuoso opere (quod & materiam superabat) ut ad finem perduci posset, multis laboribus procuravit; & multa preciosa ornamenta dictæ Ecclesiæ dedit. Hic etiam patrimonium suum, scilicet Comitatum & 1277.

tum & caſtrum in Roteneck cum pertinentiis ſuis Ludovico Duci Bavariæ vendidit, & Ratisponæ Eccleſiam, multis debitis oneratam, ab uſuris & damnis aliis liberavit.

Item Advocatiam in Vilden, Eberspaunt, Deyspach, Eſſenpach, Pilsting, & Erling à Dominis Ducibus Bavariæ, & alia multa magna pecunia comparavit.

Item fecit fieri duas campanas, quarum una dicitur Apoſtolorum, altera S. Petri.

Item per duos monachos de Halsprun edoceri fecit Muſicam in Eccleſia, cantu uſuali in Muſicam permutato.

MONASTERIUM.
vnſer Frawen Zell.

ANno Domini MCCCXIII. Nicolaus Regis Bohemiæ Cancellarius Eccleſiæ Ratisponenſi præficitur Epiſcopus. Hic debita maxima, quæ anteceſſor ſuus in damnum Eccleſiæ fecerat, integraliter perſolvit; & omnia caſtra, & munitiones quæ idem anteceſſor ſuus perſonis potentibus obligaverat, redemit, & quamdiu vixit in ſuâ habuit poteſtate. Quæ etiam moriens plena & optimè proviſa reliquit. Hic inter regni & ſedis diſſenſionem ſibi & clero ſuo providit, quod à proceſſibus & ſententiis contra Imperatorem Ludovicum fulminatis ſeu fulminandis ex ſpeciali Papæ gratia ſubportatus, indignationem Cæſaris non incurrit. Hic duobus Eremitis, ſcilicet Gotfrido & Alberto ob humilem eorum devotionem, nec non interceſſione dilecti ac fidelis ſibi Reymari de Preubergk conceſſit, ut in nemore quodam apud caſtrum Preubergk in pede montis Schopfloch cellam duorum vel trium, & aliorum poſſint conſtruere, & oratorium ædificare. Hic eſt locus ille, in quo nunc eſt Abbatia ordinis S. Benedicti, vnſer Frawen Zell vulgariter nuncupata. Hic quum quædam gravamina monaſterio S. Emerani Ratisponæ inferret, Baldvvinus Abbas dicti monaſterii ad ſedem Apoſtolicam, quæ tunc Avinione erat, appellavit, ubi diligenter cauſam perſequens, & principaliter libertatem & exemtionem ſui monaſterii, ibidem moritur ſepelitur. Cui Dominus Papa videlicet Johannes XXII. fratrem Albertum, dicti domini Baldvvini capellanum, qui in totâ causâ fidelis et coadjutor extiterat, auctoritate Apoſtolicâ ſurrogavit, & ſententiam tulit, pronuntians, dictum monaſterium S. Emmerani eſſe liberum, & ab omni jurisdictione Epiſcopi Ratisponenſis penitus exemptum, Epiſcopo tamen ſingulis annis XXX. libras Turonenſium parvorum tenetur miniſtrare. Hic magnam campanam, quæ B. Mariæ apud vulgus vocatur, fieri fecit, cujus ſuperſcriptio continet hunc verſum:

Sanctos collaudo tonitrus fugo, funera claudo.

Quoniam plerumque tabulata fortia unius ſcintillæ læſione ruere noſcuntur; rem geſtam hujus Nicolai temporibus, prout fertur, refero. Quidam piſtor in civitate Ratisponenſi per ſaltum gradus, qui vulgò Peckenbruck dicitur, culpis ſuis exigentibus punitus eſt. Qui dum de palude egrederetur, per inſolentiam cujusdam civis in paludem retruditur: quod dum piſtor calamitoſus ægrè ferret, civis hoc, utpote glorioſus, nihil pendit. Fit igitur die quadam Presbytero cum ſacramento transeunte ad infirmum quendam, & piſtor ſacerdotem ſequitur. Cum autem civis ille ob Chriſti corporis reverentiam in vico prope turrim Epiſcopalis Curiæ genicularet, piſtor eum in eodem loco interfecit: & in aulam Epiſcopalem fugiens, uſque ad penetralia Epiſcopi, violenter à civibus extractus, & decapitatus eſt. Quod Epiſcopus ægrè ferens, civitate egreſſus firmavit, ſe nunquam vivum vel mortuum in Ratisponam reverſurum, quousque de hujusmodi, violentia, libertatisque fractione debita talio redderetur. Sic itaque extra civitatem moritur, & in ſuperiori Altach ſepelitur. Dicitur, quòd poſtea nullus in hujusmodi gradu ſive oſtillo ſit punitus.

ETHAL

ETHAL MONASTERIUM FUNDATUR.

Hæc quoque supra extant in Chronico.

ET Monasterium ibidem (prout Imperator voverat) fundatur & ETHAL nomen imponitur, ponitur que lapis primus ab Imperatore, anno Domini MCCCXXX. in die S. Vitalis martyris. Fit itaque ibidem Abbatia ordinis S. Benedicti, cum viginti duabus personis. Et primus Abbas de Reichenbach recipitur nomine Fridericus Heinrichsreuter. Instituitur etiam ibidem mansio XXII. militibus & uxoribus eorundem, & sex viduis, quibus dabatur præbenda, sicut & Monachis. Et duravit hoc Imperatore vivente: Quo defuncto filii sui bona, quæ pater dederat, sibi usurpaverunt: propter quod milites ibidem esse desierunt, & monasterium multùm attenuatum est.

Hic Ludovicus Dux Bavariæ lites cum civitate Ratisponâ habuit, quam quum per multos annos expugnare non posset, tandem cum scitu & juvamine quorundam civium, etiam potentium, utpote consulum, in domo Ducum Bavariæ foramen sub terrâ fecit, ipse laborando ab extra, civibus juvantibus ab intra, intendens per hoc foramen civitatem intrare, & eam obtinere, sed frustra. Nam eâ die, quâ per foramen semper duo & duo civitatem intrare debuerant, foramen hoc inventum fuit. In cujus rei signum in loco eodem lapis muro impositus est, continens inscriptionem quæ sequitur.

Anno Domini MCCCXXXVII. Des Eritags vor S. Vrbans tag / ward das loch gefunden / vnd zween darinn gefangen / die das loch gruben: Vnd wurden des nechsten Eritags darnach in die Zinnen gehangen.

Hic Ludovicus, antequam cum fratre suo Rudolfo regnaret, monasterium Augustinensium in Monaco fundavit. Hic etiam Ludovicus fundavit monasterium Windespach, locavitque ibidem fratres de ordine S. Wilhelmi prope castrum Furstenberg. Hic etiam Ludovicus Imperator, & pater suus Ludovicus Dux Bavariæ dicuntur esse fundatores monasterii Sanctimonialium in Pettendorf, ordinis Prædicatorum. *Pettendorf.*

MONASTERIUM CARMELITARUM.

ANno Domini MCCCLXVII. Albertus Stainhauf, civis & Præpositus dominorum de capitulo Augustinensi in Straubing, accedente assensu Alberti Ducis filii Ludovici Imperatoris, in arenâ sua dictæ civitatis Claustrum fratrum Carmelitarum fundavit. Hujus prædicti Alberti filius, nomine Albertus ibidem in medio Chori est tumulatus. 1376.

MONASTERIUM IN LANGENZEND, A BURGGRAVIO NURINBERGENSI FUNDATUM.

SIgismundus Rex Marchionatum Brandenburgensem, quem ex obitu patrui sui Jodoci hæreditario jure habebat, Friderico Burggravio Nurinbergensi, & suis hæredibus contulit perpetuò possidendum. Hic Fridericus Burggravius adhuc regnante Ruperto Romanorum Rege in Ecclesia Parochiali oppidi in Langenzend, quæ jure collationis ad eum pertinebat, monasterium Canonicorum regularium insti-

tuit. Item ipſe Rex Sigismundus anno primo poſt concilium Conſtantienſe, qui
1418. eſt MCCCCXVIII. circa feſtum Martini per Ratisponam in Ungariam deſcendens, ex conceſſione Martini Papæ V. decimam redituum & fructuum à Clero per Alemanniam accepit.

MONASTERIUM MONTIS GRATIÆ.

1426. ANno Domini MCCCCXXVI. quarto Nonas Martii obiit Catharina Duciſſa Pomeranorum, uxor Johannis Ducis Bavariæ, filii Ruperti Regis in Nevvmarck tumulata. Hæc eſt fundatrix monaſterii Montis Gratiæ, *de ordine Salvatoris, qui & S. Brigittæ dicitur, non multùm inde diſtantis.

*Gnadenberg.

IN

IN ANDREÆ RA-TISPONENSIS CHRONICA BAVARORUM NOTÆ.

LUDOVICO Palatino Comiti in Mortain) De hoc Aventinus lib. VII. *Ludovicus ad sororem reginam Franciæ proficiscitur: ibi à Rege Franciæ Constantiarum Celticæ Galliæ præfectura quam Mortaniæ sive Moritonij in Nordomania Comitatum vocant, donatus est.*

F. ANDREAS presbyter) Idem eodem libro: *Deinde Ludovicus Iulio eo pergit. Hic ejus jussu Andreas flamen Augustinianus Annales Bojorum inchoavit, scripsit, eidem nominatim dedicavit. Nam Ludovicum literarum studiosum amantissimum, fuisse, memoriæ mandatum est.* Et paulo supra: *Hæc diligenter & accuratè Andreas Reginoburgensis mysta Aurelianus, litteris & memoriæ commendavit: idcircò eundem cives sui T. Livium censent.*

Chronicis Romanorum Pontificum & Regum) Extant in Bibliotheca Palatina, sine nomine quidem auctoris, sed cum istis Bavaricis in eodem Codice juncta; à nativitate Christi usque ad Sigismundum Imp. & annum MCCCCX.

Anno MCCCCXXV) Idem opusculum biennio postea vertit auctor Teutonicè, sed & subinde ab hoc tempore primæ editionis auxit & ampliavit. Ut autem, quos ipse auctores sequutus sit, nescimus: ita ab ipso sequentes plerique sua mutuati sunt. Habuit & usurpavit hunc libellum Iohannes Trithemius Abbas, ut testatur in præfatione Chronicorum Hirsaug. eumque maxima ex parte epitomavit in Genealogia Bavaro Palatina ad Philippum Electorem, & in prædictis Chronicis Hirsaugiensib. Nauclerus quoque stemma Palatinum, Generatione XXXIV. ex hoc desumsisse videtur. Denique hanc Bavariæ historiam vertit prope ad verbum rhythmis Teutonicis Michael Bohemus Winsspergensis, scriptor gestorum Friderici Palatini Victoriosi.

Pag. 4. Bavarus Norix) Quàm proclive ab his Bavaros & Noricum deducere? Ita Celtas à Rege Celta, & Galata matre ejus Galatas derivatos, refert Marcellinus lib. 15. ut magnorum fluminum noti sunt lapsus, nota ostia, fontes fermè ignoti: ita origines gentium in tam obscuris versantur tenebris, ut omnes fermè populi quia ortus suos nesciunt, Troja se oriundos prædicent. Usque adeò illud tempus non tantùm μύσικον (ut Varronis verbo utar) sed plane ἄδυλον: de quo jure usurpes illud Plauti apud Gellium: *Hæc nihilo mihi esse videntur ferius, quàm insomnia.*

Septem nomina) nullum verum. *Regium* est apud Antoninum, *Regino* in tabula Peutingeriana, *Regina castra* in Noticia, *Regina civitas* in annalibus Francorum, *Reginoburgum* recentioribus. Teutonici *Reginesburg, Reganesburg, Regenesburg, Regensburg* (tot modis variatum invenio) fecerunt. De Tiburnia vide notata D. Velseri ad Eugipp. cap. 17.

Lucius Rex Britanniæ) De hoc quoq; vide eundem lib. 6. Aug. Vindel. & Merman. in Theatro convers. gent. pag. 508. & 132.

Pag. 5. Authari Rex Longobard.) Hæc historia connubii inter Autharin & Theodelindam extat apud Paul. Diac. 3 Longobard. cap. 14. & postea cum Agilulfo, lib 5. cap. 18. De B. Gregorio. lib. 4. cap. 2.

Pag. 6. Gentis conversionem) à quo conversi fuerint Longobardi, vide Merman. in Theat. convers. gent. pag. 94. 96.

Rupertus) De ista conversione Bojorum & Carenthanorum, insigne fragmentum ante DCCC. annos scriptum, extat proditum per M. Flaccium Illyricum in Catal. Test. Verit. fol. 122.

Sordida & pulchra historia) Ex Paulo Diac. 4. Longobard. cap. 13. & Aimonio lib. 4. cap. 5.

Pag. 5. *Angisus*) aliàs *Ansegisus*. De hoc in Catalogo Metensium Episcoporum (quem aliquos Paulo Warnefrido Diacono Forojulienſi tribuere video) ita legitur. *Post Pappolum ad regimen Ecclesiæ beatissimus Arnolfus ascitus est, vir per omnia lumine sanctitatis & splendore generis clarus: qui nobilissimo fortissimoque Francorum stemmate ortus, ita Dei Ecclesiæ præfuit, ut & palatii moderator existeret. Hic denique & in corpore permanens, & post vitæ exitum, multa admiranda perpetravit: quæsi quis nosse desiderat, libellum qui de ejus specialiter actibus conscriptus est, legat. Venerandus iste vir juventutis suæ tempore, ex legitimi matrimonij copula duos filios procreavit, Anschisum & Chlodulfum: cujus Anschisi nomen ab Anchise patre Æneæ, qui à Troja in Italiam olim venerat, creditur esse deductum. Nam gens Francorum (sicut veteribus est traditum) à Trojana prosapia trahit exordium. Cum igitur hos duos, de quibus præmisimus, venerabilis Arnulfus filios haberet, quoniam erat misericors, & ad pietatis opera semper intentus, utrúq; filios suos cœpit suadere, ut ei assensum præberent, quatenus omnes suas facultates ad usus pauperum, dispertiret. Tunc major filius, id est, Chlodulfus, se hoc posse facere, idq; ut portionem sibi debitam patri largiretur, omnimodis denegavit. At verò minor filius, id est, ANSCHISVS, fidens de CHRISTI pietate sibi plurima condonari, ad omnia quæ pater vellet, se libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, & prædicit ei, pluriora eundem, quam reliquerat, habiturum: insuper benedixit eum, ejusq; cunctam progeniem nascituram in posterum. Factumq; est. Nam & pluriores Anschiso, quàm reliquerat, divitiæ accesserunt, & ita in eo paterna est constabilita benedictio, ut de ejus progenie tam strenui fortesq; viri nascerentur, ut non immeritò ad ejus prosapiam Francorum translatum sit regnum. Et ut hoc agnoscere possis, paucis animadvertere docebo. Anschisus genuit Pippinum, quo nihil unquam potuit esse audacius. Pippinus genuit Karolum, viris omninò fortissimis conferendum: qui inter cætera & magna bella quæ gessit, ita præcipuè Saracenos detrivit ut usq; hodiè gens illa truculenta & perfida Francorum arma formidet. Hic itaque genuit Pippinum, sapientia nihilominus & fortitudine satis clarum: qui inter reliqua, quæ patravit, Wascones jam dudum Francorum ditioni rebelles cum Waifario suo principe facilitate mira debellavit & subdidit. Hujus itaq; filius magnus Rex Karolus extitit, qui Francorum regnum sicut nunquam antea fuerat, dilatavit.* Cætera edidit P. Pithœusin Annal. Franc. pag. 188.

Major domus) vide insigne fragmentum de Majoribus domus Regis ab eodem pag. 226.

Palatium Trevirense) De hoc ita scribit F. Johannes Scheckmannus in Medulla gestorum Trevirorum cap. 2. *Est & alia vetustissima habitatio intra urbis mœnia, quod Palatium appellatur, altis muris, magnis perspicuis fenestris, ex duris lapidibus quos lateres nominant, ædificatum, in quo locus est habitationis & residentiæ domini Archiepiscopi Trevirensis. Inibi horribiles lacus & carceres, quibus mancipantur custodia, qui ob facinora sua interimendi veniunt. Conjuncta est & illi antiquissimæ fabricæ alia nova, digna Principe habitatio, præclaris aulis, perlucidis stubis. Idem palatium (ut prisca edocent scripta) regalis sedes fuit & habitatio: maximè id ex epistola quadam D. Ambrosii elicitur. Refert enim Maximum Imp. se inquisivisse in palatio ubi manebat: ita enim scribit: Cum venissem in Galliam, & Moguntiam præteriissem, postridie cum pervenissem ad Treviros, processi ad Palatium. Habebat enim secreta perlaturus ad Maximum.* Hoc ergo magnum illud Palatium dicitur, à quo diversum Palatiolum, Trevirorum suburbanum oppidum & castrum, ad sinistram Mosellæ ripam, medio ab urbe milliari distans. *Pfalzel* hodieque dictum. In illo sub Francorum Regibus Palatini Comites sedem habebant, qui & perpetuam Urbis præfecturam (Advocatia dicebatur) olim gerebant: à qua regio illa urbis circa Palatium *Grafschafft* hodieque vocatur. An autem ab illo potissimum Palatio Comitum Palatinorum nomen & dignitas descendat, latius est à nobis tractatum in Orginib. Palatin. cap. 2. & 11.

S. Mariæ in Capitolio) Capitolia habuisse illustres urbes omnium provinciarum, eleganter not. Welser. lib. 5. Aug. Vind. De hoc Agrippinensi, vide Petrarch. Epist. 4. lib. 1.

Quod Carolus est) Idem refert M. Jordanus Padebornens. in lib. De Imp. & Elect. unde auctor noster sumsisse videtur.

KAROLUS, homo robustus) Omninò masculus. Ita usurpatum legimus ab Otfrido Monacho Weissenburgensi Evangel. lib. 4. cap. 6. de muliere septem fratrum uxore, *Thiu habeta, juvveist es mer. Zi Karle sibun bruader.* Nec planè desita nobis vox, dicimus enim, Ein tapfer Kärle / ein gut Kärle. Item: Ein Kärle-mutter / mater heroicæ masculæ sobolis.

Pag. 8. *S. Burchardum*) quo merito legationis feliciter obitæ, Ducatum Franciæ Orientalis ipsi & successoribus Episcopis Herbipolitanis, à Rege Franco collatum, scribit Trithemius.

Pag. 9. *Majores domus*) Reipsa. Reges.

ges. Venericus Vercellenſis in lib. de unit. Eccleſ. conſervanda: *Theodericus tertius frater, cujus major domus, id eſt proviſor palatii, imò violator palatii, extitit quidam Ebronius apoſtata.* Unde graviſſima monitio doctiſſimi Francicorum Annalium ſcriptoris Cl. Faucheti lib. 5. cap. ult. *Remonſtrance aux Roys, de ne laiſſer manier leur eſtat par aultruy, & ne conteneur les grands offices de pere en fils.* Et ſane de facto iſto Pippini, quo jure cenſendum ſit, graviter controvertitur apud doctos: Lupoldum Bebenpurgium, Sebaſt. Francum, Flacc. Illyricum, Reine. Reineccium, Carol. Molinæum in SC. Franciæ, pagina 180. & 182.

Inane nomen Regis) Paul. Diac. in Miſcella hiſtor. lib. 22. & in Longobard. libro 6. cap. 5. Eginhardus in Karlò M. ſub princip. Cedrenus fol. 373.

ἱστόρηται ὅτι ἔθος ἦν τῶν ῥῆγα φαγγίας χρῆ γένθ ἦν ἀρχαικὴ μηδὲν διοικεῖν πλὴν ὅτι ἀλόγως ἐθέλοιεν καὶ πάσειν. Κατὰ δὲ τὸν μέσον μῆνα πανηγυρίζειν ὅτι πάντες τὸ ἔθνος, καὶ προκυνεῖν ἀυτοῖς, καὶ ἀντιπροσκυνεῖν ὑπ' ἀυτῶν, διαφορεῖσθαί τε καὶ συνήθειαν καὶ ἀντιδίδοναι ἀυτοῖς. ἔχειν δὲ πρόσκαιρον γνώμην ἀυτὸ, καὶ τὸ ἔθνος εἰς τὸ διοικεῖν πάντα τὰ πράγματα.

Crine profuſo) criniti Reges Francorum paſſim celebres Agathias lib. 1. Θεμιστὸν τοῖς βασιλεῦσι τῶν Φράγγων ἐστὶ πώποτε κείρεσθαι, ἀλλ' ἀκαρῆ κόμαι τε ἔισιν ἐκ παίδων ἀεὶ καὶ πεπώρηνται ἀυτοῖς ἅπασιν ἐυμάλα ὅσοι τῶν ὠμῶν οἱ πλόκαμοι: ἐπεὶ καὶ οἱ ἐμπρόσθιοι ἐκ τοῦ μετώπου κρεμάμενοι, ἐφ' ἑκάτερα φέρονται, καὶ μὴν ἄσπερ οἱ τῶν τύρκων τε καὶ βαρβάρων ἀπίκτιλοι καὶ ἀυχμηροὶ καὶ ῥυπῶντες, καὶ ἐν ἔρει ἀκριβῶς ἀναπεπλεγμένοι, ἀλλὰ ῥύμματα ὑπὸ ὀπιβάλλουσιν ἑαυτοῖς ποικίλα, καὶ ἐς τὸ ἀκριβὲς διαξαίνουσι. Inde Sidonius carm. 13. *Sic ripæ duplicis tumore fracto Detonſus Vahalin bibat Sicamber, id eſt, viribus & coma adempta humiliatus.*

Carpento junctis bubus) Huc referre conatur Elias Vinetus Santo verſus illos Martialis, lib. 10. epigr. ad Rhenum: *Nec te barbara contumelioſi calcatum rota conterat bubulci.* Vide eum in Auſonii Moſellam pag. 171.

Cuncto populo adclamatum) In hac adclamatione & laudatione olim electio populatis conſiſtebat, ut apud Paul. Diaconum paſſim legimus. Lambertus Hirsfeldenſis anno DCCC. *Carlus Auguſtus à Romanis appellatur.* Idem Sigebertus, Martinus Polonus Lupoldus, Annales Francorum. Vide & Lipſ. 2. Elector. cap. 10.

à Deo coronato) Θεοστεφῆ. Titulus Græcis Imperatoribus affectatus, & in numis etiam expreſſus.

Vnctus) à capite ad calcem, ait Manaſſes: quod vix credo.

Ab eo adoratus) nota morem à pleriſque ſcriptoribus diſſimulatum.

Titulus talis) Ita in numis: KARLUS. R. F. E. L. Et in opere de Imaginibus: *Opus illuſtriſſimi & excellentiſſimi ſeu ſpectabilis viri, Caroli Magni, nutu Dei Regis Francorum, Galliæ, Germaniam, Italiamque, ſive harum finitimas provincias Domino opitulante regentis; contra ſynodum, quæ in partibus Græciæ, pro adorandis imaginibus, ſtolidè ſive arroganter geſta eſt.* Et hunc titulum, Regis Francorum & Lombardorum, alii etiam Reges Romani poſt Carolum M. eius exemplo uſurpare non deſierunt, ante unctionem nimirum & coronationem, ut not. Lupold. Bebenburg. in lib. de jurib. Imp. Rom. cap. 5.

Baſilica, quam ipſe conſtruxit) Miram de hac re fabellam refert Fr. Petrarcha Epiſt. 3. lib. 1. Æn. Sylvius in Germania: *Aquisgranum, Germanici regni ſedem, ubi palatium illud tota Germania nobiliſſimum, Cæſarum qui ex Teutonicis petiti ſunt, egregias ex lapide ſtatuas oſtentat, & delubrum in ſigne, in quo Reges unguntur.*

Sepultus) hoc elogio: *Caroli M. Chriſtianiſſimi Romanorum Imperatoris, corpus hoc conditum eſt ſepulchro.* Id poſtea refodit Otto Imp. III. & Fridericus I. Imp. ut Ditmarus & Godefridus S. Pantaleonis monachus annotarunt.

Ludo ſcachorum doctior) Eadem totidem verbis referuntur infra in cap. De monaſter. Tegernſehe. Quæ nullum fidum auctorem habentia, petita videntur ex veteribus næniis, quas *Romans* Franci vocant, in quibus iſta leguntur, libro *Des quatreſils d'Aymon. cap. 2.* Ea tamen Metellus etiam monachus Tegerenſis, antiquiſſimus Bojorum Poeta, in Quirinalibus Ode XI. decantat.

Super tempora percutiens) Metellus: *& rocho jaculans mortiferè vulnus adegerat.* Ita ſuppleo lacunam.

Pag. 10. Pagani) credo Longobardi. Hi enim eo tempore, ſub Zacharia PP. Romam infeſtabant. Videndus Paul. Warnefrid. lib. 6. hiſt. Longobard. & Metellus Oda 13. 14. 15.

Pag. 11. Quirinus, Philippi Imp. F.) Ignotus Latiis annalibus: Sed non Metelli Quirinalibus, Oda. 15. 16. 17.

Otilo Dux) Huius mentio eſt in epiſtola quadam Gregorii III. PP. ad Bonifacium: *Igitur quia indicaſti, perrexiſſe te ad gentem Bajoariorum, & inveniſſe eos extra ordinem Eccleſiaſticum viventes, dum Epiſcopos non habebant in*

provincia, nisi unum nomine Vinilo, quem nos ante tempus ordinavimus: & quia cum assensu Otilonis principis eorundem Bajoariorum, seu optimatum provinciæ illius, tres alios ordinasse Episcopos, & in quatuor partes provinciam illam divisisse, ut unusquisq; suam habeat parochiam, bene & satis prudenter peregisti frater.

Bavaria in provinciam redacta Dux) Tunc temporis Bavari habebant Duces suos ex Agilolfingis, ut testatur Theodoricus Rex in leg. Bajoar. cap. 4. §. 1. *Dux qui præest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit & debet esse: quia sic Reges antecessores nostri concesserunt eis, ut quia de genere illorum fidelis Regi erat & prudens, ipsum constituerunt Ducem ad regendum populum illum: & pro eo quia Dux est, addatur ei major honor quam cæteris parentibus ejus.* Ad quem locum vide B. Rhenanum in German. fol. 88. & 93.

Pag. 12. Tassilonem in ducatum) Ab eo habita est synodus Dagolfingæ, cuius acta nuper in lucem redierunt.

Pag. 13. Monasterium quod ipse construxerat) Vetus scriptor vitæ Caroli M. edente P. Pithæo pag. 253. *Et ambo facti sunt monachi in Olto Monasterio, ibi S. Bonifacius requiescit* legendum, *S. Nazarius.* Est enim locus ille olim dictus Alden-münster, insula super fluvium Wisgoz, ubi postea monasterium Lauresham positum est, de quo latius scripsi in originib. Palatin. cap. 6. Ib. Tassilonis monumentum adhuc visitur, cum hac inscriptione:

Conditur hac fovea, quem pie Christe bea,
Tassilo Dux primum, post Rex, Monachus sed ad
Idibus in terris decesserat iste Decembris. (imum.

De quo tamen in toto Chronico ejus cœnobii à nobis in lucem prolato (quod antiquitatis Palatinæ fundum vocare soleo) tam altum silentium satis mirari non possum.

Pelvium ignitarum inspectione) Non absimilis modus elucificandi, apud Gellium lib. 10. cap. 17. Pœnæ genus inter Byzantinos proceres frequens, apud Nicetam, Cedrenum; per ignitas candentesque laminas.

Apud Laureacum) Vide Casp. Bruschi, de Batavia & Laureaco.

Naymus Dux Bavarorum) Hæc quoq; in fabulis illis antiquis leguntur, *Les quatre fils Aymon.* Unde Vincentius ista hausisse videtur.

Pag. 14. Ganalonum traditionem fecisse) Hæc quoque non satis liquida Turpini fide constant. De Ganelonis Archiepiscopi Senonensis sub Carolo Calvo Rege, proditione per synodum damnata, vide potius Papir. Massonum lib. 2. Annal. Franc. pag. 99. & 110. ubi notat, ab illo proditores hodieque *Ganelones* vocari. Ita ut à Gildone illo *Gildoniam* conjurationem dici not. Fr. Pith. in Glossar.

Ludovicus Rex Germaniæ) Hic ipse, & Ludovicus III. eius filius, itidem Germaniæ vel (ut hic Andreas dicit) Ostro-Franciæ Rex in monasterio illo Laurisham tumulari voluerunt, ut Chronica ipsius Cœnobii fidem faciunt, & Regino, Annales Fuldenses, Trithemius, Aventinus annotarunt. Unde apparet, locum olim imprimis celebrem, veluti in meditullio regni Francorum situm, Regibus amatum fuisse.

Pag. 15. castrum Scheyren) Vide Annales Schyrenses Aventini.

Comitatus Palatinos) In Germanico exemplari est, Gefürstente Grafschafften.

Filium Cendebaldum spurium) de hoc Suentebaldo, Luitprand. Ticin. lib. 1. cap. 7.

Pag. 16. fratres filii Arnolphi Imp.) Hoc auctor pro explorato ponit, quem alii etiam scriptores, ipsique in Genealogia illa oculis repræsentanda pictores sequuti sunt. Sed errore fieri recentiores annotarunt in quibus Michael Beuterus Carolopolites in animadversione quadam super ista Genealogia Bavarica, Poematis Lotichii inserta; *nimirum*, ait, *quod Werneri Schirÿ patrem Arnulphum, Arnulfi filium Lutholdi principis ex Caroli M. sanguine prognati nepotem, pro Arnulpho Imp. decepti videlicet æquivocatione nominis accipiunt.* Qua de re ulterius hoc loco inquirere non est animus.

Arnoldus Ducatum Noricorum) Arnoldi huius in Bajoaria præpotentis, meminit Luitprand. Ticinens. lib. 2. cap. 7. & lib. 3. cap. ult. satis cum Andrea nostro convenienter.

Pag. 17. S. Vdalrico Aug. Episc.) legitur in eius Vita, cap. 3. ubi vide notata D. Welseri.

Ecclesias & monasteria destruens) Idem ei imputat Metellus in Quirinalib. Oda 18. Otho Frising. lib. 6. cap. 18.

Chirothecam projiciens) Mos vetus tradendi per chirothecam.

Monasterium in honorem S. Mariæ) Hic vide chronicon Schyrense Aventini.

Pag. 18. Italici suos Reges) De his apud Luitprandum Ticinensem, Blondum, Carol Sigonium.

Quidam Comes de Schyra) de quo Otto Frisingens. lib. 6. cap. 20. Perrò hunc Wernherum Arnoldi fratrem, Bertholdum vocat Luitprandus lib. 4. cap. 18.

Otto

Otto Romam pergens) De hoc Luitprand. lib. 6. cap. 6. Witichindus, Ditmarus, Hrosvvitha, alii.

Pag. 19. *S. VVenceslaus*) Vide Æn. Sylvium in Bohemia cap. 15. Dubrauium lib.

Principium) *Electorum Imp.* sequitur vulgatam sententiam de qua vide elegantem orationem Nic. Cisneri, & libellum peculiarem Sim. Schardii. Mich. Beuter. animadvers. historic. cap. 13. Sed & nos alio loco fusius sententiam nostram exponemus.

Bohemi primum Regem) Æn. Syl. in Bohem. cap. 24. & 25. infra sub anno 1176.

Palatinus Archidapifer) ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης, Nicetæ. Vide Origin. Palat. cap. 15.

Pag. 20. *S. Henricus*) Vide ejus historiam sive legendam peculiarem, Chronicon Bambergense, Wimpfeling. in Epit. German. cap. 23.

Pag. 22. *recuperatio terræ Sanctæ*) De hac videnda. Chronicon. Hierosolym. Guiliel. Tyrius, Nicetas, pag. 34.

Pag. 24. *Modoyci sede Italici regni*) Vide Alciat. in lib De forma Imp. Rom.

apud Confluentiam oppidum) Apud Rheni ripas de negotiis Imperii Principes Conventus agere consueverunt, ut alibi fusius exposuimus.

Regalia) German. Königliche Zier. βασιλικὰ κειμήλια, σήσημα καὶ σύμβολα, quibus Imperator inauguratus investiebatur. De his Godefrid. Viterbiensis, parte XIX. in fine.

Pag. 25. *Guelfi, Gybellini*) Variè de harum factionum nominumque origine tradunt veteres & recentiores: Græci quoque mira de his somniant, Nicephor. Gregoras, Chalcocandyles. Vide & Alciat. lib. 5. parerg. cap. 12.

Pag. 26. *Calcem farinæ miscentes*) Idem refert Theoder. Nihemus, Egnatius VVimphelingus; & è Græcis fatetur Nicetas fol. 34.

Pag. 27. *Copia litterarum*) Extat plenius apud Cuspinianum in Austria: idem habet Urspergensis, & Chronica Australis.

Pag. 29. *Friderico regnante, Otto Comes*) Vide de hac re Ottonem Frisingens. lib 6. Chronicor. cap. 20. Et hic est ille Otto in militia Friderici Imp. notus, & versibus Guntheri celebris, lib. 2.

Signiferumq; suum, quem Norica misit Othonem
Terra, virum magnus spectatum sæpe periclis.

Et post: *Atq; Palatino juvenes committit Othoni.*

De genere Karulorum) In Germanico erat: Aus dem Chunn (v. genere) Carolorum quo deceptus Trithemius vertit: *de stirpe magni Ducis Quunonis.*

A quodam ignoto sicario) Emisso per Vetulum de Montanis, ut Trithemius notat in Annal. Hirsaug. & Spanhem, sub anno 1231. Cuius mirabilem historiam, ut Assasinos ad omne præceptum paratos haberet, quibus quem vellet, mortalium è medio tolleret, lege apud Paul. Venetum lib. 1. Historiar. Orient. cap. 28. Paul. Æmil. lib 5. de gest. Franc. Haython. Armenium cap. 24. Quæ facti atrocitas in mentem revocat Ottonis Palatini de Wittelspach factnus, qui Philippum Regem Bambergæ in conclavi suo obtruncavit; de quo miror hoc loco nullam mentionem fieri. Vide Trithem. sub anno 1208. & Urspergens. Albert. Stadensem, Vincent. Beluacens. par. 3. lib. 29 cap. 101. Nauclerum, Crantzium: sed ante omnes Helmoldum, qui causam & circumstantias omnes facti pandit, lib. 7. cap. 14. Ejusdem meminit, & Bertolphum nominat, Cæsarius, Heisterbach. lib. 6. memorab. cap. 26.

Pag. 30. *Henrici Palatini filiam*) Gertrudin, secundum Trithem. & Nauclerum: vel verius Agnen, fide Aventini & Archivorum. De quo conubio, auspicato & memorabili, non repetam quæ scripsi in Originibus Palatin. cap. 12.

Subitanea morte) Super cuius obitu epistolam consolatoriam scripsit ad Ottonem filium ejus, Fridericus II. Imp. quæ extat apud Petr. de Vineis lib. 4. epist. 3.

Ludovicus Palatinus) Huic Ludovico datam à Friderico II. Imp. investituram super metallis, edidimus in Originib. Palatin. cap. 12. Aliam ejusdem Cæsaris eidem collatam super feudo quodam vexillari apud sanctimoniales in Nidernburg, extat apud Caspar. Bruschium lib. 2. de Patavia, in Vdalrico Episc. 45. Huic Ludovico cognomine Severo (ut Lipsii verbis utar) duo peculiaria & rara ad laudem fuerunt. Prius quod in ea dignitate probitas & sapientia ejus pariter sic enituit, ut in caligine summa temporum, & desperatione Germaniæ, solus à collegis jus acceperit legendi Imperatoris, & per eum res labentes aut lapsas restituendi. Fecit prudentius nescio an felicius: cum ejus voce ac renunciatione Rudolphus primus ex Habspurgensi Comite sceptra Imperii suscepit, & fataliter deinde ad posteros transmisit. Alterum, quod eadem providentia rebus suis & genti privatum decus intulit, ducta in uxorem Mechtilde eiusdem Rudolphi filia: è qua mixtione & velut insitione, omnes istæ stirpes Palatinorum & Bojorum principum fruticarunt.

Comiti Hirsuto) Rauhgrafen. De hac re vide etiam Trithem. in Hirsaug. & Chron. Augustan.

Augustan. 1256. & historiam de Landgrav. Thuring. cap. 69.

Pro emenda occisæ) Veteri persuasione eluendæ labis, & apud Glycam pag. 372. 415. 444.

Pag. 31. Garzionis sive lusoris) In German. freyhat.

Pag. 32. Castellati) In German. Knecht.

Castrum Trausnit) Exactè hæc descripta leguntur in Chronica Aulæ Regiæ sub Iohanne Rege Bohemiæ, quam eodem hoc tempore edi curamus: & apud Albert. Argentinens.

Insidias hostis antiqui) Vide Trithem. sub anno 1323.

Pag. 33. Principatus divideretur) de hac divisione Trithem. in Hirsaug. anno 1331.

Iohannes Rex Bohemiæ) Vide Chronicon Aulæ Regiæ, cap.

Pag. 34. Videnselegantiam puerorum fratris) Quos plenissimam in gratiam recepit, tutela & patrocinio suo complexus, variisque favoribus & beneficiis prosequutus, multa etiam eis donans & oppignorans.

Dans optionem) Veteri instituto, ut major dividat, minor eligat. De quo Cujac. 13. observat. 24.

Et cæteris) Non abs re fuerit, ipsa utrique parti adjudicata oppida, castra, & loca, nominatim adscribere, ut vel hinc amplitudo potentissimi Ducatus appareat. RUDOLFI filiorum hæc fuerunt: *Camb, Pfaltzgrevenstein, Stalberg, Staleck, Brunshorn, Bacherach, Diepach, Stege, Mannebach, Heimbach, Trechtorshusen, Fürstenberg, Richenstein, Stromburg, Altzey, VVeinheim, VVachenheim, VVintzingen, VVolfsperg, Epstein, Erbach, Lindenfels, Reinhausen, Heidelberg, VVissenloch, Obercheim castrum, Landersehre castrum, Thurn castrum, Steinsberg, VVeltersavv, Neuenstat, Hilerspach, Ogersheim cum pertinentibus: Hilpostein, Lauff, Hohenstein, Herspruck, Hertenstein, Pognitz, Velden, Plech, Franckenberg, VValdeck, Pressen, Kemnat, Arndorff, Turndorff, Eschenbach, Auerbach, Neustein, VVedenstein, Nevvemarck, cum marcha, Perngavv, Heimburg, Perg, Meckenhausen, Pfaffenhove, Lauterhofen, Grunsperg, Sultzbach, Rotenberg, Hirschavv, Amberg, Nappurg, Neustat, Stornstein, Murach, Viechtag, Neuburg, VVetterfeld, Rötigen, Nytenavv, Dresvvitz, Peilstein, Segenberg, VValdavv, Stefening, Suartzeneck, Vlesburg, Barcstein, VVeiden, Vollendrass, Luvv cum pertinentiis.*

LVDOVICI verò ista: München, Vehburg, Siegenburg, Meynberg, Gerolsingen, Chesching, Neunburg, Friedberg, Mülhausen, Snaitbach, Schiltberg, Aichach, Strofenhausen, Moringen, Shvvabeck, Landsperg, Lechsperg, VVolffrathusen, Toltz, Grunvvald, Ayblingen, Valey, Schvvaben, VVasserburg, Clingenberg, Hadmarsberg, Chuffstein, Auburg, Rotenberg, VVerberg, Chizbuhel, Eds, Valckenstein, Dachavv, Heimhausen, Pavvel, VVidersperg, Murnavv, Roteneck, Reichershoven, Hochstetten, Hagel, Deursperg, Peitengavv, Treusheim, Arensperg, Neunstat, Ingolstat, Alpen Neuburg, Raym, Gamersheim, Geisenfeld, Ebenhausen, Pfaffenhoven, VVeilheim, VVerd, Lauingen, Gundelsingen, Maenchingen, Vicedominatum in Monchen, Lengenfeld, castrum, Calmuntz, Schmidmüln, Regenstauff. suburbium de Regensburg, VVeichs, Velburg, Leuzmanstein, Hembaur, Rietenburg, & jura in civitate Regenspurg, Tachenstein, Egersperg, Altmanstein, Holnstein, Viehusen, Suainkendorff. Communia autem manserunt, *castrum in VVassertruhending, Craulsheim, Hoenart, Lorstopfenheim, Leerpaur, & VVachavv in Austria.*

Paviæ) Comitati enim erant Rudolphi liberi Ludovicum imp. in Italiam & Romam ad coronam accipiendam.

Signanter adjectum) Sed minimè apud successores servatum, in persona Adolfi, Rudolfi, Rupertorum. Imò contrarium deinceps expresè cautum per Bullam Auream, & declarationem Sigismundi Imp. utramq; per Electores unanimiter approbatam & confirmatam.

Causa discordiæ) Nihil de istis apud antiquiores. Vera & unica causa offensæ fuit, quod Imperator citra Pontificis, tum Avenione curiam habentis, auctoritatem nomen & Diadema Imperatorium assumsisset, quod tam Itali scribunt, in quibus Egnatius, Sigonius, quam etiam Germani, in quis M. Albertus Argentinens. Crantzius, Aventinus. Sed & illam ipsam causam Pontifex in processibus & bannis suis satis inculcat & exprimit, qui leguntur in Chronica Aulæ Regiæ. Contra quos tamen contrarios processus, appellationes, protestationes ipse Imp. atque Electores ediderunt. quæ apud Nauclerum & alios extant. Sed & Marsilii de Menandrino Patavini, & Guilielmi Ockami de eo argumento gravissimæ & amplissimæ disputationes, in manibus hominum adhuc versantur.

Pag. 36. Lethale virus susceptt) M. Albertus simpliciter scribit, paralysi percussum obiisse.

Hollandiam, Seelandiam) Quæ provinciæ Ludovico obvenerat per Margaritam Hollandicam, Wilhelmi Comitis filiam: de qua Had. Barland. in Comitib. Holland. cap. 24.

Pag. 37. Vsque in Ried) Castrum Rieden, omnium fere antiquissimum in illo tractu

tractu habetur, è regione monasterii Entzdorff, Vilsa fluvio intermedio.

Pag. 38. *Comes de Hals)* Comitatus Hals jam sub ditione Landgravi Leuchtenbergici.

Pag. 40. *Rupertus vulgò Chlem.* Hæc vocula imposuit Onuphrio Panvinio & aliis, ut scriberent istum Rupertum dictum Parvum: dum pro *Clem* legerent *Clein* Dictus enim vulgò fuerat Clemens (id enim est *Clem.* ut cum dicimus, *Klem VVetter*) à naturæ bonitate & morum comitate. Quo respicere videtur Theodericus de Nihem in Nemore Vnion Tract. 6. cap. 32. ubi Rupertum ipsum adhortatur ad extirpandum schisma & reformanda jura imperii: *Tanta desidia & negligentia*, inquit, *quæ redundat in totius Christianitatis & Reipub. maximum detrimentum, indirectè in alia vocabula, scilicet in pietatem & misericordiam tibi à rudibus convertuntur: sicque Rex piger & negligens, Pius & Misericors appellatur ab illis. &c.* Dubrauius lib. 23. Bohem. *Contemti ad hunc modum Principes, VVenceslaum quoad poterant, contemtum reddebant; atq; ex iis unus cui Clemo cognomen, Bavariæ Princeps, usq; ad æmulationem Imperii aspirare ausus est.* Johann. Foxus Ecclesiast. Histor. lib. 1. *Tum Imperator Ludovico Clementis F. Duci mandarat, ut acceptum Hussum lictoribus traderet.*

In Regem eligitur) Et Coloniæ Agrippinæ coronatur, ut ejus urbis annales habent. Cæterum noster auctor satis leviter defungitur. Vidend. Rolevvinck. in Fascic. temp. Nauclerus, Trithemius, Wimpheling. in Epit. German. cap. 47.

Italiam intravit) allectus à Florentinis & Liguribus sub magnis pactis, quæ postea non servarunt: ut legere est apud Antonin. Florentin. Tit. 22. cap. 3. §. 35. & seq.

Per Ducem Mediolanensem) Galleacium. De quo Paul. Iovius in Vicecom. Mediol. cap. ult. Tangit etiam Alciat. Emblem. 133. vide & infra pag. 124.

Cum magno detrimento) Neque tamen ab eventu causæ justitia æstimanda est. Et hoc est, quod Epitaphio ejus inscriptum legitur: *Dignus Deo visus, qui pro justitia pateretur.* Videns igitur se & spe sua & à sociis deceptum, in patriam rediit, ubi paci & religioni vacans, passus est Italiam suis se vulneribus conficere, ait Egnatius, & Wimpheling.

Pag. 41. *Albertus Comes Hollandiæ)* de hoc Barland. cap. 26. Et de Jacoba Ducissa, cap. seq.

Pag. 42. *Hæretici in regno Bohemiæ)* Huc vidend. Æn. Sylvius in Bohemi cap. 35. & per tot. Dubrauius in eadem historia lib. 23. Joh. Cochlæus in Hussitica historia, & Chronicon Ellvvangense.

Pag. 43. *Regalia in Nurnbergam portata)* Quo loco in hanc diem asservantur. De his latius tractavimus ad P. Andloum de Imperio Rom.

Pag. 45. *tabulam militaris honoris)* Verbum hujus rei peculiare. In Chronica Aulæ Regiæ cap. 7. habetur; *De tabula rotunda, sivæ foresta Regis.*

Pag. 47. *Super corpus defuncti)* Probationis & purgationis genus olim per superstitionem usurpatum: quod occisorum sanguis adstantem interfectorem ebullitione quadam aliquoties prodidisset, ut not. Boer. decis. 166. Papon. arrest. 5. *de la quæstion.* Vide & Gul. Ouciac. Quæst. juris-philosoph. 36. & Hotoman. in Disput. Feud. cap. 44.

Pag 48. *Certam diætam condixit)* Meminerunt ipsi in epistola quadam, quæ extat Tomo IIII. Concilior. fol. 357.

Pag. 49. *Julianus Cardinalis)* De hoc Æneas Sylvius Epistola 52.

Pag. 50. *Ducatum Lotharingiæ)* De hoc bello tangit Wimpheling. in epit. German. cap. 56.

Pag. 52. *de populo Ciganorum)* vulgò *Zigeuner.* Cingulos Itali dicunt, de quibus not. Alciat. 5. Parerg. cap. 3. & eruditè de his varia annotavit C. V. Philippus Camerarius lib. 1. Meditat. historic. cap. 17. Ego à planis & erronibus illis, quos Athinganos Græci nominabant (nam Arabicam originem etiamnum jactant) descendere puto. Zonaras Tom. III. *fol.* 100. μανιχαίοις δὲ καὶ τοῖς καλουμένοις ἀθιγγάνοις ἐν χρησμοῖς τε καὶ οἰωνίσμασι καὶ τελεταῖς ἀπορρήτοις ἐκέχρητο. *Et fol.* 109. τῷ δ' ἔτυχε τις ἀθίγγανος.

Pag. 53. *Prophetiam Sibyllæ)* Imo revelationem quandam ipsius Sigismundi Imp. quæ excusa & recusa extat: in qua sub finem de quodam Friderico magnorum operum patratore.

Pag. 54. *Gloriosus Triumphus)* De quo extant complures Epistolæ à Bohemis ad Concilium Basileam & aliò scriptæ, Tom. IIII. Concil. fol. 355. & seq. Æn. Syl. in Bohem. cap. 51.

In diæta Ratisponæ) Ex ea scripsit Epistolas illas, ad Bohemos eorumque presbyteros, Nicolaus Cusanus Cardinalis, quæ in ejus operibus extant.

Pag. 59. *Pro Græcis ad Concilium)* At hi spreto Concilio Basiliensi, ad Eugenium Ferrariam deflexerant. Vide Laonicum Chalcocond. lib. 6. Hist. Turc. & acta Synodi Florent.

Pag.60. Alberto Duci Austriæ) Vid. Æn.Sylvinm cap.53. Bohem.

Pag. 62. Fridericus frater Ludovici) De hac tutela & adoptione secuta, vid. Æn. Sylvium in Europa cap.40. Naucler. fol. 680. De ejus laudibus & rebus gestis Wimpheling. cap. 55. Irenic. lib.3. Exeges.German.cap.51. Et Trithemium Abbat.in Chronico Spanhem.

Principalior Amberg) Æn. Sylvius in Germania cap. 57. *Bajoarii quoque Danubio transmisso Eistadium, & Ambergam, & Novum incolunt forum. & alia non pauca oppida in quibus multa munditia, multus nitor: quod si quis ad verum loqui voluerit, nullam esse in Europa nationem, cujus urbes mundiores aut aspectu latiores, quam in Germania sint.*

Pag.65. Dux Ludovicus potens) Ludovicum cum cognomine Divitem (ait Lipsius) quam vere divitem atque uberem prudentiæ & virtutum esse oportuit? cujus Aula velut A a fuit, ad quam è Germania undiq; confluerent, & lites, imò bella, voce ab oraculo illo edita, sedarent. Res ita est : solo interventu suo (mira, nec nisi à magnis meritis auctoritas) Principum ac Dynastarum jurgia composuit, & strictos jam gladios inhibuit atque repressit. Georgium item Divitem, studiis ac sacris operatum addo: qui utrorumque amore & honore, Musarum illud publicum exstruxit, quod hodie Ingolstadii floret, & vectigali ac pecunia annua instruxit. Atque in hoc, cum auctore ipso, desinemus.

FINIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX DIPLOMATVM FRIDERICI III.

Et

DOCVMENTORVM VARIORVM EO PERTINENTIVM.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCLVI.	I. Constitutio Friderici I. De Juribus & privilegiis Ducatus Austriæ. Datum Ratisbonæ. xv. Cal. Octobr. pag. 1.	Marchionatus Austriæ commutatur in Ducatum, variisque juribus ornatur. Inprimis quod Dux Austriæ sit immunis ab oneribus Imperii: non teneatur investituram petere extra suas ditiones; nec ad Comitia venire, nisi sponte velit: Imperium feudum nullum habere debeat, in Ducatu Austriæ: quicquid in sua ditione Dux fecerit vel statuerit, Imperatori commutare non liceat: extinctis masculis ad seniorem filiam Ducatus perveniat: nec recipiat divisionem: Imperium contra adversarios Duci auxilium præbere debeat: singularibus ceremoniis feuda recipiat: habeat jus recipiendi Judæos: ad latus dexterum Imperii post Electores Principes habeat primum locum: sine liberis moriens ultimus possessor, Ducatum alienandi & transferendi in quemcunque voluerit, habeat facultatem: gaudeat omnibus juribus, quæ reliqui Principes Imperii habent: eadem privilegia ad alias quoque & novas ditionum accessiones pertineant.
MCCCXL.	II. Fœdus Civitatum quarundam. pag. 245.	Francofurtum, Fridberga, Wetzflaria & Gelnhusa, contra Pacis publicæ turbatores ineunt fœdus.
MCCCXLVI.	III. Conventio inter Dominos de Falkenstein, Hanau, & Eppinstein, ex una: ac Civitates Francofurtensem, Fridbergensem & Gelnhusianam, ex altera parte, de Pfalburgeris. Dat. die beati Thomæ Apostoli. pag. 233.	Quod Pfalburgeri tolerari inter ipsos non debeant, sed quicunque in uno aut altero paciscentium loco cives esse velint, plenarie ibi sedem constituere debeant; liberum tamen cuilibet sit jus emigrandi. Constituitur deinde modus, quo stabiliri, & tempus, in quod durare debeat hæc conventio.
MCCCXLIX.	IIII. Renovatio & prolongatio Fœderis Suevici. pag. 248.	Civitates Francof. Fridb. Wetzflaria & Gelnhusia, fœdus illud suum olim ictum denuò renovant, & certis conditionibus prolongant ac firmant.
MCCCLI.	V. Documentum super eâdem conventione inter Philippum Dominum de Falckenstein, & Civitatem Francofurtensem, initâ. Dat. feria quinta post diem beati Galli. pag. 235.	Eiusdem fere argumenti cum III.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCLXIV.	VI. Fœderis Suevici Custodes & obsides renovantur. pag. 250.	Eædem civitates fœdus invicem initum magis stabilituri, custodes ac obsides illius renovant.
MCCCLXXXII.	VII. Fœdus inter Civitates, Moguntiam, Argentoratum, Wormatiam, Spiram, Francofurtum, Hagenoviam, Weissenburgum, Sledstadium, Ehinhemium, Pedersheimium. Dat. die Veneris post Bonifacii. pag. 237.	Promittunt mutua fœdere decennali sibi auxilia contra quoscunque invasores, additurque quo numero, quaque ratione, admonitæ, sibi invicem succurrere: quodque ipsæ Civitates istæ, si controversias inter se haberent, non nisi jure experiri debeant. Subjunguntur denique nomina Imperatoris & Principum, contra quos fœdus isthoc tendere nolint.
MCCCLXXII.	VIII. Literæ patentes Civitatis Gelnhausensis. Dat. die Vener. post omnium Sanctorum. pag. 241.	Accedunt fœderi præcedenti Gelnhausenses, & in eadem conventionis capita fidem suam adstringunt.
MCCCLXXXII.	IX. Literæ Civitatis Wetzflariensis, Dat. die Mercurii ante Michael. pag. 242.	Pari ratione fœderatis sese Wetzflarienses adjungunt.
MCCCLXXXII.	X. Fœderatis associantur Fridbergenses. Dat. Fridberg. die Saturni post Martini. pag. 244.	Fridbergenses ad fœdus Suevicum & Rhenanum sese associant, expressis ibi conditionibus.
MCCCCXXXVII.	XI. Privilegium Schlickiis à Sigismundo Imp. 1437. datum, à Carolo V. Imp. 1521. confirmatum. Dat. Wormatiæ. d. 27. April. pag. 85.	Refertur, quomodo Sigismundus Casparum Schlickium Cancellarium suum, eiusque fratrem, eorumq; liberos Comitū dignatione ornaverit, corumq; additis quibusdam aliis privilegiis; quæ deinceps à Carolo V. denuo confirmantur.
MCCCCXXXIX.	XII. De Electione Imperatoris Frid. III. Acta varia. pag. 183. seqq.	(1.) Mors Alberti Rom. Hung. & Boh. Regis, quæ ipsi contigit Langendorffiæ in Hung. Huic Francofurtenses solennes exequias faciunt. (2.) Iidem, cum Elector Moguntinus cæteros Electores Principes ad Electionem Novi Regis Romani convocasset, illos per litteras humillimè rogant, ut non ultra præscriptum loricatorum atque armatorum numerum secum in urbem adducant. (3.) Ad Epistolam Ottonis Elect. Palatini, quâ Ducem Ludovicum Bavariæ quoque intromitti solicitat, Francof. respondent, per Bullam auream sibi non licere, quenquam Principum admittere. (4) Dietericus El. Moguntinus Senatum Franc. monet, ne, admissione aliorum, ordinem turbent. (5.) Ipse aliâ Epistolâ Francofurtensibus, quis Bohemiæ Regis nomine, qui nuper decesserat, venturus esset, scisitantibus, respondet, se nondum scire, quis nomine Regis Bohemiæ venturus esset. Et (6.) addit litteras Procerum quorundam Bohemiæ, ad se missas eâ de re; quod nimirùm proximè ad Electionem Novi R. se accingere vellent. &c. (7.) Adduntur Literæ Friderici Elect. Sax. qui Francofurtenses rogat, ut suis eò venturis omnem benevolentiam exhibeant. (8.) Brevissimè scribit & El. Brandenburgicus ad Senat. Francofurt. qui (9.) Senatum Moguntinum modestè rogat, ut, si qui Principes aut Legati alii, Actum hunc Electionis visuri, eò divertant, ipsis reverenter indicent, id fieri non posse. (10.) Senatus

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCXXXIX.	XII. Varia ad electionem Frid. III. Imp. Spectantia.	Senatus Francof. per literas Elect. Moguntinum consulit, quid sibi faciendum de Illustri Bohemiæ Legato, Dno de Plauen, Misniæ Burggravio? quomodo accipiendus, & quâ dignitate sit tractandus? (11.) Elector respondet & dignè intromittendum censet (12.) Sequuntur Domini de Plauen Legati Literæ Credentiales. (13.) alia item Epistola Ottonis Com. Palat. ad Senat. Francof. qua petit, ut Legato suo fides habeatur, (14.) item alia Ulmensium, qui, quid in Electione Actum sit, Ocyus certiores fieri cupiunt. (15.) Idem petunt Aquisgranenses. (16.) Sequitur Relatio Electionis, ubi varia recensentur quid ante, quid in, & post Electionem factum sit: præcipuè summa offensio Legati Bohemorum, quem sessione & voto excluserant Electores, sed tandem minis fracti admisére ad Electionem. (17.) quomodo à 5. Electoribus (reliqui enim duo. Bohemicus & Legatus Brand. El. Hassiæ Langravium initio elegisse dicuntur) unanimi voto in Regem Rom. & futurum Imp. electus sit FRIDERICUS Austriæ Dux. (18.) quomodo denique proclamatio facta, & Actus finitus sit. Post hæc sequuntur (19.) Literæ Senatus Francof. ad Frid. Regem Rom. continentes Gratulationem & Petitionem, de conservandis Privilegiis (20.) ad quam recens Electus Rex Rom. Frid. clementer respondet Viennâ, omnem promittens gratiam. (21.) Senatus Francof. literas emittit ad Civitates, Argentoratum, Ulmam, Aquisgranum, & Norimbergam, quibus Electio novi Imperatoris nunciatur. (22.) ad quas remissa responsio Aquisgranensium, Acta claudit & publicam lætitiam testatur.
MCCCCXL.	XIII. Copia Privilegii Frid. III. Norimbergensibus dati. Dat. Viennæ post Pentecost. pag. 258.	Legatio Reip. Norimbergensis Cæsari Frid. III, querelas defert, quod Cives sui vili sæpè de causâ ad Tribunalia Bavarica, Franconica, aliaq; Judicia Provincialia Imperii citarentur, non sine damno ac dedecore; hoc onere eos levat Imperator hoc Diplomate.
MCCCCXL.	XIV. Privilegium Urbi Norimbergæ concessum, ut ea obligatus esse non debeat, Hospites contra Hospites adjuvare. Datum Viennæ feriis Pentecostal. pag. 139.	Imper. Frid. III. precibus Norimbergensium adductus, permittit Urbi, quæ loco fabuloso sita, fluminibusque navigabilibus destituta sit, quò nihilominus commerciis & hospitum frequentiâ facultatibus suis consulere possit; ut singulari hoc privilegio gaudeat, ne Hospites ibi degentes ab aliis advenis affligi, accusari, vel ad tribunal trahi debeant. Sed bonorum corporumque immunitate, & publicâ contrà omnem vim securitate fruantur. Contemptoribus ac transgressoribus huius indulti minatur pœnam.
MCCCCXLII.	XV. Confirmatio Privilegiorum Civitatis Imperialis Augustæ Vindelicorum. Data Augustæ. die Lunæ, ante d. Georgii. pag. 158.	Imp. Frid. III. Senatui Populoque Augustano, collaudatâ illius fide in Imp. Rom. omnia Privilegia, Jura, omnesque immunitates quocunque nomine à Cæsaribus superioribus concessas, confirmat.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCXLII.	XVI. Privilegium eidem urbi Aug. Vindel. datum, de non appellando. Datum Viennæ. die 8. Maij. pag. 162.	Senatus coram Imp. conquestus, quod cives sæpius in lite parvi momenti à Judicio Urbico ad Senatum, vel ad ipsam Cæsar. Maj. appellarent. obtinet Privilegium, de non appellando, nisi summa sit maior 10. Aureis Rhenanis, sub pœna 60. marcarum auri puri. Fridericus III. Reinhardo Episcopo Spirensi roganti Principatum, jura ac Privilegia omnia confirmat.
MCCCCXLII.	XVII. Confirmatio Privilegiorum Regis Frid. Reinardo Episcopo Spirensi data. Francofurti. die Dominicâ post S. Margarethæ. p. 90. XVIII. Imperatoris Frid. III. Confirmatio Privilegiorum Domui Principum Brunsvic & Luneburg. olim à Sigismundo Imp. concessorum. Dat. Francof. die Sabb. ante Mar. Magdalenæ p. 251. seqq.	Rogatam Confirmationem Privilegiorum omnium, Principes Brunsvic. & Luneb. à Frid. Rom. Rege impetrant, inprimis vero ab Imperatoribus, Ruperto & Sigismundo olim datorum, cuius posterioris duo Privilegia adduntur sermone Latino concepta: I. quod non aliud nisi Luneburgicum Sal per Ducatus Brunsv. & Luneb. vel terrâ vel mari aut fluminibus importari debeat, II. quod libera navigatio in Australi Albis parte Ducibus iisdem permittatur.
MCCCCXLII.	XVIIII. Confirmatio omnium Privilegior. Reipubl. Francofurtensis. dat. Francof. die Jovis ante Ægidii. p. 167.	Judex supremi Dicasterii Imp. Cameræ Spirensis, Comes de Nuvenare, Imp. Frid. III. Confirmationi omnium Privilegiorum, Nundinarum Semestrium, aliarumque immunitatum, Reip. Francofurtensi concessarum, quæ ad verbum repetitur, subscribit *vidimus*.
MCCCCXLII.	XX. Instrumentum & Diploma Investituræ super Feudis Imperialibus, Comitis Salmensis. Dar. Brisaci die Jovis ante d. Ægidii. pag. 36.	Hoc Diplomate Instrumentum investituræ continetur, quo Comiti Solmensi Simoni, Fridericus Rex Romanorum, confirmat omnia Feuda ac Jura, quæ à superioribus Cæss. data ac ad eum ordine devoluta.
MCCCCXLII.	XXI. Diplomata Caroli IV. & Frid. III. Impp. Confirmata Comiti Philippo à Ryeneck continentur. Dat. Wormatiæ 17. Febr. pag. 29. seqq.	His Frid. III. confirmat omnia Privilegia, quæ Carolus IV. inprimis concesserat, & per seriem reliqui Impp. confirmaverant: nimirum quod Comites Reyneccenses gaudeant jure erigendi vectigal in Pago Scheippacensi, ut & jure cudendi monetam minorem, nummos obolosque.
MCCCCXLII.	XXII. Privilegium Episcopo & Capitulo Ecclesiæ Bambergensis datum, quo confirmatur Caroli IV. & Ruperti Iinpp. Privilegia. Datum Francofurti d. Mercur. ante S. Laurentii p. 26.	Continetur in hoc instrumento, ut subditis Episcopatus Bambergensis ad Superiora Cæsaris Tribunalia appellare non liceat, nisi in casu denegatæ ab Episcopo justitiæ, ex indulto Caroli IV. & Ruperti Impp.
	XXIII. Privilegium Jacobo Marchioni Badensi datum. dat. Francofurti die Lunæ post Jacobi festum. p. 97.	In hoc Imperator serio prohibet, ne quisquam ex Judicibus Imperii Regnive sui, dicti Marchionis Caroli Ministros ac subditos, quocunque etiam veniant nomine, appellantes audire vel dijudicare audeat, sed ut ad ipsius Marchionis Tribunal remitti ac compelli debeant.
MCCCCXLIII.	XXIIII. Confirmatio Privilegiorum Fori S.R.I. Liberæ Civitati Francofurtensi data. die Sabb. post S. Jacobi Apostoli. p. 153.	His Imperator confirmat Privilegia Reipublicæ Francof. antehac concessa à Ludovico, Carolo IV. Wenceslao, Rudolpho &c. nominatim privilegium de non evocando cives Francofurtenses ad Tribunalia alia, nisi in casu denegatæ apud se justitiæ, quo ad superius Dicasterium Cæsareum appellari possit.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCXLII.	XXV. Reformatio Friderici III. ad verba Dicast. Aul. Rotvveilens. & Goldasti.p. 203. in Statut. & Rescript.Franc. feriâ Assumpt. B. Mariæ. p.129.	Frid.III.Rex Rom. conqueritur de viâ facti & injuriis in Imp. R. quotidiè obviis, quibus tollendis in hâc Reformatione cavet, ut quicunque aliquas contra se habere putant petitiones, jure experiantur,nec aliter, nisi in casu denegatæ justitiæ, ad diffidationes procedant: ac deniq; has non nisi juxta formam à Carolo IV. in A. B. præscriptam, suscipiant. 2. ut debita sua quisq; justa solvat; alias creditori pignoratio sit permissa,ubi tamen. 3. additur forma, quam in capiendis ac distrahendis pignoribus,sequi teneantur. 4. eximuntur à diffidationibus & pignorationibus personæ & res agricolarum,puerperarum,Clericorum,ægrotorum,aurigarum, item templa, cœmiteria, aliaque loca privilegiata. 5. non tolerentur vagabundi & palantes milites obsessoresque viarum. Judiciorum occultorum ratio qualis deinceps esse debeat, & de ordine processus illos servando. 7. de Monetâ aurea ac argenteâ.
MCCCCXLII.	XXVI. Privilegium Dynastiæ Lichtenbergicæ datum, quod nemo illius subditos clam emigrantes excipere, atque jure civitatis ornare debeat. dat. Argentinæ. d. Dominicâ post S.Bartholomæi. p. 113.	Frid. Rom. Rex Dynastis Lichtenbergensibus hoc concedit privilegium, quod subditos ditionis illorum nemo retinere,vel secendentes suæ civitatis facere debeat.
MCCCCXLII.	XXVII. Confirmatio data Jacobo & Ludovico Fratribus, Dynastis in Lichtenberg. Dat.Argentinæ. D. Dominicâ post S. Bartholomæi. p.84.	His Cæsar Frid. III. confirmat omnia Feuda Dominis de Lichtenberg; quoad vectigalia, bona,ac reditus ab Impp. olim data.
MCCCCXLII.	XXVIII. Transsumptum de Anno 1447. Confirmationis & Investituræ Feudi Imperialis Domini de Lichtenberg, factæ à Frid.Imp. Dat.in Oppido Ingvviler. pag. 109.	Transsumptum confirmationis omnium Jurium,Feudorum,vectigalium,possessionum, tum à Sigismundo. tum à Friderico III. Impp. Dominis de Lichtenberg concessarum,per Notarium Publicum Juratum Johannem Gernolt de Odenhan Publico Instrumento factum.
MCCCCLXII.	XXVIIII. Confirmatio omnium Privilegiorum Impp. & Regum Rom. Collegio Kœnigsbruggensi datorum. Mülhusæ. d. Mercurii ante Exaltationem Crucis. p.258.	Collegium Kœnigsbrugg,in quo Abbatissa cum Monialibus degebat; Ordinis Cittelensis, propè Hagenoam in Sylvâ Sacrâ situm, submissè petierat; ut omnia antehac ab Impp. Regg. & Ducibus Austriæ concessa Privilegia clementer confirmaret; quod his præstatur.
MCCCCXLII.	XXX. Literæ Investituræ Henrico, Johanni,& Friderico, Dominis de Fleckenstein concernentes. Dat. Francof. die Sabbathi post S. Margarethæ. pag. 260.	Tres prædicti Domini de Fleckenstein Publicis Literis his Feuda sua Imperialia ab Imp. Frid. III. requirunt, & Impetrant sequentia (1.) Montem & Arcem Fleckenstein (2.) quartam partem Arcis Hohenburgi. (3.) Advocatiam Pagorum Surburgi & Gunnstett,item vici Oberkozenhausen,Nider Rödern, Obernlutterbach, Eberbach,Winzenbach,& Kreitvveiler,(4.) Denique Pagum Mülnhoffen, cum omni Jurisdictione,sub fide præstiti juramenti fidelitatis.
MCCCCXLII.	XXXI. Frid. III. Reformatio. Dat.Francof.vesperâ Assumptionis. p. 129.	Fridericus III. officii sui esse dicit,ut detrimenta atq; dehonestamenta SS. Imp. Romani amoliatur: leges igitur proponit sequentes. (1.) ne quis

Tempus.	Inscriptio.	Argumentum.
		ne quis alium lædat, vel vim ei inferat, nisi jure expertus sit. (2.) de debitis liquidis, ut solvantur. (3.) de Pignoribus. (4.) ut agricolæ ac vineatores securi sine illatione damni vivant. (5.) Ne Personæ Eccles. Puerperæ, Ægri, Peregrinantes ullo affligantur damno. (6.) Ut Templa & cœmiteria immunia sint à Vi tum inferendâ tum tolerandâ. (7.) Servi heris carentes non alant equos. (8.) Omnes Electores, Principes, ac Status caveant, ne servi eorum publici vel milites vel grassatores fiant. (9.) Omnes item prohibeant, ne eiusmodi servi otiosi in ditionibus alantur. (10.) Abusus in Judiciis publicis se aboliturum promittit, & viris bonis atque Idoneis Judicum officia expleturum. Scabinos illegitimos rejici debere. (11.) Rei Monateriæ consulit. (12.) Augendi tamen vel minuendi sibi Libertatem, tanquam Rex Rom. reservat.
MCCCCXLIV.	XXXII. Investitura Feudi Imperialis Dn. Gothofredo Episcopo Herbipolitano data: cum confirmatione Feudorum. Dat. Norimb. die S. Dionysii. p. 75.	Imp. Frid. III. Absenti ob tumultus bellicos Episcopo Herbipolensi Gothofredo, confirmat omnia Episcopatus Feuda, jura, Dominia secularia. &c.
MCCCCXLIV.	XXXIII. Frid. III. Imper. Privilegium, Senatui Populoque Francofurtensi datum, ut Vias publicas, Urbis suæ immunitates ac consuetudines per suos tueantur. Dat. Norimbergæ. die Francisci. p. 168,	Si Reip. Francofurtensis Consules ac Senatus per suos itinera ac immunitates suas tueantur, & fortè quempiam tuendo lædant, ob id tamen indemnes habendi sint; neque à quoquam Principe aut Nobili accusari debeant.
MCCCCXLVIII.	XXXIIII. Confirmatio Privilegiorum Cœnobiorum S. Ulrici & S. Afræ, Augustæ Vindel. Imp. Frid. 3. Dat. Neustatt. die Sabbathi ante Martini f. p. 165.	Cœnobiis Augustanis S. Ulrici & S. Afræ, EorumqueAbbatibus, inprimis v. Johanni p. t. Antistiti omnia Privilegia confirmantur à Frid. Imp.
MCCCCXLIX.	XXXV. Vidimus vel Transsumptum, quod Domini de Lichtenberg personaliter coram Tribunali Rotvvillensi comparere non teneantur, ex privilegio Frid. III. Regis Rom. Dat. Neostadii. die Lunæ ante S. Georgii. p. 115.	Judex supremus Dicasterii Rotvvillensis, Comes Sulzensis, publicè in Cõsilio super Privilegio à Reg. Rom. Frid. III. quondam, nimirum 1449. Dominis Lichtenbergensibus dato, quo necessitas coram Tribunali Rotvvillensi personaliter remittitur, Transsumptum fieri curat, Lichtenbergensibusque sub sigillo judicii tradit.
MCCCCXLIX.	XXXVI. Privilegium Dominis de Lichtemb erg datum, à Frid. III. Imp. quod nemo cives ac subditos eorum ipsis invitis recipere debeat. Dat. Neostadii. die Sabbathi ante S. Georgii. p. 114.	Eiusdem valoris Privilegium jam supra, nimirum 1442. Frid. Imp. concesserat Dominis de Lichtenberg, ne quis Princeps aut Comes, aut Nobilis eorum cives ac subditos ipsis invitis accipere aut retinere debeat.
MCCCCL.	XXXVII. Confirmatio Privilegiorum Ludovici Domini de Fleckensteln. Dat. Neostadii 4. Maij. p. 42. seq.	Fridericus Imp. quæ Privilegia dedit Dominis de Fleckenstein, à Maximiliano & Carolo confirmantur, sunt autem ea: jus Arcem Sulzensem mutandi in Urbem, privilegium de ea nunquam alienanda: concessio Jurisdictionis criminalis, juris foresti, piscinarum, & similia.

Omnia

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCL.	XXXVIII. Confirmatio Feudorum, prædictorum, Dominis de Fleckenstein per missorum. Dat. Neuenstatt. die 4. Maij. p. 261.	Omnia prædicta Feuda, Imp. Fridericus III. confirmat, Jurisdictionem Criminalem, jus venationis, & piscationis in pagis supra memoratis.
MCCCCL.	XXXIX. Privilegium Henrico Domino de Fleckenstein datum Arcem Sulzensem in oppidum mutandi & muniendi. Dat. Neuenstatt. die 4. Maij. p. 262.	Vicum ad Arcem Sulz situm cum arce ipsâ unire, fossis, muris, ac pomœriis communire his permittitur à Frid. III.
MCCCCLI.	XXXX. Friderici III. Regis Rom. Promissum, de confirmatione Privilegiorum Reip. Argentinensi datorum. Dat. Neustatt. die Lunæ ante S. Laurentii. 313.	Frid. III. Rex Rom. recens electus Reipub. Argent. pollicetur, quamprimum Aquisgrani coronatus fuerit, se ipsorum Privilegia omnia & singula sub Sigillo Cæsareo confirmaturum, sine ulteriore aliquâ taxâ.
MCCCCLII.	XLI. Quomodo Rex Rom. Frid. Episcopi Ruperti pacta cum Civ. Argentinensi facta confirmaverit. Dat. Neuenstatt. die Valentini. pag. 314.	Episcopus Rupertus & Civitas Argentoratensis, melioris & sanctioris amicitiæ servandæ causâ, pacta quædam constituerant, quæ hoc Diplomate Fridericus III. Rex Rom. à Senatu rogatus, confirmat.
MCCCCLII.	XLII. Copia Privilegii Confirmatorii Frid. III. Imp. Norimbergensi Reip. concessi de Jure Saltuario. Dat. Neüstatt. feriâ S. Thomæ. p. 141. seqq.	Caroli IV. Reip. Norimb. concessa Privilegia & Feuda, præsertim verò quoad sylvas, Saltus, eorumque Judices, confirmat Imp. Frid. ita tamen, ut ii, qui his juribus gaudent, semel in fidem accepti, in posterum denuò recipi non teneantur, sed fidem semel datam inviolatam servent.
MCCCCLIII.	XLIII. Friderici III. Imp. Confirmatio Privilegii, quod antea ut Rex Rom. Reipubl. Argentinensi concesserat, contra Judicium Westphalicum. Dat. Romæ die Lunæ post Lætare. p. 37.	Fridericus III. cùm adhuc Rex Romanorum esset, Reip. Argentinensis Legatis, Cives suos ad externa, & inprimis Westphalica Judicia ac Tribunalia citari, conquestis, privilegio cavit, ut ne coram illis aliisve comparere in posterum teneantur, nisi actores probare possint, coram Judicibus Reip. Argentinensis jus sibi vel penitus denegatum, vel nimiâ morâ se elusos esse. Hoc insigne Privilegium Fridericus jam Imperator R. cum Romæ versaretur, Reip. Argent. confirmavit, eiusque cives ab omni citatione ad ejusmodi Judicia externa liberavit, admonitione additâ, ut Justitiam colant, ac Juri dicundo æquos constituant Judices.
MCCCCLIII.	XLIV. Fridericus III. Imp. Romanorum, Civitatis Argentinensis immunitates ac Privilegia aureâ Bullâ suâ confirmat. Dat. Romæ. die Lunæ, post Domin. Lætare.	Recensentur ad verbum Privilegia ante hac ab Imp. Sigismundo urbi Argentinæ concessa, Basileæ 1433. data (1.) quod Cives omnes ac singuli præ aliis immunes ab oneribus, privilegiis singularibus uti debeant: (2.) quod hoc Diplomate omnia Privil. confirmet, olim ab Impp. Lothario, Philippo, Carolo IV. Wenceslao, & Rege Ruperto data. (3.) Si quis civibus litem movere velit, id coram civitatis Tribunali facere teneatur. vel coràm ipso Cæsare. (4.) omnia contrà prædictam Civitatem Argentinam lata judicia cessare debeant. ita tamen, ut (5.) Prætores, Consules, & Senatus, querelam ad se deferentibus, jure suo, libere experiri idque persequi concedant, sin minus, ad alia fora competentia progressus Actori liber sit (6.) quod jus naufragii colligendi contra cives Argentoratenses naufragium forte

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLII.	XLV. Friderici III. Confirmatio Privilegii, olim à Sigismundo dati, de Libertate Civitatum Basileæ. Wormatiæ, & Ulmæ, quod nimirum in caussis ac litibus inter Principes, Comites, Barones &c. ac Civitatem Argentoratensem vertentes, judices esse debeant. Dat. Romæ. die Lunæ post Domin. Lætare. p. 317.	forte passis, locum habere nuspiam possit, quamvis in tali territorio contigerit, in quo aliàs istud Jus obtinet ac Territorii Domino competit. (7.) Si quid constituant, id ratum ac constitutum sic maneat. (8.) Vectigal ad Rhenum à Carolo IV. permissum quieto jure possideant: & plura alia &c. Hæc omnia Imp. Frid. III. plenè & clementer confirmat, renovat ac Cæsareâ Authoritate munit. Et hìc antiquum aliquod Diploma Sigismundi Imp. gloriosæ memoriæ Principis, repetitur ad verbum, quod concesserat, continetque Privilegium, non comparendi coràm alieno tribunali: nimirum, quod Civium nemo coràm Judicio provinciali, aut simili externo, se sistere cogi possit, sed ut intrà urbem omnes caussæ ac lites civium cognoscantur ac dijudicentur: Sin vero Principi cuidam, Comiti, Baroni, aliive Potentiori, qui coram senatu Civitatis agere nolit, lis sit cum Civitate Argentoratensi, pro Judice & Austregis constituit Imperator tres Civitates, Basileam, Wormatiam, & Ulmam; hæ omnes caussas litigantium componant, salvis juribus & illarum & suis: quicunque igitur jure agere cum Argentoratensibus velint, coram unâ ex his 3. Urbibus eis litem intendant, & judicio earum acquiescant. Singula hæc uberrimè confirmantur & novo Diplomate muniuntur.
MCCCCLII.	XLVI. Privilegium Nundinarum Publicarum Reip. Argentoratensi à Sigismundo Imp. concessum, & ab Imp. Frid. III. confirmatum, quæ primum inchoatæ ac habitæ sunt. 1452. per continuos 14. dies. Dat. Romæ. die Lunæ post Dominicam Lætare. p. 319.	Nundinæ Publicæ olim, ut Imp. Sigismundus in Diplomate recenset, ex indultu Impp. 14. diebus ante S. Johannis Baptistæ diem, apud Argentinenses inchoabant & usque ad 14. post eundem Johannis durare solebant. Senatus vero Nundinis pro commodo suo & civium sufficere dias hebdomadas, ratus, Legatis ad Cæsarem missis id quoque impetrat, ut nimirum Nundinæ illæ solennes unâ tantummodò septimanâ ante festum Joh. Bapt. initium sumere & unâ hebdomade post festum finiri possint, vel etiam antiquo more servari, pro lubitu Consulum ac Senatus. id quod ab Imp. Frid. III. solennibus clausulis confirmatur & approbatur.
MCCCCLII.	XLVII. Communis quædam confirmatio omnium Privilegiorum Senatus Populique Argentinensis. Datum Romæ die Lunæ post Domin. Lætare. p. 321.	Laudatis publicè Argentinensibus, quod multa, inprimis vero in Coronationis negotio sibi præstiterint officia, omnia ac singula eorum confirmat Privilegia ac Jura bonâ fide superioribus Impp. & Regibus Rom. ad sua usque tempora servata.
MCCCCLIII.	XLVIII. Privilegium Serenissimæ Domui Austriacæ ab Imp. Friderico III. concessum & auctum. Datum Neüstatt. Festo Trium Regum. pag. 7. seqq.	Fridericus III. Imp. R. Domus Austriacæ, ex quâ se natum non sine gloriâ ptofitetur, majestatem aucturus, non solum omnia, à Superioribus Rom. Impp. & Regg. ob res pro Patriâ gloriosè gestas, concessa Privilegia his confirmat, nimirum Diplomata ab Ipso Julio & Nerone Cæss. Henricis, Rudolpho, aliisque Impp. data; præterea Principes Austriacos, tum viventes, ut Ladislaum Bohemiæ Regem, Albertum Austria-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
		Austriacum, ac suos eorumque hæredes Archiducum titulis exornat, Licentiam ac potestatem iisdem permittit, Dignitates Equestres, atque insignia Nobilitatis, dignioribus communicandi, Doctores, Magistros, Notarios publicos, ac Judices creandi, Judæos tolerandi in Provinciis suis, Spurios legitimandi; Indignos deniq; ab officiis ac dignitatibus removendi &c. Hæc privilegia Domui Austriacæ collata publicis Principum Electorum subscriptionibus ac placitis, nimirum Dieterici Moguntinensis, Dieterici Colonienſis, Jacobi Trevirensis, , Archiepiscoporum; Ludovici Com. Palatini Rheni, Friderici Saxonis, Friderici Brandenburgici; confirmantur: à Publicis Notariis Instrumenta Solennia desuper confecta.
MCCCCLIV.	XLIX. Friderici III. Imperatoris Confirmatio Privilegiorum à Frid. II. Sigismundo, & Carolo IV. Impp. Reipubl. Francofurtensi collatorum super veteribus & novis Nundinis. Dat. Neüstatt. die Martis ante conversionem Pauli pag. 169.	Nundinas veteres & novas à Superioribus Imperatoribus concessas, Fridericus III. Imp. publico Instrumento confirmat.
MCCCCLIV.	L. Cassatio Privilegiorum Marchionibus Brandenburgensibus, & inprimis Judiciis Provincialibus, Norimbergensis Burggraviatus, adversantium. Dat. Norimbergæ die ♀. post. d. S. Augustini. p. 122.	Marchiones Brandenburgicis, Albertus, Fridericus & Johannes, coràm Imp. Frid. III. per Legatos conquesti, Judicio suo Provinciali Burggraviatus Norimbergensis per nonnullos contra Privilegia vim fieri, omnium Privilegiorum contrà March. Brand. datorum cassationem impetrant.
MCCCCLV.	LI. Privilegium Carolo & Bernhardo, Marchionibus Badensibus, eorumque posteris datum à Frid. 3. Imp. Datum Neuenstatt. d. Lunæ post palmarum. p. 98.	Imp. Fridericus Marchionibus Badensibus & Comit. Sponheimensibus, Carolo & Bernhardo, hoc Privilegio tria permittit. 1. Laudatâ eorum fide, jubet, ut quicunque in eorum judiciis vel territoriis facinus aliquod perpetraverint, coram iisdem Judiciis, non aliis, diiudicentur. 2. si quis hæreditaria prædia in Marchionatu accipiat, & de iis controversia nascatur, coràm ipsis Judiciis in quorum territorio sita sunt, ea res expediatur. 3. ne quis Marchionum Badensium subditos invitis Dominis recipiat aut protegat.
MCCCCLVI.	LII. Confirmatio Cassationis omnium Privilegiorum contra Marchiones Brandeb. eorumque Judicium Provinciale Burggraviatus Norimbergensis, ab Imp. Frid. III. data. d. Neuenstatt. die Mercurii post Mariæ Magdalenæ. p. 125.	Eiusdem planè argumenti Cassationis Confirmatio, cum ipsâ Cassatione. sup. n. XXXII.

INDEX DIPLOMATVM

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCLVI.	LIII. Privilegium à Friderico III. Imp. Marchioni Alberto Brandenb. datum, de non avocandis Marchionum ministris, consiliariis & Subditis. Datum in Novâ Civitate Viennensi die Mercurii post Nicolai. pag. 124.	Marchio Albertus, eiusque hæredes atque agnati ab Imp. Frid. III. Privilegii huius vigore hanc impetrant immunitatem, ne quis conetur, eorum Consiliarios, Ministros, ac Subditos, avocare: atque in hoc Electoribus pares habentur.
MCCCCLVI.	LIV. Frid. III. Imp. revocat atque abrogat omnia Privilegia, aliis data contra Judicia Provincialia Burggraviatus Norimberg. Datum Neuenstatt. die Mercur. post S. Mariæ Magdalenæ. p. 125.	Albertus Marchio Brandenb. & Burggravius Norimberg. confirmationem omnium Privilegiorum à Sacratiss. Impp. Burggraviis concessorum, impetrat, ut Judicium Provinciale Norimb. pleno valore permanere, & subditi ab aliis tribunalibus immunes esse debeant.
MCCCCLVII.	LV. Literæ Feudales ab Imp. Frid. III. Johanni Episcopo Herbipolensi datæ. Dat. Senfftriz. die Lunæ post Dom. Reminiscere. p. 77.	His Imp. Frid. 3. Johanni Episcopo Herbipolensi omnia Feuda, Regalia, Jura, Dignitates, concedit ac confirmat.
MCCCCLVIII.	LVI. Diploma Archiepiscopo Salisburgensi datum. Dat. Viennæ Lunæ ante Omnium Sanctorum. p. 18.	Pluribus recenset Imp. Fridericus III. (1.) quod loca ac prædia cum vicis oppignorata quondam, Domui Austriacæ restituerint Archiepiscopus, & Capitulum Salisburgense: (2.) jubet, ut Sal Hallense ex Archiepiscopatu aliò transvectum vectigal solvat. neque Judæis (3.) hic lucri causâ quid concedatur.
MCCCCLIX.	LVII. Privilegium Reip. Francof. à Frid. 3. concessum, quod violatores publicæ securitatis, impunè aggredi, lædere atque occidere ipsis liceat. Dat. Viennæ. die Martis ante F. Palmarum. p. 170.	Conceditur Reip. Francof. incolis, ut grassatores, prædones atque securitatis publicæ violatores, impunè repellere, vel repugnantes occidere, bona eorum diripere, incendiis damna pensare &c. liceat.
MCCCCLIX.	LVIII. Privilegium Reip. Norimbergensi datum, quod ad aliena Judicia citari non debeant illius Cives. Dat. Viennæ die 22. Junii. p. 143.	Civibus Norimbergensibus ab Imp. Frid. III. conceditur, ut neque ad Judicia Westphaliæ, neque ulla alia vocari atque citari debeant: qui secus fecerit, centum libras auri pœnæ nomine solvat.
MCCCCLIX.	LIX. Privilegium Banni & Jurisdictionis Criminalis, Norimbergensi Civitati data. Dat. Viennæ. d. Martis ante S. Viti. p. 267.	Imp. Frid. III. Civitati Norimb. concedit Jurisdictionem criminalem hoc Privilegio: jubetque ut juste eandem per suos ministros exerceant.
MCCCCLX.	LX. Responsio Legato Pontificio data, in diætâ Viennensi, de expeditione in Turcas sumendâ: ubi totius negotii status, adiumenta, & impedimenta notantur. Dat. Viennæ- - - - - p. 199.	In hâc responsione ordine recensentur: (1) quod Imp. Fridericus III. Electores ac Principes Viennam convocaverit ad consultandum de Expeditione contra Turcas, (2) quod ex morte Ladislai Hung. & Bohemiæ Regis consilia mutata sint. (3) Novum Regem Bohemiæ ad hanc Expeditionem inprimis movendum esse, cum viribus polleat. (4) quod ex obitu Moguntinensis & Trevirensis Elect. consilia tardata sint. (5) quod interventu bellorum domesticorum mora fit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tempus.	Inscriptio.	Argumentum.
		ra sit iniecta. (6) de modo belli consultandum esse. (7) ante omnia Pacem inter Status Germaniæ firmandam. (8) Dissidia in ipsâ Hungariâ componenda, ne Christianis metuendum sit. (9) Commeatus parandos, omniaque necessaria. (10) Expeditionem Navalem & terrestrem, operam & consilia invicem communicari debere. (11) Ad hanc Expeditionem etiam Regem Galliarum invitandum & implorandum esse, utpote potentem & contrà barbaros felicissimum; his adjungendum Ducem Burgundiæ. (12) Homines bonæ fidei & peritiæ militaris, alendos, & idoneis Ducibus instruendos. (13) quomodo parta defendi possint, vel distribui inter victores. (14) consultandum, quid fieri debeat si fortè cladem patiantur Christiani. (15) si verò barbari, annon Sacrum Sepulcrum Christi quoque recuperandum sit? (16) ad Comitia in Germaniâ sine morâ convocandos omnes Principes & Status, ad Salutaria consilia agitanda. (17) Monent denique atque per omnia sacra orant, ut res seriò agatur.
MCCCCLX.	LXI. Privilegium contra Judicia Westphalica. Reip. Argentoratensi concessum, quod poterit referri ad superius illud. p. 37. Datum Viennæ die Lunæ ante d. 11000. Virginum. pag. 134.	Ejusdem penè valoris Privilegium Reip. Argentinensi Frid. III. dederat, Rex R. adhuc existens, quod hîc jam Imperator confirmat: quod Cives hujus Reip. ad Tribunalia Westphalica aliaque, citari nec possint nec debeant, sed si quis Civem Argent. in jus vocare velit, id in Curiâ Argentinensi facere necessum habeat: sin vero actio sit contra Senatum integrũ huius Reip. Tribus Urbibus Imperialibus, Basileæ, Wormatiæ, & Ulmæ lis dijudicanda tradatur. vid. infr. p. 320.
MCCCCLXII.	LXII. Vidimus, Confœderationis quorundam Principum, Procerum, & Civitatum contra Westphalicos Processus factæ. Dat. Friburgi. die Martis post S. Andreæ. pag. 136. seq.	In hâc confœderatione nonnulli, Principes, Elector, Archidux, Episcopi, Comites, Senatus quarundam Civitatum, ut Argentinæ, Basileæ, Hagenoæ, Colmariæ, Selestadij, Sebusii, Mülhaussen, Keysersperg, ObernEheim, Rossheim & Turingheim, Offenburg, Gengenbach & Zelle, Item Friburgi, Breysach, & Endingen. de infinitis & extremis injuriis ac violentis sententiis atq; executionibus malitiosis à Westphalicis Judiciis, quæ Imp. Carolus Magnus, constituerat, conquesti, ad impediendas in posterum ejusmodi violentias, inter se conveniunt, ac paciscuntur, (1) ne quis in posterum vel se vel subditorum quenquam coram istis Judiciis Westphalicis sistat, sed coram foro alio competente litem diiudicari curet. qui secus fecerit, corpore luat. (2) ut omnes tabellarii publici ab illis Tribunalibus Westph. literas vel citationem afferentes præhendantur, literisque acceptis, si tolerabiles sint dimittantur, vel pro re natâ pœnâ corporis afflictivâ afficiantur. (3) ut sibi invicem auxiliis subveniant, ita tamen ut piè ac justè omnia agantur.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXI.	LXIII. Literæ Investituræ pro Johanne Jacobo & Frid. Dominis de Fleckenstein, super Arce Fleckenstein. pag. 270.	Eiusdem Argumenti cum Superiori. p.263.
MCCCCLXII.	LXIV. Confirmatio Privilegij de Lyci fluminis influxu in urbem Augustam Vindelicorum. Dat. Græz, d.S.Erasini. p. 159.	Privilegium â Sigismundo Imp. Reip. Augustanæ concessum, Confirmat hîc Imp. Frid. III. quod nemo vel ex odio hostili, vel invidiâ, aliisve causis, flumen Lycum, per Urbem Augustam derivatum, alio deducat, vel effodiat alveum, ne commerciis & aquationibus impediantur.
MCCCCLXII.	LXV. Privilegium Frid. Imp. Civitati Augustæ Vindel. datum & confirmatum de jure pascendi cis & ultra Lycum & Wertach, & piscandi in utroque flumine. Dat. Græz. d.Veneris ante S. Jacobi Apost. p.161.	Cis & ultra flumina Lycum & Wertach Jura pascendi & piscandi in utroque flumine à multis annis possessa, roganti Civitati Augustæ Vind. Imper. Frdericus III. Privilegio hoc confirmat.
MCCCCLXIII.	LXVI. Privilegia Austriaca à Friderico III. instaurata.. p. 4.	Georgius Bohemiæ Rex à Friderico III. Imp. monitus ac rogatus, ut Privilegia Domui Austriacæ â se data publico instrumento confirmaret, (quemadmodum reliqui Electores quoque fecerant) his literis ea solenniter restaurat.
MCCCCLXIII.	LXVII. Confirmatio Privilegiorum Cæsaris Friderici Tertii, Johanni Episcopo Spirensi data. Datum Neuenstatt. die Veneris post Laurentij. p. 92.	Fridericus Imperator Johanni Episcopo Spirensi, totique Episcopatui, ac Clericis universis indulget & confirmat omnia Privilegia à Sigismundo Imperatore data, aliaque Jura, Regalia.
MCCCCLXIV.	LXVIII. Copia Mandati Frid. III. Imp. Civitati Norimbergæ dati, de Jurisdictione Saltuariâ. Dat. Neüenstatt. p. 271.	Jubet & vult Imperator, ut in posterum, qui Saltus possidere iisque uti frui velint circà Urbem Norimbergensem, teneantur, id Feudi Jure à Judiciis & Præfectis Saltuariis Norimbergensium petere atque obtinere, nec exempla eorum sequantur, de quibus Norimbergenses nominatim conquesti sint, qui, invitis iis, sylvis fruantur.
MCCCCLXIV.	LXIX. Copia Privilegij, quod Norimbergensibus licitum sit contra omnes invasores vim publicam adhibere. Dat. Neüstatt. die Lunæ ante S. Johann. Bapt. p. 272.	Permittitur hoc Privilegio Norimb. Civitati, ut omnes, qui vel terram colentes, vel iter facientes, vel negotia conficientes, circa Urbem suam, vi invadunt ac lædunt, vulnerant vel abducunt, aggredi, prehendere, mulctare, vel etiam, pro merito causæ, supplicio afficere liceat: neq; ideò coram ullo tribunali accusari possint aut debeant.
MCCCCLXIV.	LXX. Privilegium Norimb. Civ. datum, quod nemini permissum esse debeat, uno milliari circà urbem Norimbergam, vel cauponam instituere vel exercere. Dat. Neüenstatt die Lunæ ante S. Joh. Bapt. p. 273.	Officia & merita Norimbergensium commendat his Cæsar, & hanc specialem impertit gratiam, ut omnia intra milliare circà Norimbergam ædificata hospitia Cauponum & diversoria destrui, neque ipsis invitis intra prædictum spatium quæpiam extrui liceat, sub pœnâ 50. Marcarum auri puri.
MCCCCLXIV.	LXXI. Confirmatio Privilegiorum Civitatis Norimbergensis. Dat. Neüstatt. d.Sabbathi ante S.Johann.Bapt. p.276,	Singulari ergà hanc Remp. affectu Cæsar Frid.III. Omnia & singula vel à sese, vel ab Antecessoribus Impp. concessa Privilegia, Immunitates, ac Jura confirmat.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXIV.	LXXII. Confirmatio Juris Monetarij Civitatis Norimbergensis. Dat. Neuenstatt. d. Sabb. ante S. Joh. Bapt. p. 277.	Iisdem Norimbergensibus indulget Frid. III. ut præter Monetas argenteas auream quoque cudere atque signare in posterum liceat, justo valore ac pondere, qui adulteraverint monetam, eos pœnâ afficiant. Omnimoda ferè repetitio omnium circumstantiarum & Conditionum in Antecedenti §. factarum.
MCCCCLXIV.	LXXIII. Declaratio Privilegij Civitati Norimbergensi dati, de non appellando. Dat. Neüstatt. die Sabbathi. post S. Joh. Bapt. p. 281.	
MCCCCLXIV.	LXXIV. Civitatis Norimb. Privilegium de Censu Urbico, Cæsari dando. Dat. Neuenstatt. d. Sabbathi ante S. Joh. Bapt. p. 282.	Frid. III. Imp. permittit Legato Civitatis Norimb. ut tributum illud, sive illi 1000. floreni Norimb. vel 1100. Rhenani, quos quotannis circa Martinalia Imperatori persolvere teneantur, nemini, etiam poscenti, sed Cæsari ipsi ad manus pendere possint ac debeant.
MCCCCLXIV.	LXXV. Ejusd. Civit. Norimb. Privilegium de censu omnium mobilium & immobilium posthac persolvendo. Dat. Neuenstatt. die Martis post S. Apost. Jacobi. p. 283.	Ob immensos sumptus impensos à Rep. Norimb. tum in tumultibus Bohemicis, tum belli & ædificiorum publicorum expensas, Imperator hoc Privilegio duo eidem indulget (1.) ut ex omnibus bonis civium aliorumque, census hactenus non solutos, tam ab Ecclesiasticis quam secularibus, si aliò migrent, exigere, atq; si nolint, extorquere queat. (2.) si Senatus juramentum præstare forte jubeatur, id non universi, sed certi delecti id præstent.
MCCCCLXIV.	LXXVI. Sententia contrà Sigismundum à Senssheim & Schvvarzenburg, quâ in pœnam Criminis læsæ Majest. condemnatur, eò, quod nonnullos Senatus Norimbergensis inquilinos contra eorum Privilegia in Judicium suum Scheinfeldense traxerit, eosque vexarit. Datum Neuenstatt. die 18. Nov. p. 284. seqq.	His indicatur audacia Sigismundi à Senssheim & Schvvarzenburg, quâ non solùm Civitatis Norimb. inquilinos nonnullos ad tribunal suum Scheinfeldense citare, ac trahere conatus sit, ac in illo variis eosdem injuriis afflixerit, contrà manifesta Privilegia à Cæsare propterea data: Item, cum per Notarium ac Testes appellationem ibi interponerent, istos carceri inclusos iniquissimis modis torquere non destiterit, sed Privilegia Impp. violaverit; quare à Fiscali coram Tribunali Cameræ Imp. accusatus, ut Criminis læsæ Maj. reus condemnatur.
MCCCCLXV.	LXXVII. Cameræ Imperialis Sententia Condemnatoria contra Judices Scheinfeldenses, quâ pœnâ afficiuntur, quod contra Civitatis Norimbergensis Privilegia super causis inquilinorum, quorundam cognoscere & judicare ausi sint. Dat. Neuenstatt. die 18. Novembr. p. 286.	Camera Imperialis ad requisitionem Fiscalis Cæsarei Judices in Jud. Scheinfeldensi nominatim citat, &, si comparere recusent, in pœnam contumaciæ condemnat. Cum igitur neque per mandatarium compareront, Judicii Cameralis Judex unà cum Assessoribus nomine Cæs. Maj. Judices eos omnes ac singulos in eam pœnam condemnat, quæ in Privilegiis Civitatis Norimb. habetur, cum refusione expensarum & præstatione omnis interesse: cæterùm omnes circumstantiæ facti, ut in superioribus, hîc repetuntur.
MCCCCLXV.	LXXVIII. Imperatoris Frid. III. Mandatum ad Assessores Judicii Scheinfeldensis, ut omnes Processus contra Subditos Civitatis Norimb. cessare jubeant, restituantque omnes sumptus ac damna, pœnamq; prædictam luant. Dat. Neuenstatt. 18. Nov.	Mandatum executoriale hoc est, quâ Sententia suprà lata à Cæsare confirmatur & Judicibus Scheinfeldensibus intimatur.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXV.	LXXIX. Privilegium Rechbergeris & Kauffbeuræ datum; de vectigalibus, vias regias declinando, non fraudandis. Dat. Neüstatt. die Mercurii ante S. Bartholomæi. pag. 181.	Clementer annuit Imperator conquerentibus Dominis de Rechenberg, & Civitatis Kauffbeuræ Senatui, ut in posterum vectores atq; aurigæ, qui hactenus prædictos Dn. de Rechenberg & Civ. Kauffbeuram vectigalibus, vias Regias declinando defraudâssent, in posterum non facere audeant, hâc lege, ut, qui viam regiam declinare velint, nihilominus tamen debitum vectigal solvere teneantur; ita, ut, qui Landsbergâ Memmingam vel Campodunum devehi cupiunt, si hâc viâ collaterali velint, bonâ fide tamen vectigal Dnn. de Rechenberg & Civitati Kauffbeuræ persolvere debeant.
MCCCCLXVI.	LXXX. Privilegium Francofurtensibus datum de Jurisdictione in peregrinos, obtentu aliorum privilegiorum non declinandâ. Dat. Neuenstatt. die Sabbathi ante S. Martini. p. 172.	Senatus Populusque Francofurtensis de Injuriis nonnullorum violentorum Principum ac Statuum conquestus, quo debita ac prætensiones a Civibus, Mercatoribus ac Negotiatoribus peregrinis non viâ juris sed violentiæ exegerint: impetrat, ut iniquissimus hic exigendi modus intermittatur, atque in posterum ciusmodi prætensiones coram Judiciis Francofurtensibus agi definirique debeant.
MCCCCLXV.	LXXXI. Privilegium super Arrestis advenarum, qui in Urbe Francofurto, teneri & in vincula conjici possint. Dat. Neüenstatt. die Lunæ post Luciæ. p. 174.	Francofurtenses coram Imp. III. conquesti, multos hactenus Privilegia sua, de Jurisdictione in advenas, sive extra sive intra Nundinas, quod, si opus sit, arrestis, imò carcere, eos coërceri liceat, circumvenisse, clementer exaudiuntur, atq; sub pœnâ 100. Marcarum Auri puri omnibus Imperii Statibus, ne deinceps tale quid agant, injungitur.
MCCCCLXVI.	LXXXII. Mandatum Imp. Frid. III. quo interdicit Dnis de Schvvarzenburg, ne de causis Norimbergensium subditorum inposterum judicare in Dicasterio Scheinfeldensi audeant. Dat. Neüstatt 20. May. p. 284. 288.	Isthoc Mandato, Dno. de Schvvarzenburg seriò & sub pœna amissionis omnium Dignitatum ac Privilegiorum, Imperator mandat, ut subditos Civit. Norimb. indemnes habeat, neque in posterum in Dicasterio suo quidquam contra eos judicialiter agat.
MCCCCLXVI.	LXXXIII. Concessio Norimbergensibus data, quod subditos censu ac tributis onerare liceat. Dat. Neüstatt. die Lunæ ante S. Johannis Bapt. p. 274.	Datur hoc privilegio facultas, Consulibus & Senatui Civitatis Norimbergensis imponendi, quotiescunque opus est, subditis census, quocunque nomine, vectigalia minuendi vel augendi: qui subditorum id pendere recusaverit, non impunè ferat.
MCCCCLXVI.	LXXXIV. Privilegium iisdem Norimb. concessum de non appellando, & quomodo appellationes jurejurando justificari debeant. Dat. Neüstatt. d. Sabbathi. ante S. Joh. Bapt. p. 279.	Impetrat hoc Privilegio Resp. Norimb. ut (1.) verbosæ circumventiones in Judiciis abrogarentur. (2.) quâ ratione prodigis curatores dandi. (3.) quomodo in societate Mercatorum, ubi propter damna emergentia concursus creditorum factus est, solutio debitorum fieri debeat. (4.) quod appellatio non aliò nisi ad Imp. ipsum fieri debeat. (5.) &, si necessariò fieri oporteat, juramento firmetur, appellationem frivole non fieri in fraudem nimirum adversarii, & moram juris.

Impera-

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXVII.	LXXXV. Friderici Domini de Fleckenstein, creatio in Baronem, donatio Insignium, & facultatis rubrâ cerâ signandi. Dat. Neüenstatt. d. Ven. post S. Matthæi. pag. 290.	Imperator, præfatus primùm, se digniores ad altiora ornamenta & dignitates evehere æquum censere, de meritis Dni Frid. de Fleckenstein agit, eumque dignum censet, ut cum omnibus hæredibus ac posteris suis, ex Ordine Nobilium in Baronem Imperii eum extollat & creet, quod ipso facto præstat. Insignibus præterea egregiis ornat, Galeamque ac Clypeum variis ornamentis instruit, partim ex familiâ Dominorum de Brügg, (ex quâ Dnni de Fleckenst. lineâ maternâ originem ducant) non relictâ mascula stirpe emortuâ, desumtis. Titulum denique dat, quo in posterum gaudeat: Fridericus de Fleckenstein in Mademburg, Liber Baro in Dagstul.
MCCCCLXVII.	LXXXVI. Immunitas concessa Georgio Beckio, Argentoratensi, Cæsaris ministro & Aulæ familiari. Dat. Neuenstatt. d. Lunæ post Nicolai. p. 231.	Imperator Fridericus III. cùm Georgium Beckium Argentoratensem in Aulam ac ministeria admisisset, fidem eius ac devotionem intuens, hâc eum Gratiâ ornavit, ut quamdiu minister & familiaris sit, omnibus vectigalibus ac teloniorum oneribus in Rheni alveo, intra Colmariam & Rastatt, liber atque immunis esse ac verè haberi debeat: sive vinum, sive merces, sive alias cuiuscunque generis res Rheno devehat. quo nomine Principes, Comites, Nobiles, ac Civitates Rheni accolas, de gratiosâ hâc voluntate suâ certiores facit.
MCCCCLXVIII.	LXXXVII. Privilegium Bastardorum, Marchioni Badensi Carolo concessum. Datum Græz. die S. Marci. p. 99.	Carolo Marchioni Badensi, Præfecto militari Exercitûs Imper. Rom. hoc Privilegio Imperator Fridericus III. indulget, ut ipse Carolus & omnes eius posteri Bastardos in suis ditionibus ac territoriis habitantes perpetuò retinere, nec ut ab aliis ullo mancipii aliòve jure subtrahantur pati debeat.
MCCCCLXVIII.	LXXXVIII. Concessio Episcopo Herbipolensi data, telonium, aurcũ exigendi, per Ducatum Franconiæ. Dat. in Oppido Græz d. Sabbathi ante Domin. Judica. p. 79.	Imp. Fridericus III. Episcopatus Herbipolensis damnum irreparabile ex belli temporumque iniuriis contractum intuens, tum viventi Episcopo Rudolpho, eiusque successoribus permittit, quò vires suas recuperare possit, ut per totam Franconiam, præter alia vectigalia usitata, hoc gaudeat Privilegio: nempe facultatem concedit novi telonii exigendi, ita ut de quolibet plaustro vini Rhenensis florenus unus, de medio plaustro dimidius, & sic deinceps pro ratâ ipsi solvatur; idque vectigal jure proprietatis, pro lubitu sibi servare liceat: Hâc tamen lege atque conditione, ut Episcopus Rudolphus, eiusque successores, in signum gratæ mentis & memoriam tantæ munificentiæ Cæsareæ, pro remedio animæ & Imperatoris Frid. III. & antecessorum & successorum, una cum Clero Civitatis Herbipolensis perpetuò futuris temporibus die Lunæ proximâ post Dominicam Judica in Quadragesimâ, Sacra ac Missam faciant.

Imp.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXVIII.	LXXXIX. Induciæ biennii Comiti Johanni Eberſteinii datæ in Judicio Rotvveilenſi. Dat. Metis. d. Mercurii poſt S. Ulrici. p.232.	Imp. Fridericus III. Joanni Comiti Eberſteinio permittit,ut omnes lites ac proceſſus coràm Judicio Rotvveilenſi pendentes contrà illum, ad biennium ſuſpendi debeant, nec quiſquam audeat,contra prædictum Comitem Joannem Eberſteinium vel judicialiter vel extrajudicialiter quidquam agere aut pronunciare.
MCCCCLXX.	XC. Privilegium Reip. Francofurtenſi, datum, quod Senatui liceat, extra Pomœria ſua Speculas,turres, ac foſſas extruere. Dat. Viennæ. die 20. Martii. p. 177.	His Imperator Frid. III. Francofurtenſibus ſimul permittit & imperat, ut ob quotidiana latrocinia,tumultus, aliosque in Imp. Rom. motus, foſſas, ſpeculas, turres ac munimenta contra publicos graſſatores extruant in territoriis ſuis ubicunque libuerit ac neceſſum fuerit.
	XCI. Declaratio & Confirmatio, quod Civitas Norimberga immediatè ſub Imperii ditione & Juriſdictione ſit. Dat. Viennæ. die 31. Januarii. p. 292.	Se ſæpius intellexiſſe, Imperator ait, Senatum Norimbergenſem, in cauſis immediatè Civitatem ipſam concernentibus, coram Judiciis Aulicis, Provincialibus aliiſque agitari, vexari & judicari, cùm tamen nulli Judicio niſi Imperatoris & Imperii ſubjecti ſint; quare ſub gravi pœnâ interdicit his literis,ut ſuo & Imperii Tribunali cauſas Norimbergenſium relinquant,miſſoſque eos faciant.
MCCCCXLXX.	XCII. Privilegium Senatui Norimberg. datum, quo Civibus eius Galeas criſtatas vel coronatas in Inſignibus ſuis habere non licere cavetur. Dat. Viennæ. die Lunæ poſt Dominic. Reminiſcere. p. 294.	Ad evitandam invidiam, ſuperbiam,& æmulationem Civium Norimb. jam olim per Decretum Senatûs prohibitum erat, ne quis eorum civium galeâ coronatâ uti audeat, cum verò plures Legem eam tranſgreſſi erant, ſub prætextu ab Imperatore privilegii ejuſmodi accepti: Ideò à Senatu querela ad Imperatorem delata eſt, rogatumque, ut Imp. civitati decretum confirmet, quare ſub gravi pœnâ id ipſum denuo ſancit, & quæ contrarii extant actus, abrogat.
MCCCCLXX.	XCIII. Privilegium Imp. Frid. III. & Confirmatio Judicii Quinque-Viralis apud Norimbergenſes. Dat. Viennæ. die Mercurii ante Domin. Oculi. p. 296.	Judicium hoc V viralo Norimbergæ judicare ſolet de Calumniis, & injuriis,vulneribus, tranſgreſſione proterva Legum &c. Huius ſententiam ac indictam mulctam nonnulli malitioſè detrectantes,cauſam præbuere Senatui, conquerendi apud Cæſarem, qui ſeriò Judicium iſtud obſervari, tranſgreſſores autem ad ſeveriores pœnas adigi vult ac jubet.
MCCCCLXXI.	XCIV. Privilegium, Cæſareum, ſi Jusjurandum Senatui Norimbergenſi præſtandum imponatur,quomodo id fieri debeat. Dat. Græz. die Veneris ante Domin. Judica. p. 296.	Permittit Imperator Frid. III. Senatui Norimbergenſi,ut, ſi fortè à toto Senatu Juramentum exigeretur ob litem,vel controverſiam aliquam, illud non Univerſus Senatus, ſeu ſinguli ex illo præſtare teneantur, ſed Conſul & duo Senatores, quos reliqui ſelegerint, nomine Senatus id facere poſſint.
MCCCCLXXI.	XCV. Immunitas vectigalis Epiſcopalis Marchioni Badenſi Carolo conceſſa. Dat. Ratisbonæ. d. Lunæ poſt S. Margarethæ. p. 100.	Epiſcopus Argentoratenſis Wilhelmus à Dieſch, & poſt cum Rupertus,vectigal in vico Hirtenheim & Mazenheim erexerunt, vel invito,certè inſcio Cæſare, quare imploratus à Carolo Marchione Badenſi Imperator Frid. III. hoc dedit Diploma, ut Marchionis prædicti Succeſſores & Subditi immunes,à memorato injuſto vectigali omninò eſſe & manere debeant.

Hoc

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXI.	XCVI. Confirmatio Privilegiorum Matthiæ Episcopo Spirensi data. Dat. die Veneris ante Laurentii. pag. 94.	Hoc Diplomate Imp. Fridericus III. non solùm Matthiæ Episcopo Spirensi, sed etiam omnibus eius Successoribus singula Privilegia confirmat, tanquam verbotenus hoc Instrumento contenta essent.
MCCCCLXXI.	XCVII. Privilegia Dominorum Ditionis Rupispoletanæ confirmantur. Dat. Ratisbonæ die Lunæ ante S. Jacobi. p. 33.	Wilhelmus & Smasmanus, Braunii, post mortem Domini Rupispoletani, omnia defuncti Jura, Privilegia, ac immunitates confirmari, petierant, quod ab Imp. Frid. III. præstitum, & hoc Instrumento efficaciter indultum est.
MCCCCLXXI.	XCVIII. Privilegium Civitati Norimb. datum, contra degeneres & malitiosos civium filios, & prodigos. Dat. Ratisbonæ. die Martis post S. Mariæ Magdalenæ. p. 297.	Imperator Frid. III. vi huius Decreti seriò vult ac jubet, ut omnes Civium Norimbergensium filii maligni, degeneres ac luxuriosi, cæterique bonorum suorum dilapidatores ac prodigi, à Senatu corrigantur & emendentur, sique verbis locus non detur, mulctis, pœnis, & carcere coerceantur, puniantur & ad meliorem frugem redigantur; frementibus licet Curatoribus eorum.
MCCCCLXXI.	XCIX. Quod à Judicio Imperiali Proscriptis in Urbem Argentinam confugere & cum Civibus conversari liceat, ibique tutum asylum habeant, donec jure exposcantur, præsertim verò eiusmodi præscripti tempore nundinarum tutò hinc inde versari ac negotiari possint, intrà quod spatium nemini permissum sit eosdem in jus vocare. Dat. Ratisbonæ die Veneris post Mariæ Magd. p. 322.	Singulare hoc Privilegium Civitati Argentinensi permittit Opt. Imperator, cuius verba rem plenius declarant.
MCCCCLXXI.	C. Si quando Senatui Argentoratensi Juramentum injungatur, quod major pars Senatus, non singuli ac universi præstare ac jurare possint ac debeant, vel etiam tres quatuorve, è Senatu delegati in & extrà Urbem. Datum Græz. die Sabbathi post Festum Ascensionis. p. 324.	Si fortè accidat, ut in caussis ac litibus forensibus Senatus Argentinensis à Judiciis Imperii ad Juramentum præstandum adigatur: vel coràm Commissariis vel Abbate aliquo, sive id fiat intra mœnia, sive non; delegata vel potior pars, vel pauci id jusjurandum præstare possint ac debeant; præsentibus 2. Notariis Juratis; resque illa tam sanctè jurata credatur, tanquam singuli ac universi jurassent.
MCCCCLXXI.	CI. Copia Instrumenti Feudalis super vicis ad vada Rheni (Rietdörffer) Domino Friderico de Fleckenstein, dati. Dat. in opp. Græz. die Veneris post Conversionis Pauli. p. 56.	Imp. Fridericus III. Friderico Domino de Fleckenstein, Feuda jam olim à Superioribus Impp. concessa, confirmat, inprimis quod concernit pagos ad vada & littora Rheni, (die Rietdörffer) speciatim Weitersvveiler & Münversheim horumque Feudorum (& Privilegiorum respectu simul jubet Imperator, ut Cameræ Hagenoensi præsentibus literis exhibitis juramentum fidelitatis more consueto præstet.
MCCCCLXXI.	CII. Recessus Imperii & quæ in Comitiis Ratisbonensibus Anno 1471. à Statibus Imperii Cæsari promissa sunt contra Turcam. Datum Ratisbonæ die. p. 205. seqq.	Barbaris Muhametanis in Austriam usque excurrentibus, Imp. Frid. III. Comitia indixerat Ratisbonam, ubi Status Imperii maximâ etiam comparuerunt frequentiâ, quibuscum varia de futurâ Expeditione contra Turcas acta & de-

Tempus.	Inscriptio.	Argumentum.

creta sunt, & hic tandem factus inter Imp. & Proceres ac Principes Recessus: (1.) Unanimi Principum ac Statuum consensu conclusum est, ut Friderico III. 10000. milites, equites ac pedites, armis ac tormentis instructi, in subsidium contra barbaros mitterentur. (2.) Hi omnes sub Cæsareo Duce Supremo ad Arces limitaneas Hungariæ ocius comenderent. (3.) Consiliarii Imperiales eligerentur: quorum consiliis dirigerentur. (4.) omnes viæ publicæ securitatem haberent ad vina, esculenta, ac commeatus advehendos: item varii generis merces: (5.) Quas & ex Foro Julio procuraret Cæsar, mediocri ac parabili pretio. (6.) Si urgerentur à barbaris hæc auxilia Imperii, Cæsar iis subvenire teneretur. (7.) Copias auxiliares suas Unusquisque Principum ac Statuum in 3. annos alere teneretur. (8.) Imperator ipse, quas contra babaros paratas habeat vires, significaret. (9.) Omne interim bellum in Germaniâ cessaret. (10.) Si opus sit, etiam Regum Christ. auxilia peterentur. (11.) Hæ copiæ auxiliares optima fide defenderentur, nec hosti temerè conterendæ offerrentur. (12.) Principes Consiliarii pro Exercitûs commodo sese obstringerent jurejurando. (13.) Papa Romanus intra illud triennium plenam indulgentiam omnibus pœnitentibus præberet, eamque ex Absolutione redemptam pecuniam adversus barbaros expendere non recusaret; nec minus in omnibus regionibus Crucem prædicari juberet. (qui autem Cruce insigniri cuperent, suis sumptibus armati militare promitterent.) (14.) Ad Regem Franciæ & Ducem Burgundiæ, Imperii nomine, insignis mitteretur Legatio, ut aut ipsi veniant, aut auxilia mittant; Item Regis Daniæ Legatus Ratisbonæ præsens, de iisdem auxiliis solicitaretur, ut & Rex Hungariæ, qui, si Cæsarem urgeri ab hostibus contingeret, suo exercitu eum liberare promitteret. (15.) Navales quoque copiæ ex Italiâ paratæ essent. (16.) Monetæ commerciis apta distribueretur. (17.) Populus ibique ad jejunia, & supplicationes sub pœnâ compelleretur. (18.) De Pecuniâ publicâ huic Expeditioni destinatâ, certò caveretur; viri boni, collectores & œconomi ordinarentur. (19.) Denique ab hâc de collectâ publicâ nec Judæi nec Ordines Mendicantium liberi essent. Tandem (20.) Statuum Legationes suas exceptiones adjungunt.

MCCCCLXXIV. CIII. Privilegium à Frid. III. concessum, quod Senatui Norimb. quotannis pauperibus quoque & inquilinis nõ civibus collectas imponere liceat. Datum Augustæ Vindel. die Veneris. post S. Joh. Bapt. p. 298.

Ob sumptus publicos vel ad Imperii, vel Civitatis suæ necessitates utilitatesque impendendos, hoc indultum Norimb. Urbi, quod omnes etiam pauperes, urgente necessitate, aliquo censu ac tributo modico onerare Senatui liceat qui verò aliis contribuere non teneantur.

His

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXIV.	CIV. Descriptio & Institutio collectæ Turcicæ in Comitiis Augustanis. Dat. Ratisbonæ. in Comitiis. p. 70.	His comitiis Frid. III. Imp. miseriam extremam Christianorum Expeditione Turcicâ oppressorum, Statibus Imperii exponit: in collectando autem, pristinâ ratione necessariò mutatâ, novus institutus est modus æquabilis: deniq; sub banno Imperii & excommunicatione Ecclesiastica sequentes collectiones Principibus & Statibus imponit solvendas: (1.) Nemo, cujusquam dignitatis aut sortis fuerit, immunis aut exsors haberi debet. (2.) Principes ratione redituum ad prædictam Expeditionem liberaliter contribuant. (3.) Omnes Prælati, Comites, Barones, Nobiles, &c. ex singulis millibus florenorum unum armatum equitem, vel duos pedites per annum contra Turcam militaturos alant. (4.) Cæteris ex bonis non censualibus, è 25. florenis unum tribuant. (5.) decimumque numum pendere teneantur, ut & Cives ditiores: opifices autem minorum facultatum (6) Ad minimùm quartam floreni Rhenani partem solvant. (7.) Operarii diurnâ stipe victitantes octodecim numos per annum pendere teneantur. (8.) Servi denique & servæ de unoquoque floreno mercedis suæ duos nummos persolvant. Collectio Ecclesiasticorum. (1.) Archiepiscopi & Episc. juxtà modum censuum & redituum, conferant. (2.) Capitula omnium ac inprimis Cathedralium Ecclesiarum Collectionem quoque ita instituant; uti etiam Canonici, Abbates, Abbatissæ, Præpositi, Prælati, è bonis Censualibus & Gultiferis contribuant: hæc omnia permittente Pontifice, ac contra Turcas barbaros Indulgentias adjiciente. De Apparatu hujus Expeditionis. (1.) Omnes Elect. Princ. Eccl. & Seculares cæterique Status cum Commissariis agant, ab Apostolicâ sede & S. Cæsareâ Majestate datis. (2.) quid negotii Commissariis peragendum, in colligendis pecuniis, conscribendis militibus, iisdemque omni instrumento militari, equis, annonâ, sarcinis &c. & ab omni vectigali liberandis.
MCCCCLXXIV.	CV. Epistola Friderici III. Imp. ad Carolum Burgundiæ Ducem. Dat. Francofurti die 3. Decemb. p. 58.	Epistola hæc, quæ circumfertur, varias contra Ducem Burgundiæ Ducem Exprobrationes continet, inquieti animi, nimiæ fiduciæ in armis, effusionis civilis sanguinis (2.) monet ut desinat lacessere Germanos servire nescios. (3) præceptum suscepti belli falsum obiicit, quasi pro Ecclesiâ Coloniensi id factum (4.) minatur Pontificis excommunicationem, totiusque Alemanniæ ultionem. (5.) fastuosum ac rebellem nuncupat ac (6.) resipiscere jubet.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXIV.	CVI. Epistola Ducis Burgundiæ Caroli ad Adolphum Archiep. Mogunt. data. Dat. Nussiæ. die 1. Nov. p. 57.	Carolus Burgundiæ Dux Anno 1474. Archiepiscopum Colonienſem, contra Capitulares ſuos auxilia implorantem maximis adjuverat copiis, & quidem contra auſpicia Frid. III. Imp. qui Electoribus perſuaſerat, hoc bellum contra Imperii Decus geri: Burgundus verò his literis. Illi contradicit, ac æquitatem ſummam contendit.
MCCCCLXXV.	CVII. Literæ ad Civitates quaſdam pro armis contra Burgundum expediendis. Dat. Coloniæ Agrippinæ die Sabbathi poſt S. Matthiæ. p. 230.	In Epiſtolâ hâc Imp. Frid. III. Civitati Fr. multiſque aliis, perniciosiſſima Ducis Caroli Burgundiæ indicat conſilia, dum Colonienſem Archiepiſcopum, & cum ipſo Ducem Lotharingiæ infeſto agmine aggreſſus, omnia Divina ac humana jura violet, monet ac hortatur omnes ac ſingulos, ut arma contra prædictum Ducem, Reip. hoſtem, expediant.
MCCCCLXXV.	CVIII. Privilegium fori &c. Chriſtophoro & Alberto Marchionibus Badenſibus confirmatum. Datum Francof die ♂ ante Simonis & Judæ. p. 105.	Hoc Privilegio Marchionibus Bad. Fratribus Chriſtophoro & Alberto ab Imp. Frid. III. ex Gratiâ ſpeciali varia indulgentur: (1.) quod Eorum Miniſtri, ſubditi ac inquilini, coram aliis tribunalibus Imperii, inprimis vero Rotvilenſi conveniri aut eo citari non poſſint, ſed omnes lites ad Tribunal Marchicum, ubi reus domicilium vel ſedem habet, remitti debeant; ſin vero ibi juri via non detur, ſed vel morâ vel malitiâ impediatur, tum de Tribunalibus iſtis libertas detur, reos citandi, accuſandi, & pro qualitate delicti mulctâ vel ſupplicio plectendi (2.) Marchionum Badenſium Miniſtros ac Subditos profugos, ne quis Dominis detinere auſit; & quamvis per annos 20. retenti fuerint, poſcentibus Prætoribus Marchionum ſine morâ ſiſtere ac tradere teneantur. (3.) Potior autem Privilegii vis in eo conſiſtit, quod Imperator Marchionibus permittat, proſcriptos cuiuſcunque ordinis, ſuo in territorio excipere, fovere ac protegere, donec publicè expoſcantur.
MCCCCLXXV.	CIX. Confirmatio Chriſtophoro & Alberto Fratribus Marchionibus Badenſibus data. Dat. Francofurti die Veneris ante SS. Simonis & Judæ. p. 101.	His literis Frid. III. Imperator Marchionibus Badenſibus, Authoritate Cæſareâ permittit, ut plenè confirmetur, ac ipsâ re confirmat Fratribus Chriſtoph. ac Alberto, Marchionatum Badenſem, (2.) Marchion. Hochbergenſem. (3.) dimidiam partem Marchion. Eberſteinenſis. (4.) Dominium Iſenberg, (5.) Feuda, à Dominis Joanne Reinboldo & Burckardo à Windeck, ad hanc Famliam Badenſem devoluta. (6.) Pagum denique Stutzheim / in Epiſcopatu ſitum, cum omnibus omnium locorum juribus ac Privilegiis à Badenſi Domo hactenus poſſeſſis, præcipuè verò à Marchione Carolo.
MCCCCLXXV.	CX. Confirmatio Regalium, Chriſtophoro & Alberto Marchionibus data. Dat. Francofurti die Martis ante Simonis & Judæ. p. 103.	Eiuſdem ferè Argumenti cum priori: atque his denuò confirmantur Domus Badenſis omnia ac ſingula Jura, Privilegia, Immunitates, ante hac bono jure poſſeſſæ, ac hæreditate acquiſitæ.

Varia

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXVI.	CXI. Feudum Liechtenbergicum, Comiti Simoni Weckero datum. Dat. Neuenstat. die Lunæ post Conversſ. Pauli. p.111.	Varia sanè ac Specialia hoc Privilegio à Frid. III. Imp.confirmantur Dominis à Liechtenberg, quoad Oppida, Arces, Vicos, Pagos, Prata, Vectigalia, census &c.
MCCCCLXXVI.	CXII. Privilegii Copia à Frid. Imp. III. Norimb. Reipub. dati, de Notariis eorumque Legibus. Dat. Neuenstatt. die Lunæ post S. Jacobi. p.148.	Imperator Fridericus III. Notariis Norimbergensibus, Eiusdemque Reipub. Consulibus ac Senatoribus, conquestis quod Privilegia Notariorum à Cæsaribus Superioribus data, nullo habito respectu, Principibus, Comitibus, aliisve contemptui sint, & rejiciantur; Novum hoc indulget Privilegium, in quo (1.) recenset, cur & quâ occasione Notarii à Cæsaribus constituti, quibusve immunitatibus dotati, ac præter alios ornati sint: contemptum vero, de quo querantur, in posterum sub pœnâ 10. Marcarum auri puri, vindicari debere: Nisi Norimbergensis, aliarumque Rerumpubl. Notarii convinci possint, eos vel Falsarios esse vel alias fraudes admisisse. Authoritas denique pristina, Norimbergensibus & aliis Notariis, quam à Sacratiss. Cæss. habent, stabilitur ac restauratur.
MCCCCLXXVI.	CXIII. Copia Privilegiii Norimbergensi Reip. datum, Jus Saltuarium concernens. Dat. Neuenstatt. die Sabbathi post S. Jacobi. p.145. seqq.	Superiores Imperatores Norimbergensi Senatui Populoque insignia Privilegia concessérant, quæ concernebant rem Saltuariam ac Sylvarum venationumve, ad quarum quietam possessionem conservandam singularia Judicia, peculiaresve Præfectos constituerant: hi per belli temporumve injuriam dilapsi ac contemti, restitui non poterant, nisi per novum aliquod Diploma Cæsareum, quod hîc ab Imp. Frid. III. plenissimè impetrant, hoc addito, ut omnia dissidia ad rem salutariam spectantia non alibi, nisi coràm his Judiciis Norimbergensibus, audiantur & dijudicentur; qui secus fecerit, 50. Marcarum mulctam luat.
MCCCCLXXVI.	CXIV. Privilegium Norimb. Civitati datum, Latrones publicos comprehendendi, & in Urbem trahendi. Dat. Viennæ die Mercurii post Trium Regum. p. 299.	Contra publicos invasores, latrones, ac raptores jam pridem in Aureâ Bullâ cautum ait Imperator, ut mulctis & suppliciis affligantur: præterea multis severioribus mandatis coercuisse eiusmodi grassatores, gravibusque pœnis subiecisse: nihilominus tamen huius farinæ homines in viis publicis, in territorio ac ipsis pomœriis Urbis Norimb. reperiri, qui cives invadant, torqueant, vel enecent. Quare concedit Imp. Senatui, ut omnem vim publicam vi arcere ac repellere transgressores, in vincula conjicere, vel pro meritis supplicio afficere liceat.
MCCCCLXXVI.	CXV. Privilegium Notarios Publicos Norimb. concernens. Dat. Neuenstatt. die Lunæ post S. Jacobi. p. 201.	Notabilis hic locus est de Notariorum origine, dignitate, & necessitate, deinde commemorat Cæsar, quâ occasione hoc Diploma impertiat Civitati Norimb. nempe quod Notarii Publ. eiusd. Reip. conquesti sint, etiamsi à Comitibus Palatinis in Notarios creati sint & examina sustinuerint, nihilominus tamen sicubi negotia cum vicinis Principibus sint, se sperni, & denuò explorari. quod hoc Mandato Cæsar improbat, eorumque Authoritatem exaugeat.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXVI.	CXVI. Privilegium Norimb. datum, quod exactores census publici, Senatui rationem reddere expensorum & acceptorum debeant. Dat. Neuenstatt. die Veneris post S. Jacobi Apostoli. p. 205.	Quò lautius & splendidius Civitas Norimberg. dignitatem servare possit, permissum est ab Impp. ut per certos exactores, ab omnibus & singulis, imò etiam à pauperioribus, censum exigere & accipere liceat: exactores illi Senatui rationem reddere teneantur: Senatus vero nemini, nisi soli Cæsari.
MCCCCLXXVI.	CXVII. Declaratio Privilegii Norimb. de Latronibus ac Raptoribus publicis. Dat. Neuenstatt. die Sabbathi post d. S. Jacobi Apostoli. p. 204.	Privilegium ipsum suprà pag. 299. videre licet: quod h. l. ab Imp. Frid. III. confirmatur & declaratur; additum: ne, si ob certas circumstantias Mandato Cæs. satisfacere non possint, transgressionis argui possint.
MCCCCLXXVI.	CXVIII. Confirmatio omnium Privilegiorum ac Immunitatum Sylvas ac saltus concernentium, Norimb. data. Dat. Neuenstatt. die Sabb. post S. Jacobi Apost. p. 306.	Confirmat Imperator Frid. III. omnia antehac de re saltuariâ concessa Privilegia, quæ suprà pag. 145. seq. habentur ad verbum, hocque addit, ut omnes, qui sylvas Imperii, quæ ad latus S. Sebaldi ac S. Laurentii Parochiæ, circà Norimbergam sitæ sunt, possidere iisque uti frui volunt, tanquam Feudum à judicibus Saltuariis in Urbe Norimb. sub fide juramenti accipiant.
MCCCCLXXVII.	CXIX. Confirmatio Privilegii dati Prædicatorum Ordini à Sup. Cæs. de Immunitatibus Ædis Sacræ, Cellæ Dei dictæ, apud Oppidum Gmundam Suevorum. Dat. Viennæ. die 27. Martii. p. 69.	Collegium Monalium, S. Dominici Ordinis, Cella Dei dictum innumeris retrò annis, & per omnem hominum memoriam, in tutelâ atque Advocatiâ Civitatis Gmundensis fuerat, è quâ tum turbari cœpissent, Imp. Frid. III. hoc Privilegio prædictam Civitatis Gmundensis Advocatiam confirmat, ut Priorissa dicti Collegii cum omnibus Monialibus sub tutelâ Gmundensium esse ac permanere debeat; Deque hoc Jure Advocatiæ pronunciant etiam Civitates Fœderis Sueviei in Collegio Ulmæ. Nativ. B.M.V. Anno 1382. quod Privilegio confirmato additur.
MCCCCLXXVII.	CXX. Privilegium Christophoro & Alberto Fratribus Marchionibus Badensibus datum, de exactione vectigalis Pforzheimensis. Dat. Viennæ. die ult. Martii. pag. 107.	Vectigal publicum, quod Marchiones Badenses longâ serie ad Christoph. & Albertum Fratres usque, lege publicâ exegerant Pforzhemii, paulo ante vero à compluribus vectoribus onerum, declinatâ viâ ordinariâ, defraudati fuerant, confirmatur hoc Diplomate Cæsareo, à Frid. III. ita ut nihilominus hoc telonium de præterve ctis, sive ordinariâ, sive extraordinariâ dolosè feratur viâ, intrà milliare ab Oppido Pforzhemio solvi debeat, sub pœnâ. 10. Marcarum auri puri.
MCCCCLXXIX.	CXXI. Johannis & Joh. Casparis de Laubenberg impetrata à Frid. III. Declaratio, à Maximiliano & CaroloV. confirmatur. Dat. Græz. die ult. Sept. p. 40.	Dederat Frid. III. Imperator huic Johanni, & Joh. Casp. de Laubenberg Privilegium, quod non teneretitur, nec ipsi, nec ministri ac subditi eorum, coram Judicio Imperiali, quod Imperator Comiti Monfortensi Haugio, in Comitatu permiserat, comparere; hoc ipsum sequentes duo Impp. Maxim. & Carolus V. pari clementiâ eorum posteris hic confirmant.
MCCCCLXXIX.	CXXII. Alia quædam Declaratio Privilegii à Frid. III. dati Norimb. de Cauponis & Diversoriis intra unum milliare circa Norimbergam. Dat. Græz. 3. Julii. p. 307.	Privilegium ipsum videre licet pag. 273. quod hoc loco ab Imperatore declaratum, & ad verbum repetitur: quod nimirum Cauponæ & Diversoria publica invitis ac insalutatis Norimbergensibus, uno milliari circà Urbem extructa, destrui vel claudi, nullaque præterea ædificari debeant:

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXIX.	CXXIII. Alia Concessio Jurisdictionis Criminalis Norimbergensi Civitati facta. Dat. Græz 3. Julii. pag. 309.	beant: imprimis aboleri illa, quæ intrà 40. annos exstructa inveniantur. Profitetur Imperator Frid. III. se ante cæteros Norimbergensibus gratiam referre & velle & debere; quare iisdem inter reliqua beneficia hoc quoque indulget, ut Judicia iis subordinata de Criminibus, capite & sanguine judicare non possint aut debeant, nisi ex Senatu Nor. tertius quidam, æquus Judex, ordinetur, qui sine affectu & personarum respectu de reis judicet, & hoc suo atque Imperii nomine.
MCCCCLXXX.	CXXIV. Declaratio Imperatoris Frid. III. de profugis in Ædes Publicas Ordinis Teutonici, in Civitate Norimb. Dat. Viennæ. die 4. Decembr. p. 311.	Se ante hac Ordini Equitum Teuton. Norimb. Privilegium concessisse ait, ut nimirum Domus eorum publica, si qui delinquentes eò confugiant, asylum quoddam esse deberet: quâ ùerò libertate multi abutantur, atque latrocinia rapinasque committant impunè, Loci illius sanctimoniâ atque immunitate freti: quam Impunitatem vero Legi divinæ, æquitati & commodo Reip. Norimb. contrariam, non amplius tolerandam, ait Cæsar. itaque hoc jubet: ut Senatus eiusmodi delinquentes, præfatus prius veniam, & modestè ex Domo illâ publicè exposcant, traditosque custodiant, & pro causæ circumstantiis, puniant; sin vero Senatus temerè atque vi eiusmodi delinquentes protrahat & eripiat, pœnæ in Privilegio prædicti Ordinis Teutonici memoratæ ac indictæ reus haberi debeat.
MCCCCLXXX.	CXXV. Imperatoris Frid. III. Mandatum ad Judicem Aulici Judicii Rotvillani, ne arresta & processus contra Remp. Francofurtensem, in causâ perpetuorum censuum, porrò decernant, donec Privilegia ipsi exhibuerint. Dat. Viennæ die ult. Nov. pag. 178.	Senatus Populusque Francofurtensis contra Comitem Sulzensem, Judicem in Dicasterio Imp. Rotvillano, acriter conquesti erant, quod contra observantiam de processibus in materia perpetuorum censuum urgerentur, rogant, ut in jure suo Imp. suos tueatur, hoc igitur Diplomate Prædicto Judici Imperator, ut exactionem differat, donec Francof. de jure suo docuerint.
MCCCCLXXXI.	CXXVI. Privilegium Dnn. Rupispoletanis confirmatur, de Jure venandi ab arce Hauenstein usque ad Sylvam Hagenoënsem, &c. Dat. Viennæ. die ult. Oct. pag. 35.	Concedit ac confirmat Imperator Fridericus III. Dominis Wilhelmo ac Schmasmanno, Rupispoletanis, Fratribus eorumque posteris (1.) Jus ac Privilegium Feudumque Venationis ab Hauenstein usque ad Saltum Hagenoënsem; inter Rhenum item & amnem First, Jurisdictionem quoque (2.) in Citharœdos ac fidicines eius regionis (2.) quâ de re Reverendissimo Abbati Murbacensi, Imperatoris loco, prædicti Dnni de Rappoltstein, fidem præstare tenerentur.
MCCCCLXXXII.	CXXVII. Privilegium Fori Augustani Vindel. Dat. --- die 16. Maij. p. 164.	Consules ac Senatores Reip. Augustanæ Confirmationem à Frid. III. Imp. Supplices impetrant Privilegium, quo exemptionum ipsa Civitas eorumque Cives Subditi ac inquilini hinc à judicio Camerali, Westphalicis, Rotvillano, ceu aliis tribunalibus, habuerant, jubeturque, si quis ex civium Senatusque numero in jus vocari debeat, hoc ut fieret coram Præfecto Provinciali vel Urbico apud Augustanos.

Frid

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXXIII.	CXXVIII. Confirmatio Vectigalis de vino & aliis rebus Archiepiscopatui Salzburgensi data. Dat. Viennæ. die 18. Jan. p. 21.	Frid. III. in honorem Dei, ac Ruperti & Virgilii, Archiepiscopatui Salisburgensi consulturus, qui temporum bellique injuriis, penitus collapsus, restauratione opus habebat, hoc privilegium indulsit, quò sumptus largius provenirent, ut cùm ipsâ Urbe Salisburgensi, tum extra pomœria, telonia publica erigere liceret, quibus de unoquoque plaustro vini eò deportati, ibi consumpti, vel divenditi, vel inde reportati, aureus Hungaricus de reliquis mercibus atque oneribus æquum exigeretur vectigal, ad necessaria paranda cultumque Divinum promovendum.
MCCCCLXXXIII.	CXXIX. Expectantiæ Literæ, Ducatus Juliacensis & Montium, &c. à Frid. III. Imp. Dno Alberto Saxoniæ Duci. Dat. Græz. die 26. Junii. p. 96.	Pro fide præstitâ Imp. Friderico III. in bello contra Carolum Burgundiæ Ducem & postea contra Regem Hungariæ gesto, Cæsar vicissim exhibiturus gratiam, Alberto Sax. Duci Expectantiam hanc (ut vocant) ad Ducatum Juliacensem & Mont. præbet ultrò, si per obitum Wilhelmi Ducis Jul. Ducatus ille vacaret: quem Ducatum, ut & cætera Regalia, pro Feudo agnoscat, & bonâ fide administret.
MCCCCLXXXV.	CXXX. Friderici III. Imp. Diploma Archiepiscopo Salisburgensi datum, de Vectigali Salis. Datum Linciæ. die 23. Martii p. 23.	Permittit Imperator, in gratiam summorum meritorum, Archiepiscopo Grancnsi, & p. t. Administratori Salisburgensi, Johanni, vectigal aliquod Salis, à Schellenberg sub ditione Ædis S. Berchtesgaden, per Salisburgum aliò devehendi, vel ibi etiam vendendi ac consumendi exigere; qui id solvere detrectârint, insigni mulctâ pœnas daturos minatur.
MCCCCLXXXV.	CXXXI. Privilegium Archiepiscopo Salisburgensi datum. Dat. Linz. die 23. Martii. p. 23. seq.	Permittit Imperator Frid. III. Archiepiscopatui Salisburgensi, hoc Privilegio, quod de Sale Schellenbergensi, vectigal exigere liceat, vel in ipsâ Urbe, vel alibi; qui negaverit, certam solvat mulctam.
MCCCCLXXXV.	CXXXII. Privilegium eid. Archiepiscopo Salisburgensi datum de vectigali Salis. Datum Linz die 23. Martii. p. 20.	Eiusdem ferè argumenti cum antecedente, nisi quod vectigalis determinatio in specie addatur, quantum quisque Archiep. solvere teneatur.
MCCCCLXXXVI.	CXXXIII. Maximiliani, Frid. III. F. electionis Actus in Regem Roman. Dat. Francof. die Sebastiani. p. 218. seq.	Fusius recensetur ordo ac Series, quomodo (1.) Imperator Rom. Frid. III. Filio Maximiliano in Regem Rom. coronando insigni apparatu & Cæsareâ pompâ Actum condecoraverit. (2.) Qui Electores, Duces, Principes, Comites ac Civitatum Legati præsentes fuerint. (3.) Quos Electores & Principes in comitatu habuerint Equites. (4.) Actus ipse Electionis, Unctionis, Inthronizationis, Coronationis Maximiliani Archiducis in Regem Rom. (5.) Actus denique Exequiarum Principis, Alberti, Marchionis Brandenburg. durantibus Cõmitiis Electionis, defuncti; quas Exequias Ipse Imp. Frid. III. Maximilianus Rex, Electores & Principes ac Legati, præsentiâ suâ ornârunt.

Fride-

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXXVI.	CXXXIV. Pax & Securitas Publica in Imperio Rom. à Friderico III. restaurata in decennium. Dat. Francofurti. die 17. Martii. pag. 150.	Fridericus III. Imp. pacatâ Germaniâ, cum Maximiliano I. Filio, Rom. Rege, Securitatem & Pacem publicam in decennium indixit, stabilivit, publicoque hoc instrumento cavit: (1.) ne quis ex eo tempore tranquillitatem ullâ vel personarum vel bonorum invasione turbet, qui secus fecerit: in bannum Imperiale ipso actu declaratus haberi debeat. (2.) facinorosos ac turbatores Pacis huius ne quis alat, vel tueatur.
MCCCCLXXXVI.	CXXXV. Privilegium, Henrico Abbati Weissenburgensi datum. Dat. Coloniæ. die 5. Junii. p. 82.	Fridericus III. Imperator Abbati Weissenburgensi Henrico per Legatos conquesto, Abbatem pluribus appellationibus, à Judicio Scapulæ inferiori ad Ipsum factis, turbari, publico hoc Privilegio indulget, ne in posterum à sententia interlocutoria, vel definitivâ in Judiciis inferioribus lata ad Abbatem fieri debeat appellatio, vel siquis ad Abbatis Judicium Camerale appellare velit, centum florenos Rhenanos pignoris loco deponat, ob maximos sumptus ad conservationem Judicii Cameralis impendendos.
MCCCCLXXXVI.	CXXXVI. Privilegium eidem Abbati datum. Datum Coloniæ. d. 5. Junii. p. 83.	Eidem Abbati Henrico Weissenburgensi Frid. III. Imp. eodem Anno, eâdemque die Privilegium dedit Coloniæ, quod si forte, in Judicio Cameræ illius, inter Judices in re incertâ, ac dijudicandâ, vota sint numero æqualia, ad dandum pondus, ipse quoque Abbas alteri parti, quæ justior videbitur, votum suum adjiciat, atque ita majora faciat.
MCCCCLXXXVI.	CXXXVII. Literæ Feudales Jacobo & Angnatis Dominis de Fleckenstein concernentes. Dat. Mechliniæ. d. 26. Sept. p. 263.	Eiusdem Argumenti cum Superiori Dipl. pag. 260. nisi quod additum sit, ocyus ante S. Thomæ festum ratione horum feudorum juramentũ fidelitatis præstare teneantur. Ubi adjicitur imediatè (1.) Testimonium Alberti Episcopi Argentinensis, quod Jacobus Dnus de Fleckenstein jure jurando sibi, nomine Cæs. Maj. fidem præstiterit. (2.) Vidimus Civitatis Hagenoæ super his Documentis antecedentibus, quod petenti Dno. de Fleckenstein Civitas hæc dedit. 1495. (3.) Transumptum Præpositi Surburgensis super Imp. Maximiliani Confirmatione Feudorum, Dnis Jacobo, Nicolao, & Philippo de Fleckenstein datum 1505. quo cum Friderici III. Instrumentum Investituræ, tum Imp. Maximiliani Confirmatio repetitur ad verbum.
MCCCCLXXXVIII	CXXXVIII. Mandatum Friderici III. Imp. R. Friderico & Sigismundo, Marchionibus Brandenburgensibus, fratribus, Burggraviis Norimbergensibus, datum, de restaurando Judicio Provinciali in Burggraviatu Norimb. Dat. Gœppingen. 6. Decembr. p. 127.	Judicium Provinciale in Burggraviatu Norimb. à Majoribus suis sapienter constitutum; Imp. Fridericus III. restaurari, & cum hactenus cessaverit, restitui in usum pristinum mandat.

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MCCCCLXXXVIII	CXXXIX. Mandatum Frid.III. Imp. ad omnes Imperii Status, de non impediendis Marchionibus Brandenburgensibus in restituendo Judicio Provinciali. Dat. Gœppingæ. d. 6. Dec. p. 128.	Ne igitur dicti Marchiones Brandenburg. in restituendo Judicio isto Provinciali impedirentur à quoquam, eodem anno ac die Imp. Frid. III. publicis literis omnes Imperii status monet atq; obtestatur, ne quis suprà dictos restauratores quocunque modo moretur, atque impediat, sed potius adjuvet, atque promoveat.
MCCCCLXXXVIII	CXL. Copia Mandati Imp. Frid. III. contra Hamburgenses & Lubecenses, ob Albim aggere clausum. Dat. Antvverpiæ. d. 18. Sept. p. 257.	Civitates Hamburgum & Lubecca, ex odio atque invidiâ navigationis, cuius libertatem Brunsvicenses & Luneburgenses ab Impp. olim impetraverant, in parte Australi Albis, fluvii huius locum aliquem Gammerort vocatum aggere obstruxerant, atque alveum aliò traducere instituerant, quod hoc Mandato Imp. Frid. III. improbat, & liberum fluminis Usum patere jubet omnibus, inprimis vero Ducibus Brunsvic.
MCCCCLXXXIX.	CXLI. Privilegium Philippo Comiti Hanovienſi à Frid. III. datum. Dat. Linz. die 16. Novemb. pag. 117.	Comiti huic Imperator Fridericus III. publico hoc Instrumento concedit Privilegium, ut Subditi eius ac hæredum coram Westphalicis Judiciis vel aliis externis comparere non teneantur; item, ne Civitates aliæ Subditos Comitum Hanovienſium in civium numerum recipere aut admittere conentur, ipsis invitis.
MCCCCLXXXIX.	CXLII. Privilegium Frid.III. Comitatui Hanovienſi datum, de Liberatione à Judiciis Rotvillanis, & Westphalicis. Dat. Linz. die 16. Nov. p 117.	Quoad 1. membrum de non citandis Comitatus Hanovienſis Subditis ad Tribunalia Rotvillanum & Westphalica, eiusdem ferè argumenti cum antecedente est.
MCCCCLXXXIX.	CXLIII. Privilegium Imp. Frid. III. Philippo Comiti Hanovienſi datum de non citando & procedendo contra subditos Hanovienses, coram Judiciis Rotvil. & aliis Westphal. Datum Linciæ. d. 16. Nov. p. 117.	Philippus Comes Hanovienſ. hoc Diplomate id impetraverat, ut liber esset cum familia, hæredibus, ministris ac subditis, à Juirsdictione Judicii Rotvillani, Westphalicorum, aliorumve Tribunalium. Item quod non liceret subditos Hanov. aliò citare, multò minus capere, sed ab omnibus Processibus abstinendum sit in posterum.
MCCCCXC.	CXLIV. Idem hoc Privilegium antecedens, à Comite Philippo rogatus aliquis Notarius Cæsareus Henricus Biesse vidimatione aliquâ publicâ ornat. Dat. in Arce Babenhausen. die 28. Apr. p. 119.	Henricus Biesse Clericus, Notarius Publ. Cæs. Superius illud Privileg. suis & testium Nobilium testimoniis ornat, verbotenus repetit, & in formam Instrumenti redigit.
MCCCCXC.	CXLV. Declaratio Imperatoris Frid. III. Privilegii Civitatis Argentinensis, ad Vocabulum Judicis Urbici. Dat. Linciæ. 29. Dat. Octbr. p. 325.	A multis retrò annis ac temporibus Argentinenses id Privilegium consecuti fuerant, ut omnes controversiæ forenses ac Processus contra eos cœpti non coram aliis Judiciis Imperii, sed Urbis ipsius Judice, dijudicentur: hoc verbum verò Albertus Episcopus Argent. ad sua quoque Judicia transferre & detorquere, cosq; citare ausus, ansam ita præbuit Senatui, apud Cæsarem hâc de re conquerendi: quam æquissimam petitionem Imp. Frid. eò lubentius exaudiit, &, ut Senatum Populumque Argentinensem liberos esse sinat, nec ullo modo ad Ecclesiastica sua Judicia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tempus.	Inscriptio.	Argumentum.
		dicia citare ausit, seriò hortatur: id enim nunquam in mentem sibi venisse asseverat, sed ut bene sit, precatur, Senatui Populoque Argentoratensi.
MCCCCXC.	CXLVI. Privilegium, Civitati Imperiali Kauffbeuræ datum, ne jurisdictioni eius obsint signa Jurisdictionis criminalis ab aliis erecta: tum de Civibus Forensibus & extraneis recipiendis & collectandis, &c. Dat. Linz. die 3. Nov. p. 178.	Johannes Wilhelmus & Georgius à Benzenau à Frid. III. Imp. antehac acceperant Privilegiū, quod in locis ad Arcem Kemnat pertinentibus patibulum erigere liceat. Quo cognito, Senatus Civitatis Imperialis Kauffbeuræ per Legatos submisse Imperatori nunciat, per istud Privilegium Juri suo à multis seculis usurpato derogari: Quare Imperator Benzenavienses increpat, quod id dissimulantes celaverint: confirmat igitur Civitati Kauffbeuræ Publico hoc Privilegio vetera jura, ne obsint ei signa jurisdictionis criminalis ab aliis erecta: tum de Civibus Forensibus & extraneis recipiendis & collectandis speciali gratiâ cavet, & Urbi isti prospicit.
MCCCCXCIII.	CXLVII. Friderici III. Imperatoris Rom. Exequiæ. (& Epitaphium.) Viennæ factæ. die. 5. Déc. feriâ ante S. Nicolai. p. 47.	Ex MS. Historiâ Bibliothecæ Forsterianæ hæc habentur: Postquam suo loco dictum, de die mortis Opt. Max. Imperatoris Friderici III. nempe die Lunæ ante S. Bartholomæi 1493. quomodo per Electores aliosque tum seculares Principes, Exequiæ dilatæ & destinatæ in diem 5. Decembris: his quoque paginis recensetur, quomodo Maximilianus Rom. Rex, ad Templum equitaverit, in templo steterit, cum reliquis Electoribus ac Principibus ad sacrificium iverit: quomodo Imperii Romani, ac Regionū hæreditariarum signa militaria, Galea, & clypeus gesta sint, & per quos Equites: item qui nam Electores, Principes, Episcopi, & Præpositi præsentes fuerint His additur Epitaphium, pro tanti Principis majestate satis arctum ac breve.
MCCCCXCV.	CXLVIII. Maximiliani I. & Caroli V. Confirmatio & Privilegiorum à Frid. III. Dominis de Fleckenstein datorum (1.) sub dato 1450. In Novâ Civitate (2.) Wormatiæ sub dato 1495. (1.) Dat. Neüstatt. 4. Maij. (2.) Wormatiæ. 15. Julii. p. 42. seqq.	Duo hîc ab Impp. Max. I. & Carolo V. confirmantur Privilegia per Fridericum III. antehac Dominis à Fleckenstien concessa: (1.) quod Feudum Imperiale Arcis & montis Fleckenstein nulli Principum vel nulli hominum concedi aut alienari possit debeatve: item Jurisdictione criminali Domini de Fleckenstein gaudeant, omnesque saltus & piscinas retineant à Majoribus hæreditario jure acceptas. (2.) In hoc agnatis Nicolao & Philippo de Fleckenstein, antecedens privilegium confirmatur ac fusius explicatur.
MDXXI.	CXLIX. Carolus V. Imp. confirmat Frid. III. Privilegium, & Executoriale Mandatum emittit de Vectigali Vini. Dat. Wormatiæ. d. 12. April. p. 24.	In hoc Privilegio Carolus V. confirmat atque auget Privilegium à Frid. III. datum, quod nimirum Archiepiscopo Salisburgensi Johanni, eiusque Successoribus licitum sit: pro colligendis ex Vino & Sale vectigalibus, telonia erigere atque instituere, sive vinum Salisburgi aliisque Archiepiscopatus locis vendatur, deponatur, à Cauponibus distrahatur &c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tempus.	*Inscriptio.*	*Argumentum.*
MDXXI.	CL. Mandatum Executoriale de vectigali Vini, Archiepiscopo Salisburgensi datum à Carolo V. quod jam pridem à Frid. III. concessum fuerat. Dat. Wormatiæ d. 12. Apr.	Suprà, N. (Anno 1485.) Frid. III. Archiepiscopis Salisburgensibus ob merita indulserat vectigalia Salis & vini, quod posterius Carolus V. Imp. h. l. confirmat datis literis ad Fratrem Ferdinandum, & Electores, ut Archiepisc. Salisb. Matthæo exactionem huius vectigalis & opem ac subsidia ferre velint.
MDXXI.	CLI. Diploma Caroli V. Dominis de Fleckenstein datum de censu ex vendito vino: quo confirmatur idem jam olim indultum à Frid. III. Imp. Dat. Wormatiæ die 28. p. 41.	Domini de Fleckenstein jamdudum gaudebant Privilegio de censu vini venditi in pagis istis ad vicum Sulz spectantibus, deinde vero pagus Hochwveiler sese eximere conatus, à Domino Fleckenst. coràm Carolo V. Imp. incusatur: quâ occasione superius illud Privilegium confirmatur.
MDXXI.	CLII. Privilegia Sixto Oelhafio à Frid. III. Imp. data, à Carolo. V. confirmata. Dat. Wormatiæ die 18. Aprilis. p. 45.	Sixtus Oelhaffius Friderici III. Maximiliani I. & Caroli V. Impp. Secretarius, quem ob egregiam fidem & merita hîc commendat Carolus, nonnulla Privilegia à Superioribus Impp. impetraverat, quæ quasi verbotenus hîc inserta essent, Imperator optimâ formâ confirmat eiusdem hæredibus.
	CLIII. Recensentur, ex Historiâ MSS. Bibliothecæ Forstnerianæ, ad res Carinthiacas, Comites in Carinthia & Collegia Capitularium ibidem. pag. 16. seq.	Plures Familiæ Comitum in Carinthiâ hîc recensentur (quæ perlegi poterunt) non vero additur vel annus vel locus, ubi hæc conscripta.
	CLIV. Præterea Nobiles Familiæ in Carinthiâ enumerantur. pag. 63.	Ex eodem MS. Forstn. Biblioth. recensentur pleniore serie omnes Familiæ Carinthiacæ, hactenus intermortuæ, quod MS. conferatur cum Appendice Annalium Carinthiæ, Megiseri. p. 1721.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
IN HOC VOLUMINE OBVIARUM.

Benevolum Lectorem amicè monitum volunt Editores: quod, cùm in Vol. hoc diversi colligantur Scriptores, Generalis verò sit Index, diversis quoque Chararacteribus Auctorum nomina significanda sint: Itaque

S. denotat Æneæ SYLVII Historiam Friderici III. Imperat.
D. DIPLOMATA & Documenta eiusdem Imperatoris notat.
A. notat ANNALES Caroli Magni: qui nimirùm non solùm ipsius Caroli M. Historiam, partim à Poëta Anonymo, partim à Monacho descriptam; sed etiam res Eiusd. Filiorum, inprimis Ludovici Pii Imp. à Thegano Chorepiscopo: & Nepotum, à Nithardo Caroli M. & ipso Nepote, descriptas, continent.
St. Alberti Abb. STADENSIS Chronicon signatur.
P. Nota est Martini POLONI Chronicorum, quæ post Abb. Stad. pag. 338. inchoantur.
R. verò Ultimum denique, Andream Presb. RATISBONENSEM, eiusque Chronicon Bavariæ, indicat.

A.

AAron Ammiralmummini, Persarum Rex, qui aliàs Aaron Calipha, cum pretiosissimis muneribus Legatos ad Carolum M. mittit A. 58. St. 196.

Abbas Stadensis fabulosæ Scriptionis arguitur. St. 145. miscet vera falsis. 146. Chronicon illius scriptum Anno Dom. 1256. incipit. St. 125. ἀνιστορησίας accusatur, & quidem crassissimæ. 202.

Abbatiæ Cellensis ad Gmundam protectio confirmatur à Frid. III. Imp. ut huius Advocatia penes Senatum Gmundensem esse & manere debeat. D. 69.

Abbatiæ Stadensis fundatio. 271. primus illius Abbas. 271. 274.

Abel Dux Jutiæ. St. 313. Parricida. 319. fit Rex 319.

Abgarus Rex Edessanus. St. 158.

Abderiti, quorum passim mentio fit. A. 61. vindicantur ibid.

Abraham anno Regni Nini 43. natus. St. 128. quid illius temporibus acciderit. 129.

Academia Ingelstadiensis, quando fundata, & à quo. R. 66

Academia Viennensis: & qui in eâ viri Docti. S. 4. Schola atque Gymnasium ibid. plebem contra Cæsarem Frid. & Pontif. M. instigat. 103. de hâc Acad. consulendus inprimis Lambecius. vid. S. 124.

Accelinus vel Eccelinus. S. 30 è vulnere moritur. 35.

Acephalorum hæresis. St. 167. 174.

Acquin Rex Norvvegiæ crudelis. 219. obit. ibid.

Actus Passionales & Paschales. S. 83.

Adaldagus Archiep. Bremensis succedit Vnnio. St. 213. eius Parastatæ. 215. insigne Encomium. 216. in Italiâ nunquam à latere Imp. Otthonis cedit: omnium consiliorum particeps. 217. Ex Papam Benedictum secum in Germaniam ducit & honoficè colit. 217. quas Sanctorum reliquias secum tulerit. 217. quæ monasteria exstruxerit, & ditaverit. 217. eius Authoritas apud Otthones. 218. mors. 220. successor Libentius. 220.

Adam in Hebron creatus fingitur, 20. Martii. St. 126. tantùm 6. horas in Paradiso commoratus, fit exul. ibid. In loco, ubi nunc Hierosolyma est, obiit, & in monte Calvariæ sepultus. 126. deinde translatus in Hebron. eius filii & Filiæ. ibid.

Adelbertus Dux Austrasiorum. A. 95.

Adelgarius. A. 100. St. 206. Senex à vicinis adjutatur. 207.

Adelhardus Caroli Regis Socer. A. 108.

Adefonsus Rex Galliciæ & Asturiæ, Legatos mittit ad Car. M. A. 55. prædam ex Urbe Vlyssebonâ mittit. 56.

Adolfus Comes fit Monachus, dispensante Papâ. St. 314.

Adolffus Schauenburg. Comes Hols. St. 259. Comes Hols. & Stormar. St. 266. eius mors & filii. 267. Iunioris clades. 267.

Editha Regina obit. St. 215.

Eduardus I. Ep. Oldenb. 218.

Eduinus Rex Northumbriæ. St. 173. fit Christianus. ibid.

Egbertus Presbyter Saltatoribus imprecatur. St. 223.

Egbertus Comes. A. 62.

Egesippus Historicus quando scripserit. P. 342.

Eginhardus Scriptor rerum Caroli M. ab eodem educatus. St. 182.

Einrichi ad Confluentem. A. 103.

Eizingerus, Ulricus, ignobilibus parentibus natus in Bavariâ, in Austriâ sese ditat. S. 44. homo atheus. ibid. à Duce Alberto Austr. Castrum Hungariæ Forchenstein pretio emit; sed Frid. III. Imp. itinere Italiæ occupatus contractum dissolvit, Castrumque redimit: ibid. Eizingerus ob hæc omnia movet ac turbat. ibid. tandem offensus ac iratus Viennâ discedit 45. ejus querelæ contra Frid. III. 47. Oratio ad Barones nonnullos seditiosa, & conjuratio, 48. seq. Cæsar machinationibus ejus resistit consilio. 50. Eiz. verò multa molitus conventum Viennæ habet, in suggestu publico Orationem habet, in quâ in Frid. III. valdè invehitur. p. 51. seq. conclusum denique à toto conventu hoc fuit, Austriam Ladislai esse, non Friderici: se reposcere Regem suum, & Magistratus per XII. Viros jam constituisse: 53. acerbissimas literas ad Pontif. Ro. & Cardinales mittit Eizingerus, & Austriæ novi Proceres, quas Legato per armatos juvenes eripi curat, & pessimas machinationes intelligit. 71. seq. cum Austriacis Legatos mittit ad Papam, sed irrito conatu: 98. ad Ludov. Bav. Ducem; sed laudes suas audit: scil. 98. suos adventu Cæsaris remissiores erigit, & milites parat. Tabellario quoque Cæsaris, Ladislai opes ab Eizingero dissipari, exprobranti, linguam præcidi jubet. 101. Citatur à Cæsare cum omnibus conjuratis, rationem redditurus de fraude factâ 101. legatum Cæsaris, verbis mordacibus remittit: 101. Eizingeri vita probrosa & crimina recensentur, in Epistolâ Ungnadii, quem mordacissimè convitiis prosciderat. 104. Eizingerus Cæsarem usque ad portas Novæ Civitatis comitatur, & pauca, sed seria verba audit. S. 16. Uberes lacrymas præ lætitiâ recepti Regis fundit. 116. fidem frangit denuò 114. iniquam iracundiam flagitiosâ perfidiâ ulciscitur: S. 145. Eizingeri & rebellium flagitia dominationis. 148.

Eizingerus alius, nobilis quidam adolescens, Patris sui infamiam laudabili facto diluit. S. 108.

Electionis Frid. III. in Regem Rom. actus & circumstantiæ. D. 183. Ipsius Filij Maximil. in Regem Rom. D. 217. seqq.

Electores & Archiep. cur Imperatorem eligant. St. 34. Electores. P. 368. quando cœperint. R. 19. Electores Friderico III. cœvi recensentur. D. 12. seq. Friderici III. Imp. Privilegium Domui Austriacæ collatum publicis literis confirmant D. 14.

Electorum literæ ad Senatum Francof, de instante Electione novi Regis. Ro. D. 184. seqq.

Eleemosynarum præmium insigne in Liberio Imp. P. 356.

Eleonora Regis Portugalliæ Soror à Frid. Imp. in matrimonium petitur, & paulò pòst à Delphino Franciæ, quoque amatur: sed ab ipsâ Cæsar præfertur. S. 39. hæc navim ingressa diu pelago jactatur: eius Ductores. 65. classis: tempestas. ibid. pectus. intrepidum. 65. Sponsa Frid. III. Cæs. cum 104. Dies in navi mansisset, neque in ullum Portum ingressa esset, tandem non exiguo gaudio in portu Pisano appellit; sed Liburni exponi eam jubet Cæsar. 68. seq. Corporis animique dotes describuntur. 71. quomodo insigni pompâ excepta, & Cæsari tradita sit. 73. Imperatricis novæ Romam ingredientis cultus. 76. 77. laudes eius. 80. coronatur in Augustam 79. 80. per manus Pontificis Nicolai, Friderico ante coronationem in matrimonium datur, utrique tamen præceptum, ne copulam carnalem intra triduum jungerent, ob reverentiam Sacramenti. 79. tristis est, quod nondum cognita à Frid. circumduceretur, quasi non placeret: tandem in palatio Regis Alfonsi, voto potita est, Cæsarem eludens, S. 85.

Elephas eximiæ magnitudinis, Carolo M. â Rege Persarum missus, Aquisgrani traditur. A. 58.

Eleutherius Papa Rom. XIV. de cibis ordinavit. P. 343.

Elisabetha Sancta, Hungariæ Regis Filia. S. 29. Landgravii Thuringiæ Conjux. ibid. translata Marpurgum, coram Imp. Frid. II. ibid.

Elisæi Prophetæ ossa. St. 168.

Elisaza pro Alsatia, quod vide. A. 102.

Emanuel Imp. Constantinop. fraudulentus. S. 17.

Emaus Pagus in urbem amplificatur, quæ Nicopolis dicta. St. 158.

Emma Comitissa moritur. St. 239.

Emmeranus. Ep. Bavariæ. R. 7.

Emund Sex Sueciæ. St 219. 233.

Encænia Constantinopoli habita. St. 171.

Enthusiasmus. St. 251.

Entius. Frid. II. Imp. Filius. Sardiniæ Rex S 30. seq. miserè interit. ibid & 32.

Ephesina Synodus. St. 165. P. 352.

Episcopatus jam olim Simoniâ conciliati. St. 147.

Episcopi veri imago, in Remberto Bremensi. St. 205. in Beaclino. 227. Tres perfidi deponuntur dignitate, A. 73. Ingrati Ludovicum Pium in monasterium detrudere conantur. 78. quomodo inaugurandi. St. 144. P. 341. Ep. Ostiensis Prærogativa. St. 146. Epp. totius Orientis excommunicantur ob Festum Paschatis. St. 158 Epp. multi fiunt martyres. St. 239. Epp. tres pauperrimi, Hibernicus Anglus, & Scotus, in concilium Lateranense veniunt. St. 294.

Episcopo vivente nullus eligatur successor. St. 149.

Episcoporum Iuramentum Alexandro Papæ præstitum, post finitum Schisma Anti-Papale. St. 293.
Episcopus quidam Paulus, malum init consilium. Ladislaum clanculùm abducendi. A. 78. Hebo Remensis, omnium pessimus & ingratissimus, Ludovico Pio insultat. A. 78. Argentinensis Erckenbaldus, Antecessorum suorum seriem Carmine depromit. A. 121. Ep. propter adversam valetudinem non est abjiciendus. S. 151. Argent. Wernerus, est bellator. St. 223. Ep. Turgot Leprâ moritur. St. 226. Ottho Halberstadensis, ob Simoniam deponitur. St. 265.
Epistolæ ab Hildegardi Prophetriâ Scriptæ. S. t 278.
Equestre seu Nobile tyrocinium. S. 135. seq.
Equestres Ludi habentur Wormatiæ à Regibus. A. 1102.
Equites Aurati Velleris, qui Exequiis Frid. III. interfuerint. D. 47.
Equites CCC. creantur Romæ à Frid. III. coronato in Imp. Rom. S. 81. qui Eq. digniores. S. 81.
Equitum Dignitas & præeminentia. S. 81.
Equus loquitur. St. 292.
Eremita Primus Paulus. P. 345.
Eresburg Castellum capitur à Carolo M. A. 4
Eribertus Ludovici Pii Nepos. A. 60.
Ericus Frater Canuthi fugatur; vocatur Hasenfooth. sive Hasenfus, Lepus Galeatus. St. 267. Deinde vero ex victoriâ novo cognomine insignitur Emun, id est, memorabilis. 268. filius Sucin ex concubinâ. ibid.
Ericus Lamm, Daniæ Rex. St. 273.
Erioch vid. Arius, Rex Assyr. St. 128.
Eriolt Danorum Rex à Ludov. Pio Imp. è fonte baptismatis susceptus, Coniuxque eius ab Augustâ. A. 76.
Erkenbaldus Episcopus Argentinensis, seriem antecessorum carmine describit. A. 120.
Ernestus Dux in Venatu occiditur. St. 223.
Ernestus Dux Alemannorum Conrado Imp. se tradit. St. 225.
Esselfeldt ad Sturiam fluvium. A. 62.
Estensis Marchionatus Principes. S. 95. inprimis Nicolaus & Borsius præferuntur. ibid. Nicolaus Conjugem & Filium incestuosè adulterantes capite plectit, sed facti pœnitet. S. 95.
Estones fidem Catholicam deserunt. St. 303.
Eva 20. Aprilis condita creditur. A. St. 126.
Evangelium: vid. Marc. & Matth.
Evang. Matthæi Hebr. M. P. 353.
Evarillus I. Ep. Rom. VI. Bethlehemita. hic VII. Diaconos Romæ constituit, qui custodirent Episcopum prædicantem. M. P. 341. Constituit ut Coniugium à Parentibus sponsetur & demum à Sacerdote benedicatur solemniter. ibid. martyr. Sepultura. ibid.
Eucharistia, Papa Zepherinus ordinat, ut omnes homines annorum XII. in die Pasch. S. Eucharistiam accipiant. M. P. 343. cur vinum aquâ miscendum, & panis ex azymo. 340. seq. Rex Lotharius & eius optimates, qui Romæ indignè acceperant Euch. eo anno mortui sunt, M. P. 364.
Evilmerodach A. St. 135.
Eugenii Pontif. M. literæ ad Conradum Im. Æn. S. p. 18.
Eugenius refert inter Sanctos Henricum II. ibid.
Eugenius Paschali succedit. A. p. 76.
Eugenius I. Clerici filius. M. 358.
Eugenius II. Papa, Paschalis Successor, cœcatur. P. 362.
Eugenius III. Papa, ante simplex, post Electionem eloquens. Regem Franciæ Signo Crucis signat ad bellum. S. & concilium Rhemense celebrat. P. 374.
Europs Sicyoniorum Rex Europam subjugasse fingitur. A. St. 129.
Eusebius I. Papa R. XXXII. fuerat Medicus. M. P. 345.
Eusebius quando Historiam scripserit. A. St. 161.
Eutyches condemnatur. M. P. 352.
Eutychius Ep. Const. errat de Resurr. A. St. 172.
Excommunicatur Frid. II. I. np. à Papâ Gregorio: ubi tota Excommunicationis formula. A. St. 308.
Exequiæ magnificæ Frid. III. Imp. D. 47. seq.
Exorcismus Vicelini efficax. A. St. 269.
Ex-Papa Benedictus. A. St. 217.

F.

FAbianus Papa Ro. XXI. hic Chrisma commentus. P. 344.
Fabulosa ætas quando cœperit. St. 30.
Fames immanis in Hungariâ. P. 377.
Famæ Limburgenses. S. 14. Romæ. St. 155. horrenda. St. 207. 235. in Livoniâ. 206. per Italiam. P. 355.
Familiæ Carinthiæ emortuæ. 63.
Farus (sive rectius Pharus) Caroli M. ad quem ignem nocturnum in summitate eius accendit apud Bononiam urbem maritimam A. 64.
Fastrada Caroli M. Coniux secunda. St. 191.
Felix I. Papa Ro. quis & quando P. 345.
II. Catholicus: Constantium Constantini F. declarat hæreticum: ideò sit exul et martyr. P. 349.
III. constituit, Ecclesias ab Episcopis consecrandas: quid factum ejus temporibus. P. 355.
IV. constituit, ut infirmi ante transitum suum oleo sancto inungantur. P. 354.
Felix Præsul Orgellanus in conventu Ratisbon. damnatus, ob hæresin: Christum esse tantùm filium ad optivum: Romam mittitur ad Papam: A. 19. hæresin eam ejurans restituitur. ibid. St. 194.
Femina dolosâ decipitur. St. 139.
Ferdenses Episcopi. St. 222.
Ferdinandus vel Fernandus, Alfonsi Regis Arragonum filius. S. 83.
Ferraria Italiæ Vrbs describitur. S. 61. Cæsar in eam redux, summo gaudio excipitur: ibique de Pace inter Alfonsum, Venetos, & Bononienses agere satagebat, sed sine sperato eventu. S. 94.
Ferula Pastoralis hinc inde in hoc Volumine appellatur Pedum Episcopale, quod Archiepiscopi & Ep. à Cæs. & Regibus accipere solebant. St. 213. 222. 226.
Festa parùm religiosè culta apud Viennenses. S. 5.
Festum Corporis Christi instituit Vrbanus IV. S. 34. Resurrectionis, ut die Dominicâ celebretur, ab angelo mandatur. St. 144. Omnium Sanctorum à Gregorio IV. Calendis Novembr. constituitur. P. 362.
Feüda Saltuaria Norimb. Reip. confirmata. D. 141.
Fisci Imperii commoda & Regalia à Frid. I. Imp. vendicata. S. 136.
Flandria cum Comite Roberto subjugatur. St. 259. Comes Balduinus fit Rex in Constantinop. à Germanis captâ. St. 300. Comitatus Fl. incipit. P. 364.
Fleckensteinenses Domini duplici Diplomate gaudent de Accisæcensu. D. 41. seq. speciali Diplomate ornantur à Frid. III. præcipuè quod pagos ad Rheni vada (die Riedörffer.) attinet. D. 56. Idem Imp. Frid. III. tria concedit Privilegia, de Arce, Iurisdictione Criminali, Saltibus & Navigationibus, in Nider-Rödern, Kuzenhausen & Sarburg. D. 260. 261. de Arce Sulz. 262. de Arce Fleckenstein. 263. 270. Formula Homagii. 264. Hagenoentium & Præpositi Surburgensis. Transumptum horum Privilegiorum. 264 seqq. Frigerici Domini de Fleckenstein exaltatio in Baronatum, & alia Privilegia. ibid.
Florentia, ejusque mores describuntur. S. 63. primò mali, deinde boni. ibid. ejus prospectus & decus. 65. Florentini redeuntem Cæsarem non lubentes admittunt. 90. Pacem cùm Alfonso à Cæsare oblatam parvi habent. 93. A. 13.
Florenus Rhenanus solvitur in Franconiâ pro unoquoq; plaustro vini. D. 79.
Florianus Imp. Ro XXXIV. P. 345.
Fœderum Exempla inter Civitates Imperii. D. 257.
Fœdus inter Civitates Imp. renovatur. D. 249. Argentinæ factum inter Ludov. & Carolum Fratres. A. 101. seq. hujus expositio à Frehero addita, habetur. P. 113. seq.
Folquardus Normannorum. St. 222.
Fontaneum Franciæ. A. 90.

Formo-

Formosus Papa, pessimus. à Successore Sergio post mortem ignominiosè è sepulchro extrahitur. St. 206. Synodum Triburiam illegitimam habet. Ibid. P. 364.

Fortunatus Poëta. St. 171. P. 355.

Franci è Scythiâ pogressi. S. 2.

Francia à Francis duplex dicta est, Orientalis & Occidentalis. S. 2.

Franciæ Reges à primâ origine longâ serie recensentur à Constant. Magno & Valentiniano usque ad Carolum M. A. 45. Successores quoque Caroli M. ibid. Francici Cantores non boni. 52. 53. eorum vox barbara. 53. Franciæ Regnum ter divisum inter Ludovici Pii Filios. A. 104. Franciæ Regnum non nôsse, & tamen dividere velle imprudentiæ est. 107. Franciæ adversa fata post tempora Caroli M. & cur. 108. eiusd. Notabilis divisio inter Lothar. Imp. Ludov. & Carolum. Reges. 109. Franciæ Provinciæ quam plurimæ recensentur, quæ Carolo obtigêre. 110. Francia Orientalis litem movet. R. 65. eius Rex Ludovicus. A. 112. Reges prisci Franc. quâ Linguâ usi. 118 Sæpè Germanicâ. 119 Reges Franciæ protectores Papæ. St. 150. Imperium Romanum transfertur ad Francos. St. 151. Carolus M. eorum Rex fit Imp. Ro. Anno 771. A. 3. fabulosa origo Franciæ nominis. St. 163. in Franciâ qui Majores Domûs. St. 176. bellum intestinum inter III. Filios Caroli Martelli. St. 179. Franciæ antiquæ termini, quantùm à Carolo M. ampliati. 185 Francia à Gallia distinguitur. St. 223. Franciæ Rex Hildebrandi Papæ successores defendit. 248. Franciæ Rex Ludovicus promiserat Imp. Friderico I. se venturum ad Vesontinum Conventum, de Judicandis Anti-Papis: & Comes Campaniæ juraverat eum venturum: quod factum quidem, sed noctu, & Rex, lotis in flumine manibus, iterum discedit. St. 289. fovet Alexandrum Anti-Papam 190. seq. Reges Philippus & Ludovicus obeunt. 303. Tholosa vallatur, ubi hæretici (forsan Albigenses) VI. millia militum Regis occidunt, cum Fratre eius. 340. Franciæ Regis Ludovici X. bellum Sacrum eiusque malus eventus. St. 318. Reges Pipinus & Carolus M. Protectores Papæ contra Longobardos. P. 347. Parisii aliæque urbes ab Hunnis vastantur, sub Martiano. 252. Regnum Franciæ convertitur ad Christum. 354. Corpore S. Viti ad Saxones translato, dignitas quoque Imperii à Francis ad Saxones transit. p. 363. Cur in Arnulffo defecerit Gallo Rom. Imperium 364. seq. Reges Francorum Merovei. R. 8. Lothario, ut Saxoni, invident. St. 264.

Franciscus Sforția. vid. Sforția S. 61.

Franciscus Assisiensis canonizatur. St. 154. 305. nascitur. 295.

Francofurtensis Senatûs Literæ ad Civitates Imp. quibus Electio Novi Regis Rom. Frid. Aust. Ducis nunciatur. D. 197. transigit cum Münzenbergensi Domino de Advenis (Uzburgeris.) D. 235. Fœdus icit cum nonnullis Civitatibus Imperii. D. 237. seq. 241. fœdus renovat. 248. fœderis illius custodes & obsides renovantur. 250. Francofurti sæpissimè Conventus & sedem habuere Carolus M. & Filius Ludovicus Pius. A. 76. & alibi passim. Lotharius & cæteri Filii Lud. Pii Imp. hic conveniunt cum copiis paratis. 91. Ottho IV. cum solus rerum potiretur, Francono Worti (ut tum pronunciabant,) curiam habet. St. 300 Liberæ huius Urbis Imp. Privilegia confirmantur. D. 153. item Speciatim. D. 167. Nundinæ illius confirmantur ab Imp. Frid. III. D. 169. in tuendis viis publicis si invasorem quempiam lædant, non accusandi, sed indemnes habendi. 168. grassatores & violatores securitatis publicæ impunè occidere iis licet. 170. Francof. conqueruntur coram Cæsare, quod multi Privilegia sua, de Advenis in Urbe suâ, si opus sit, arrestis & carcere coercendis, defraudare conati sint, & confirmationem Privilegii impetrant. D. 174. iisdem permittitur, extruere munimenta, turres, speculas, ac fossas. 177. datur Privil. de Jurisdictione in Peregrinos, obtentu aliorum privilegiorum non declinandâ. D. 178. Francof. Senatus Literæ ad omnes Electores, de futurâ Novi Reg. Rom. Electione: Eiusdem Officia in ipso Electionis Actu vi Bullæ Aureæ. D. 183. seq. 191. Juramentum. 192. Responsoriæ Electorum. & Civium. D. 181. Literæ Senatus Fr. ad Novum Regem Rom. Frid. Austr. Duc. continentes Gratulationem & petitionem. D. 196. ad quas respondet Frid. Rex. 197.

Franconia vectigal novum Episcopis Herbipolensibus solvere tenetur ex omnibus vini plaustris. D. 79.

Freheri Marquardi Epistola ad Bongarsium: cum Expositione Fœderis, inter Lud. & Carolum, Caroli M. Nepotes, Argentinæ percussi. Anno 842. de Gallico & Germ. idiomate. A. 113. seq.

Fridbergenses associantur fœderatis Civitatibus. D. 244. seqq.

Fridericus I. Imp. Rom. (aliàs Barbarossa) Conradi Successor. S. 11. 19. litem de Austriâ dirimit. ibid. eamque dividit inter litigantes, Austriæque egregia largitur privilegia. ibid. huius Frid. egregium encomium. 19. Aquisgrani coronatur. ibid. nimius illius rigor. ibid. Inter Imp. hunc & Eugenium Papam dissensio. 19 20. quâ in re Ecclesiæ paruerit. ibid. Sacrilegia expiat. ibid. Beatricem Burgundiæ hæredem uxorem ducit. 21. facta eius in Sarmatiâ. ibid. multos audit Legatos. ibid. Mediolanenses C. millibus armatorum obsidet. 22. eius Existimatio. 23. Mediolanenses denuò rebelles domat. ibid. tandem deleturus eos ac Veronenses, cum Sociis, acriter confligit, non sine vitæ periculo. 24. Sequuntur, quæ in eo vituperanda fuerint: sc. Arrogantia, quod Papæ sese subjicere, & coronam Imperialem ipsi deberi nollet profiteri. 24. Superbæ eius ad Pontificem Adrianum literæ. 25. Tandem verò conversus, Pontifici Venetias profugo ad pedes prolapsus veniam deprecatur, & reconciliatur. 26. seq. Post hæc in Turcas profectus feliciter rem gessit, sed repentè in Ciliciâ flumen (quod nonnulli Cydnum fuisse autumant) ingressus, enectus est. 27. eius corporis forma ac Majestas: & quantùm Dignitatis Imperio Romano attulerit 27. inprimis vid. St. 128. seqq. eius mors. 137. elogium. ibid. de incestis eius nuptiis. St. 276.

Fridericus I. Imperatori Conrado succedit. A. St. 286. in Merseburg regnum Danorum ordinat. ibid. in Wirceburg Principes Germanorum discordantes componit & reconciliat 286. Primam Uxorem repudiat, Papæ monitu commotus, quippe consanguineam. 286. Romam proficiscitur. 286. ibi ante Urbem castra metatus Legatos Papæ insolentissimos audit, sed postulata deridet. Papam Adrianum in castra vocat: qui cum equo veniret, Imp. ei occurrit, & descendenti sinistram stapedam levavit: quare Papa iratus recusat eum coronare, quia non dextram levasset: Imp. imperitiam hujus servilis laboris excusat. precibus tandem consecrationem impetrat. 287. 288. ridicula est illa contentio cum Papa. ibid. in Germaniam redux Conventus habet in Halberstadt & Ratisbonâ. 288. Poloniam hostili exercitu intrat. 288. Conventum habet Francofurti. ibid. Italiam intrat, & Mediolanum subjugat. 288. Victori Papæ favet, contra Alex. Anti-Papam 289. ideoque Cistercienies Monachos ex Imp. R. pellit. 289. Mediolanum ei traditur. 289. Anti-Papas vocat ad Judices Vesontinos. 289. Ipse præsens est, & Waldemarus Rex Daciæ. 289. eluditur à Rege Franciæ Ludovico. 289. Moguntiam destruit, & Interfectores Archiepiscopi trucidantur. 289. vitæ periculum. 290. tædet eum Schismatis. 292. cùm Principes auxilia ferre non vellent, Henrico Duci ad genua concidit, neque Dux eum levavit. 293. Manuelis ambitiosissimi Imp. Byz. Epistolam accipit, sed dignè fastum pensat aliâ epistolâ. 294. Lubecam venit, eamque in ditionem accipit. 295. Erphordiæ magnam & celebrem curiam habet, ubi ruinâ cloacæ octo Principes cum Palatio submerguntur: Imperator vix evasit fenestram arripiens. 295. deinde Moguntiam transferens Curiam, Filium Henricum Regem coronari desiderat, sed Papa impeditur à quibusdam Card. miles ergò fit & Constantia ipsi despondetur, jam sexagenaria. 295. Deinde cum Curiâ Veronam tendit, ubi Papa Lucius ad eum venit, sed paulò post moritur. 125. hic Epistola minax Saladini Ægyptii totam Curiam terret. 295. deinde, amissis Hierosolymis, Imperator & Filius eius multique viri Principes, cruce insigniuntur, sacræque militiæ sese devovent: exercitus ad DC. millia augetur: expedi-

tio atque iter per Hungariam & Græciam. 296. Conradus de Monferrâ fit Princeps in Tyro. 296. Bremenſis claſſis & navalis exercitus per mare ſequitur. 296. Tancredo committitur regalis pecunia. 296. Anno Domini 1191. Imperator Frid. vitam finiit, ſubmerſus in flumine Saleph, ſive Cydno: verba eius ultima. 196. Filius Fridericus exequias Antiochiæ ei facit. 296.

Fridericus I. in omnibus glorioſus, quæ tempore illius facta ſint. vid. P. 374. Coronatus ab Adriano Pontifice. ibid. Romanos invaſores reprimit. ibid. pœnæ loco à Pontifice jubetur terrâ Expeditionem facere in Palæſtinam; quod cum immenſa multitudine quum faciſſet, in parvo Armeniæ flumine ſubmergitur. P. 374. huius belli nullum fructum fore, prædictum erat. ibid.

Fridericus II. à peregrinis Principibus eligitur Imperator, cùm eſſet adhuc infans. St. 298. alio nomine vocatur Conſtantinus. ibid. Sed principes Alemanniæ eligunt Philippum Fratrem Henrici Imp. Adolfus Colonienſis Ducem Zaringiæ: Deinde Otthonem eligit cum ſuis. ibid. Ottho Aquiſgrani, Philippus verò apud Moguntiam coronatur. 298.

Frid. II. Imp. Henrici VI. Filius, & Frid. I. Nepos, eligitur Imperator. S. 28. coronatur. ibid. cum Otthone pugnare cogitur. ibid. poſt mortem matris Conſtantiæ mutatur in Virum malum. ibid. ſeq. contra Turcas profectus, ſuos deſerit. quare mulctatur à Pontifice Rom. 29. Rex apud Italos & Germ. appellatur.

Fridericus II. re infectâ ex Italiâ diſcedit. Æ. St. p. 30. comperit filium Henricum contra ſe conjuraſſe. ibid. Parmam obſidet totamque Italiam miſcet vexat. ibid. p. 30. 31. ſeq. ſed à Parmenſibus eruptione factâ in fugam vertitur, caſtris exuitur, ſceptro Diademate & ornamentis aureis privatur. 32. contra eum eligitur Rex Rom. & Germ. Landgravius Thuringiæ. 32. Eius mors indoles, & res geſtæ enarrantur. ibid. 32. Tartaros in Hungariam advaſiſſe creditur. ibid. ſeq. Eius 5. Filii miſerè perierunt juſto Dei Judicio. 34. Auſtriam in Regnum mutare conatus eſt. 116. de Imp. Frid. II. Judicia. 139. Hoc regnante ſcripſit Albertus Abbas Stadenſis. A. St. p. 126. Eum Papa Innocentius Otthoni IV. Adverſarium ſuſcitat. A. St. 300. qui Siciliæ Rex erat Regis Henrici filius. ibid. civile bellum cum Otthone IV. 301. capit nonnullas urbes. 301. defuncto Otthone Fridericus inauguratur, à Papâ Honorio Romæ 302. Fabula de eius natalibus. 302. Henricus filius Patre vivente & volente Francofurti in Regem eligitur. 302. Conjux eius moritur. 303. Johannis Regis Hieroſ. filiam ducit. 304. filius R. Henr. V. Ducis Auſtriæ filiam. 304. excommunicatur Pater, à Papâ Gregorio, quod ille parvi pendens Hieroſolymam navigat. 305. Johannes Rex Hier. ipſe ei adverſatur. 305. recuperat Hieroſolymam. 306. redit in gratiam cum Papâ. 306. nuptiæ eius cum Sorore Regis Angliæ. 307. Filium Henricum, clandeſtinum hoſtem regno privat. & cuſtodiendum mittit in Calabr. 307. Agnes Bohemiæ Regis Soror, quam Frid. Imp. oppugnare conſtituerat. 308. etiam ob id inviſus Papæ quod Sarracenis & Soldano nimium conniveret. 308. per Italiam bella gerit. 308. egregiæ anathematizationis cauſæ. 309. inter alias arguitur, quod Regis Tunetani nepotem, ad baptiſmum non admiſerit, quamquam cupientem. 209. Imperator Cardinalibus ſcribit Paduâ, & ſe excuſat. 310. ubi integer Friderici Titulus. 310. Papa Archiepiſcopos Germ. monet, ut alium eligant, Imp. ſed illi conſtanter & piè renuunt. 312. quomodo & cur Electores Archiepiſcopi eligant Imperatorem. 312. ſeq. in Italiâ contra Papam, eiuſque fautores omnia feliciter agit, multos capit, & pecuniâ mulctat, vel privat. 313. Legatos mittit ad concilium Lugdunenſe, qui maſculè pro eo loquuntur, nihilominus tamen excommunicatur, à novo Papâ Innocentio. 315. Denuò fit. ibid. multi clamant: ad Papam non pertinere, Imperatorem inſtituere, vel deſtituere, ſed electum à Principibus coronare. A. St. 315. Eligitur in odium eius novus Rex, Henricus Landgravius Thuringiæ cognomento Raſpe, precibus evictus. A. St. 316. qui dicitur Rex Clericorum. ibid. Papa Principes Germ. & Saladinum, Mehaladinum à Frid. II. Imp. abſtrahere Epiſtolis ſtudet. 316. Conradi Filii pietas in Patrem. 318. Henr. Landgr. novus Rex moritur. & VVilhelmus Com. Holland. eligitur. 318. moritur. 319. P. 376. Hic Frid. II. agit cum Eccleſiâ non ut cum Matre, ſed tanquam novercâ. P. 376. Proprium Filium, Henricum jam Alemanniæ Regem, ob ſuſpicionem in carcere ſuffocavit: 376. excommunicatus ſine pœnitentiâ moritur. 377. à Filio naturali Manfredo ſuffocatur. P. 377.

Fridericus III. Imp. ſe ex illuſtri familiâ Auſtriacâ natum non ſine gloriâ profitetur. D. 7. Pacem in Decennium conciliat cum Fil. Maxim. in Germaniâ Anno 1486. D. 150. Quale habuerit Sigillum. D. 319.

Fridericus III. Imp. in Operis huius Inſcriptione ab Auctore Æneâ Silvio appellatur. Divus cum adhuc viveret. Æn. S. p. 1. Arneſti Ducis Auſtriæ filius appellatur. ib. p. 2.

Frid. III. de Uxore & Coronatione ſollicitus. Æ. S. p. 38. Legationem ad Portugalliæ Regem mittit, ob Eleonoram, Sororem natu maiorem. 39. cum omnia tuta viderentur & nuptiæ cum Portugalliæ Regis Sorore Eleonorâ, atque Coronatio Romæ apparatæ eſſent, novæ Friderico Cæſ. turbæ oriuntur in Auſtriâ, à Fratre Alberto, & Eizingero. Æn. S. p. 43. & 44. quibus motus Viennam contendit, Auſtriacorum incolarum fide fretus. 54. novas ei turbas movent Itali, iter præcluſuri, ex timore. ibid. Ipſe Nicolaus Pontif. territus iter diſſuadet. 45. varia. de Frid. III. ibid. fata quædam ſive Vaticinia de Frid. III. Italos terrent. 45. 46. Papa reſipiſcit & adventum eius ſolicitat. 47. querelæ Eizingeri contra Frid. III. ibid. 47. eiuſdem contra Frid. ſeditioſa Oratio, & nonnullorum Baronum coniuratio cum eo. 48. Imp. his cognitis, eorum machinationibus reſiſtit conſilio. 50. Viennenſes in fide manent. Ae. S. p. 50. donec plebe impellente Senatus quoque ſententiam mutaverit, & Conventu habito, omnes Auſtriæ Status Friderico fidem renunciant. p. 53. omnia ad periculoſam mutationem vergunt. 54. colloquium cum Comite Ciliæ habet, ſed fruſtra. 56. nuncius denuò Friderico non amabilis Româ venit, Papam malle iter Cæſaris in ætatem differri, & motus in Auſtriâ in dies augeſcebant. p. 56. 57. nihilominus iter maturat, ſed à nobilium comitatu deſeritur, à Papa amiciſſimis literis acceptis erigitur. 58. ſeque accingenti, iterque ingredienti multi ſeſe adiungunt Nobiles Hungari & Bohemi, ipſeque Albertus Dux Auſtriæ Germanus Cæſaris. 59. ad Venetos de tranſitu Legatos mittit, qui omni honore & veneratione Cæſarem excipiunt. Italiamque per Alpes ingreſſo mille officia exhibent, mille laudes & vota canunt. viri Docti gratulantur. p. 60. iter reliquum Romam verſus. 61. laudatur à plebe Italâ Fridericus & Ladislaus. 61. multos aud t legatos. ſeqq. tandem per Apenninum montem Florentiam ingreditur. Summo omnium applauſu. 66. per Legatos Comitum Syllacei fœdus ipſi renunciatur. 67. Friderici III. Legatos iſtos Com. Syllacei cum exprobratione perfidiæ remittit. 67. 68. ex improviſo nunciatur ei, appuliſſe Sponſam Eleonoram in portu Piſano. 68. Senas venit cum omni comitatu, ubi à Papæ Legatis ſæpius monetur, ut antequam Patrimonium Petri ingrederetur, Sumno Pontifici fidem jurejurando firmaret, quod Cæſar præſtitit. de quâ re ſententiam Auctoris vide. pag. 69. acerbiſſimas illas Eizingeri literas ad Pontificem R. & Cardinales per armatos Juvenes vi eripit, eiuſque machinationes cognoſcit. Aen. S. p. 71. 72. Sponſam Senis adventantem excipit inſigni pompâ, viſæque amore capitur. 73. apud Viterbium puerorum pugnâ vexatur, qui omnia diripere conabantur, ſed iſti fuſtibus adoleſcentes in fugam vertere. p. 74. 75. tandem ad Urbem Romam perveniens in colle quodam Majeſtatem Urbis conſpicatur, unâ nocte extra urbem degere jubetur in caſtris; interim varii magnates & Principes Cæſari miniſtrant: 75. Friderici & Imperatricis pompa Romam ingredientis. ibid. & 75. Ordo in ingreſſu. 76. quomodo in portâ Urbis exceptus, ad Papam deductus, quæ colloquia cum eo habuerit; quomodo cum multis aliis pedes Pontificis baſiaverit; Templa, poſt factas preces, perſpexerit: tandem quomodo, à Pontif. Nicolao dies Corona-

Coronationis dies certus dictus; 77. colloquium alterum Frid. Cæsaris cum Papâ de rebus Austriacis & hostibus suis. 77. 78. ubi etiam Ladislai educationem exposuit Cæsar. 78. Respondet & Pontifex, se excommunicatione, Cæsarem gladio perfidiam debere punire judicat. 79. Fridericus in Regem Germanorum coronatur primo. Quod Mediolani debuisset fieri, sed indultu Papæ Romæ à Papâ factum, quoniam Mediolanensibus infensus erat. 79. 80. Actus Secundæ Coronationis in Imperatorem Romanum describitur. totusque Ordo eius 80. seq. Jusjurandum quod Frid. ante Coronationem Nicolao Pontifici præstitit. 80. Fridericus in Canonicum S. Petri recipitur. 80. Frid. ante Coron. manu Pontificis Nicolai inter solennia Missarum connubio jungitur Sponsæ suæ Eleonoræ, sed utrique præceptum, ut ne jungerent carnalem copulam intra triduum, ob reverentiam Sacramenti. 79. Vestimenta eius Imperatoria luxu insignia. 81. Coronatus in Imp. Rom. Friderici III. 300. Equites creat. 81. in Canonicum S. Joh. recipitur. ibid. multos indoctos creat Doctores. 81. magnifico convivio excipitur in Templo S. Johannis. 81. Hospitium habet in Palatio Apostolico, ubi Papa & Cæsar sæpius invicem collocuti soli & familiariter. Æ. S. p. 81. 82. Coronam auro gemmisque gravem totâ die gestat, trabeâ indutus. 82. Somnium suum Romæ visum. Pontifici narrat, eventu probatum. 82. Româ discedit Neapolin, summis precibus Regis Alfonsi oneratus, ibique vix auditis honoribus excipitur. 83. Sponsam in Italiâ non cognovit. 84. tandem Alfonsi precibus victus, id præstitit. 84. 85. castitas Friderici ibid. Neapoli Romam reversus Cæsar, discessumque in Germaniam maturans, per Æneam Sylvium Pontifici M. Nicolao, & Cardinalibus summas agit gratias, pro benignitate: simul monens, ut rebus Christianorum consulant, summo enim in periculo versari Constantinopolim & totam Græciam: quod Æneas efficaci Oratione perficit. 86. Fridericum jam antehac iter fecisse Hierosolymam, & loca Sancta conspexisse sed miserrimæ servitutis Christianorum commiserationem habere. 88. Respondit ei Nicolaus. 90. Dimissus & Benedictus Cæsar Româ discedit, Senas & Bononiam recurrit. 90. Ei in Germaniam reversuro Austriaci varia movent. 91. literis & verbis mordacibus apud Principes Italiæ ipsum Papamque incusant: cum Ladislao & Alberto fratre Florentiâ discedit Cæsar. 93. Imperii Romani decus augere quàm minuere cupit. 94. Tandem precibus tot Principum & Civitatum victus, Borsio Ducatum concedit, cuius virtutes enumerantur: 95. Per fluenta Padi Venetias venit, ubi à Duce & Senatu in Nave Bucentauro, multisque navicularum millibus, ineffabili gaudio & honore, excipitur, colitur, & cum Imperatrice, omnibusque turmis dimittitur; 96. 97. De Pace cum Aragonibus & Bononiâ, agit, sed Venetorum Dux respondet; jam sperari non posse pacem: quam anno sequente tamen à Pontifice petiere, cum Turca Constantinopolim occupâsset. 96. 97. Fridericus 7. dies Venetiis commoratus, tandem à Duce Senatuque Venet. devotè salutatus discedit: Æn. S. 97. relictâ post se Italiâ in montes cùm venisset, malo omine, cœli facies mutata, imbres, tonitrua, ac tempestates effudit. 98. apud Villacum quiescit. ibid. ubi omnia in Austriâ turbari, à Neubergero cognoscit, qui salutari Consilio Cæsari subvenit, quod sequuntur. 99. Consilium convocat, in quo agitur: Gratiumne, an Novam Civitatem pergere debeant? re deliberatâ concluditur: rectâ Novam Civ. peti debere. Æ. S. p. 99. turpe sibi ducit, nisi tu Eizingeri, & cæterorum perduellium, aliò recedere. 99. Cæsar in Austriam iter deflectit. 99. Æneæ S. Senensis consilium, ne Cæsar confidat militibus Bohemis. 99. 100. feliciter redit in Novam Civitatem, ubi à fidis cum lætitiâ excipitur: perduelles ex parte animos ponunt: quos Eizingerus erigit, & arma sumit. 100. Cæsarem ejusdemqi coronationem, Consiliarios ac opes spernit. 100. tabellario Cæsaris, Eizingero dissipationem opum Ladislai exprobranti, linguam præcidi jubet. 101. Fridericus milites plurimos contrahit. 102. consilio tantùm trium virorum utitur, posthabito Æneâ. 103. rem nimium differt. ibid. Legatis Bavariæ Ducum, & Alb. Marchionis Brandenb. qui missi erant, ut de felici reditu & Coronatione ei gratularentur, & de fide suâ certiorem facerent, respondet benignè, & ut fidem servent sibi, monet. 102. Hussitam, Baronem Tsernahora supremum belli Capitaneum constituit. 103. Imprudenter rem militarem disponit, judicio Æneæ. ibid. opprobria patitur à conjuratis. 103. Æneam ad Hungaros legat, ut divelleret eos à partibus Austriæ; huic etiam Papa legationem ad eosdem commiserat: 109. interim Austriaci maximis copiis appropinquant, obsidionem Novæ Civitatis minitantes, nisi promitrat Ladislaum tradere. Consilio habito, Æneas Cæsari suadet, ut cederet ipsorum minis. alii repugnant, & obtinent: quod postea Cæsarem pœnituit. 110. Tres Episcopi Pacem tractaturi Cæsarem adeunt, quorum vestigia sequitur Exercitus Conjuratorum. 111. hostem ante portas indignabundus conspicit. 112. Summa trepidatio, in Novâ Urbe. 113. Archiepiscopus de pace solicitus hostes ad inducias unius diei movet. Quibus tandem Colloquium Cæsaris placet. quod & bis terve factum, extra portas. 113. tandem in certas conditiones induciæ factæ, quæ recitantur. 114. conditiones, ut tradito Rege pupillo, pax sit, &c. non placent nonnullis Consiliariis Cæs. 114. dissuadent omnia, extrema pati malunt. imò suadent ut Cæsar Regium Adolescentem Ladislaum morti & ictibus lapidum objiciat. quibus respondetur ab aliis, & crudele consilium rejicitur. 115. Pacem accipiendam. 115 Responsum Cæsaris, Pacem amplectentis. 116. Cæsar portâ exiens Pacem confirmat: dicto die Puer Rex traditur quem Conjurati summâ lætitiâ excipiunt. 116. Austriaci fidem non servant, omnia contra Cæs. agunt. 120. cur vitam Friderici Æneas Silvius non ab in cunabulis, sed à Coronatione & Matrimonio inchoaverit. 121. Constanter ab Æneâ vocatur Fridericus III. cùm tamen alii docti viri Quartum vel Quintum appellent; non sine ratione. 122. Apparatus Itineris Italici. 146. ultra CCC. Dinibus. 122. Apparatus Itineris Italici. 146. ultra CCC. Diplomata Principibus & Civitatibus dedit, quæ maximâ ex parte singulari Opere comprehenduntur in hoc Tomo. Fridericus III. Imp. Gloriosissimus obit Anno 1493. 19. Augusti. D. p. 55. ubi etiam vide Lapidis Sepulcralis Inscriptionem & titulum. Exequiæ habitæ sunt die 5. Dec. 1493. describitur Ordo, & Ceremoniæ omnes ac singulæ. D. 47. seqq. Rex Rom. Maximilianus, multique filii Regii, Electores, Principes, Episcopi, Abbates fuere præsentes. D. 47. seqq. Friderici III. Epistola ad Carolum Burgundiæ Ducem, cum Colonienſem Archiepiscopatum armis infestaret. D. p. 58. Friderici III. Austriæ Ducis Electio in Regem Romanum. Anno 1440. (in quâ Electione omnes consensere, præter Brandenb. Elect. & Bohemiæ Legatum, qui Landgravium Hassiæ commendavere) Frid. electus Rex Rom. Senatui Francof. per Literas Gratulanti respondet Gratiosè. D. 157. Anno 1486. Conventum Francofurti habet, in quo, in Principum, & Statuum summâ frequentiâ & pompâ, Filius ejus Maximil. in Regem Rom. eligitur & coronatur, ubi omnes ac singulæ personæ, ceremoniæ ac solennitates recensentur. D. p. 218. seqq. ejus Literæ ad Civitates quasdam, quibus Imperator contra Burgundum Carolum, ad arma auxiliaria expedienda hortatur. D. p. 236. Argentinenſibus eximia concedit Privilegia. 314. Friderici bellum cum Fratre Alberto, ob hæreditatem Austriæ. R. 65. Judæis favet. R. 70. contra Matthiam Hungar. Regem bellum gerit. 71.

Friderici apud omnes gentes clari recensentur. S. 12. seq.

Fridericus Mogunt. Archiepisc. pravus, & fraudulentus. St. 214.

Friderici Comitis varia fortuna. St. 262.

Fridericus Lotharii Legatus. A. 97.

Fridericus Dux Sax. St. 273.

Fridericus Austriæ Dux triumphatur, à Lud. Bav. Duce in Regem Rom. electo. R. 3.

de Fridericis vide egregium discursum. S. 128.

Fridericus Imp. anathematizatur à Papa Greg. IX. vid. Greg.

Fridericus Austriæ Marchio Leopoldi Filius. S. 13.

Fridericus Dux, Palatinus Rheni, Ludovici Barbati defuncti, tutor pupilli, cùm prælio quodam victor esset, cepit Epis-

piſcopum Metenſem, Marchionem Badenſem, & Vlricum Comitem Wurtembergenſem, qui maximo precio ſeſe redimere coacti ſunt. R. 63. 64. quomodo hic Frid. dignitate privatus ſit. 64.

Fridericus Sueviæ Dux, Imp. Henrici Gener. S. 13. ejus facta. ibid. ſeq.

Frid. Sueviæ Dux, defuncto Henrico V. Imp. Regalia occupat, de Regno certus : ſed repulſam fert. St. 264. Lothario Regi ſe opponit. ibid.

Friderici, Imp. Frid. filii, Aſtronomicus ſtatus Genituræ. St. 276.

Fridericus Siciliæ Rex. tempore Otthonis IV. St. 300.

Friderun, Comitiſſa. St. 255.

Friſia (quæ in hoc opere Freſonum populus ſæpiùs appellatur) à Godofredo Danorum Rege depræda tionibus vexatur. St. 63. Carolo Regi obtigit in diviſione Regni. 109. 110. Friſiæ Iurisdictio data à Carolo M. ejus limites. St. 193.

Friſii Wilhelmum Imp. occidunt. St. 320. iterata victoria. 320. eorum Dux Radbodus, (ſive Richbodus) alterum pedem è lavacro baptiſmi, non ſine cavillis, retrahit. P. 360.

Friſingenſes ab Henrico Auſtriæ Duce cladem accipiunt. St. 11.

Friſiorum converſor Willehadus. St. 151.

Fritislar, vel Frizlar. Hic Henricus Auceps coram populo Saxonum & Francorum, Imperator creatur. S. 119. Haſſorum. St. 190.

Fuggerus Comes optimè omnium deſcripſit Hiſtoriam Auſtriæ. S. 124.

Fulbertus, Dux Ludovici Pii Imp. occiditur. A. 87.

Fulco inſignis & miraculoſus in Francia. St. 298.

Fuldenſe Monaſterium fundatur. St. 179. p. 360.

Fulendorffius, Michaël, Rothenburgo Germanus, è comitatu Cæſaris Frid. III. Senis expirat, febri ardente : quis, quàmque charus Cæſari fuerit. S. 64.

Fulgentius claret. St. 169.

Fundatio Abbatiæ Stadenſis. St. 271.

Funus & exequiæ Magnificentiſſimæ Friderici III. Imp. D. 47. ſeqq.

G.

GAjus Papa Ro. conſtituit varia de dignitate Cleri : & ne quis cum apud Seculares accuſare poſſit. P. 345.

Galba Imp. R. P. 340.

Galenus floret. P. 342.

Galerius Imp. R. St. 160. P. 346.

Galliarum Delphinus Eleonoram Virginem Regiam Portugalliæ amat. S. 39. Galliæ Provinciæ recenſentur, quæ Carolo filio à Ludovico Pio datæ ſunt. S. 88. Gallis imprecatur mala Conradinus, jamiam ſecuri plectendus in Siciliâ : quæ evenére quoque. S. 38. partim Veſperis Siculis, partim aliis caſibus. ibid. Siciliam enim totam amittunt. 38. Galli Senones. St. 136. Gallias vaſtat Maximus, Britanniæ Tyrannus. St. 164. Saxonum quoque populus. St. 168. Sarraceni. St. 179. Galliarum Rex ab Imp. Ro. utpote Princeps potentiſſimus, & contra barbaros feliciſſimus, de auxiliis adverſus Turcas implorandus. D. 199. 200. In Galliâ Saxonum colonia. St. 196. Galliam invadunt Nortmanni. 205. Gall. Rex Vto. ibid. Gallici motus. 207. variæ Regum mutationes. 207. Expeditio Sacra plenius deſcribitur. P. 371.

Gallienus Imp. Ro. P. 345. St. 159.

Gallogræci, ſive Galatæ. unde. St. 128.

Gallus Imp. Ro. P. 345.

Gaudbertus Suecorum Epiſcopus. St. 200.

Gazilo Lotharing. Dux. St. 228.

Gelaſius I. Papa : quid in Eccl. conſtituerit. P. 353.

II. in Gallia moritur. P. 372.

Gelenheim in Alſatiâ : ibi S. Maternus obit, ſed reſuſcitatur. St. 156.

Gelnhauſenſes in fœdus nonnullarum Civitatum Imperial. tranſeunt. D. 241. 245. renovant illud fœdus. 248.

Genovefa floret. P. 354.

Genſericus Vandalorum Rex Africam devaſtat. P. 351. ſeq.

Gerardus Comes Pariſius Carolum R. deſerit. A. 92.

Geuberga in Ararin mergitur. A. 28. Soror Otthonis M. Imp. St. 207. Ludovico Gall. Regi nubit. 214.

Germaniâ pacatâ, publicam ſecuritatem in decennium Frid. III. Imp. cum filio Maxim. I. conciliat. & Anno 1486. publico Inſtrumento confirmat. D. 150. Germaniæ, ſive Alemanniæ Duces, temporibus Henrici Aucipis Imp. St. 212. Germaniæ loca immani moventur terræ motu. A. 28. Germani Conſtantinopolin capiunt, & Balduinum Comitem Flandriæ ſibi conſtituunt Regem. St. 299. Germanorum multa millia in Gallias collocat Auguſtus. P. 338. Germanorum laudes nonnullæ. S. 46. ſeq. converſio ad fidem Chriſt. St. 150. Germanorum potius Reges coronabantur, quàm Romanorum, Impp. S. 80.

Germanus Gallorum Epiſcopus. St. 167. bellum profligat non armis, ſed clamore Alleluja. 167.

Geroldus Archiep. Bremenſis. St. 286.

S. Gertrudis. St. 175.

Gertrudis Ducis Henrici Conjux. St. 270.

Getes, Herulorum Rex. St. 169.

Gibellinorum & Guelfforum diſſidia. S. 18. 28. fuſius hæc recenſentur ab origine. S. 129. R. 25.

Gigantes. St. 127. Nimrod Gigas. 128. Pallas : ejuſq; corpus incorruptum cum Lucernâ invenitur : quantus Gigas. P. 369.

Gilimerus Rex Vandalorum capitur à Boëthio. St. 170.

Giſebertus. A. 92. 99.

Giſela Caroli M. Soror. A. 186.

Giſelæ Auguſtæ Mors. St. 231.

Giſilarius Archiep. Magdeburgenſis. St. 219.

Giſulffus Dux Longobardorum. St. 177.

Glacici fruſtum XV. pedum cœlo decidit tempeſtate. St. 199.

Gneus Regulus Slavorum. St. 228.

Godehilda, Clodovæi Vxor, maritum ad fidem Chriſtianam hortatur. St. 163.

Godelaibus Dux. A. 61.

Godeſchalchus Ep. Gothorum. St. 226.

Godeſchalckius, Vtonis III. Filius, audisâ Patris nece, ſtudia relinquit, Paganis ſe jungit, Winulis, & multa millia Chriſtianorum, in vindictam Patris interficit. St. 226. tandem capitur & dimittitur. St. 227.

Godofridus Danorum Rex. A. 59. Abdoritos aggreſſus repellitur à Carolo, Caroli M. filio. 61. pœnitens facti, pacem firmare vult, ſed irrito ſucceſſu. 62. maximâ claſſe redit, & Friſiam totam ſpoliat. 63. jactat ſe cum Carolo M. velle congredi, ſed cùm ſeriò rem agi videret, receſſit. 63. à Satellite interfectus dicitur. 63. poſt cujus obitum Emmingus filius Fr. ejus ſucceſſit. ibid. St. 196. à filio occiditur. 197.

Gordianus mp. Rom. fraude Philippi perimitur. P. 344.

Gormo, ſive Wurm, Danorum Rex, peſſimus Chriſt. perſecutor. & Vermis. St. 211.

Goslaria condita. St. 234. ibi occiditur Bucco Epiſcopus Halberſtadenſis. 249. Conventus ibi habetur ab Henrico V. Imp. 259. conflagrat. 268. conventus. 302.

Gothefredus Bullionius. S. 8. Dux Lotharingiæ, clariſſimus inter Belli Sacri Duces, St. 250. ejus expeditio, ſucceſſus. 251. Hieroſolymam capit Anno 1099. 252. ibid. Rex conſtitutus religionem ordinat : Babyloniæ Regem ſuperat. 256. Conventum habet Hieroſolymis. 253. ei defuncto ſuccedit in Regno Balduinus Frater. ibid.

Gothehardus Epiſcopus Hildesheim. miraculoſus. St. 265.

Gothefridus Lotharing. perduellis in Henricum III. capitur. St. 231.

Gothi vaſtantes Macedoniam, ſuperantur. St. 159. petunt Doctores ab Imp. Valente, quos impetrant, ſed Arrianos. unde & ipſi facti ſunt Arriani. St. 164. quæ prima Gothorum ſedes. ibid. ab Hunnis expelluntur. St. 164. Gothorum nomina. 4. P. 350.

Græcia, quantas calamitates à Turcis paſſa & adhuc expectet. S. 87. ejus encomium. ibid. Græci cum Carolo M. pacem ſtabiliunt. A. 58. Græci Orobiatæ vocati. A. 62. Græcorum reductio ad Eccleſiam. R. 59.

Gratianus Imp. St. 164. occiditur apud Lugdunum, à Maximo Britanniæ Tyranno. St. 164.

Gregorius Nazianzenus quando vixerit. P. 350.

Gregorius I. & Magnus, Ep. Rom. St. 172. P. 356. tempore Mauritii Imp. claruit: fit Papa, discordat cum Imp. qui ipsi detrahit. P. 356. quid scripserit. 356. severus in Idola; ibid. Litania ejus septiformis. Primus se scribit servum servorum. ibid. miraculosus. St. 159.

Gregorius II. ejus Constitutiones. P. 360. hujus tempore Bonifacius Germanos convertit. ibid. S. Ægidius in Provinciam venit. ibid. Leonem Imperatorem Anathematizat, ob crematas imagines: 160. totam Italiam à Leone deficere facit. St. 178.

Gregorius III. Papa Ro. hic quoque totam Italiam à Leone Imp. alienat, ob imagines crematas: synodum habet Romæ. P. 160. quæ ordinaverit. vid. ibid.

Gregorius IV. Pa. Ro. Festum omnium Sanctorum, ordinat. P. 362. Ludov. Pium deserit filiisque ejus, adhæret. A. 87.

Gregorius V. antea Bruno, Anti-Papam accipit à Crescentio Consule Vrbis Romæ. P. 367.

Gregorius VI. laudes & bella ejus. P. 369. bestia pessima. 370.

Gregorius VII. de hujus factis & odio immani in Henricos. vid. P. 371. Henricum IV. excommunicat. S. 13. antea dictus Hildebrandus, cur illegitimè creatus. St. 245. à Principibus Teutonicis abdicatur. 245. nihilominus in sede manet, & Henricum IV. eam in desperationem adigit, ut is Romam petens, Papamque in Castro Canusino offendens, per triduum discalceatus & pannis obsitus ante Castri portam steterit, ac vix tandem expiationem exoraverit, durissimis legibus ac conditionibus. St. 246. Imp. Henricus clanculùm in Germaniam revolans, bella gerit cum Rudolffo sibi subrogato: & Synodum Brixinam habet: in quâ ab Vniverso Conventu hic Gregorius, ut iniquus, depellendus, contra Egbertus subrogandus, judicatur, 247. post commissa nonnulla prælia Henricus vicit Rudolffum, qui manu dextrâ graviter vulneratus, perfidiam publicè confessus, Gregorium Papam in causâ esse, pœnitentiamque agens expiravit. 247. quo facto, Henricus Imp. cum Exercitu Romam redit, hostemque Papam obsidet in Castro S. Petri. 247. Papa fugit: Roma capitur: novus Papa consentientibus Romanis inthronisatur. 248. qui, (antea Egbertus vel Wigbertus, deinde Clemens dictus) cum Imp. Henrico coronato Moguntiæ Synodum habet; in quâ Papa Hildebrandus omnibus diris devovetur. 248. habet tamen suos asseclas & socios. ibid.

Gregorius VIII. hujus Zelus pro Terrâ S. P. 375.

Gregorius IX. canonizat S. Elisabetham, Filiam Regis Hungariæ: Landgravii Thuringiæ viduam relictam. P. 377. contrà Frid. II. fulminat. ibid. Decretales compilat. ibid. obsessus se liberat; ita ut Frid. Imper. ab Vrbe Româ discederet. P. 377. succedit Honorio. III. 376. Papâ hoc sedente, Abbas Stadensis Chronicon suum scripsit. St. 126.

Gregorius IX. Frid. II. excommunicat, ubi Formula integra legenda. St. 308. infensissimus ei omnem lapidem movet. 316. sed Imp. scribit Cardinalibus in sui excusationem. ibid. Verdensi Episcopo Bullam mittit. St. 311. metuens iram Imperatoris, Archiepiscopos de alio eligendo Imp. solicitat; sed illi constanter renuunt. 312. contra Tartaros dat indulgentias plenas. 313. moritur: interregnum Papale. 313.

Grimaldus Longobardus Beneventanorum Rex, cùm nono die post plebotomiam, accepto arcu, columbam percutere nisus est, venâ brachii ipsius disruptâ, & superponentibus venenata remedia Medicis, defungitur. P. 358.

Grypho natu minimus inter tres filios Caroli, Pipini Fil. bellum intestinum orditur, sed fratres Pipinus & Carolomannus eum obsident Lauduni (Lugduni forsan) & capiunt. St. 179. denuò rebellis capitur. ibid.

Gude Regina, à Suenone repudiata, quia consanguinea. St. 233.

Guelffo Henrici Bavariæ & Saxoniæ Ducis Frater. S. 9.

Guelfforum ac Gibelinorum dissidia recensentur. S. 18. seq. item. 28. 30. Guelffi Florentiâ ejiciuntur, & à Frid. II. laniantur. 32. 34. R. 23.

Guido Musicus Bremam adducitur, tempore Conradi II. Imp. St. 127.

Guiscardi Robertus Francigena vincit Alexium & Emanuelem Constantinopolitanos. St. 220.

Gundtbaldus Monachus ambitiosissimus. A. 86.

Gundredus Nortmannorum Dux. St. 205.

Guntherus, Otthonis Frisingensis & Radevici Imitator. S. 137. ejus opus Ligurini commendatur. 137.

Gunzelinus Comes Suerinensis. St. 291.

H.

HAbacuc Prophetæ Corpus invenitur. St. 165.

Hadefonsus Asturiæ Galliciæque Rex se proprium nuncupat Caroli M. C. 39.

Hademarus Pro-Papa in Exercitu belli Sacri. St. 250.

Hæresi nonnullorum damnatâ, ostentum apparet. St. 176.

Hæresis Hispanica de Filio Dei & Filio Hominis. St. 160.

Hæreticos milites an habere liceat? S. p. 100.

Hæreticos & Schismaticos per Seculares potestates judicandos & cohibendos, ipse Pontifex decernit. St. 148.

Hagenoënsis Civitas fœdus init cum nonnullis Civitatibus Imperii. D. 237.

Halberstadium exustum. St. 293. Halberstadensis Episcopus Goslariæ occiditur. St. 249. alius, Ottho, deponitur ob Simoniam. 263.

Haldan Rex Danorum. St. 204.

Hallenses Hæretici in Suevià. St. 318.

Hamburgenses in Parte Australi Albis Duces Brunsvicenses & Lüneburg. à navigatione arcere tentant, sed Privilegio isti sese muniunt. D. 253. Hi verò mandatum ab Imperatore Frid. III. accipiunt. 257. Episcopatûs Hamburgensis primordia. St. 197.

